21

PATRIS CHRISTIANI LUPI Opera Omnia.

Fr. Christianus de Vos, O. S. A.
– Ex civitate Yprensi Flandrorum –

VERA, ET ACCURATISSIMA EFFIGIES ADMODUM R. AC EXIMII PATRIS MRI. CHRISTIANI LUPI AUGUSTINIANI IPRENSIS AC SACRÆ FACULTATIS LOUANIENSIS DOCTORIS AC REGII PROFESSORIS PRIMARII, QUI SUB PONTIFICIBUS CLEM: IX, ET X. ALEX: VII. INNOC: X, ET XI. FLORUIT: OBIIT LOUANII AN. MDCLXXXI. x IUNII.

SYNODORUM GENERALIUM, AC PROVINCIALIUM DECRETA, ET CANONES,

SCHOLIIS, NOTIS, AC HISTORICA ACTORUM DISSERTATIONE ILLUSTRATI,

PER F. CHRISTIANUM LUPUM,

Iprensem, Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, Sacræ Theologiæ in Alma Lovaniensi Universitate Doctorem, ac Regium Primarium Professorem.

PARS PRIMA.

OPERUM TOMUS PRIMUS

Complectens, ultra Synodum Nicænam, Sardicensem, Constantinopolitanam, & Ephesinam, Dissertationem Procemialem ex Authoris manuscripto Posthumam, de Meletii, & Arii Personis, Moribus, atque Erroribus, necnon Additiones quamplurimas ad Symboli Apostolici, & Nicæni Dissertationem, nunc primum in lucem editas

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.



VENETIIS, MDCCXXIV.

Prostant { APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM Q. HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.

BX
890
L86
1724
t.1

BEATISSIMO PATRI

INNOCENTIO XIII.

P. O. M.

FR. THOMAS ANTONIUS PHILIPPINUS ORD. HEREM. S. AUGUSTINI

PERPETUAM FELICITATEM.

Bi primum, Beatissime Pater, consilium inivi edendi quæcumque Christiani Lupi scripta lucubrationesque superessent, illico easdem Sanctitati tuæ mittendas, nuncupandasque esse putavi, ea spe ductus, illas tibi fore jucundissimas, utpote quæ, cum doctæ sint, tùm christianæ pietati valdè fructuosæ: Certè unum illæ sibi finem

sta-

ſtatuunt, ut Conciliorum præcipuè Sanctitatem, dignitatemque, quæ à Romani Pontificis auctoritate disjuncta eſſe non poteſt, incredibili eruditione, atque doctrina tueantur. Hujus autem generis ſcripta ad Sanctitatem tuam potiſſima quadam ratione pertinent; propterea quod cùm Eccleſiæ res geſtas continent, cujus univerſæ & Caput, & Paſtor es; tùm quaſi ornamenta quædam ſunt, atque monimenta nobiliſſimæ Gentis tuæ, unde tot Romani Pontifices profecti ſunt, qui magnam partem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ compleant rebus à ſe geſtis. Ad id conſilium accedebat voluntas mei erga S. T. cultus, atque pietatis officio aliquo declarandæ. Poſtremò hoc ipſum accepi fuiſſe ipſius Chriſtiani Lupi conſilium, & voluntatem. Etenim antequam diem ſuum obiret, illud mandavit, ut cùm ſua proferrentur in lucem ſcripta, ea Romano Pontifici, quod à ſe fieri minimè poterat, nuncuparentur. Cùm igitur hæc omnia mecum animo reputaviſſem, Magiſtrum univerſi Ordinis noſtri conſului. Is mirificè probavit conſilium meum, ſignificavitque ad officium ipſius Ordinis pertinere, aliqua obſervantiæ erga S. T. noſtræ indicia promere, ut inter omnium gentium de tua virtute prædicationes, eaſdemque tàm crebras, ac tàm honorificas, nemo noſtras deſideraret. Verùm cùm omnia me ad tantam rem aggrediendam excitarent, una illa me cogitatio retardabat, pro qua verebar, ut verecundè, prudenterque me facere exiſtimares, qui meæ humilitatis oblitus ad Tuam Sanctitatem, Majeſtatemque accederem. Sed cùm demùm Eminentiſſimo Cardinali Tanaræ, in cujus clientela ſum, & me, & rem ipſam commendaviſſem, idem bono me animo eſſe juſſit, illud admonens, nobiliſſimi, ac Sanctiſſimi Principis facilitatem, & altitudinem animi ſummam eſſe: atque adeo quæ illius humanitas fuit, Sanctitatem tuam exoravit, ut mihi, quod vehementiſſimè cupiebam, exequi liceret, teſtarique omnibus quantum Sanctitatis tuæ cùm laudi, tùm amplitudini ſim addictus, ac planè deditus. Ad tuos igitur Sanctiſſimos pedes provolutus, illud ſupplex omnibus precibus rogo, atque oro, ut, quando majoribus officiis minimè poſſum, in hoc levi munere æquo animo accipias, atque gratam habeas declarationem voluntatis meæ.

Patavii IV. idus Martii MDCCXXIII.



VITA

EXIMII PATRIS MAGISTRI,

CHRISTIANI LUPI,

IPRENSIS.

In Alma Lovaniensi Universitate S.T. Doctoris, ac Professoris Regii Primarii,
Scriptore

FR. JOSEPHO SABATINI, RAVENNATENSI,

Olim Bibliothecæ Angelicæ in Urbe Præfecto.

IN ea veteris Belgii Regione, quam J: Cæsaris ævo *Pleomosii* inhabitabant, nunc surgunt *Ipræ* Flandricarum Urbs in primis Nobilis, Situ, & Opibus valida. Hanc Patriam habuit P. CHRISTIANUS LUPUS, cujus de Vita & Moribus, quæ nobis fuerint comperta, litteris mandare decrevimus. Licet enim ipse Vitæ innocentiâ, & claris operibus mortalitatem fugerit; hoc tamen memoriæ Amici quasi debitum munus exsolvendum videbatur: quippè amari ab eo laboravi; etsi non erat laborandum. Fuit enim cunctis obujus, & expositus. Is ergo honestâ LUPORUM familiâ, Ipris, quemadmodum dicebamus, natus est, pridiè Idus Junii Anno post Christum natum M. DC. XII. A teneris annis omnibus Disciplinis, quibus puerilis ætas informari solet, Parentes imbuendum curarunt. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, incredibilis memoria, ut non solùm celeriter arriperet, quæ tradebantur; sed & quæ accepisset, firmissimè sepiret. In parvulo etiam summa cum oris modestia candidissimi mores exsplendescebant, quò fiebat, ut æqualibus omnibus juxtà esset sine æmulatione charissimus. Humaniores quas vocant Litteras, sicut & Rhetoricam, haud pœnitendis Scholæ Princeps didicit Magistris:

Jugum

Jugum Domini ab Adolescentia portans, decimo quinto ætatis anno rerum humanarum pertæsus, *Augustinianæ* Familiæ adscribi voluit. Ac per hunc modum, castis in Cœnobio Iprensi Religiosæ perfectionis rudimentis, Continentiæ, Obedientiæ, & Paupertatis Legibus solemni ritu sese obstrinxit. Mox majorum jussu severiora studia aggressus est, sed eâ animi contentione, ut nemo plus ingenio suo imperaverit, nemo minùs genio suo indulserit. Jungebantur noctibus dies, & sine intervallo sibi instabat, nec anteâ desinebat, nisi jam penè defecisset. Unde Condiscipulos omnes, multos verò & alios brevi intervallo Doctrinâ & Religiosâ vitâ anteivit. Qua de causa, vix exacto studiorum curriculo, à superioribus in celebri Coloniensi Cœnobio, Philosophiæ aliis tradendæ adolescentulus fermè Præpositus fuit. Et verò impositi sibi muneris tam egregiè partes implevit, ut non modò apud rudem & tunicatum Populum, sed etiam apud Doctos, & Togatos Viros magnum sibi nomen inde comparaverit. Satis constat *Fabium Chisium* tunc temporis ad Tractum Rheni cum potestate Legati Romanæ Sedis Apocrisiarium, de hinc ob egregia in Rempublicam Christianam merita Amplissimum Cardinalem, nec multò post *Alexandri VII.* nomine in Solio Petri collocatum; Lupi doctrinâ, & disputandi subtilitate captum, magni illum deinceps semper fecisse, quod suis locis à nobis memorabitur. Programmata Philosophiæ: Libellum de Ovo animato: Apologias, pro anima Ovi & Eremitici sui Ordinis Primogenitura, non sine ingenii sui altitudine tunc edidit adversùs Marpurgensem Academiam, & quemdam Regularem Canonicum, contrariis Scripitis ipsi respondere, invitis licet musis, conantes.

Inter hæc, Patres, qui Provinciam Belgicam administrabant, insignes Lupi in studiis profectus cùm secum ipsi reputassent, haud visum est præclaram hanc animam, atque omnium capacem, intra Philosophiæ septa amplius continere, sed ad liberiorem studiorum campum illam evocare. Lovanium igitur ad primam Theologiæ Cathedram sui Ordinis moderandam Lupum miserunt. Hìc verò ille non è Dialectorum dumetis, sed ex Antiquorum Monimentis, veluti Sanctis, Augustisquè fontibus, liquidam & incorruptam divinarum rerum scientiam Auditoribus tradere cœpit. Jure quis mirabitur quà ratione homo docendi munere occupatus, tantæ rei perficiendæ sufficere potuerit, quandò Sacrarum Litterarum Codices, Synodorum Decreta, ac Patrum Volumina diurnà versari manu simul atque nocturnà necesse sit: Magis mirabitur quod variis multisque districtus Officiis, immortalia illa ediderit Oracula, quæ tanquam totius Eruditionis Ecclesiasticæ Thesaurus semper mirabitur Antiquitas, colet Posteritas. *Mille clypei pendent ex illis*, quibus à Forensibus possit defendi Lupis Sedes Apostolica. Sed erat illi acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia, & memoria supra fidem lætissima. Nullus penè liber fuit, nullus Author, quem ipse non legerit; non ut plerique, tanquam aliud agens, sed perquam accuratissimè. Aperto enim Codice (sic enim ille studebat) à capite ad

ad calcem illum diligenter evoluebat . Si quid notatu dignum sibi occurreret, excerpebat, atque in Adversariis adnotabat, ex quibus posteà Electa faciebat. Memini, dum Romæ esset, ultra viginti prægrandes, & quidem minutissimè scriptos Electorum Codices me apud eum vidisse. Hac ergo animi contentione in quindecim horarum spatium omni propemodùm die in arcaniora altioris Studii vada viritim impensâ & expensâ ad illud Ecclesiasticæ, & Profanæ Eruditionis culmèn pervenit, ut de quacumque re proposita, & quidem ex tempore, tanta cum exemplorum, tum argumentorum copiâ disputaret, referret, omnemque solveret nodum; ut in admirationem suî Auditores converteret. Porrò ne cui hæc à nobis aut fingi, aut in majus extolli videantur, testem in medium afferam omni exceptione majorem, Eminentissimum scilicet Cardinalem *Felicem Rospigliosum*, cujus virtutis Purpura ostrum dignitatis irradiat. Ipse quidem pro singulari, qua pollet comitate, hac de re testimonium dicere non dedignabitur. Quadraginta Quæstiones, easque variis de rebus difficillimas, unâ simul P. Lupo solvendas proposuit. Quibus omnibus Vir doctissimus sigillatim plenissimè satisfecit: Et tamen quod est difficilimum, tenuit ex sapientia modum. Nihil enim illo gravius, nihil in summa eruditione demissius. Multos sanè novissimus, qui priùs alieno ab illo erant animo, arctâ dein eum fuisse Communione complexos; ex quo tantam animi humilitatem, tanta cum studiorum evictione in eo conjunctam experti sunt. Adhuc in vivis ambulat vir doctrina & morum sanctitate non minùs, quàm purpurâ Eminentissimus, qui ex iniquorum sermonibus, Lupi Doctrinam suspectam habens, ex ipso Lupi cognomine nescio quid feritatis argueret. Is tamen ex quo altam laudati Viri modestiam inenarrabili Eruditione suffultam penitùs inspexit, damnatâ, quam de eo præconceperat, suggestione, si quando apud eum de Lupo injiceretur sermo, in illius laudes totus effunderetur: Agnum à se, non Lupum repertum dictitans, optimum senem ac carismatibus omnibus ornatissimus. Enim verò cum hæc postea contigerint ad rerum ordinem nunc redeo. Theologica studia, quæ apud Nostros vigent Duaci, Lupi operam desiderabant; idcircò à superioribus illò missus est. Ibi verò inclytæ Universitati acceptissimus, non modo Religionis, sed etiam sæcularibus hominibus utilem, ac necessariam navavit operam: Nimirum Augustinianæ Doctrinæ studium, quod jam obsoleverat, iterum excitavit. Multi enim, dum nova sectarentur, veteris Disciplinæ obliti à saluberrima Sancti Augustini de Gratia, & Prædestinatione Sententia ardentiùs defecerant. Quo munere egregiè perfuncto ad pristinam spartam exornandam Majorum jussu Lovanium iterum revocatus est; sed dum Lauream Magistralem, & Doctoratûs Insignia jam de proximo præhensaret, municipalis quorundam livor debitum ipsi honorem intercidere tentavit, scilicet *summa petit invidia, & familiariter virtuti comes adest*.

Urbanus VIII. Librum *Cornelii Jansenii*, Iprensis Episcopi, Augustinus inscriptum proscripserat. *Innocentius* X. adversus quinque Propositiones

tiones

tiones graviter edixerat. Edictis tamen Pontificiis non undequaque parêri videbatur. Augustinianæ Doctrinæ servantissimi, ne per latus Jansenii, AUGUSTINUS ipse quorundam artibus peteretur, verebantur. Romanæ Sedis Apocrisiarius pro suo Munere obsequium urgebat. Tunc quidam, quos insignire exemplo nihil, non insignire, plurimum humanitatis refert, LUPUM apud Apocrisiarium Jansenismi insimulant, eumque tanquam refractarium, & turbarum concitorem accipere non timent. Quia verò obtrectatio & livor pronis auribus excipiuntur, delationi facilè credidit Apocrisiarius. Unde, ne LUPUS Lauream caperet, severè prohibuit. Ipse verò LUPUS intentam sibi ferulam æquo animo recepit; Amici tamen ejus, ac præ cæteris *P. Joannes Rivius*, ejusdem Provinciæ & Voti Eremita, scriptis clarus, Quem Imperialis Principum, Anno salutis M. DC. LXIII. quod Ratisponam Dieta habuit Assessorem, & inimica Parca ibidem cum Dynastarum mœrore tumulavit: hi inquam Prodromi Reverendiss. Patrem *Philippum Vicecomitem* tunc Generalem, per Litteras rogarunt, ut Pontifici Maximo, LUPI erga Sedem Apostolicam obsequium testaretur, atque ut unâ simul Doctoratûs Insignibus ornari posset, ab eo veniam impetraret. Totum quod petebatur, facile confecit Generalis; *Innocentius* enim pro sua sapientia togatas machinas è vestigio intellexit: Hinc ut LUPUS Magistratûs Lauream capere posset, Facultem fecit. Quod nuncium in Belgium allatum, tantâ letitiâ Amicos LUPI affecit, ut collato inter se expensarum onere, solemni ritu, ac maxima pompâ Magister, & Doctor inauguratus fuerit IV. Februarii, Anno post Christum natum M. DC. LIII. Porrò municipalium rubigo, ardorque dentium per hunc modum refrigeratus, paululum quievit. Sed *Innocentio X.* defuncto, cum in ejus locum *Alexander VII.* fuisset subrogatus, recluduit in LUPUM persecutio. Pro-Apocrisiarius enim, quem Internuntium vocant, Bruxellæ Agens, iisdem Criminantibus, crebris ad novum Pontificem Epistolis nunciabat, nî LUPUS exterminaretur è Provincia, Lovanienses Theologos ad Apostolicæ Sedis obsequium bonâ fide nunquam redituros. Quibus sanè permotus *Alexander* Generali dedit in Mandatis, ut LUPUM ad Urbem suo nomine evocaret. Quod cum Criminatores intellexissent, ut est fermè sibi parum constans suspicax invidentia, veriti ne Clarissimi Viri in omne bonum evictione atque innocentiâ perfectâ (non enim ignorabant, quod Pontifici LUPUS notus esset) laudes ipsi potiùs in Urbe, ac præmia, quàm pœna, manerent: Idcircò Pro-Nuncio Auctores fuerunt, Pontifici scriberet, ut jussionem adeundi Romam, LUPO revocaret. Etsi verò hoc impetraverint, nequaquam tamen eorum è sententia cessit. Quippè antequam hujusce rei nuntium in Belgium pervenisset, jam P. LUPUS Italiam versùs itineri se commiserat. Qui uti Romam venit, statim à Generali ad Pontificem introductus, paternè ab eo exceptus est. Cum autem post pedum oscula de geniculis Pontifici ipsi testaretur, integram sibi fidem erga Sedem Apostolicam semper fuisse, nec quidquam minùs quam Pontificiis Decretis reluctandi in suam ipsius mentem cadere potuisse: Respondit *Alexander*, gaudere se admodum, ac valde probare

bare ex eo coram audire vera non esse, quæ de illo minùs rectè nuntiabantur; ac proinde bono animo esset, & pro arbitrio Romæ, si vellet maneret, Urbis Bibliothecas interea lustrando, quæ tum Librorum copiâ, cum Voluminum raritate per quam insignes erant. Per hanc ergo occasionem Romæ, in ipso Orbis Theatro, Lupus magis inclaruit, Viris ornatissimis profundam ejus Doctrinam, atque insignem animi moderationem effusè prædicantibus; sed præter cæteros *Lucas Holstenius* interiorum Litterarum & Ecclesiasticæ Antiquitatis peritissimus, Lupi eruditione, ac modestiâ captus, dicere solebat: *In Ecclesiastica præsertim Historia neminem à se* Lupo *peritiorem hactenus repertum*. Quod cum non semel, sed frequenter Viris Principibus ipsisque Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus inculcaret; Magnum propterea Lupi nomen in Urbe esse cœpit. Ac rursus cum Pontifici testaretur, Romanæ Curiæ operam Lupi non modo utilem fore, sed etiam necessariam, statuit *Alexander* Romæ illum non retinere, atque hac de causa singulo quoquo mense Congiarii loco quinque Aureos ipsi jussit numerari, plures utique daturus nî Generalis modestia, parum tempestiva, tot pro illius Dimenso Lupo sufficere dixisse. Verum *Franciscus Cardinalis Barberinus*, magnus Ingeniorum fautor, de suo totidem addere voluit, silentio tamen, & quidem sapienter imperato, ne scilicet aut Pontificis factum elevare, aut cum Principe de liberalitate contendere voluisse, videretur. Sed hæc necessitudo, quæ magna utique inter Viros doctissimos intercessit, nobis quidem silentio prætereunda non erat, quippè non solùm ipsi Lupo, ut diximus, proferendi nomen *Holstenii* amicitia magno usui fuit; verùm etiam Bibliotheca Angelica, cui nunc præsumus, ingens inde accepit incrementum. Paraverat *Holstenius* Bibliothecam tam Voluminum numero, quam pretio singularem. Decreverat non ut plerique ostentationi, & luxui privatim domi illam habere, sed studiosorum commodo, ac utilitati publicare. Viro Principi, cui in Urbe summa potestas, *Holstenii* Consilium innotuerat; quid enim in Urbe rumorum avida, latere potest? Itaque ille non obscurè cum per Ministros, tum per se *Holstenium* jam præhensabat, ut Bibliothecæ *Vaticanæ*, aut Alexandrinæ, suam quoque adjicere vellet. Ambigebat *Holstenius*, & animo valdè fluctuabat, nec satis per se ipsum ab eo æstu expedire se poterat, donec hæsitationem Lupo, pro amicitia aperuit, qui ipsi Auctor fuit Bibliothecam suam Angelicæ legandi: quod paulò post ab *Holstenio*, factum est, magno utique studiosorum commodo, nec minori Bibliothecæ nostræ incremento.

Hæc verò eatenus à nobis memorantur, quatenus clarorum Virorum egregia in Bibliothecam nostram merita ab oblivionis interitu pro virili parte vindicemus. Nunc ad Lupum redeo. Ille à Pontificis congressu nihil antiquius habuit, quam insignora Urbis Templa primùm venerabundus obire, mox ad veterem cum Libris rationem deducendam redire. Sed modum, quem Romæ in studiis tenuit, paucis aperire haud alienum puto. A nocte multa quotidie surgebat, &

Matutinis horis, aliisque precibus rite atque ordine recitatis, pluteo penè affixus usque ad mediam Missam, quam Conventualem vocant, hoc est ad meridiem, Libris operabatur, depost rem Divinam faciebat, deîn ad secundam Mensam promiscuo cibo prandebat, solitus dicere, tædere se quod illud sibi tempus periret; perire enim omne tempus arbitrabatur, quod aut Deo, aut studiis non impertiret. A prandio in modicam ibat quietem, mox quasi alio die ad trituram descendebat, nec ante desinebat, quam lux Solis illum deficeret; quam & precario lumine in seram noctem tanquam scientiarum vorago impraetermissè solabatur. Neque tamen in tanta studiorum contentione rerumque cunctatione aliquid, animi remissioris causâ, sibi indnlgebat, nisi quod interdùm antiquæ Urbis, quæ supersunt, vestigia illum ad lustrandum duceret *P. Henricus Noris*, optimæ tum spei & rei Cunctator, qui simul facundè ei memorabat, quis, quo tempore, & quâ occasione, quibusvè usibus tam operosas olim excitaverit molium substructiones prisca Gentilitas: Scilicet *Onuphrii Panvinii* conterranei sui vestigiis insistens, Eruditæ Antiquitatis lineis vel ea in ætate delectabatur. Et Lupinorum studiorum similitudine, quæ relevandis animis plurimùm valet, numeris omnibus absolutam Lupi Eruditionem adnotans & admirans, egregium Virum sectari, colere, & observare omnibus nervis sategit. Et fœneratus est: Namque ingenuè fatetur ad capescenda Ecclesiasticæ Historiæ studia, Lupi exemplo, ductu, & cohortationibus imprimis se incensum fuisse. Cum enim Scholastico in pulvere strenuè sudaret, animadvertere cœpit de Scholasticis, alioqui acutissimis, nullam ferè per Urbem rationem haberi, sed à cunctis Ordinibus Lupum majorem in modum observari, statuit ab ipsis Scholæ ergastulis ad incomplexos altiorum studiorum campos excurrere: Quod quanta cum Eruditorum usura depost executioni mandaverit, luculenter ostendunt ea, quæ hactenus edidit Ingenii sui Monimenta, quibus non modò rem litterariam locupletavit, sed etiam nomen suum ultrà Sauromatas, & glacialem Oceanum porrexit.

Sed præter consueta hæc studiorum Pretia, alia quoque in Urbe Lupum distinebant negotia. Etenim cùm à privatis, tùm ab ipsis S. R. E. Cardinalibus, gravissimis de rebus sæpè consultus, voce, & scripto respondere cogebatur. Præter alia, unum pro multis referre sufficiat. Nonnulli apud Sedem Apostolicam urgebant, ut in vastissimo *Sinarum* Imperio, ac Regnis *Japoniæ* Divina Mysteria patriâ linguâ pergi liceret. Propter negotii gravitatem contrariis hinc inde sententiis Causa disputabatur, atque adeò creberis comperendinationibus exitum desperabat; donec Lupus Romanam Ecclesiam ejusmodi Postulata semper rejecisse dogmatico Scripto monstravit, atque ità litem, quæ multos jam tenuerat annos, & alta fatigarat Ingenia, ipse Posteritati peremptoriè diremit. Per id tempus duo maxima adiit vitæ discrimina; alterum fulminis jactu, alterum pestilitate. Quodam die dum Sacris operararetur, subitò coortà tempestate fulmen è nubibus excussum est, quod horribili fragore, odoreque teterrimo

rimo omnes, qui circumstabant, afflatos pœnè exanimavit; igneque ac flamma fimbrias, quæ ex auro frontem Altaris distinguebant, penitus absumpsit; ipsum tamen, manifesto Dei beneficio, illæsum prorsus reliquit. Sed Anno à Christi Domini Nativitate M. DC. LV. pestilentia ex *Sardinia Neapolim* importata, quæ Nobilissimam Urbem hominibus propemodum vacuam fecit, in sequenti *Romam* pervadens, Septa Cœnobii ad SANCTI AUGUSTINI etiam penetravit. Si quidem ea percussus est *P. Rogerius* Bruxellensis, qui P. Generali *Luchino* à Latinis Epistolis tunc erat. Is enim Anthracem, ex quo etiam post interiit, occultare conabatur: Nimirùm timebat ne Convictu cæterorum arceretur. Multi tamen id, quod erat, odorati, P. LUPUM adeunt, simulque rogant, ut à Populari suo an pestifera lue laboraret, percunctetur. Officium non defugit P. LUPUS: Hominem lectulo decumbentem convenit, illumque interrogat, qui, Viri dignitate, motus rem totam sincerè aperuit; sicque Dei munere cæterorum saluti, atque incolumitati consultum est. His ergo & rebus, & periculis perfunctus, per liberale otium in Urbe sibi parta componere, Secretum Lovaniense, & Patrium solum repetere decrevit. Qua de re *Alexandrum VII.* adiit, cui desiderium suum, & desiderii causas modestè aperuit, ac commeatum ab eo demum petivit. Pontifex verò, collaudato ejus consilio, suasit nihilominùs, ne *Romam* desereret; *sed cum bonis Amicis* (Pontificis verba posui) *ibi potiùs manere vellet, quam longinqui itineris incommoda subire*. Sed cum in proposito discedendi persistere illum videret, ne à se tristem dimitteret, abeundi veniam fausta cum prece concessit, ac insuper benevolentiæ in argumentum Nummismata complura aurea, atque argentea, aliaque non minimi pretii munuscula misit abeunti. Cæterum, nil pretiosius LUPO donare potuit, quam ad *Theologicam Lovaniensem Facultatem communionis & Beneficentiæ* Apostolicas Litteras, quibus *Alexander* præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum AUGUSTINI, & THOMÆ AQUINATIS Doctrinam, *tutissima, inconcussaque Dogmata*, mirificè commendat. Eò enim quorumdam audentia devenerat, ut SANCTI AUGUSTINI de Gratia æternaque Dei Prædestinatione sententiam, in *Jansenio*, Apostolico stylo confixam fuisse per Belgium disseminaret. Scilicet vetus Sanctissimi P. AUGUSTINI Doctrina, tot sæculis in Ecclesia probata, delicatis hominibus jam sordescebat, nec alia eorum palato sapere poterat, nisi ea, quam nudius tertius inventam, sine ullo venerandæ Antiquitatis respectu, obtrudere moliebantur.

Sic quinque in Urbe emensos post annos in Belgium reversus est P. LUPUS, magno utique sui desiderio in Urbe relicto. Ipse verò paucis ad requiem diebus in Paupere sua Cellula (quam præter Crucifixum & pretiosum undique Librum nil vestiebat aliud) insumptis, nomine P. Generalis Comitiis Provinciæ Belgicæ cum potestate Bruxellis præsedit, ac de isthinc ad pristinos labores rediens Lovanii lucubrationibus totum se dedit. Ac primum Scholiis, & Notis, Historicisque in quinque Tomis Dissertationibus Canones, & Decreta Synodorum Generalium ac Provincialium illustrare, ordine ac viâ hactenùs inaccessis,

aggressus est; deìn commentatus abstrusum illum Tertulliani de Præscriptionibus contra Hæreticos Librum, quasi novam vitam dedit venerandæ Antiquitati, & prægrandem lucem Studiosæ Posteritati. Cæterum dum luculentis Scriptionibus de Ecclesiastica Historia studet mereri, atque operibus immortaliter fructuosis, Ecclesiæ Pulpita, locupletare omni ope contendit; Eminentiss. Cardinalis *Palutius Alterius*, Ordinis nostri Protector vigilantissimus, (cujus humeris innixus propter ipsius omnium rerum capacissimam mentem *Clemens X.* Pont. M. se, ac universa Rei Christianæ negotia sustinebat) LUPUM nostrum ad Sacram Apostolorum Confessionem invitavit: Sanè eo Consilio, ut Vir doctissimus, Doctrinæ suæ, ac Sapientiæ sale, Romanæ Scholæ esset aliquale decus, & præsidium. Sed dum profectionem parat, in ipso pœnè itineris procinctu majoris momenti negotium, ne Romanum maturet iter, ipsum remoratur. Lovaniensium quippè ad Sancti Petri Decanus, *Franciscus ab Horenreeche*, mox propter eximiam cum pietate Doctrinam Episcopus Gandavensis Ecclesiæ, per litteras Cardinalem monuerat, pacis, & tranquillitatis Lovaniensium prorsus interesse, LUPUM per ea tempora è Belgio non discedere. Atque ita opportuniore tempore ipsius in Urbem adventus dilatus est.

Circa mores quorumdam opiniones, quæ per Inferiorem Germaniam non sine gravi animarum periculo grassabantur, iterum LUPO Romam fuerunt causa videndi. Sanè inter præcipua inquieti hujus, & factiosi seculi mala, laxitatem moribus obrepentem meritò numeraverim; quippè quod ubi hæc urtica semel animum tetigit, nulla jam tam præpostera sententia erit, quæ Probabilitatis prætextu defendi non possit. Propudiosæ huic Ingeniorum libidini *Alexander VII.* Pont. Max. fibulam quidem imposuit, cum duabus editis Constitutionibus, tanquam severiori quadam virgula diffluentem Casuistarum luxuriam adstrinxit. Quia tamen, ut in affectis corporibus propter vitiati humoris copiam ulcere uno ad cicatricem perducto, aliud perniciosius plerumque solet erumpere; sic insanabilis novandi cupiditas, nova, atque infausta dogmata procudere cœpit. Cum igitur *Lovaniensis Theologica facultas*, non sine ingenti animarum pernicie per Belgium hæc latiùs spargi videret, iisque bonarum Artium Sectatores vocari in partes, ac simplicem Populum circumscribi, gliscenti malo pro viribus occurrere statuit. Sed Viris doctissimis rei conficiendæ haud consultius visum, quam è suo Corpore ad Romanam Ecclesiam Legatos mittere, qui integram causam *Apostolicæ Sedi* deferrent, atque ab ea, quæ Magistra, & Columna est Veritatis, judicium intereà expectare. Porrò quò Legatio conspectior esset, Litteras *Regis Catholici ad Innocentium XI.* impetrarunt, quibus negotii gravitas, causa, Legatiquè Pontifici commendabantur. Legationi obeundæ electi sunt *P. Christianus Lupus*, & *Franciscus van Viane* (quibus cum multo solatio, & subsidio adstiterunt Sacræ Theologiæ Lovanienses Doctores, *P. Lambertus le Drou*, Ord. Erem. Sancti Augustini, & *Martinus Stayaerts*) quorum sapientia, & integritas prosperum rei exitum promittebant. Sed major in LUPO spes, atque expectatio, quòd ipsius

ipsius in Urbe nominis celebritas magna esset. Neque verò celebrem *Universitatem* spes fefellit. Nam Viri Doctissimi, atque Eminentissimi Patres, quos Summus Pontifex Dogmatum, quæ deferebantur, Cognitores dedit, authoritate Patris Lupi maximè permoti, ut quàm citò causa finiretur, nullam non diligentiam adhibuêre. Bis enim in hebdomade Conventum ea de re habebant, & quæ acta essent, Pontifici diligenter referebant; nec unquam ab eis cessatum est, donec *Pontifex* O. M. sexagintaquinque sinistrarum Opinionum monstra uno ictu confixit, multùm quidem attonitis, qui secùs speraverant, quique causam nunquam Romæ finiendam ubique locorum prædicabant. Hi *Laudati Magistri* suam quoque, quam *Theologica Lovaniensis Facultas* tenet, & docet antiquam de Fide, & Morum articulis Doctrinam, *Sanctæ Sedi* examinandam revidendamque unà obtulerunt. Et post matura, ac sæpius iterata per Eminentissimos, Sacram Sancti Officii Congregationem constituentes, Dominos *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales*, nec non per præcipuos ejusdem Sacræ Congregationis *Theologos*, & *Consultores*, super *Præfatæ Facultatis* in oblata sua Doctrina Articulos habita examina, ipsam *Sanam*, & *immunem ab omni Nota* reliquit *Apostolicum Judicium*. Et dum hi eximii *Theologicæ Facultatis* Legati ad propria remearunt, impositi sibi Officii, ac Muneris dederunt computum Excellentissimo Belgarum Gubernatori *Duci de Villahermosa*, Illustrissimis Patriæ Patribus, *Leoni Joanni de Pape*, Supremo Præsidi, & *Simoni de Fierlant*, Brabantiæ Cancellario. Hæc sunt de die 29. Octobris 1679. exhibitæ Bruxellis, & ad Urbem missæ Relationis puncta.

Brevis Relatio eorum, quæ Deputati Theologicæ Facultatis Lovaniensis egerunt, & obtinuerunt apud Sedem Apostolicam.

1. *Sanctissimus Dominus noster* Præfatos Deputatos excepit cum summa, ac veraciter Paterna Benignitate. Quod ipsum fecerunt Eminentissimi Domini *Cardinales*, aliique omnes Prælati Romanæ Ecclesiæ.

Etiam propositos à dictis Deputatis Articulos *Sua Sanctitas* benevolè admisit, & ad ipsos discutiendos deputavit duas hebdomadatim Congregationes: Alteram *Theologorum*, alteram *Dominorum Cardinalium*.

Hæ Congregationes fuerunt continuatæ ultrà annum, & medium. Et novem, vel decem factæ sunt coràm *Sua Sanctitate*, aliquandò durantes ad tres horas.

Ab his Congregationibus damnati sunt sexaginta quinque Articuli, spectantes ad Theologiam Moralem. Apostolicum Decretum est omnibus notissimum.

2. Præfati Deputati *Suæ Sanctitati* tradiderunt in proprias manus Libellum, cui titulus: *Justificatio, seu Defensio Censuræ Facultatis Sacræ Theologiæ Academiæ Lovaniensis*, &c. Et supplicarunt ipsum examinari, ac judicari.

Sanctissimus Dominus istud examen delegavit quatuor Theologis, qui unanimiter censuerunt *Libelli* Doctrinam esse *sanam*, & *ab omni nota liberam*, ideoque posse teneri ac tradi. Et hoc ipsorum judicium Domini *Cardinales*, ac *sua* etiam *Sanctitas* comprobavit.

3. *Sua*

3. *Sua Sanctitas* Theologicæ Facultati Lovaniensi adversùm suos æmulos, eorumque Libellos promisit protectionem, & adjutorium: Ea tamen lege, ut nullus vendicaret semetipsum, sed ut cuncti suas querimonias deferrent ad *Sedem Apostolicam*.

4. *Sua Sanctitas* ex pleno pectore commendavit tria, nempè: *Concordiam inter Clerum Sæcularem, ac Regularem, plenamque ablationem omnium discordiarum, ac scandalorum.* Item *Plenam extirpationem omnium Novitatum circa venerationem Sanctorum, ac Sacrarum Imaginum*, nec non *circà Sacramentum Pœnitentiæ*.

Hæc tria nobis commendârunt etiam præcipui Domini Cardinales, idque cum summo zelo, & affectu. Et *Suas Sanctitas*, & Domini Cardinales nos cum honore dimiserunt.

Hæc quidem gesta sunt illis, postquam LUPUS in Urbem venerat, & in Patriam rediverat, annis; ea tamen hic antevertere visum est, quatenus quæ supersunt dicenda, melius noscerentur. Itaque P. LUPUS (ut ad rerum ordinem redeam) etsi affecta jam ætate & assiduo studiorum labore viribus multùm detritis; longinqui tamen itineris incommoda, & pericula publicæ utilitatis causâ iterum subire non extimuit. Grave per id tempus inter Galliæ Regem, Batavos, Hispanos, & Germanos vigebat bellum, & præcipua quæque Belgii, ac Germaniæ loca Gallicis, vel Germanicis præsidiis tenebantur: Atque ob id ipsum valdè infecta erant cædibus, ac latrociniis itinera. Tutiora per Galliam videbantur, idcircò Belgii pro Rege Catholico Gubernator, misso ad Regem Christianissimum Caduceatore, rogavit, ut per suas ditiones Legatis in Italiam ire tutò liceret. Verumtamen negavit Rex, alioquin ad omnem Clementiam suapte naturâ propensus. Quidam enim Regi calumniosè obrepserat, susurrans Galliarum tranquillitati non expedire, ut Legati, utpote Jansenistæ, Regnum suum intrarent. Posse enim eos cum ejusmodi farinæ hominibus, qui Edictorum Regiorum metu in Gallia tunc quiescebant, communicatis consiliis, res novas moliri. Quia verò Regnantium mentes, Belli præsertim tempore, suspicionibus facilè indulgent, per Gallicanas ditiones ire negabatur. Itaque represso itinere per Germaniam Superiorem, Bavariam, & Noricum, atque adeò per infessa militibus itinera, perque ipsa Germanorum stativa, LUPO cum Collegis non sine vitæ discrimine gradiendum fuit; nihilominus, Deo benè juvante, Italiam per Tridentinas Alpes sospites intrarunt. Longum, ac supervacaneum putem memorare, quantâ Italorum gratulatione exceptus fuerit. Satis constat, quòd Florentiam transeunti Cosmus III. Magnæ Etruriæ Dux, nullum Officiorum genus omiserit, quo suam erga eum voluntatem declararet. Felicem aduentum gratulatus ei est, amplissima Xenia misit, Rhedam, qua per Urbem veheretur, & Lecticam, quà Romam usque portaretur, dari jussit. Neque iis contentus, illum apud se habendi cupidus, per C. V. *Antonium Magliabecum*, cui propter infinitam lectionem acerrimumque judicium vel ipsi Litterarum Dictatores Fasces ingenii submittere solent, Regio stipendio sibi authorari voluit. Et licet P. LUPUS, pecuniarum electus contemptor, conditionem

tionem modestè represserit, haud tamen sollicitare per Epistolas eum destitit, quas suo nomine *P. Noris* ad ipsum missitabat, quibus etiam majoris auctoramenti spem subinde faciebat; donec LUPUS negotium diremit hisce quidem verbis: *Pauper sum, Pauper vixi, Pauper mori volo*: non sine stupore Principis, altitudinem animi ejus demirantis.

Romam cum pervenisset, Eminentissimi Romanæ Ecclesiæ Cardinales, *Franciscus Barberinus*, *Felix Rospigliosius*, ac alii Illustrissimi Prælati, Officii causa illum convenire dignati sunt. Ipsa quoque Serenissima Svecorum Regina *Christina*, nobiliorum ingeniorum admiratrix, ac bonarum Artium imprimis fautrix, accersitum ad se in Academicorum Regiorum Albo adscripsit, & in Amplissimo Virorum coetu stupendam Viri Eruditionem, ac Sapientiam miris laudibus extulit, palam profitens, Ecclesiæ Romanæ talibus ossibus, ac nervis opus esse, qui stylum adversus eos distringerent, quibus solemne est ejusdem Dignitatem, atque Authoritatem aut arietare, aut impugnare. Summus verò Pontifex non tantum una cum Collegis ad Pedum oscula benignè admisit, sed & simplicem ejus modestiam in admiratione notare coepit.

LUPUS autem minimè sibi in Urbe quiescendum ratus, quidquid temporis Officiis, ac Negotiis suffurari poterat, studiis totum largiebatur. Præter cætera, Immobile illud Opus de Privilegio *S. Petri* circa *Romanas Appellationes* lucubravit. Scribendi otium dedit *P. Paschasius Quesnellus*, qui Opera *S. Leonis M.* nuper edidit, Notis, & Dissertationibus illustrata. Is enim oblitus earum laudum, quas in Virum Sanctissimum priùs congesserat, reductâ velificatione, eumdem ipsum non perfunctoriè sugillat; quippè ut absolvat *S. Hilarium Arelatensem*, quem jure à *S. Leone* mulctatum authoritate, quam per Galliam sibi usurpaverat, Scriptores Gallici omnes testantur, Judicem ipsum, & quidem variis nominibus iniquitatis, accusare non timet. Nempè, *Quod sedis suæ amplitudini plùs æquo studuerit: Quod à Canonibus Sardicensibus, quorum Authoritati maximè incumbebat, recesserit: Quod in Canones ipsos graviter peccaverit: Quod Gallicanarum Ecclesiarum Statum, aliter quam more solito, ordinaverit*. Neque his stetit. Apostolicæ Sedis jura imminuere tentat, ejusque Potestatem toto Christiano Orbe diffusam, Suburbicariis limitibus coercere audet. Audax Factum. Longissimis namque Disputationibus, sed planè adsutis, totus in eo est, ut demonstret Ecclesiastica judicia *Gallicanis*, *Africanis*, *Orientalibusque Synodis* semel peracta, apud Romanos Pontifices numquam fuisse Appellationis jure retractata. Est fabula periculosa. His ergo de causis non solùm Romani Censores *Quesnellianam* hanc Editionem censoriâ virgula notarunt, sed etiam P. LUPUS in eum stylum districnxit, & Decretoria induit arma. Neque hìc præteribo, quod Vir Doctissimus *Quesnello* respondendi partes in se recepit, adhortante imprimis, atque etiam opem liberaliter suppeditante, Illustrissimo *D. Augustino Favoriti*, cui nìl magis cordi est, quam *Apostolicæ Sanctæque Sedis* Jura & Privilegia sarta tecta haberi. Ac per hunc modum de

c Ap-

Appellationibus ad Sedem Apostolicam, absolutum illud *Corpus* habemus, in quo P. Lupus coacervatis ex omni memoria veterum, ac recentium testimoniis, tanta cùm exemplorum, tùm rationum copiâ eximium *Appellationis Jus* Romanæ Sedi asserit, & vindicat; ut de hoc Argumento nihil amplius desiderari posse videatur. Duos prætereà nactus est Codices M. SS. quorum alter varias cùm *Theodoreti*, cùm *aliorum Patrum Epistolas* hactènus ineditas complectitur: Alter *S. Thomæ Cantuariensis Episcopi* Vitam, & Epistolas habet. *Ambo*, eo dictante, verbotenùs sunt exscripti: majori ex parte priorem Notis illustravit: Posteriorem ex Augusta *Vaticani* Bibliotheca, *Summi Pontificis* indultu extractum in usum habuit; Notis Scholiisque illustraturus, nisi mors invida invidisset. Priorem, è *Cassinensi Cœnobio* Romam allatum, ipsi ad usuram dedit Eminentissimus *D. Hieronymus Cardinalis Casanatta*, omni cum laude nobis hìc, & ubique memorandus, non modò ob venerandam suam erga Litteras, & Litteratos, & omnes propensionem, sed & qui P. Lupum unicè dilexit, & tenuitatem quoque nostram, quod summæ pietatis est, respicere non dedignatur.

Verùm enim verò dum hic Beniamin Lupus Christianus Apostolis sedulò cooperatur, dum Rom. Eccl. Inconcussibilem Petram vigiliis, ac irremissis sudoribus adorare suo Dogmate adlaborat, malignitatis dentes vitare non potuit. Imposturæ, nescio per quem Philosophum illi impactæ, (*quod minùs cogitanter de secundis post Deum Regiis Potestatibus in Regio Svecorum Reginæ consessu fatus esset*) ipsa Sua Serenissima *Majestas*, & qui aderat Excellentissimus Virorum Cœtus, dederunt, dabuntque anathema. Ad hos calumniæ latratus non excanduit Christianus Lupus: noverat Invidiæ vim; noverat *& alteram præferre maxillam*. Innocentiâ suâ premi, opprimi non poterat; *Non enim viderat Justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*. Quo tamen Charitatis ordine fiant hujuscemodi verborum vomitus, ipse viderit, qui læsit; *Nec pudeat eum ex ipso suo ore proferre reparationis verba; unde facta sunt vulnera*. Cæterùm non solùm invidiam in Urbe passus est, sed etiam in adversam valetudinem incurrit. Primùm enim viscerum torminibus cruciatus, mox acri febri concussus, graviter decubuit. Decumbenti, præter familiares & Amicos, adfuerunt Principes Eminentissimi, *Franciscus Barberinus*, *Gregorius Barbadicus*, *Felix Respigliosius*, aliique magni Nominis & Virtutis Prælati, qui de ipsius salute valde solliciti, suorum Aulicorum intimos, & Medicos ad illum visendum misêre. Quin etiam *Summus ipse Pontifex*, cum ab eo Illustrissimus Dominus *Augustinus Favoriti*, occultiorum Notarum à Secretis, ægrotantem visendi peteret Facultatem, *ut suo quoque Nomine salvere juberet*, imperavit. Quis enim nesciat insolubile illud vinculum, quo Christiana *CHRISTIANI LUPI* Anima in veris Amoris legibus coadunata fuit hujus *Augustini Favoriti* Augustinianæ animæ? Quis ignoret utrumque ex eodem spirasse ore, ex eadem dictasse mente? In vita conjuncti, in morte non separandi. Sed dum Viri Clarissimi iterum incidit mentio, dissimulare non possum, nec debeo, ejus maximè hortatu nos hæc qualiacumque de Lupo ad scribendum animum appulisse. Ipse namque pro ea, qua

pollet

pollet juxtà Apostolum Beneficentiâ postquam LUPUM adhuc in vivis agentem omni Officio est prosequutus, defuncti etiam memoriam à mortalitate Litterarum Beneficio, cupit vindicari. Inter hæc tertius jam cœperat annus, ex quo Romam venerat P. LUPUS, cum solemnia Universi *Ordinis* Comitia in ipsa Urbe celebrata sunt, in quibus ipse tanquam Provinciæ Belgicæ *Rector*, in Electione Generalis suffragium tulit, ac inter eos *Patres*, quorum judicium est, quinam in suffragium legitimè ire possint, electus fuit. Quo in munere recti propositi tenax, ne quid præter leges fieret, omni ope curavit. Hoc verò Comitiorum occursu (in quibus largiente *Domino*, ad Universæ Nostræ Eremiticæ Religionis navim moderandam, in Generalem cum magno Ordinis incremento electus fuit *Pr. M. Dominicus Valvasorius*, *Mediolanensis*) hoc inquam accessu magis magisque illuxit LUPI magnitudo : nam Dignitates, etsi rogatus, nulla ratione adduci potuit ut reciperet. Eodem prorsus animi robore, quo olim à *Clemente IX.* F. M. Apostolici Sacrarii Præfecturam ultro sibi delatam constanter recusaverat.

Cæterùm confectis, propter quæ Romam venerat, negotiis homo moris antiqui, & tranquillitatis amantissimus, Belgium, & Secretum Lovaniense seriò cogitare cœpit; animadverterat enim quosdam se prospectare. Nulla tamen suâ datâ culpâ. Hanc itaque mentis suæ cunctationem, qua in reditum ad terram Gentemque suam tenebatur, cum nobis, tùm *P. Magistro Paulo Mariani*, interiori familiaritate ejus notissimo, pro amicitia ipse aperire voluit; propter eà quòd de ejus discessu vehementer querebamur. Cæteris verò tacendam censuit; quippe Christianæ mansuetudinis memor, maluit levitatis notam subire, quam illis quorum sinisteritati cedebat, apud Romanæ Curiæ Proceres invidiam creare. Hoc igitur Consilio *Pontificem* semel, & iterum adiit, & desiderio Patrii Poli se teneri dixit: Posse namque ibi, ajebat, lucubrationibus commodius vacare, & pro sua tenuitate *Sedi Apostolicæ* compendiosiùs inservire. Proinde demissis precibus à *Sanctitate Sua* commeatum in Patriam postulavit. Pontifex autem, qui firmam ejus in tanta eruditione animi demissionem numquam satis admirari potuit, sicut ambiguis verbis profectionem retardabat, ita non obscurâ significatione suam de ipso Romæ detinendo voluntatem ostendebat. Enim verò quæstuosam Cathedram in Archigymnasio Romano illi offerendam jussit, quo honore ab eo modestè excusso centum Aureorum pensum eidem affixit; sed LUPUS in abituritionis sententia persistens, discedendi veniam ab invito penè *Pontifice*, tum per se, cum per alios tandem extorsit. Sanè *Pontificem* ipsum dicere solitum accepimus: *LUPUM non vulgaris virtutis, ac probitatis argumento, & ducumento esse, quod & si crebrò rogatus, & qui non incommodè Romæ commorari posset; ut inde tamen abire sibi liceret, tantopere laboraverit;* Quando plerique Sacrarum Familiarum Alumni nihil reliqui faciunt, ut vel cum maximis incommodis in aliquo Urbis angulo pedem figere quoquo modo possint. Abeunti munuscula misit; in iis ex *Auro duo* majoris formæ *Numismata*, quibus Viri Principes donari solent. Ipse etiam *D. Benedictus Pamphilius*, Magnus Melitensium *Prior*, quem nunc Sacro Murice ornatum impensè

gaudet *Roma*, Muneribus eum donare voluit. At Eminentissimus *Cardinalis Jacobus Rospigliosius*, insigni liberalitate ipsum semper, & ubique prosequutus, præter cætera innumera, Principibus digna dona, favores, & gratias, quibus & in Romano, & in Patrio Solo ipsum prævenit, fovit, & juvit; Rhedam quoque sejugem (quam in Urbe, dum volebat, habebat bijugem) benevolenter accommodavit, & Numismatibus binis ex electo Argento stipavit. Quæ unâ cùm illis, quæ de manu *Sanctitatis Suæ* accepit Aurea, appensa sibi habet in Lovaniensi Sancti Augustini Cœnobio Augustissimum, ac *Miraculosum Altaris Sacramentum*, in quo Sacra Hostia in Carnem *Middelburgi* Zelandorum Urbe, in ore Impii ab annis trecentis & octo visibiliter conversa, & Magni illius *Juliani Cardinalis* Diplomatibus confirmata, ab omni fideli Cœtu in Miraculorum multitudine colitur & adoratur. Discessit autem Româ secundo Cal. Sept. Anni M. DC. LXXIX. Abitum ejus quotquot in Urbe sibi devinxerat (devinxerat autem plurimos) dolenter ferentibus, repertus est, qui abeuntem Viatico, sed alieno prosequi voluit. Vix enim ab Urbe pedem extulerat, cum Scriptiuncula quædam volitare cœpit adversùs *Dissertationem Dogmaticam de Contritione, & Attritione*, quam tredecim jam circiter Annos anteà ediderat; & quam dogmaticè stabiliverat Epistolâ Familiari ad *P. Noris* de hoc Argumento scriptâ. Eâ verò scriptitatione non solùm Author crambem sæpè recoctam Lectoribus iterum ingerit, sed etiam Virum sincerè Orthodoxum, qui tot infractis Voluminibus adversùs Novatores, & Ecclesiæ inimicos passim insurgit, & assurgit, Lutheranâ fuligine tentat adspergere. Gravis hæc audentia Cordatis hominibus graviter stomachum movit, recolentibus, præter alia biennalem, & ultra P. Lupi in Urbe Stationem; nec quidquam repositum: Tunc verò repertus sit qui in abeuntem inclementer oblatraret. Itaque unus ex interioribus Lupi Amicis, rei indignitate permotus, apud supremos Sacræ Fidei Quæsitores Authorem detulit, velut reum infracti Statuti *Alexandri VII.* quo cautum est, ne quis deinceps, de hoc Argumento scribens, adversam Sententiam, aut erroris insimulet, aut maledictis incessat. Profectò audaciæ suæ meritas pœnas ille dedisset, nisi accuratis precibus protectus, damnationem arte mirabili prævertere sategisset.

Dum hæc Romæ geruntur, P. Lupus cum Eximio Magistro *Francisco van Viane*, per Tridentinas Alpes, & Noricum emenso itinere in Belgium sospes se retulerat, effusâ ubique gratulatione exceptus, *Lovanii* præsertim, difficillimo Negotio fine præter spem feliciter imposito. Post breve tempus, quod ad requiem cœperat, Sarcinam Belgicæ Provinciæ, quam invitus regebat, deponere cupidus, quo alteri gubernacula remittere posset, *Lovanii* indixit Comitia. Cogitur interim onus, quo premebatur, paululum adhuc sustinere; *Rex* etenim *Christianissimus* vetuerat, ne Patres degentes iis in Cœnobiis, qui in illis Regionibus sunt, quas ipse nuper armis sibi vindicaverat, ad Comitia indicta accederent. Quamobrem *Sedis Apostolicæ* facultate opus fuit, ut cum iis solùm Patribus, qui sub Imperio remanserant Hispanico, Comitia ipsa ritè celebrarentur. Abdicato demum Magistratu nihil anti-

quiùs

quiùs habuit, quàm Libros eos typis edere, quos Romæ aut composuerat, aut calamo exceperat: Nempe insigne illud Opus de *Romanis Appellationibus*, & varias tam *Theodoreti*, ac aliorum Patrum, quàm *S. Thomæ Cantuariensis* Epistolas, quæ omnia simul Bruxellæ, & Lovanii imprimenda eodem tempore curabat. Intereà in demortui Eximii Viri *Gerardi van VVerm*, Almæ Universitatis Lovaniensis Regii Professoris Primarii locum, Viris Amplissimis procurantibus, *Serenissimus Parmensium Princeps*, *&* *Belgii Gubernator* eum suffecit: Multùm quidem indignantibus, quorum dolebant oculi, quod insuetum Regularibus honorem ei collatum cernerent. Quà etiam tempestate nonnulli alii, quorum nominibus parco, eò processere, ut Virum tranquillitatis amantissimum, ac imprimis Catholicum, tanquam turbarum incentorem, ac purum putum Jansenistam (sic enim modò contumeliæ causa à quibusdam appellari solent, quicumque vel Augustinianam Doctrinam sectantur, vel morum laxitatem aversantur) apud *Regem Catholicum* incusarunt, omnemque lapidem moverunt, ut eum è Cathedra, quam nuper adeptus erat, deturbarent. Nequicquam tamen: Siquidem Potentissimis *Pontificis Maximi* Litteris, atque officiis, Calumniatorum repressa est impudentia. Cæterùm honore, qui tantùm invidiæ ipsi conflaverat, haudquaquam defungi potuit Vir laudatissimus: Quippè cum in eorum Librorum Editionis curam incumbit ardentiùs; nec tamen intereà ferè quidquam de assiduitate Studendi diminuit, immò potiùs auget, nam alia quoque subinde Româ jussus lucubrare cogebatur; Senio jam urgente, & hyeme, præter modum sævâ, tractus est in morbum, quem initio ipse, & Medici contempsêre, reputantes esse solum Icteron, cui remedia celeria, faciliaque proponebantur. In hoc cum aliquot hebdomadas consumpsisset, subitò tanta vis morborum erupit, ut simul Colicâ, Calculo, febribusque, atque alvi profluvio excruciaretur. Dici non potest, quâ patientiâ, quâ etiam constantiâ acerbissimos dolores pertulerit. Per quatuor, & ampliùs menses lectulo doloris affixus, nullas pœnè alias voces tanto valetudinis spatio emisit quàm; *Laus Deo; Utinam Sponsus hac nocte veniat: Cupio dissolvi, & esse cum Christo: O Divina Gratia! usquequo? O Divina Clementia! usquequo? O Deus meus! bonorum meorum non eges, veni Domine*. Nec verbum impatientiæ ex ore ejus erupit; sed Fidei, Spei, & Charitatis plenissimi jugiter ex labiis ejus profluebant sermones: nunc sibi prælegi mandans de *Pœnitentia Psalmos*; nunc sacras de mortalitate è S. S. P. P. sententias: nunc viva sibi voce recitare ferventissimas ad *Deum*, *Dei Matrem*, ac *omnes Sanctos* precationes; Omnes ad Pœnitentiam vitæque integritatem, & verbo, & opere instituens: nec quis sine Pœnitentiæ lachrymis, durante hac sui morbi lucta ab eo discesit. Horum inter cæteros testis, impræsentiarùm minimè silendus, est P. VVilhelmus VVynants, ipsi à secretis, Romæ & in Romano itinere Socius, qui usque in finem obsequendo dilexit illum; & de ipso jam pridem in Scazonte cecinit:

Tu juge ducis *Innocentiæ* filum,
Nunquam *Pudoris* naufragus, & adhuc *Fama*

(Cer-

(Certare doctâ fragilitate crystallo,
Et dum perit redire nesciâ) constans
Longè stetisti à crimine, integer vitæ.
In te quod atro dente morsicaretur,
Vix somniaret Momus unus aut alter,
Oleumque, & operam dissipans, canis sicut
Qui nîl timenti stultus oblatrat Lunæ.
Non nare odorâ, ventre nec cato exploras
Quid in culinis Persicis *dapum* fumet;
Quid in Polono strideat veru *aprorum*;
Quas Mexicanus instruat focus *cœnas*:
Non dissitarum *carduos* Moluccarum,
Sinense lolium, aut Indiæ petis *lappas*,
Similesque larvas nauseantis orexis;
Prandes sed obolo: Promi condus escarum
Ipse meliorum, Ecclesiæ penum curas.
Hæc laus tua est *Vir Magne*, nec cupis altrâm,
Qui notus Astris, & tibi, & Scholæ, & Templo,
In mentis oculorumque dente jejuno,
Nunquamque saturo, *Antiquitatis Abstrusa*:
Tota helluando, Codicemque, Legesque, &
Præscripta Canonum memore ventre condendo,
Ad Vesperam *Sanctæ* spolia paras *Sedi*,
Ejusque Gnatis manè dividis Prædam.
Sic triste Stabulis Hæresum Lupus vivis,
Lætumque *Matri Ecclesiæ* Lupus vives,
Quamdiû diurnam Phœbus adferet lucem,
Fratrique tollet æmulam Facem Phœbe.

Pridie nonas Maii Sacrum Viaticum, atque Extremæ Unctionis Sacramentum sibi administrari voluit: quibus summa Religione rite susceptis, febris de repente recessit, leviorque morbus esse cœpit; adeo ut jam Medici de ejus salute benè sperarent. Quo Nuncio in Urbem etiam perlato, mirificè recreati sunt, qui de ejus vita jam desperaverant. Brevi tamen hoc gaudium evanuit. Nam paucos post dies rursus ægritudo ipsi vehementer increvit. Cæteris quippe morbis aqua intercus etiam accessit, & quidem ejus generis, quam Leuchophlegmation *Celsus* vocat, sive Hyparca, qua solidæ corporis partes in aquam resolvuntur.

Nonis Julii, die Visitationis *B. Virginis* Sacro, *P. Marcus ab Aviano* ex Familia Cucullatorum, per Germaniam ac Belgium Mirabilium patrator, unâ cum Illustrissimo Sanctæ Sedis apud Belgas [modò Urbis Decus & Sacri Eminentiss. Cardinalium Collegii Decanus] Pro-Nuncio, *Sebastiano Antonio Comite Tanario* (de quo quandoque ad magnos in Urbe Viros magnus Scripsit Lupus: *Comes Tanarius tanta virtute, Sapientia & Prudentia, morumque comitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ apud Nostrates moderatur Negotia, ut omnes ipsum suspiciant, & admirentur*) cum hoc inquam Illustrissimo Comite Pater *Marcus* ad illum venit; cui P. Lupus haud dignum

gnum se esse dixit, cujus causâ patrarentur Miracula, se miserum Peccatorem nil aliud in votis habere, quàm ut ejus benedictione Spiritum in manus *Domini Jesu* transmittere posset. Ipso autem die quo mortalitatem exuit, monitus à Medico supremam illi horam imminere: *Laus Deo* infracto animo respondit. Cumque Medicum ipse interrogasset quantum temporis vitæ sibi adhuc superesset, & ille respondisset ultra duodecimam meridianam non esse supervicturum, iterum: *Laus Deo* lætus exclamavit. Cœnobiarcham accersiri petiit, quem ut venisse vidit, ad eum conversus: Ego, inquit, Rev. P. contrà *Deum*, & *Proximum* in multis me deliquisse certè scio, homo enim sum, & vitiis mortalitatis nequaquam expers: Proinde quidquid peccavi, sive in te, sive in Sodales meos, per Viscera Christi Domini etiam, atque etiam Vos omnes ut dimittatis rogo. Præterea: Si quid alienum à Charitate mihi de Charitate scribenti fortè excidit ab iis, qui se læsos cogitant, veniam deprecor. Denique illud abs te peto, Pater Amantissime, nempè, ubi è mortali isto carcere exsolutus fuero, ut Mortalitatis hoc exuvium sepeliri facias inter *Fratres Laicos*, quorum meritis Divina Clementia me indignum dignetur adjungere. Hâc oratione habitâ, miratum vocis, tum vultûs constantia solitas Ecclesiæ precationes, quibus exeuntium Animæ juvantur, recitari coram se postulavit: Iisque absolutis, quo solus Sacrarum Scripturarum meditationi, paulisper vacare posset, ut è Cubiculo omnes egrederentur, rogavit; ac paulo post reversis Patribus, quota hora esset ab eis quæsivit, & respondentibus *undecima*, rursus: *Laus Deo*, inquit. Mox ad medium fermè duodecimæ mortem jam sibi instare dixit; Cumque è campanili signum *Salutationis Angelicæ* de more daretur, eaque à circumstantibus ter recitata esset, clara ipse voce *Amen*, ad singula respondit, atque in iis placidissimè efflavit Animam. Ablatus est magno Bonorum omnium luctu, nec quisquam audita ejus morte, aut lætatus est, aut lætari visus. Sanè cum de ejus obitu Nuncium in Urbem venit, quicumque illum noverant, pro eo ac debuerunt, doluerunt. Quin etiam ipse *Summus Pontifex* expers non fuit mæroris. Ubi enim illum decessisse intellexit, *Jacturam in eo gravissimam à Sede Apostolica factam professus est*, *se verò plurimùm dolere dixit*, *quòd morte præventum debito honore sibi exornare non licuisset*: Ex quo, aliisque non obscuris Argumentis; ab ipso Pontifice Purpuram Viro Clarissimo destinatam fama percrebuit. Et quidem non modò Plebejos homines, qui rumusculis plerumque ducuntur, sed etiam apud Summates Viros, quibus Studium est *Principum* cogitationes acrius rimari.

Quòd si habitum quoque ejus, qui non viderunt, noscere velint: Statura fuit, quæ justam non excedebat: Colore candido, rubore decenter admixto, exporrecta fronte, oculis cæsiis, ut plerique Belgarum, ore tam verecundo, ut modestiam prorsus spiraret. Valetudine ad senectam usus est prospera, quam tamen assiduo Studiorum labore multùm infregit. Vixit annos sexaginta novem. Decessit sexto nonas Julii anno post Christum natum M. DC. LXXXI. Innumera pœne scripsit, erudito magis, quàm compto orationis stylo. Ex iis quæ

com-

composuit, hæc inter alia typis edita habemus: *Notas*, *& Scholia in Canones*, *& Decreta Synodorum Generalium*, *& Provincialium*, atque in eis, *Dissertationes Historicas*, à Decretis *Primi Nicæni*, usque ad Concilia à Gregorio VII. habita; quæ omnia Tomis quinque digessit: *Librum Tertulliani de Præscriptionibus*, doctissimis ab eo Commentariis illustratum: Varia ejusdem Opuscula duobus Tomis comprehensa: *Dogmaticum Opus de Privilegio S. Petri* circa Romanas Appellationes: Duos præterea Codices, qui *Theodoreti*, *& aliorum Patrum*, & Epistolas S. Thomæ Cantuariensis complectuntur, quos in Urbe magno labore, ut supra diximus, exscripsit, prioremque majori parte Notis illustravit. Cætera, quæ supersunt, aliquando speramus, fore ut publici juris fiant, ab iis præsertim, quibus adhuc est curæ, & erga ipsum fides ac officium: Ab illis, inquam, qui defuncti quoque Amicos agunt. Nobis intereà de Eximio Viro, rudi ac inconditâ voce hæc scripsisse sufficiat, quæ professione pietatis, aut laudata erunt, aut excusata.

F I N I S.

PROFUNDAM TANTI VIRI HUMILITATEM, HOCCE, QUOD SIBI ADHUC VIVUS POSUIT EPITAPHIUM

UNIVERSO EXHIBET ORBI

HÆres peccati, naturâ filius iræ
　Hic jaceo, dignus nomine, reque Lupus.

Indignus, non re, sed solo nomine, Doctor,
　Verbis, non factis me docuisse fleo.

Perdocuisse alios, & non docuisse seipsum,
　Quid juvat? O! Mundi fumus, inane nihil!

Agne Deus, Patris doctrina, Redemptio Mundi,
　Nunc tibi prostratum commiserare Reum.

Et Latro, & Meretrix gratis tua Regna subintrant:
　Gratia peccatis fiat & ista meis.

Supplico sepeliri inter Fratres Laicos, quorum meritis Divina Clementia dignetur me indignum adjungere.

AD



AUCTOR
AD LECTOREM.

Uanti sit antiquorum Canonum peritia, ac rectus intellectus, docet Sanctus Augustinus, qui Episcopo suo Valerio adversùs octavum Nicænum Canonem superordinatus Co-Episcopus, verbo postmodùm, & scripto errorem improbavit, Nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. Undè etiam sategit, ut Conciliis statueretur Episcoporum, ab Ordinatoribus deberi Ordinandis, vel Ordinatis omnium statuta Sacerdotum in notitiam esse *deferenda*. Dùm item Episcopus Sardicensem Synodum à Philippopolitano Conventiculo distinguere nesciit, nesciit & unum è palmatibus Donatistarum pro suo schismate fundamentis ad fundum exhaurire. Ex Sardicensium Canonum ignorantia non solus Sanctus Augustinus, sed & cum plena Africana Synodo Carthaginensium Archi-Episcopus Aurelius incurrit quinti Nicæni devium intellectum, longamque illam, & miserabilem de Romanis Appellationibus, atque evocationibus contentionem, sub Zozymo Pontifice cœptam, & prius sub Bonifacio secundo extinctam. Alios quoque gravissimos Ecclesiæ Patres ex data hisce rebus non plena opera novimus non parùm lapsos. Quid dicam de Doctoribus Scholasticis? Palàm lucet negligi ab illis antiquos Canones, & raros hìnc indè ipsorum disputationibus insertos non pro digno, & vero tractari. Græcorum Schismaticorum capitalis in nos Latinos columnia est Canonum prævaricatio, ex qua inflictum per istos ipsos Canones prævaricatoribus anathema incurrerimus lapsi extra orthodoxam communionem, veràque Christianitatis forma sit ad ipsos solos contracta. Est falsa, ac stulta calumnia; reverà tamen ex quo antiquorum Canonum, & intelligendorum, & observandorum, cura apud nos cœpit tepescere, irripere in scholas cœpit subtiliter disputandi, & probaliter opinandi licentiosa cum prurigine, & sine freno libertas. E scholis in Ecclesiæ ambones, & hinc in fidelis populi mores tansiit, atque ita purum avitæ, moralis præsertim, Thologiæ, vinum cœnosa umanæ per peccatum obscuratæ rationis aqua miscuit, & lucidum Evangelicæ vitæ aurum vertit in Scoriam multæ corruptionis. Patrum cordibus in filios reducendis, nulla via compendiosior, quam reditus, verùm sale conditus, ad antiquos, nostris novissimorum temporum infirmitatibus congruos, Canones, quo Sanctus Leo Magnus alta voce prædicat esse Spiritu Dei conditos, totius mundi reverentia consecratos, & usque ad sæculi finem, utique in Electorum Cordibus, permansuros. Hac spe octo primarum generalium Synodorum Canones commentari sum conatus, alios quosvis deinceps conaturus. Quin in multis cespitaverim, immò, & lapsus sim non dubito, ideòque impendi mihi precor Christianam fraternæ charitatis gratiam, laudatam à Regio Propheta: *Arguet me justus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Quod usque dum, LECTOR BENEVOLE, facias, Fratris Christiani Lupi peccatoris apud communem nostrum in cœlis Patrem, & Dominum recordare.



BENEVOLO LECTORI

FR. THOMAS ANTONIUS PHILIPPINI.

A est per Christianum Orbem eruditissimi æque ac sapientissimi Admodùm Reverendi, ac eximii Patris Magistri CHRISTIANI LUPI longè, latèque diffusa celebritas, ut noctuas esset Athenas, ut ajunt, deferre, si præstantissimi Doctoris recensere virtutes, ejusdemque elaborata Ecclesiasticæ præsertim antiquitatis monumenta benevolo Lectori commendare conaremur. Hujus autem voluminis fronti affixa doctissimi Auctoris Vita seris nepotibus hominis merita latere non sinet, nobisque amplissimam magni nominis memoriam posteritati consecrandi non levem arripit provinciam. Quod igitur reliquum hìc est, propositum nostrum suscepti oneris ac laboris ex Superiorum jussu, & imperio, præsertim doctissimi, ac Reverendissimi Patris Magistri Francisci Mariæ Querni totius nostræ Religionis Ex-Vicarii Apostolici, cui obedire nobis summa laus est, & quæ præstitimus, & quæ præstituri sumus, Tibi breviter aperire decrevimus. Ut enim omnia celebris viri Opera, quæ ab eruditis jamdiù frustrà quærebantur, in unum corpus congerendi Spartam subivimus, illud præcipuè cordi fuit, nonnullas ejusdem elucubrationes ineditas adhuc in lucem prodere, editarum verò complura loca vel appendicibus in voluminum calce ab Authore subjectis, vel novis adjectionibus ab eodem ad alteram operum suorum impressionem paratis illustrare, atque amplificare. Et revera in hoc primo tomo, & in ipsamet voluminis fronte occurret præliminaris de Meletii, & Arii Personis, moribus, atque erroribus antehac inedita Dissertatio, qua mirificè Ecclesiastica elucidatur historia. Illam ponè sequitur Dissertatio de Symbolis Apostolico, atque Nicæno, jamdiù quidem publici juris facta, sed nunc tantis aucta incrementis, ut nova prorsus esse videatur. In primo siquidem ejusdem capite ad illa verba: *Et in disputatione cum Arianorum Comite Pascentio*, incipiunt additiones posthumæ: cætera aut adaucta sunt, aut juxta Auctoris mentem immutata. Caput secundum in prima editione sic finit: *Sermo inchoationis:* in hac nostra, quæ supersunt, nova sunt additamenta. Caput tertium, & quartum ex mente Auctoris penitùs omissa sunt, eorumque loco ea posita sunt omnia, quæ vides à pagina 183. usque ad paginam 234. Cætera, quæ sequuntur, habes etiam in prima Lovaniensi editione. Cum autem Reverendissimus Pater Magister Thomas Cervioni, qui res nostrates tanta sapientia, ac prudentia moderatur, nobis per litteras suas amantissimè significasset, se dignum laude ducere, si huic primo tomo Vitam Auctoris ab admodum Rev. & eximio Patre Magistro Josepho Sabbatini, olim nostri Conventus alumno, & Religionis decore perbelle elaboratam præfigeremus, hanc cum LUPI nostri effigie accuratissimè insculpta apponendam curavimus. Atque hæc, Deo juvante, post non pauca discrimina, hìc frustra attexenda, hactenus præstitimus. Quæ deinde in subsecuturis voluminibus præstabimus, hæc sunt. Suo quæque, ut diximus, loco inseremus, appendices, opuscula, etsi pauca, tamen aurea, notas, & scholia, & quæ supersunt manuscripta: & sic in proximo secundo tomo appendices, quæ modò è loco suo exulant, veluti postliminio revocatas ad Synodos Ephesinam, & Chalcedonensem transferemus. Insuper præter ea, quæ jam sunt typis commissa, Dissertationem de Ente, Essentia, Existentia, Hypostasi, Subsistentia, Consubstantialitate, &c. quæ usque modo publicam lucem non vidit, reponemus. Ad hæc scias ad extremitatem, seu marginem uniuscujusque tomi notas aliquot Eminentissimi Norisii Exemplari LUPI nostri, quo utebatur, ipsius manu exaratas apponendas esse. Postremo si labor hic noster eruditis non displicuerit, etsi quilibet Tomus peculiarem habuerit rerum notabilium præconceptum Indicem, unum tamen generalem post ultimum tomum dare cogitamus; hac autem ratione constructum, ut quantum res ipsæ patientur, ordinem sequamur locorum Dialecticorum. Sic enim fieri arbitramur, ut Historiæ Ecclesiasticæ amantissimi, quæ ab Auctore sunt dicta, licet huc illusque disjecta, commodius videre possint, cum omnia ad amussim erint redacta. Hæc sunt, quæ tibi, optime Lector, credidimus necessario præmonstranda. Reliquum est, ut nostrùm qualemcumque laborem æqui bonique consulas; nosque gratanter excipias, qui si minus possumus nostra, damus aliena. Vale.

ORDO SYNODORUM

QUARUM CANONES, AC CAPITULA HOC PRIMO TOMO ELUCIDANTUR.

INDEX

CAPITUM, AC TITULORUM, QUI HOC PRIMO TOMO EXPONUNTUR.

Dissertatio Prœmialis.

SYNO-

SYNOPSIS CANONUM,

ET CAPITULORUM, QUI HOC PRIMO TOMO EXPONUNTUR.

Synopsis Canonum Nicænæ Synodi.

CANON I.

SI quis à Medicis, vel barbaris est exsectus, ad Clerum suscipiatur: Secus qui se ipse castravit. pag. 234.

CANON II.

Neophyti in Episcopos, aut Presbyteros ne ordinentur. p. 236.

CANON III.

Subintroductæ mulieres nonnisi propinquæ à Clericis habeantur. p. 237.

CANON IV.

Episcopi à tribus ad minus Episcopis ordinentur. Confirmatio Metropolitano deferatur. p. 239.

CANON V.

Excommunicati ab aliis in communionem non recipiantur. Duo quotannis, in quavis Provincia, Concilia celebrentur. p. 243.

CANON VI.

Alexandriæ Episcopus per Ægyptiacam, uti & per suas Diœceses alii Patriarchæ, juxta antiquam consuetudinem habeat potestatem. Qui præter Metropolitæ sententiam factus fuerit Episcopus, Episcopus non sit, oportet. Si communi decreto duo, aut tres contradicant, plurium sententia obtineat. p. 244.

CANON VII.

Ecclesia Hierosolymitana dignitate metropolim subsequatur. p. 247.

CANON VIII.

Cathari ordinati, ad Ecclesiam reduces, in Clero permaneant: Fidem Catholicam profiteantur. Episcopus redux Presbyterii honorem, aut etiam Episcopi nomen obtineat. p. 248.

CANON IX.

Presbyter sine examine ordinatus, aut postea crimen confessus, in Ecclesiastico ordine non admittatur. p. 251.

CANON X.

Lapsi, per ignorantiam vel dissimulationem, ordinati deponantur. p. 252.

CANON XI.

Idololatras per triennii Audientiam, sexennii substrationem, ac biennii consistentiam pœniteat. p. 253.

CANON XII.

Desertum militiæ cingulum repetentes, tribus annis inter Audientes, decem inter substratos, inter Consistentes pro Episcopi arbitratu permanebunt. p. 257.

CANON XIII.

Moribundi absolutione Sacramentali non priventur. Verum si cui data est Perfectio, convaluerit, ad consistentiam reducatur. Moribundo Perfectionem postulanti eam Episcopus pro arbitrio impartietur. p. 259.

CANON XIV.

Lapsi Catechumeni tribus annis sint inter Audientes; postmodò cum Catechumenis orent. p. 260.

CANON XV.

Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad aliam civitatem non transferatur. Translatus Ecclesiæ suæ restituatur. p. 261.

CANON XVI.

Clerici ab Ecclesia sua discedentes, in aliam non recipiantur, quin immo ad propriam redire, etiam communionis privatione compellantur. Ordinatio alieni Clerici irrita habeatur. p. 262.

CANON XVII.

Clerici ne usuram accipiant, aut sescupla exigant. p. 262.

CANON XVIII.

Diaconi, nec Presbyteris Christi Corpus porrigant, nec ante Episcopos sacra oblata contingant. 75. Sed Episcopo, aut Presbytero eis porrigente Sacram communionem accipiant. Nec in medio Presbyterorum eis sedere liceat. p. 263.

CANON XIX.

Paulianistæ ad Ecclesiam accedentes baptizentur. Atque ab iis ordinati reordinentur. Etiam Diaconissæ. Si quæ verò manum impositionem nec dum acceperint inter laicas permaneant. p. 264.

CANON XX.

Nec in Dominico nec in diebus Pentecostes orantes genua flectantur. p. 266.

Synopsis Canonum Synodi Sardicensis.

CANON I.

Episcopus, si à parva Civitate in aliam transmigrarit, laica etiam communione privetur. p. 285.

CANON II.

Episcopus, si fraudulento prætextu Sedem mutaverit, laicam communionem vel in fine recipiat. p. 288.

CANON III.

Episcopus nonnisi vocatus ad aliam transeat Provinciam. Inter Episcopos discordes Episcopi comprovinciales audiant. Si quis damnatus Pontificem Romanum appellaverit; quod ipse consuerit, observandum est. p. 289.

CANON IV.

Proponitur, an pendente depositi Episcopi appellatione, antequam Romanus Pontifex Sententiam tulerit, alium oporteat substituere. pag. 294.

CA-

CANON V.

Si Episcopus depositus Romanum Pontificem appellaverit, poterit hic vicinis Episcopis, & causæ cognitionem, & judicium deferre. A quo si denuò appelletur, poterit Presbyteros à proprio latere mittere, etiam cum Episcopis judicaturos, uti ejus prudentissimo consilio visum fuerit. p. 295.

CANON VI.

Si unicus in Provincia sit Episcopus, institutioni comprovincialium nollens assentiri; & latens rogatus non adfuerit, populi Episcopum postulantis voluntati satisfiat. Ex vicina quoque Provincia ex Metropolitæ institutione oportet Episcopos accersiri. In pagis aut Oppidis Episcopus ne statuatur, sed in Urbibus, ubi ante hac fuere, aut de novo in Urbe admodum populosa. p. 297.

CANON VII.

Episcopi pauperibus, viduis, &c. opitulentur. Ad aulam nisi ab Imperatore accersiti, vel necessitatibus oppressorũ subventuri non accedant. p. 300.

CANON VIII.

Episcopus, si quid Principem rogatum velit, preces per proprium mittat Diaconum. p. 301.

CANON IX.

Episcopi precibus Metropolitæ ad Episcopum loci, in quo Princeps agit, commendatitiæ adjungantur. Amicorum in aula poterit auxilium implorari. Diaconus si Romam transeat, preces Pontifici examinandas præbeat: à quo ad Comitatum mittantur. p. 302.

CANON X.

Laicus, nisi Lectoris, Diaconi, & Presbyteri munere presfunctus, Episcopus non constituatur. Inter ordines quoq; interstitia serventur. p. 303.

CANON XI.

Episcopus ultra tres Hebdomades, nisi necessitas urgeat, à sua Ecclesia non absit. p. 305.

CANON XII.

Episcopus prædia sua in aliena Diœcesi curaturus accedens, in Ecclesia rurali proxima si ultra tres septimanas ibidem commoretur, officia divina obeat. p. 306.

CANON XIII.

Clericus à suo Episcopo excommunicatus, ab altero non recipiatur. ibid.

CANON XIV.

Clerico, qui injustè ex Ecclesia videtur ejectus, ad Metropolitam, vel eo absente, ad finitimum Episcopum licet confugere. Appellatione pendente, ne sibi communionem arroget. 170. Si verò ex superbia rem illum attentasse constiterit, acerbioribus verbis arguatur p. 307

CANON XV.

Nullus Episcopus Clericum sine consensu proprii Episcopi, ex aliena Parochia ordinet. Ejusmodi ordinatio irrita existimetur. p. 308.

CANON XVI.

Ea decreta, quæ de Episcopis constituta sunt Canone undecimo, serventur in Clericis Thessalonicam confluentibus. ibid.

CANON XVII.

Episcopus injustè sede pulsus ab aliis benignè excipiatur. p. 312.

CANON XVIII.

Clerici à Musæo, & Eutychiano ordinati suscipiantur. ibid.

CANON XIX.

Clerici ad Ecclesias, ad quas nominati sunt, redire nolentes, non admittantur: Eutychianus, ac Musæus nomen Episcopi non usurpent. Laica communio, si petiverint, ne denegetur. ibid.

CANON XX.

Si quis Canones fuerit prævaricatus, criminis reus est, & Episcopatus honorem, ac dignitatem amittat. Episcopus qui viderit Episcopum ad aulam accedentem, ne ei sit impedimento: si secùs; nec ejus litteris subscribat, nec cum eo communicet. p. 313.

Synopsis Canonum Synodi Constantinopolitanæ.

CANON I.

Fides Nicæna rata permaneat, oportet. Omnis autem hæresis anathematizetur, speciatim Eunomianorum, &c. p. 329.

CANON II.

Episcopi sibi subjectas Ecclesias gubernent. Non invitati ultra Diœcesim non accedant. Synodus Provincialis singulas Provincias administret. Antiquæ Patrum consuetudines in Ecclesiis barbaricis serventur. p. 330.

CANON III.

Ecclesia Constantinopolitana post Romanam primatum habeat. p. 333.

CANON IV.

Maximus Cynicus nec fuit, nec est Episcopus: Omnisque ab eo attentata ordinatio est planè irrita. p. 335.

CANON V.

Antiocheni, qui unam S.S. Trinitatis Deitatem confitentur, in communionem suscipiantur. p. 336.

CANON VI.

Quilibet potest in Episcopum civiliter agere, criminaliter accusare non possunt Hæretici, excommunicati, de crimine damnati. Dumtaxat accusati etiam Clericorum accusationes non admittentur, nisi se insontes ostenderint. Prima judicialis de Episcopo instantia coram Provinciæ, secunda coram diœcesos; tertia coram generali Synodo fiat oportet, 236. Accusator pœnam talionis subire sit paratus. Nemo, hoc non servato ordine, Imperatorem adeat, aut universalem Synodum perturbet. p. 337.

CANON VII.

Ariani, Macedoniani, Sabbathiani, Novatianenses, Tessaradecatitæ, & Apollinaristæ, Chrismate signati absque Baptismo in Ecclesia recipiuntur: sed Eunomiani, Montanistæ, ac Sabelliani baptizantur. p. 340.

Duodecim Sancti Cyrilli Capitula.

CAPITULUM I.

Emanuel verus Deus est, & ob id S. Virgo est Deipara: Illa enim verbum Dei secundum carnem, seu humanitatem genuit. p. 369.

CAP. II.

Verbum Dei secundùm hypostasim est carni unitum. Unus est Christus, Deus simul, & homo. p. 373.

CAP.

CAP. III.

In Christo est conjunctio secundum naturalem unionem, non tantum secundum dignitatem, vel auctoritatem. p. 376.

CAP. IV.

Voces, quæ à Sacra Scriptura, atque à Sanctis Christo tribuuntur, non possunt partim homini, partim Deo tamquam duabus personis attribui. p. 378.

CAP. V.

Christus est verus Deus, unus, ac naturalis Filius, quatenùs Verbum perinde ac nos carni communicavit, non autem dici potest tantum homo Deifer. p. 381.

CAP. VI.

Verbum non est Christi Deus aut Dominus. Estque Verbum incarnatum unus idemque Deus, & homo. p. 382.

CAP. VII.

Christus non est tantum vi verbi Divini homo actus, nec gloria Unigeniti ipsi uti alteri advenit. p. 384.

CAP. VIII.

Homo assumptus tanquam alter in altero assistens non est una cum Deo adorandus, sed una potius adoratione Emanuel honorandus. p.386.

CAP. IX.

Christus non est à Spiritu sancto tanquam Virtute à se aliena glorificatus, nec potestatem miraculorum uti alienam accepit, sed per proprium, ac naturalem spiritum miracula patravit. p. 387.

CAP. X.

Christus Pontifex, & Apostolus extitit. Estque ipsum Dei Verbum. Non autem homo alter quispiam ab eo diversus. Christus pro nobis solis Sacrificium obtulit, non pro se ipso, quippe qui nullum peccatum commiserat, adeòq; nec oblatione opus habebat. p. 388.

CAP. XI.

Domini caro vivifica est, ipsiusque Verbi propria, non autem est alterius cujuspiam ipsi verbo secundùm dignitatem tantum conjuncti, aut divinam inhabitationem tantum sortiti. Estque vivifica, eò quod Verbo omnia vivificanti sit facta propria. p. 390.

CAP. XII.

Verbum secundum carnem est passum, crucifixum, & mortuum, estque primogenitus factum ex mortuis, seseque ut Deus vivificavit. p. 392.

Canon de non alterando Symbolo Nicæno.

Nemini licet aliud Symbolum præter id, quod Nicææ traditum est, conscribere. Nec illi quid addere, aut demere. Item nemini licet sentire aut docere quæ in expositione à Charisio oblata continentur. Secus facientes Episcopi ab Episcopatu, Clerici à Clericatu sint alieni; laici anathematizentur. p. 393. & seq.

Decretum de Ecclesia Cypriorum.

Episcopus Cypriorum juxta veterem morem non debet ab Antiocheno ordinari. In aliis id quoque servandum, ut scilicet Patriarcha Provinciam non occupet, quæ sub ejus non fuit hactenus potestate: sed unicuique Provinciæ sua Jura juxta veterem consuetudinem serventur. p. 398.

Proœmium Canonum Ephesinorum.

Episcopos, qui à Concilio 30. defecerunt antesignano Joanne Antiocheno, Synodus ab Ecclesiastica communione statuit alienos. p.399. & seq.

CANON I.

Metropolita, qui relicta Synodo Schismaticis adhæret aut Cęlestio consentit, jurisdictione in Episcopos Provinciæ exuitur: Ipse Episcopis Provinciæ, ac circum vicinis Metropolitis recta sentientibus subjacebit. p. 400.

CANON II.

Episcopi Provinciales schismaticis adhærentes, à sacerdotio, & gradu denudantur. p. 401.

CANON III.

Clerici à Nestorio excommunicati aut degradati, restituuntur in integrum, atque à subjectione schismaticorum eximuntur. ibid.

CANON IV.

Clerici, qui cum Nestorio aut Cęlestio sapiunt, deponuntur. ibid.

CANON V.

Condemnati à Synodo, ab aliis restituti, manent depositi. p. 402.

CANON VI.

Episcopi ea, quæ in Synodo gesta sunt, movere volentes, à proprio gradu cadunt, Laici verò excommunicantur. ibid.

Decretum de Eustatio Pamphyliæ Metropolita.

Eustatii, licèt facta per pusillanimitatem, renunciatio, ac Theodori suffectio approbatur. Eustatius nomen Episcopi, honorem, ac communionem retinet, non tamen ordinandi authoritatem, nec sacrificandi, nisi à loci Episcopo ipsi id deferatur. p. 402. & seq.

Decretum de Messalianis.

Clerici Messaliani ad Ecclesiam reduces, maneant Clerici: Laici ad communionem admittantur. Presbyteri, vel Diaconi in illa hæresi pertinaces excidant à Clero, gradu, & communione; Laici verò excommunicentur. Convicti non permittantur habere monasteria. Asceticon (liber ita dictus) anathematizentur. p. 404. & seq.

Decretum de Ecclesia Europæ, quæ est Thraciæ Diœceseos Provincia.

Euprepio, & Cyrillo postulantibus veterem consuetudinem servari, ut nempe in Europa Ecclesiæ cathedrales unitæ, ità permaneant, annuitur. p. 407. & seq.

NOI

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbazione del Padre Fr. Tommaso Maria Gennari Inquisitor nel Libro Intitolato *Synodorum Generalium, ac Provincialium Decreta, & Canones, &c.*; non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza a Giambatista Albrizzi q. Cirolamo, & Sebastian Coletti Stampatori, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, & di Padoa.

Dat. 11. Giugno 1723.

[

[Alvise Pisani Pr. Reff.

[Z. Pietro Pasqualigo Reff.

Agostino Gadaldini Segretario.

SYNODORUM GENERALIUM AC PROVINCIALIUM DECRETA ET CANONES, SCHOLIIS ET NOTIS ILLUSTRATI.

DISSERTATIO PROŒMIALIS, EX AUTHORIS MANU-SCRIPTO POSTHUMA.

De Meletii & Arii Personis, Moribus, atque Erroribus.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur Hierarchia Ægyptiacæ Ecclesiæ.

E unico olim Ægypti sub Ptolomæis Regno scribit in septimo quintæ decadis Libro Titus Livius: *Inter Ptolomæos fratres, qui dissedebant, fœdus ictum est, ut alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret.* Ille Ægypti Rex fuit Ptolomæus Evergetes, duobus ferè sæculis ante Christi Domini Natales è Virgine. Pergit Livius: *Cyrenarum Rex Ptolomæus, cui cognomentum Appionis fuit, mortuus hæredem populum Romanum reliquit, & ejus Regni civitates Senatus liberas esse jussit.* Quod ipsum in Chronico scribit Eusebius Cæsareæ Episcopus Justinus addit Cyrenense Regnum esse postmodò redactum in Provinciam. Sextus Rufus elucidat: *Cyrenas cum cæteris civitatibus Libyæ Pentapolis, Ptolomei senioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Regis Appionis arbitrio sumus adsecuti. Ægyptus omnis sub amicis Regibus fuerat, sed victa cum Antonio Cleopatra, Provinciæ formam Octaviani Cæsaris Augusti temporibus accepit. Et primùm apud Alexandrinos Cornelius Gallus, Romanus Judex, administravit.* Qua in re Augustus egit contra antecessoris sui Julii sensum, de quo post devictum cum Pompejo Regem Ptolomæum scribit Suetonius Tranquillus: *Julius Regnum Ægypti victor Cleopatræ, fratrique ejus minori permisit, veritus Provinciam facere, ne quandoque violentiorem præsidem nacta, novarum rerum materia esset.* Lib. 1. cap. 35. Et reverà Ægyptus est Ditio adeò potens, ut ab Imperio dejectus, & à cunctis desertus Nero cogitaverit Galbæ supplex fieri, & Ægypti præfecturam deprecari. Augusti Cæsaris scopum exponit idem Suetonius: *Augustus Ægyptum in Provinciæ formam redactam, ut feraciorem habilioremque annonæ urbicæ redderet, & fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit.* Lib. 2. cap. 18. Etiam Ammianus Marcellinus scribit: *Id notum est, ut Annales veteres monstrant, quod Ægyptus omnis sub amicis erat antea Regibus, sed superatis apud Actium navali prælio Antonio & Cleopatra, Provinciæ nomen accepit, ab Octaviano Augusto possessa. Aridam Libyam supremo Appionis Regis consecuti sumus arbi-* Lib. 22. cap. 43.

trio. Cyrenas cum residuis civitatibus Libyę Pentapoleos, Ptolomęi liberalitate suscepimus. Et in alio ejusdem libri capite scribit: *Tres Provincias fertur Ægyptus habuisse temporibus priscis, Ægyptū ipsam, & Thebaidem, & Libyam. Cui duas adjecit Posteritas: Ab Ægypto Augustamnicam, & Pentapolim à Libya Sicciore separatam.* Antiqua Romani Imperii Notitia addit Arcadiam, atque itâ ponit sex Provincias. Et hæc est antiqua Ægyptiaca Diœcesis. Cap. 40.

Eam in tres Provincias Cæsar Augustus divisit. Et Ægyptum appellavit Provinciam Augustam, ac regi jussit per Præfectum Augustalem. Et hæc forma desiisse videtur ante Nicænum Concilium, adeòque per Adrianum Imperatorem, aut magnum Constantinum fuisse mutata. Etenim sextus laudati Concilii Canon laudat non Ægyptum, Thebaidem, ac Libyam, sed Ægyptum, Libyam, ac Pentapolim, hoc est, duas Libyas, videlicet Superiorem seu Siccam, & Pentapolitanam, quam Ammianus Marcellinus dicit Pentapolim à Libya Sicciore separatam. Constantinus divisit Provincias varias: Hinc & hæc divisio creditur esse ipsius Institutum. Nam & in vicina Africa Byzacium à Numidia, & Mauritaniam divisit in duas. Hinc in libro de sui antecessoris sancti Dionysii sententia scribit Magnus Athanasius: *In Pentapoli Superioris Libyæ.* Affirmat Pentapolim esse superioris Libyæ partem. Quod tunc ambæ essent unica adhuc Provincia. Arcadia nominatur ab Imperatore Arcadio, novæ divisionis Auctore. Etenim uti Constantinus Ægyptum ac Libyam, ita ille Thebaidem divisit in duas. Thebais olim dicebatur etiam Heptapolis, à septem nobilissimis civitatibus: Thebis, Panopoli, Antinoo, Lycopoli, Hermopoli, Heraclæa, Memphis, & Oxyrintho. Quatuor priores primæ, tres posteriores civitates Arcadius adscripsit secundæ Thebaidi, & ipsam appellavit Arcadiam. Secundam Ægyptum, seu ab Ægypto, Augusta Provincia, dissectam Provinciam aliqui Augustaniam, aliqui Augustanæam, aliqui appellant Augustamnicam. Et hæc postrema appellatio est omninò recta. Vocatur Provincia Augusta: Quòd sit Augustæ Provinciæ avita pars, & hodierna soror. Vocatur Amnica: Quòd nobilissimo amni Nilo sit vicina. Porrò Ægyptum Cæsar Augustus non sine fundamentis inscripsit Provinciam Augustam. Eam quippe voluit non ad Senatus, sed ad solius Principis curam spectare; nec per Senatorem aut Consularem virum, sed per militarem, soli Principi subjectum, & appellandum Augustalem Præfectum, Equitem regi, atque ita soli Augusto Principi per omnia subesse. Ipsam sic voluit esse Provinciam, ut tamen timori, qui Julium Cæsarem hinc dimoverat, non esset locus. Ut violentiorem nacta Præfectum non posset esse novarum rerum materia. Sanxit ipsum Principem esse ejus Præfectum, & Præfectum Augustalem dumtaxat esse quasi illus Vicarium. Testatur hoc in primo Historiarum Libro Cornelius Tacitus: *Ægyptum, copiasque, quibus coercerentur, jam inde à Divo Augusto Equites Romani obtinent, loco Regum.* Addit in secundo Annalium libro: *Tiberius Germanicum accerrimè increpuit, quod contra instituta Augusti non sponte Principis, Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis Arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut Equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum; ne fame urgeret Italiam, quisquis eam Provinciam, claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus, insedisset.* Etiam Strabo hanc Provinciam affirmat ex Augusti instituto administrari per homines continentes, dat rationes, atque adjungit de Augustali Præfecto: *Qui mittitur, regis ordinem gerit, sub eo est justitiæ administrator, qui maximam in judiciis potestatem habet.* Demonstrat omnia istic spectare ad Principem, & esse quasi singulare ejus Regnum. Et hinc desperatus Nero ipsum sibi retinere studuit: Quod ita Imperii partem ac speciem fuisset retenturus. Hinc item inter aliarum istic Provinciarum Præsides nullus fuit Consularis: Quod Consulares viros non conveniret militi subesse. Et hunc Provinciarum numerum & formam laudat in literis ad Atticum Constantinopolitanum Episcopum sanctus Cyrillus Alexandriæ Patriarcha. Laudat Ægyptum, Regionem Augustamnicam, Thebaidem, Libyam, ac Pentapolim. Quocircà hic numerus videtur usque tunc perseverasse. Lib. 17.

Posterioribus sæculis facta est & alia divisio. Etenim extat antiqua cunctorum in Romano Imperio Episcopatuum notitia, in qua sunt hæ decem Provinciæ: *Ægyptus prima, & secunda. Augustamnica prima, & secunda. Arcadia. Thebais prima, & secunda. Libya Pentapolitana. Tripolis. Et Libya.* Utiquè sicca. Hæc Notitia est scripta post rapaces Imperatoris Leonis Isauri in Patriarchalem Romanæ Ecclesiæ Diœcesim violentias. Etenim plures non tantùm Illirici, sed etiam Italiæ Provincias subjicit Patriarchatui Constantinopolitano, & ad palliandam rapinam adducit hunc fucum: *Isti Episcopi Synodo & Ecclesiæ Constantinopolitanæ, veteris Romæ Papa à gentilibus detento, sunt adjuncti.* Videtur scripta ab Imperatore Leone Philosopho. Quidquid sit, ista Ægyptiaca Diœceseos divisio est longè antiquior. Etenim in quinto decimo Edicto Imperator Justinianus laudat duas Ægyptos, duas Thebaides, & duas Libyas. Duas Ægyptos, & duas Thebaides, nec non & duas Augustamnicas Provincias laudat etiam in Edicto, quod subjunxit octavæ suæ Legi Novellæ. Et in Chalcedonensi Synodo disputat *Athanasius Busiridis Episcopus, Tripolis Ægypti Provinciæ.* Id est, Tripolis, quæ est Provincia Ægypti. Et ad Dioscorum Alexandriæ Patriarcham, dum invitavit ad secundum Ephesinum Concilium, scripsit per Divales literas Imperator Theodosius: *Igitur & tua sanctitas, sumptis secum decem Reverendissimis Metropolitis Episcopis, qui sub tua degunt diœcesi, & aliis similiter decem sanctis Episcopis, sermone & vita ornatis, Ephesum Asiæ Metropolim convenire festinet.* Proinde novissima Ægypti in decem Provincias divisio videtur esse ab isto ipso Theodosio facta tempore medio inter primum & secundum Ephesinum Concilium. Quare quibusdam videtur labi Dominus Petrus de Marcha in hisce verbis: *Ægypti Diœcesis, in novem Metropolitanos divisa, Alexandriæ Patriarcham colebat.* Actione 1. fol. 96. Lib. 1. cap. 4.

Opponi possunt varia. Primò, quod Imperator Theodosius Patriarcham Dioscorum non cum novem, sed cum decem Metropolitis invitaverit ad secundum Ephesinum Concilium. Hinc enim

enim non decem, sed cogimur istic undecim statuere Provincias. Et in sua ad Imperatorem Constantium Apologia scribit sanctus Athanasius: *Ecce cum tua humanitas non ultrà, quàm extra civitatem & Provinciam suam Episcopos amandari jusserit, isti praeclari viri*, utique Ariani, *supra mandatum tuum temerarii, longiùs quàm ultrà tres Provincias, in loca deserta, insolita, horribilia, homines senes, & annosos Episcopos ejecerunt. Alii enim ex Libya in magnam Oasin, alii ex Thebaide in Ammoniacam Libyae deportati sunt.* Affirmat Oasin & Ammoniacam esse Ægypti Provincias. Eandem materiam tractat in Epistola ad suos Monachos, & laudat superiorem Libyam, Ammoniacam, magnam Oasin, & Soinem. Etiam in laudata Apologia memorat *partem Ægypti, quae appellatur magna Oasis.* Per Ægypti partem intelligit Provinciam. Affirmat fuisse duas Oases, duas Libyas, Ammoniacam, & Soinem. Et in Panario scribit sanctus Epiphanius: *Hic mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum, Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem, & Pentapolim administrent Ecclesiastica negotia.* Adductis per me Provinciis addit Ammoniacam, & duas Mareotides. Et in Prophetae Isaiae commentariis scribit sanctus Hieronymus: *Gentem Ægyptiorum Dominus de infinita Regni potentia per singulos Romani Imperii Judices distribuit, ut alium judicem habeat Thebe, alium Libya, alium Pentapolis, alium Ægyptus, alium Alexandria, & diversae Regiones, quas Nomos Ægypti vocant.* Per Nomos intelligit Provincias. Et affirmat ipsas esse diversas ac multas. Hinc infrà addit Heliopolitanum territorium esse Nomum, id est, Provinciam, cujus Metropolis sit civitas Heliopolitana. De his Nomis, Praefecturis, seu Provinciis habet Strabo: *Regio priùs in Praefecturas divisa fuit, quas Nomos vocant. Thebaica quidem in decem; quae verò Delta est, in totidem. Intermedia autem in sedecim. Et ut quidam volunt, tot erant ejusmodi Praefecturae, quot aulas Labyrinthus habebat: Quae circiter triginta erant. Rursum hae Praefecturae habuerunt divisiones alias. Nam maxima earum pars in Toparchias divisa fuit. Toparchiae rursus in divisiones alias. Minimae portiones erant arva. Opus enim fuit tam diligenti ac subtili locorum divisione propter continuas finium confusiones, quas Nilus auctus efficiebat, nunc addendo, nunc adimendo, nunc immutando figuras, & signa quaedam revelando, quibus proprium discernitur ab alieno.* Quod ipsum in naturali historia scribit Plinius. Et quidem cum additamento. Etenim in sola Thebaide ponit Praefecturas duodecim. Et singulas enumerat. Neque hoc mireris. Etenim de Thebaide scribit in sacri belli Historia Guilielmus Tyriorum Archiepiscopus. *Est Regio non modica. Imò trecenta sexaginta sex tam Urbes quam Suburbana finibus suis dicitur continere.* Et de Panephysi Praefectura scribit Ptolomaeus in Geographia: *Inter Bufiriticum & Bullasticum amnes interest Nomus & Metropolis Panephysis.* Proindè quaevis Prefectura habebat suam Metropolim, adeoque erat vera Provincia. Et hinc de magna Alexandria pergit laudatus Guilielmus: *Alexandria secundum inter Patriarchas locum obtinet, Ægypti, Libyae, Pentapolis, & multarum Provinciarum veneranda Metropolis.* Et quidem Plinius, Strabo, cęterique antiqui Scriptores ab utraque Libya discernunt Ægyptum, & in hac sola ponunt tot Provincias. Huc etiam facit auctoritas Nili Doxopatrii: *Alexandrinus Patriarcha habet Provincias varias, & Metropoles tredecim. Primam Provinciam primam Stamnicae, in qua prima Metropolis est Pelusium, varios sub se habens Episcopatus. Et secundam Provinciam Stamnicae, in qua est secunda Metropolis Leonto, habens diversos Episcopatus. Et primam Provinciam Ægypti, in qua Alexandria est, caeterarum caput. Et secundam Provinciam Ægypti, & Provinciam Arcadiae, in qua tertia est Metropolis Oxyrinchus, habens sub se varios Episcopatus. Et secundam Provinciam Thebaidos, in qua est quinta Metropolis Ptolomais, habens sub se Episcopatus diversos. Et Provinciam Libyae, in qua est Metropolis Darinco, habens nonnullos Episcopatus. Adhuc habet & aliam Metropolim Alexandrinus, quae fuerit septima, Marieo. Et octavam Tanesin, sitam in septimo Nili ostio. Hae itaque sunt octo Alexandrini Metropoles, quae varios sub se Episcopatus habent. Quamvis sint & aliae quinque, nullis Episcopatibus conspicuae. Nempè Damiata, Maris rubri, Pharas, Are. omnes simul tredecim. Adhuc possidet Provinciam Libyae Pentapolitanam, & Provinciam Tripolitanam Barbariae. Ex quo lis, quae inter Alexandrinum & Carthaginensem vertitur, dissolvitur. Binae enim sunt Tripoles. Una sub Oriente, altera sub Dioecesi Ægyptiaca, quae & Libyca est, Alexandrino obnoxia. Non ipsa primariò, neque enim est Metropolis, sed Episcopatus uni Alexandriae Metropoli subjectus. Frustra igitur eam sibi vindicat Carthaginensis.* His argumentis videtur ostendi, quod Ægyptiaca Dioecesis habeat plures, quam decem Provincias.

Hæres. 68. c. 1.

Cap. 11.

Lib. 17.

Lib. 5. cap. 9.

Lib. 19. cap. 23.

Lib. 4.

Lib. 19 cap. 26.

Respondeo circà Ægypti Nomos seu Pręfecturas attendenda esse Strabonis verba: *Regio priùs in Praefecturas divisa erat.* Hoc est, ante Romanum Imperium. Ita nobis jam exposuit sanctus Hieronymus. Caesar Augustus ac ejus successores devictam Regionem diviserunt longè aliter, adeoque istae Praefecturae tunc desierunt esse Provinciae. Insigniter hoc exponit in Panario sanctus Epiphanius: *Haeresiarcha Basilides in Ægyptum profectus, ibidem commoratus est. Indè in Prosopiticam, & Athribiticam praefecturam secessit. Atque etiam in Saitica, & Alexandriae Versatus est, ac in Alexandrino agro, sive Nomo. Sic enim Ægyptii cujusque civitatis agrum & circumjacentem regionem nominant. Atque hos, quisquis es doctrinae cupidus, ad usum tuum habebis, quod & ad eruditionem, & ad quorumcumque locorum perspicuitatem faciat, qua nonnulla, quae in sacris Literis scripta sunt, & quibusdam propter inscitiam ingerunt dubitationem, religiosè confirmari & explicari possunt. Ubicumque enim apud Esaiam Prophetam de civitatis alicujus Nomis, puta Taneos, Memphis, vel Bubastico scriptum aliquid reperies, id ipsum ex Ægyptiorum more circumjacentem cujuscumque civitatis agrum significat. Quod eruditionis causa significare volumus.* Proindè post inductum apud Ægyptios Romanum Imperium Nomus non fuit amplius Provincia, sed dumtaxat unica cum suis Oppidis, Castris, & Hæres. 24. c. 1.

agrario territorio Civitas. Nomi tamen omninò permanserunt. Lucet ex adductis testimoniis sancti Epiphanii ac sancti Hieronymi. Etiam in secunda Apologia sanctus Athanasius adducit Literas *Pinnes Presbyteri in domicilio Ptemengysiris, quæ est in Antropolitæ Nomo.* Nomorum memoria antiquitatis Lectori frequenter occurrit. Porrò Ecclesiasticas Provincias, & ipsarum Hierarchiam Apostoli non juxtà antiquam à particularibus Regibus, sed juxtà novam à Romanis Imperatoribus factam civilium Provinciarum divisionem diviserunt, atque instituerunt.

Quomodò Imperator Theodosius Patriarcham Dioscorum cum decem Metropolitis invitaverit ad secundum Ephesinum Concilium, est satis obscurum. Quidam existimant Alexandrinum fuisse similem Constantinopolitano, qui dumtaxat Patriarcha fuit, non Metropolita: Qui solam habuit subjectam Diœcesim, nullam propriam Provinciam. Sicut in Europæ Provincia cum plena in cunctos ejus Episcopos potestate Metropolita fuit Heracliensis Episcopus, ita in Augusta Ægypti Provincia similem potestatem habuisse possit Antistes Memphitanus, aut quis istic alius. Et hinc Theodosius videtur invitasse Dioscorum non tantummodò cum decem Metropolitis, sed etiam cum decem Provincialibus Episcopis: Quod nempè ille nullam haberet Provinciam, nullum comprovincialem Episcopum. Alioquin debebat invitari cum undecim Provincialibus Episcopis. Et hoc confirmat sanctus Hieronymus, dicens à Romanis alium Thebis, alium in Lybia, alium in Pentapoli, alium in Ægypto, alium judicem fuisse constitutum Alexandriæ. Omninò affirmat, quod Augustali Præfecto sola Alexandrina civitas sine medio subfuerit. Et bene affirmat. Etenim in suo de Alexandrinis Edicto habet Imperator Justinianus: *Statuimus spectabilem Præfectum Augustalem ipsi Alexandriæ præesse, & omnem ejus rerum curam habere volumus, & insuper duabus Ægyptis, ac iis solis, excepto oppido Menelaita dicto, quod Ægypto præjacet, & prætereà Mareota. Volumus ipsum non uni Alexandriæ, verùm etiam duabus Ægyptis ita præesse, ut Magistratus Provincialis dictarum duarum Provinciarum, quomodo etiam hucusque obtinuit, ipsi soli subsit.* (Cap. 1.) Etiam in Edicto, quod octavæ Novellæ Legi inseruit, & primę & secundę Ægypto adsignat suum Præsidem, adeòque etiam illic supponit Augustali Pręfecto nullam Provinciam, sed solam Alexandrinam civitatem sine medio subfuisse. Et notanda sunt verba: *Quomodo hucusque obtinuit.* Affirmant Augustæ, seu integræ, seu in duas divisæ, Ægypti Provinciæ semper fuisse suum Pręsidem, & Augustali Pręfecto numquam sine medio subfuisse. Quod ipsum confirmat in Panario sanctus Epiphanius, ad Diocletiani Imperium scribens de Meletio schismatico: (Hæres. 68. c. 1.) *Meletius comprehensus est ab Alexandriæ & Ægypti Præfectis, quibus hoc ab Imperatoribus mandatum fuerat. Præerat tunc Thebaidi Culcianus, Alexandriæ verò Hierocles.* Affirmat alium Ægypto, alium Thebaidi, alium soli Alexandrię fuisse Pręfectum. Etiam in Lege ultima ad titulum de pœnis Justinianæus Codex Præfectum Augustalem appellat Præfectum Alexandriæ. At verò quod in civilibus Pręfectus Augustalis, hoc in Ecclesiasticis Ægypti negotiis fuit Patriarcha. Neque refert, quod per Leonem Sapientem publicata Romanarum Provinciarum ac Episcopatuum Notitia Alexandrino Patriarchæ assignet suam Provinciam, & suffraganeos Episcopos. Etenim quod ista Notitia immutet plura antiqua, & manifestas habeat novitates, suo loco ostendetur. Certè hæc doctrina non est paradoxa.

Quidquid de ipsa sit, Theodosius possit etiam ex alio fundamento esse locutus. Pentapolitana Libya, licet in civilibus unica, in Ecclesiasticis tamen rebus fuit duplex Provincia, habuitque duas Metropolitanas Sedes: Duos non solò nomine, sed etiam re ac potestate Metropolitas. Cyrenensem ac Ptolomensem. De Cyrenensi res est clara. Etenim in Literis ad Troilum sanctus Synesius Ptolomaidis istic Episcopus Pentapolim affirmat esse Romanam Provinciam, & appellat Pentapolim Cyrenensem. (Epist. 73.) Et ita appellatur passim ab aliis etiam Scriptoribus. Idem Synesius in literis ad Theophilum Alexandrię Patriarcham tractat litem pendentem inter Erythry & Palebiscæ Ecclesias, & scribit de Philone Cyrenensi ac Siderio Palebiscæ Episcopis: *A senioribus accepi solum beatæ memoriæ Philonem ausum esse collegam suum Episcopum renuntiare. Cyrenensis hic fuit, antiquior, junioris patruus, & ejusdem cum eo nominis, cæteris quidem in rebus ex præscripto Christianę disciplinæ vivens, quod autem ad regendum & parendum attinet, audacior quàm legum observantior.* (Epist. 67.) Arguit Philonem, quod Erythrensem Episcopatum diviserit, quod novam Episcopalem sedem posuerit apud Palebiscam, & Siderium istic consecraverit in primum Episcopum. Quæ palàm nemo attentare possit, nisi Metropolita. Et Ammianus Marcellinus inter Pentapoleos civitates primo loco ponit Cyrenem, atque adjungit: *Cyrenas cum residuis civitatibus Libyæ Pentapoleos.* (Lib. 40. cap. 43.) Quod nempè ipsa esset Metropolis. Et hinc in Apostolicis Actis scribit etiam sanctus Lucas: *Et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem.* Hoc est, quæ Cyrenem circumspicit ut Metropolim. Pergit sanctus Synesius de Siderio Palebiscæ Episcopo: *Magnus Athanasius* attentatam à Philone audaciam *tempori dedit, ac non multò post, cum exiguam adhuc orthodoxæ fidei scintillam, quæ in Ptolomaide erat, fovere ac magis & magis oporteret accendere, hominem illum, majoribus rebus gerendis idoneum, eò migrare jussit, ut Metropolitanam Ecclesiam gubernaret.* Palam affirmat Ptolomaidem fuisse Ecclesiasticam Metropolim. Et infrà scribit: *Sic evenerat, ut paucis exceptis Episcopi omnes Ptolomaidem convenirent; ut de civili quodam negotio deliberarent.* Et iterum: *Eodem rursus finitimis ex locis Episcoporum turba concurrit, cum alius aliis de causis eò venisset.* Cur Episcoporum turba, & quidem alii ex aliis causis, concurrunt Ptolomaidem? Non alia de causa, quàm ad consultandum Metropolitam. Et adverte circa solam Ptolomaidem fuisse Episcoporum turmam. Haud dubiè fuit etiam circa Cyrenem. Hinc in Sinesii Epistolis plures sunt ab utroque relationes ad Patriarcham Theophilum: Quod nempè uterque esset Metropolitanus. Nam Provincialis Episcopus per sacros Canones prohibetur proximè referre ad Patriarcham. Nec obest, quod sancti Synesii germanus frater, ac in Ptolomaidis Episcopatum Successor Evoptius in Ephesina Synodo locutus sit atque subscripserit

post

post Hermogenem Rhinocoruræ, & alios plures Provinciales Episcopos: Etenim certum est omnes istic & Metropolitas & Provinciales juxta acceptæ consecrationis ætatem sedisse ac subscripsisse. Nam post dictum Hermogenem sedit ac subscripsit etiam Eusebius Pelusii Episcopus, proprius ejus Metropolita.

Hæc Ecclesiasticarum Provinciarum intrà unicam civilem multiplicitas viguit etiam in aliis Ægypti Provinciis. Etenim de Thebaide scribit Ammianus Marcellinus: *Thebais multas inter urbes clariores aliis Hermopolim habet, & Copton, & Antinoum, quam Adrianus in honorem Antinoi Ephebi sui condidit.* Videtur asserere, quod Hermopolis fuerit istius Provinciæ Metropolis. Quidquid sit, de Antinoo scribit in Lausiaca Historia Palladius Episcopus Helenopolitanus: *Vidimus in solitudine Antinoi, quæ est Metropolis Thebaidis.* Eam primæ Thebaidos Metropolim statuit Ecclesiarum Notitia publicata per Leonem Sapientem. Fuit civitas adeò illustris, ut Palladius addat: *In civitate Antinoi sunt fœminarum Monasteria duodecim.* Et quidem adeò numerosa, ut unius Præfecta Amma Talida sub se haberet *sexaginta adolescentulas.* Id est Novitias. Et quis nesciat Thebaidem dici à Thebana civitate, ideòque hanc esse antiquissimam ejus Metropolim? Et quod etiam in ipsa Romani judicem, seu Præsidem posuerint, adeoque ipsam sanxerint permanere Metropolim, nobis supra dixit sanctus Hieronymus. Sic de ipsa ad Augusti Cæsaris de Antonio & Cleopatra victoriam scribit in Chronico Cæsaræensis Eusebii: *Thebæ Ægypti usque ad solum dirutæ.* At Strabo addit: *Post Apollinis urbem sunt Thebæ, quæ nunc Diospolis vocatur.* Ræedificata igitur fuit, & appellata magna Diospolis. Et hinc ad Constantii Imperium etiam Ammianus Marcellinus Thebas ornat multis encomiis & adjungit: *Cujus vocabulo Provincia nunc usque Thebais appellatur.* Etiam Lycopolim fuisse in Thebaide Metropolim Ecclesiasticam lucidè affirmat in Panario sanctus Epiphanius, scribens de ejus Episcopo Meletio: *Atqui ille quidem cæteris Ægypti Episcopis antecellens, secundum à Petro* Alexandriæ Patriarcha *dignitatis locum obtinebat, utpote illius adjutor, sed eidem tamen subjectus, & ad ipsum de causis Ecclesiasticis referens.* Hæc clarissimè & altissimè clamant Meletium fuisse Metropolitam. Quod ipsum æquali voce clamat, ac infra demonstrabit ab illo adversùs Patriarchalem Sedem attentata audacia. Proinde sola Thebais dudum ante secundi Theodosii Imperium habuit tres Ecclesiasticas Metropoles: Thebas, Antinoum, ac Lycopolim. Et possit habuisse plures. Etenim edita per Leonem Sapientem Ecclesiastica Notitia secundæ Thebaidi pro Metropoli assignat Ptolomaidem. Etiam hanc fuisse potentem civitatem demonstrat ejus in Romanum Imperium attentata rebellio, quam memorat Comes Zozimus. Nec ista mireris. Etenim Thebaidi fuisse trecentas sexaginta sex civitates audivimus supra à Guilielmo Archiepiscopo Tyriorum. Etiam Hermopolim, quam Antinoo præponit, fuisse Metropolim fortiter suadet auctoritas Ammiani Marcellini. Quæ Ecclesiasticarum Provinciarum præ civilibus pluralitas fuit etiam in Augustamnicis. Nam prima Pelusium, secunda Augustamnica pro Metropoli habuit Leontopolim, & tamen de sita istic Taphni scribit laudatus Guilielmus: *Taphnis eximia olim Metropolis, nunc autem parvissimi adinstar redacta oppidi.* Studiosus antiquitatis indagator forsan ostendat eandem formam viguisse in ipsis Augustis Provinciis.

Cap. 51.

Cap. 137.

Lib. 17. Cap. 6.

Hæres. 68. c. 1.

Lib. 1c. cap. 2.

Et hæc omnia supra confirmavit magnus Athanasius. Etenim Arianos arguit, quod Orthodoxos Ægypti Episcopos contrà Imperatoris Constantii Edicta relegaverint ultra tres à sua civitate Provincias, ideoque in quartam ab illa. Et pro exemplo adduxit Episcopos relegatos è Libya in magnam Oasim, & è Thebaide in Ammoniacam. Magna Oasis est Thebaidis civitas, & Ammoniaca regio est pars Pentapoleos. Et Thebais ac Pentapolis sunt regiones conterminæ. Et Athanasii tempore omnis Thebais erat unica civilis Provincia. Proinde è Pentapoli in Thebaidem, aut è Thebaide in Pentapolim relegati Episcopi non poterant esse relegati ultra tres à sua civitate Provincias, nisi in istis unicis civilibus fuerint plures Provinciæ Ecclesiasticæ. Et possit hic latuisse Arianorum dolus. Principis Constantii Edictum, quod loquebatur de Ecclesiasticis, possint isti intellexisse de Provinciis civilibus. Etiam Syena est civitas ac Nomus Thebaidis. Porrò an Ammoniaca, ab Ammonii Jovis istic sito templo & oraculo sortita nomen, fuerit Ecclesiastica Provincia, ignoro usque huc, & ex adductis Athanasii ac Epiphani testimoniis non potest evinci. Nam Oasis & Syena, itemque utraque Mareotis, quas eodem tenore memorant, non fuerunt Provinciæ.

Mareotes est ager. Duplex. Alius propè Alexandriam, alius in arida Libya. Priorem, cujus notitia erit nobis necessaria in sequentibus, describit in secunda Apologia Sanctus Athanasius: *Mareotes est ager Alexandriæ, quo in loco numquam Episcopus fuit, imò nè Chorepiscopus quidem, sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen, ut singuli Pagi suos Presbyteros habeant. Sunt autem Pagi isti maximi decem numero, aut aliquantò plures. Pagus autem, ubi habitat Ischyras, minimus est, & paucissimorum hominum. Adeo ut non ibi, sed in proximo Pago sit constituta Ecclesia. Nibilo tamen minùs hominem, qui nè Presbyter quidem erat, hujus Pagi, præter Majorum traditionem, Eusebiani Episcopum scilicet appellaverunt.* Eadem in apologia extat epistola, ad Flavium Philagrium Augustalem Præfectum scripta *à Presbyteris & Diaconis Mareoticis ex regione & Nomo, cujus Episcopatum gerit Reverendissimus Athanasius.* Ex quibus dicimus plura. Primò, quod hæc Mareotis nè quid ita fuerit civitas aut Episcopalis Parochia, sed mera quorumdam Pagorum communio, quæ nè quidem Chorepiscopum habuit, id est, ruralem Decanum Christianitatis. Secundò, quod Ægyptus habuerit Chorepiscopos. Tertiò, quod tunc non singuli, sed soli majores Pagi haberent Ecclesiam, ac Presbyterum aut Diaconum. Quod ipsum tunc viguit in aliis regionibus. Hinc enim Pagorum Domicellos, ut in quovis Pago extruant Ecclesiam, hortatur Sanctus Joannes Chrysostomus. Quartò discimus horrendam Eusebianæ factionis audaciam, quæ ut Sancti Athanasii calumniatorem Ischyram remuneraretur, in Pago, qui numquam Ecclesiam, Presbyterum, aut Diaconum habuerat, erexit Episcopatum.

tum. Quintô, quod Alexandriæ Episcopatus habuerit non solam Civitatem, sed insuper Pagenses Rusticorum Ecclesias. Et hæc est aliqua inter ipsum & Romanum Episcopatum differentia. Romanus enim Episcopatus solam cum suburbanis Cœmeteriis ac Monasteriis urbem, nullam
Hæres. 29. c. 5. rusticanam haber Parochiam. Sanctus Epiphanius Mareotem appellat Marianam paludem, affirmatque esse locum illum, in quo Philo Judæus & Eusebius Cæsaræensis Episcopus scribunt primævos sub Sancto Marco Evangelista, primo Alexandriæ Patriarcha, Christianos habuisse varia Monasteria, & vixisse, uti sub Apostolis vixit Hierosolymæ Ecclesia, vitam communem. Aridæ Libyæ Mareotem describit in quinto suę historię li-
Cap.40. bro Plinius, ac ejus ficus in quinto Monasticarum Institutionum libro laudat Joannes Cassianus.

Etiam Oäsis est duplex: Major & minor. Hęc propè lacum Mareotidem versùs Marmaricam, ista in deserta Thebaide. Lucet ex antiqua Romani Imperii Notitia ad titulum de Comite Limitis, & ad titulum de duce Thebaidos. Majorem describit Comes Zozimus: *Oasis est locus insigniter sterilis, è quo nemo possit evadere, qui eò deportaretur. Nam terra in medio arenosa, vasta prorsus, & inhabitata, notitiam tendentibus hac omnem adimit. Partim quod venti arena vestigia compleant & aboleant, partim quod nec arbor ulla nec domicilium sit, quæ indicium aliquod iter facientibus ad conjecturam relinquere possint.* Addit illustrem virum Timasium, quod affectati Imperii esset suspectus, eò fuisse deportatum. Omnem mundi gloriam esse inanem fumum demonstrat in Sancti Nepotiani Epitaphio Sanctus Hieronymus pluribus exemplis, quorum unum est exemplum dicti Exconsulis: *Timasius; præcipitatus repentè de altissimo Dignitatis gradu, evasisse se putat, quod Asiæ vivit inglorius.* Etiam Zozimi textus olim habuit, *Asiæ.* Et variis Sancti Hieronymi Codicibus esse varias istius vocabuli Locutiones ostendit in laudati Epitaphii Scholiis Marianus Victorius. At omninò legendum est, *Oäsi.* Quod humanos è Miraculis & Sancta vita fumos fugiturus etiam Sanctus Hilarion Oäsin petiverit, scribit in ejus vita laudatus Hieronymus. Etiam Sanctus Athanasius affirmat ab Arianis fuisse eò deportatos Catholicos Episcopos. Erat ordinarius Deportationis locus. Hinc ad Maximum Cynicum, eò à Lucio Ariano Alexandriæ Episcopo depor-
Orat.23 tatum, declamat Sanctus Gregorius Nazianzenus: *E patriæ finibus exterminaris, atque Oäsis, inhumana illa Solitudo, sed jam propter te Sancta* Sedes, *ad exulandum tibi decernitur.* Et Romana de Acacii Constantinopolitani Episcopi nomine Gesta habent: *Nestorius* Hæresiarcha *Oasitano exilio meruit relegari.* Quod ipsum habent Acta Ephesini Concilii. Romana ista Acta habent etiam de Petro Fullone, invasore Antiochenæ Ecclesiæ: *Petrus damnatus à Leone Principe ad Oasitanum exilium est directus.* Et de hæresiarcha Euthychete, quem hæreseos accusabat, ad Constantinopolitanam Sancti Flaviani Synodum dixit Eusebius
Act. 7. Dorylæi Episcopus: *Metuo ipsius concussionem. Ego pauper sum, nihil possidens. Minatur mihi exilium. Divitias habet. Designat mihi Oasim.* Eutyches enim erat potens apud Principem. Hęc ergò Oasis erat civitas Thebaidos, non Provincia.

Istud exilium in scripta ad Anthemium Prætorio-Præfectum lege Imperatores Honorius ac Theodosius appellant *Oasenam Deportationem*, atque adjungunt: *Ita ut numquam supplicandi eis, vel recipiendi civitatem, vel dignitatem, vel substantiam, licentia tribuatur.* Extat Lex in nono Theodosiani Codicis libro ad titulum de non corrumpendis Nili aggeribus. Affirmat esse non Relegationem, sed Deportationem, quæ dignitate, civi- Tit.32. cap. 2.
tate, & substantia spoliet in perpetuum, adeò ut reo nec reliqua sit supplicandi licentia. Deportatio ac Relegatio sunt summa ac media capitis Diminutio, & ipsarum differentiam eleganti compendio edicit in Romanarum legum Synopsi Michael Attaliates: *Tria sunt quæ habemus, Libertas, civitas, familia. Igitur magna Diminutio, id est, Deportatio hæc tria perimit. Nam deportatus nec libertatem retinebat olim, sed opus in metallo faciebat, aut sulphur aut ferrum fodiens. Nec civitatem. Nam in hunc usque diem bona ejus publicantur. Nec civitatis est particeps. Quippe Deportationem bonorum quoque publicatio sequitur. At neque testari potest. Neque à cognatis ei ab intestato succeditur. Neque illorum hæres existit ipse, neque liberos suos habet in potestate. Media, civitatem dumtaxat perimit, quod est exilium, seu relegatio. Nam relegatus extra civitatem constituitur.* Oasenum igitur exilium erat adeò pœnosum ac terribile, ut solis infligeretur deportatis, ac semper esset Deportatio. Et hinc humillimæ ac frequentes Hæresiarchæ Nestorii, licet jam ætate ac ærumnis fracti, preces numquam ab Imperatore Theodosio fuerunt exauditæ. Suo loco id ostendetur. Hinc item Timotheum Ælurum Alexandriæ Patriarcham, quod ex ista Deportatione lapsum Petrum Fullonem reddidisset Antiochenæ civitati ac Episcopatui, gravissimè damnant laudata Acta de nomine Acacii. Laudatam Honorii ac Theodosii legem suo ad eundem titulum Codici inseruit Imperator Justinianus, ast omisit vocem, *Oasena.* Rationem habes in lege ultima ad titulum de pœnis, quæ ita statuit: *Magistratus Alexandriæ & Thebaidos solus jubet in Gypsum, & in Oasin mittere, vel in sex menses, vel ad summum in annum. Quod si perpetuum sit exilium, neque in Gypsum mittere, neque in Oasin, neque in custodiam alterius provinciæ, sed in Provinciam integram ea conditione, ut si quid deliquerint, vel si excesserint jussa Præsidum, qui inserviunt, ultimo supplicio afficiantur.* Deportationis pœnam insigniter mitigat. Sancit deinceps deportandos neque ad Gypsum, neque ad Oasim, neque ad carcerem damnari posse, sed dumtaxat circumscribi intrà limites unius Provincię. Addit in Oasin à solo Augustali Præfecto aut Thebaidis Pręside, & quidem non nisi ad annum, posse relegari. Quæ tamen Constitutio non ligavit ipsum Principem. Adeo terribile erat istud exilium. Et hinc Olimpiodorum, qui Oasim scripsit esse Regionem amænissimam atque fertilissimam, de incredibilium narratu rectè notat in Bibliotheca Photius. Plures ajunt Lib. 80.
ipsam horrendè infestari à culicibus. Quod etiam Barbarorum frequenti incursui sit obnoxia, demonstrant assiduæ senis Nestorii ad Principem lamentationes, & ea quæ de Leone istic Abbate ac ejus Monachis scribit in Prato Spirituali Sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymæ. Cap.112.

Restat

Restat quæstio de Provincia Tripolitana. Et primò quæritur, An de Tripolitana apud Afros Provincia fuerit aliquando lis inter Alexandrinum Patriarcham & Primatem Carthaginensem? Ita enim affirmat Nilus Doxopatrius. Et vulgata per Leonem Sapientem Ecclesiastica Notitia lucidè ipsam adsignat isti Patriarchæ. Laudata enim istic Tripolis pro Metropoli magnam Leptim, pro Suffraganeis civitatibus habet Sebum & Hyon, quæ est palàm Africana, non Ægyptia. Respondeo istius litis nullam esse apud antiquos Scriptores memoriam, nullum testimonium, nullum vestigium. Quod Tripolitana Provincia semper Latina & Occidentalis fuerit, ideoque spectaverit ad Africanam Diœcesim & Carthaginensem Primatum, demonstrant Mundi situs, magna Sancti Cypriani de rebaptizandis Hæreticis Synodus, aliæ item Africanæ Synodi, plures Leges in Codice Theodosiano ac Justinianæo, antiqua Romani Imperii Notitia, & Cæsaræensis Procopii sextus Liber de ædificiis Imperatoris Justiniani. Etenim Africam ab Ægypto dividunt magnæ Syrtes: Et Tripolitana Provincia omninò est cis partem Africanam. Et dictæ Synodo adfuerunt ejus Episcopi. Et ita fuisse usque ad Justiniani Imperium est certum ac manifestum. Porrò ad Heraclii Imperium Homarus Sarracenorum Princeps Ægyptum, & sub secundi Justiniani Imperio istius Successores invaserunt Africam, atque ita Christianorum Episcopis nullam reliquerunt ansam de Diœcesibus disputandi. Quapropter omninò existimo memoratam à Nilo Doxopatrio litem esse græculum figmentum. Et ut lis fuerit, meridiana luce clariùs est Alexandrino Patriarchæ nihil fuisse juris, nihil fundamenti.

Unde igitur Sapiens Leo hanc Tripolim adscripsit isti Patriarchæ? Respondeo me nescire. Opinor fecisse, ut Sancti Patriarchæ Ignatii, quos ejus frater Patriarcha Stephanus continuabat, pro Bulgaria ac reliqua Illyrici Diœcesi rapaces ausus firmaret. Et forsan ista Notitia non est à Sapiente ac orthodoxo Leone, sed à quopiam post Michaelem Cerularium Schismatico Principe. Certè nec in Africa, nec in Ægypto vel unicum terræ pedem Leo habuit, adeoque de ejus Diœcesibus non potuit disponere. Schismaticus fingere potuerit. Quidquid sit, ista Notitia in variis circà Tripolitanam Provinciam hallucinatur. Primò, magnam Leptim non ponit nisi secundo loco. Licet enim cunctę pręter Proconsularem Africanæ Provinciæ non habuerint Ecclesiasticas Metropoles, omninò tamen habuere Civiles. Et magna Leptis, Imperatoris Severi natalibus clara, omninò fuit Tripolitanæ Provinciæ Metropolis. Ita supponit, uti rem lucidam, in sexto de Imperatoris Justiniani ædificiis Libro Procopius Cæsaræensis. (Cap. 3. & 4.) Deinde ista Notitia Tripolitanæ Provinciæ non assignat nisi tres civitates. At verò per Jacobum Sirmondum publicatus Africanarum Ecclesiarum Catalogus ponit quinque. Et Honorato ac Urbano Episcopis, urgentibus Episcopum deinceps non nisi à duodecim Collegis consecrari, in tertia Carthaginensi Synodo reposuit Aurelius totius Diœceseos Primas: (Can. 39.) *Forma antiqua servabitur, ut non minùs quàm tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum, propterea quia & in Tripoli fortè & Arzugæ interjacere videntur barbaræ gentes. Nam in Tripoli, ut adseritur, Episcopi sunt quinque tantummodò, & possint fortè de ipso numero vel duo necessitate aliqua occupari. Difficilè est enim, ut de quolibet numero omnes possint occurrere.* Notanda sunt verba: *Ut adseritur.* Ecclesiarum in Tripolitana Provincia numerum omninò noverat Primas Aurelius: Palàm adserit fuisse plures quàm quinque, sed vacare aliquas, ideoquè tantùm superesse quinque Episcopos. Hunc sensum evincit etiam hic in Africanæ Ecclesiæ Codice canon: *Placuit de Tripoli propter inopiam Provinciæ, ut unus Episcopus in Legationem veniat*, utiquè ad Primatialem Synodum, *& ut ibi Presbyter à quinque audiatur Episcopis, & Diaconus à tribus, proprio Episcopo residente.* Ut Presbyteri causa judicetur à tota Provinciæ Synodo, hic canon nequaquam sanxit: Sanciret contra omnem Regularum consequentiam. Proinde omninò edicit fuisse in Tripoli plures quàm quinque Episcopos. An Tripolis semper habuerit tot Episcopos, & semper fuerit distincta Africanæ Diœceseos Provincia, est quæstio alterius loci. Tertiò, Leonis Augusti Notitia cum vulgata per Jacobum Sirmondum Notitia non convenit in civitatum nominibus. Hæc enim nullam facit memoriam de Sebon & Hyon, quas Solas Leo adjungit magnæ Lepti.

Secundò quæritur, An intrà Ægyptum fuerit distincta Tripolitana Provincia? Respondeo, licet non Civilem, fuisse tamen Ecclesiasticam. Lucet ex adducto testimonio Chalcedonensis Synodi, cujus Auctoritas est irrefragabilis. Laudatur ibi Athanasius Busiridis in ista Provincia Episcopus. Porrò Busiridem esse ipsas Thebas, ita à conditore Rege Busiri dictas, in suis ad antiquam Romani Imperii Notitiam Scholiis errat Guido Pancirollus. Longè aliud scribit Strabo. *Auctor est Eratosthenes communem Barbaris omnibus consuetudinem esse, ut hospites pellant. Ægyptios verò accusari propter ea quæ in fabulis de Busiride & Busiritica Præfectura dicta sunt, volentibus Posteris loci hujus inhospitalitatem calumniari, cum Me-Dius-fidius nullus Busiris nec Rex fuerit, nec tyrannus.* (Lib. 1. fol. 121. Lib. 17.) Adversatur tamen in Chronico Cæsaræensis Eusebius: *Busiris, Neptuni & Libyæ Epaphi filiæ filius, apud vicina Nili loca tyrannidem exercet, transeuntes hospites crudeli scelere interficiens.* Factum id dicit ad tempora Josue & primum ingressum Judaici Populi in terram Promissionis. Et ad Constantii Chlori & Galerii Maximiani Imperium adjungit: *Busiris & Coptos contrà Romanos rebellantes, ad solum usque subversæ sunt.* Proinde Busiris fuit propè Copton, quam Thebaidi adsignat etiam Romani Imperii antiqua Notitia in Thebaidos Insignibus. Et in Demetrio Phanostrati filio scribit Suidas: *Demetrius ex morsu aspidis periit, sepultus in Busiritide Præfectura propè Diospolim in paludibus.* (Lib. 1. fol. 143.) Has paludes elucidat Strabo, scribens Mendeten civitatem esse proximum mari Præcipitium, adultrinum Nili cornu seu Ostium, & adjungens: *Propè Mendeten est diospolis, & lacus ei proximi, & Leontopolis. Ulteriùs in Busiritica Præfectura est Busiris civitas, & Cynospolis.* Etiam Plinius secundus Busiridem collocat in Augustamnica Pelusii regione propè Leontopolim ac Cynospolim, adeoquè etiam ista Regio habuit Metropolim ac Provinciam Ecclesiasticam, quæ non esset civilis. Et Busiris videtur hujus Tripolitanæ Provinciæ fuisse Metropolis.

lis. Quis Patriarcha, aut quæ ratio istam ibi formam plantaverit, ignoro. Nili Doxopatrii auctoritas non convenit cum Ecclesiarum Notitia, vulgata per Leonem Sapientem. Et Damiatam, quæ est Pelusium, asserit fuisse solo honore sine Suffraganeis Sedibus Metropolim, quod cuncti scimus esse falsissimum. Quidquid sit, duo sunt certa & clara. Primò, quod Ægyptiaca Diœcesis non habuerit nisi novem civiles Provincias. Et juxta hanc divisionem scripsit Dominus Petrus de Marca. Secundò certum est, quod fuerint plures Provinciæ atque Metropoles Ecclesiasticæ. Et de illis ad Patriarcham Dioscorum scripsit Imperator Theodosius. Sunt res obscuræ. Et circa ipsas ab aliquo, qui me peritior sit, supplico illuminari.

CAPUT II.

Exponuntur aliæ Diœceses Patriarchæ Alexandrini.

ALEXANDRIÆ Patriarcha sub se habuit etiam quasdam Diœceses ac Ecclesias Barbarorum non spectantium ad Romanum Imperium. Prima fuit Orientalis India. Subjectionis originem ac radicem exponit in illustrium Virorum catalogo S. Hieronymus, scribens de Pantæno Alexandrinæ Ecclesiæ Presbytero ac Doctore: *Pantænus Stoicæ sectæ philosophus, juxtà quamdam veterem in Alexandria consuetudinem, ubi à Marco Evangelista semper Ecclesiastici fuere Doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in Scripturis divinis, quam in sæculari literatura fuit, ut in Indiam quoque, rogatus ab illius gentis Legatis, à Demetrio Alexandriæ Episcopo mitteretur, ubi reperit Bartholomæum de duodecim Apostolis, adventum Domini Jesu juxta Matthæi Evangelium prædicasse. Quod Hebraicis literis scriptum, revertens Alexandriam, secum detulit.* Quæ omnia sanctus Hieronymus de-

Lib. 5. sumpsit ex Ecclesiastica Eusebii Cæsareensis histo-

cap. 10. ria, addente Pantænum ivisse prædicatum cunctis Orientalibus gentibus, & penetrasse usque ad Indos. Sanctus Hieronymus pergit in Commentariis Isaiæ Prophetæ: *Tradunt Ecclesiasticæ historiæ,*

Cap. 11. *quod Apostoli in toto orbe dispersi Evangelium prædicarint, ita ut quidam Persas Indosque penetrarint, & Æthiopia daret manus Deo, & trans flumina Æthiopiæ in Christo munera deferrentur.* Haud dubiè in eis, qui ad Indos penetrarunt, intelligit & sanctum Bartholomæum. At verò in literis ad Marcellam demonstrat Christum Dominum, quatenus Deum, fuisse semper ac esse ubique, & ad-

Epist. 148. jungit: *In omnibus locis versabatur, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaja, cum singulis Apostolis & apostolicis viris in singulis cunctisque regionibus.* Affirmat etiam sanctum Thomam Indis prædicasse. Quod ipsum in sui adversum Arianos apologetica oratione scribit sanctus

Orat. 25 Gregorius Nazianzenus. In duodecim Apostolo-

Tom. 6. rum Encomio habet sanctus Joannes Chrysosto-

fol. 320 321. mus: *Petrus Romam erudit, Paulus mundo Evangelium adnunciat; Andreas Græciæ Sapientes corrigit, Simon Deum docet Barbaros, Thomas baptismate Æthiopes dealbat, Jacobi cathedram Judæa honorat, Marci thronum Alexandria ad Nilum complectitur, Bartholomæus Lycaones ad temperantiam instituit.* Thomæ solam Æthiopiam, Bartholomæo solos Lycaones, Paulo Apostolo adscribit totum mundum. Et hinc pergit in quadragesimi quarti Psalmi Commentario: *Paulus perambulabat orbem terræ. Ecquò pervenit? Ad Thraces, ad Schytas, ad Indos, ad Mauros, ad Sardonios, ad Gothos, ad belluas agrestes illas, nihilque non convertebat.* Et statim infra: *Ingressus est Thebaidem, & eos in captivitatem adduxit. Aulam intravit Regalem, & ex Rege fecit discipulum.* Et in sancti Pauli encomiastica Oratione: *Homo ignobilis, abjectus, & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio & Romanos, & Persas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Schytas, & Æthiopes, & Sauromatas, & Sarracenos, & omne prorsus humanum genus, sub jugum mitteret veritatis.* Quæ omnia an sint authentica, est multa quæstio. Sanè sancti Pauli ævo Thebais non habuit Regem, nisi Romanum Imperatorem, quem constat nec habitasse istic, nec à prædicante Paulo fuisse conversum. Quod interim sanctus Bartholomæus prædicaverit in India, testatur etiam Socrates: *Cum Apostoli sortitò iter ad gentes suscepissent, Thomas Parthiam, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam, quæ huic finitima est, sortitione accepit.* Lib. 1. cap. 15. Hoc ipsum scribit Romanum Martyrologium: *Sanctus Bartholomæus Apostolus in India Christi Evangelium prædicavit. Inde in majorem Armeniam profectus, cum ibi plurimos ad fidem convertisset, vivus à Barbaris decoriatus est, atque Astyagis Regis jussu capitis decollatione martyrium complevit.* Etiam de Sancto Thoma scribit. *Beatus Thomas Apostolus Parthis, Medis, Persis, Hircanis, & Brachmannis Evangelium prædicavit, ac demum in Indiam perveniens, cum eos Populos in Christiana Religione instituisset, Regis jussu lanceis transfixus occubuit.* Videtur inchoatam à Sancto Bartholomæo prædicationem consummasse. Et super hæc fundamenta ædificavit Sanctus Pantænus, Ecclesiis adjecit Ecclesias, & omnes supposuit Patriarchatui Alexandrino.

Pergit Socrates: *India autem interior, quam permultæ gentes Barbaræ accolunt, linguis inter se discrepantes, non ante Constantini tempora verbo Christi & ejus Religione est illustrata.* Meropius Tyrius, Philosophus Christianus, cum duobus è fratre nepotibus, Ædesio ac Frumentio, abiit visitatum Indos ex curiositate, & in reditu ad suos est occisus à Barbaris, juvenes autem sunt capti, ac Regi oblati in donum. Et exaltati istic sunt, uti Joseph in aula Pharaonis. Posuerunt ibidem primas Christianæ fidei radices, ac tandem redicere ad propria. Quæ omnia latè describit Socrates. Eadem describit Hermias Zozomenus, atque adjungit: *Sub idem tempus accepimus Indos interiores,* Lib. 2. *sic enim nostra memoria appellantur, ad quos* cap. 23. *doctrina & prædicatio Bartholomæi minimè pervenerat, à Frumentio Sacerdote & Doctore Sacræ disciplinæ, fidem Christianam suscepisse.* Istam regionem Theodoretus in Ecclesiastica Historia appellat *extremam Indiam.* Præfatam Meropii pere- Lib. 1. grinationem edisserit, ac de Ædesio ac Frumen- cap. 23. tio ad propria redeuntibus adjungit: *Ædesius rectà Cyprum proficiscitur; Frumentius autem, studium*

ergà

ergà pietatem pluris faciens, quàm aspectum Parentum, Alexandriam contendit, docetque illius Ecclesiæ Episcopum, utique recens ordinatum Sanctum Athanasium, Indos maxima duci cupiditate percipiendi luminis Divinæ cognitionis. Quam Ædesii ac Frumentii diversam in reditu mentem insinuat etiam Socrates, & clarè tradit Hermias Zozomenus. Omnes affirmant Frumentium à Sancto Athanasio fuisse creatum, ac missum istis Indis primum Episcopum, istic coruscasse summis miraculis, & eximiis conversarum animarum fructibus, atque ità Apostolica tempora per ejus virtutes revixisse. Eadem omnia confirmat in sua ad Ecclesiasticam Eusebii Cæsaræensis Historiam appendice Ruffinus Presbyter, atque adjungit: *Quæ nos ita gesta, non opinione vulgi, sed ipso Ædesio, Tyri Presbytero postmodum facto, qui Frumentii comes prius fuerat, referente cognovimus.* Lib. 1. cap. 9.

Et hinc lucet Nicephorum Calixtum, qui illustratam à Sancto Frumentio Indiam affirmat fuisse Felicem Arabiam, ac Sabam esse ejus Metropolim, insigniter hallucinari. Neque enim Sanctus Thomas aut Sanctus Bartholomęus in Felici Arabia prædicarunt, sed in Orientali post Persidem India. Certè antiquos atque desormatos Sancti Thomæ Christianos noster Confrater Alexius Menezius, Orientalis Indiæ novus Apostolus, non istic, sed hic invenit, correxit, ac reddidit Romanæ Ecclesiæ. Et Felix Arabia non est interior atque extrema India, nec incolitur à multis diversarum linguarum gentibus, nec Indo flumini, à quo India nomen habet, est vicina. Curiosus Meropius voluit videre Indos, quorum ad Imperatorem Constantinum Legationem describit in illius vita Cæsaræensis Eusebius, & adjungit de ipsorum donis: *In illis erant omnia propè clarissimarum ac pretiosissimarum gemmarum genera, animantia etiam tota natura ab hiscè nostris discrepantia.* Uti Britannos ad ultimas Occidentis, ita hoscè Indos affirmat sitos ad extremas oras orientis Solis. Palàm depingit Orientalem Indiam. Et in Felicem Arabiam non quadrant hæc Ruffini verba: *In ea divisione Orbis terræ, quæ ad prædicandum Dei verbum sorte per Apostolos celebrata est, Thomæ Parthia, Matthæo Æthiopia, ei adjacens citerior India Bartholomęo dicitur decreta. Inter quam Parthiamquè media, sed longè interior tractu India ulterior jacet, multis variis linguis & gentibus habitata, quam velut longè remotam nullus Apostolicæ prædicationis vomer impresserat, quæ tamen temporibus Constantini semina fidei prima suscepit. Metrodorus quidam philosophus, inspiciendorum locorum & orbis perscrutandi gratia, ulteriorem dicitur Indiam penetrasse. Cujus exemplo invitatus Meropius quidam Tyrius Philosophus, &c.* Quis non videat hanc omninò esse orientalem Indiam? certè Felicem Arabiam, licèt Romano Imperio numquam subfuerit, omnes novimus non esse adeò remotam: Nec primus ipsam è Romanis accessit Metrodorus, nec secundus Meropius. Ista est igitur India, de qua Cæsaræensis Eusebius scribit in Chronico: *Trajanus Imperator in mari rubro classem instituit, ut per eam Indiæ fines vastaret.* Et in quæstionibus ad Librum tertium Regum scribit Theodoretus: *Quid est Sophera? est quædam regio Indiæ, quam Geographi nominant auream terram.* Etiam Salomon & Josaphat, Hebræorum Reges, habuerunt in mari rubro classem, quæ in Ophir ibat, portatura aurum, & non nisi post triennium revertebatur. Ophir omninò fuit orientalis India, ad quam ex rubro mari etiamnum hodiè navigatur. Et hac via etiam Sanctus Pantænus ivisse ex Ægypto in Indiam, & ex hac in illam possit Sanctus Frumentius redivisse.

Lib. 8. cap. 35. Lib. 4. cap. 50. Annot. 106. Quæst. 32.

Sanctus Frumentius erat apud Tyrum, primæ Phænicíæ ad orientalem Diœcesim manifestè spectantis Metropolim, natus atque renatus: Quare igitur Interioris Indiæ plantaturus Ecclesiam, ac ipsi Episcopum & Clerum postulaturus, non accessit ad Sanctum Eustatium Antiochiæ Patriarcham, sed divisit se à fratre Ædesio, solus ingressus est aliam tantis ac tot periculis obnoxii itineris viam, & accessit ad Sanctum Athanasium? & certè Persidis, cui India adjacet, Ecclesia semper respexit ac venerata est Patriarchalem Cathedram Antiochiæ. Respondeo antiquos Ecclesiæ Patres circà novas Barbarorum Ecclesias servasse Regulam, quam in Africano Codice laudat hic canon: *Plenario Concilio constitutum est, ut quæcumque Ecclesiæ in Diœcesi constitutæ sunt factæ Catholicæ, ad eas Cathedras pertineant, per quarum Episcopos factum est, ut Catholicæ Unitati communicarent.* In redeuntibus ex longa hæresi Ecclesiis, circumscripta variis conditionibus, in venientibus è Barbariæ ac Paganismo ad Christum regionibus plenè semper ac absolutè fuit servata ista Regula, ideoquè conversa per Sanctum Pantęnum India spectare debuit ad Cathedram & Diœcesim Alexandrinam. Idem Pantænus ad ejusdem sedis obedientiam omninò perduxit vicinos filios Sanctorum Bartholomæi ac Thomæ. Et ejus opus, atque laudatam Regulam noverat laicus adhuc Frumentius: Hinc non Antiochiam accessit, sed Alexandriam, atque illic à Sancto Athanasio est in Episcopum consecratus. Cur Persidis Ecclesia ad Antiochenam Cathedram spectet, suo loco exponetur.

Et ista Evangelica per Sanctos Bartholomęum, Thomam, Pantænum, ac Frumentium facta Plantatio diu permansit salva & integra. Etenim in Libris de consensu Evangelistarum scribit Sanctus Augustinus Ecclesiam suo tempore fuisse adeò dilatatam, *ut longius quam Romani Imperii Jura tenduntur, usque ad Persas & Indos, aliasquè Barbaras gentes, funiculos porrigeret.* Et in quarta Homilia de Sancta Prophetæ Samuelis matre Anna scribit Sanctus Joannes Chrysostomus: *Hęc mulier ubiquè gentium nunc prædicatur. Et sive in Schytiam proficiscaris, sive in Ægyptum, sive in Indiam, sive ad ipsos orbis terminos, omnes audies ejus benefacta decantantes.* Quod nempè omnes illæ gentes tunc haberent suas Ecclesias. Etiam in Homilia, qua Sacrarum Literarum lectionem demonstrat utilem ac necessariam, scribit idem Joannes: *Sive ad Indos te conferas, quos Oriens Sol primus adspicit, sive ad Oceanum te conferas, sive ad Britannicas illas Insulas, sive in Euxinum Pontum naviges, sive ad Australes Partes abeas, omnes ubique audies de iis quæ in Scripturis sunt, philosophantes.* Non sine causa Indiam adjungit Ægypto: Quod nempè illa spectaret ad hunc Patriarchatum. Et hinc de Theophilo istic Patriarcha, quod ad celebrandam in hortis Ruffinianis Synodum, & condemnandum istic Sanctum Joannem Chrysostomum, non tan- Lib. 1. c. 13.

tum

tum Ægyptios, sed etiam Indos Episcopos secum adduxerit, in Dialogo cum Theodoro Romanæ Ecclesiæ Diacono testatur Palladius Episcopus
Cap 8. Helenopolitanus. Et de Simone Patriarcha, qui sub Sarracenis ad septimi Sæculi finem rexit istam Cathedram, scribit Orientale Alexandrinorum Patriarcharum Chronicon: *Simon Legatum accepit ab Indis, qui illum rogabant, ut sibi Episcopum ac Præsbyteros constitueret, qui noluit præstare absque Regis Ægypti consensu. Quamobrem ad alium profectus est Legatus, qui ejus postulatis satis fecit. Sed multa hujus rei causa Christiani perpessi sunt.* Christianitas & Episcopalis successio defecerat apud Indos, ideòque hi ad suum Patriarchalem fontem denuò recurrerunt. Verùm Patriarcha Simon sine Sarraceni Tyranni venia non fuit ausus communicare alienis gentibus, nec Christi Domini Evangelium propagare. Hinc illi alium accesserunt Patriarcham aut Episcopum. Haud dubiè Sarracenis subditum. Nam ob ejus generosum facinus Christiani sunt dura passi. Res vario pede ambulavit usque ad elapsum sæculum, in quo Sanctus Franciscus Xaverius, venerabilis Alexius Menezius, & alii Apostolici viri istic per verbi & signorum virtutem repararunt ac dilatarunt Ecclesias, ac ipsas Romano Patriarchatui adjecerunt. Quod nempè Ægyptus sub Turcorum tyrannide & Schismatici Patriarchæ impietate gemat, ac Orthodoxus istic Patriarcha sit paucarum virium, ac suas proprias Ecclesiolas plenè non possit adjuvare.

Ad Indos etiam Legatus fuit, ac prædicavit Theophilus Adiabenus, ab ista Legatione ac prædicatione passim appellatus Theophilus Indiæ. Eum in magna ac Felici Arabia apud Homeritas, in Adiabena Provincia apud Auximitas Æthiopes, ac in ulteriori India prædicasse, erexisse Ecclesias, & Disciplinam restaurasse scribit in Ecclesia-
Lib. 9. cap. 18. stica historia Nicephorus Calixtus. Unus reformationis articulus est hic: *Indi confidentes audiebant Evangelicum Oraculum, aliaquè multa faciebant, quæ Ecclesiasticæ Sanctiones non jubebant.* Verùm pessimus Arianus fuit, ac purum putum Arianismum istis infelicibus Populis disseminavit hic Theophilus, nec ab Orthodoxis Alexandriæ Patriarchis, sed à Constantio Imperatore Ariano fuit eò legatus, priùs ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, nequissimo Arianæ perfidiæ Signifero, consecratus in Diaconum. Legatus omninò fuit ad nuperrimam & adhuc tenerrimam Sancti Frumentii prædicationem evertendam, & neophytum Populum ab Orthodoxa Alexandriæ Ecclesia divellendum ad hæreticos Episcopos Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Et ut Frumentii prædicationem de errore infamaret, quosdam ab ipso institutos aut permissos Ritus asseruit Canonibus adversari, atquè ita ipsum in his errasse. Hujusmodi namquè fucis uti consueverunt Hæretici. Porrò quosdam imperfectos, & suo postea tempore corrigendos Ritus novellis in Christo Populis relinquere aut permittere, est antiquissima & probatissima dispensatio, per ipsos etiam Sanctos Apostolos usitata. Ejus rationem dat magnus Basilius in Libro de Spiritu Sancto, ac in Rescripto ad Sanctum Augustinum Anglorum Episcopum magnus Gregorius. Hujus Theophili, & factæ per ipsum Prædicationis meminit ex Ecclesiastica Philostorgii, hominis Ariani, historia Solus Nicephorus Calixtus, ideoquè ejus intima ignoramus. Quidquid sit, Arianæ perfidiæ nullas ille apud Indos potuit radices figere.

Altera ad Patriarchalem Alexandrini Episcopi Potestatem spectans Barbarorum Diœcesis fuit magna Æthiopia, quam hodie appellamus Abyssinam, & de qua habent Arabici Canones: *Ut non possint Æthiopes creare nec eligere Patriarcham, quin potiùs eorum Prælatus sub potestate ejus sit, qui tenet Sedem Alexandriæ. Sit autem apud eos loco Patriarchæ, & appelletur Catholicus. Non tamen jus habeat constituendi Archiepiscopos, ut habet Patriarcha. Siquidem non habet Patriarchæ honorem & potestatem. Quod si acciderit, ut Concilium in Græcia habeatur, fueritquè præsens hic Prælatus Æthiopum, habeat septimum locum post Prælatum Seleuciæ. Et quando facta ei fuerit Potestas constituendi Archiepiscopos in Provincia sua, non licebit illi constituere aliquem ex illis. Et quicumque non paruerit, eum Synodus excommunicat.* Can. 36. Horum Canonum tempore Æthiopum Prælatus videtur adspirasse ad libertatem ac Autocephalæjam, immò & ad Patriarchalem Eminentiam, ideoquè ipsum ista Synodus compescit & continet in antiquo subjectionis jugo & gradu. Quis Patriarcha, quod tempus, quæ occasio hanc vastissimam Diœcesim Alexandrinæ Sedi subjecerit, ignoratur. Existimo factum ab antiqua Regula, quæ Barbarorum Ecclesias subjecit viciniori Patriarchæ.

Quod per ipsos Apostolos Æthiopia acceperit Evangelium, abundè lucet ex supra dictis. In Ecclesiastica historia Eusebius Cæsaræensis de Eunucho, Candacis Æthiopum Reginæ gazis Præfecto, & per Philippum Diaconum converso ad Christum Dominum, scribit: *Constans fama est illum post reditum in patriam, salutarem Salvatoris in humanum genus ingressum palàm prædicasse, per quem prædictio Prophetica,* Æthiopia præveniet manum ejus Deo, *re ipsa impleta est.* Lib. 2. cap. 1. Possit quis Ægypti Episcopus aut Presbyter Apostolicam plantationem rigasse ac propagasse, atque ita ipsam omnem suo Patriarchæ supposuisse. Quin immò videtur facta per ipsos Apostolos, atque ità jam laudata Regula possit esse Apostolica. Etenim adversùs sanctum Frumentium, Auxumitanæ civitatis Episcopum scripsit olim Imperator Constantius ad istarum Regionum Tyrannos: *Frumentium Episcopum quam primùm in Ægyptum dimittite ad venerabilissimum Georgium, & alios per Ægyptum Episcopos, qui in creandis ac dijudicandis Episcopis summam auctoritatem habent. Scitis & meministis Frumentium ab Athanasio, homine omnibus malis obnoxio, in hunc Ordinem vitæ esse coaptatum.* Auxumitana civitas non est in Ægypto, sed in Abyssinorum Æthiopia: Et istarum Regionum Tyranni, quibus scripsit Constantius, omninò erant Reges Æthiopiæ. Et ecce Auxumitanum Episcopum fuisse ab Athanasio consecratum, & cunctos istorum Regnorum Episcopos debere ab Alexandrino Patriarcha creari ac judicari, & omnem hanc summam auctoritatem ad ipsum ac ejus Synodum privativè spectare, constanter ac disertè Constantius affirmat. Et Regibus Barbaris, ad Romanum Imperium non spectantibus, potenter imperat de re Ecclesiastica. Nempè ex antiquo, adeòque & Apostolico Canone, qui omnem istorum Regnorum Eccle-

Ecclesiam subjiciebat Alexandrino Patriarchatui.

Quod ista subjectio ad noni sæculi medium fuerit adhuc salva atque integra, lucet ex Orientali Alexandrinorum Patriarcharum Chronico, scribente ad Josephi Patriarchatum: *Josephi tempore Episcopus quidam erat in Æthiopia, quem constituerat Patriacha Jacob, egresso Rege Æthiopiæ ad bellum, hunc exilio mulctavit Regina & Principes, ideòque minimè pluit eò anno, & pestis grassata est per omnes Regiones. Remisso autem Episcopo illo in Ægyptum, alium sibi constituerunt prẹter Canonem. Quod percipiens Rex Æthiopiẹ reversus à bello, ægerrimè tulit, misitque aliquos, qui veniam peterent à Deo ac Patriarcha, & reduxerunt illum Episcopum in Æthiopiam.* Nec mireris hanc barbari Regis pietatem. Quod enim etiam sub Justini primi Imperio omnis Æthiopia fuerit orthodoxa, quod ejus Rex Elesbaan dictum Imperatorem contrà paganos Homeritas strenuè adjuverit, & quod tandem ad Christi Domini humilitatem imitandam deposuerit Regnum & factus sit sanctissimus Monachus, ex antiquis Scriptoribus refert Nicephorus Calixtus. Lib. 17. cap. 6. Addit ipsum cum Ægyptio Romanorum exercitu militasse. Quod nempè Ægyptio Patriarchẹ etiam subesset. Et tam Ecclesiam, quam suam Rempublicam adeò constanter tutati sunt Æthiopes, ut usque hodie neque à Sarracenis fuerint ducti in servitutem, neque à Turcis. Et dum nos in terra Sancta contra Sarracenos & Turcas belligeravimus, istorum Rex ab Alexandro tertio Pontifice postulavit instrui circà Christianam fidem & mores, uniri Romanæ Ecclesiæ, habere Ecclesiam in Romana urbe, & in Patriarchali Hierosolymẹ Ecclesia Altare. Ipsum titulat Indorum Regem, ejus preces exaudivit, ac ipsi Legatum Alexander misit, ac supersunt duæ ejus ad istam gentem Epistolæ: Anno. 1181. Altera apud Matthæum Parisiensem, altera apud Joannem Brontonum, Abbatem Jornalensem. Anno. 1177. Nec tamen Romano Patriarchatui se subjecerunt. Quod usque hodie Alexandrino subsint, infra demonstrabitur. Hodiernam ipsorum Religionem exponere non est hujus loci.

Tertia ad Patriarchalem Alexandrini Episcopi Potestatem spectantium Barbarorum Diẹcesis quibusdam videtur esse Regnum Auxumitarum, habitantium Orientalem Indiam, Judaicos Ritus & errores sectantium, & ad quos Romani mercatores ex rubro mari solebant navigare. Sub Justiniani Imperio Rex ipsorum Adad cum Damiano Homeritarum apud magnam Arabiam Rege bellum habuit, ejus causas educit martyr Theophanes, Fol. 198. atque prosequitur: *Ita demùm magnis inter se inimicitiis susceptis, mutuo inter se bello contendebant. Cumque jam in aciem congressuri essent, Auxumitarum Rex Adad voto se devinxit in hanc mentem: Si Homeritæ superior rediero, Christianus fiam, & in Christianorum gratiam bello deinceps decertabo. Deo igitur opitulante, magnam ille retulit victoriam, Regemque Damianum vivum captivum egit, Homeritarum Regionem, eorumque Regiam reddidit planè subditam; Et Deo gratias Auxumitarum Rex subinde persolvens Episcopum atque Clericos ad se mitti, & se ac suos de Christiana Religione doceri, missis ad Imperatorem Justinianum Legatis, expetiit. Eo nuntio Justinianus supra modum lætatus, Episcopum quem ipsi vellent, dari jussit. Legati, diligenti examine præmisso; sancti Joannis in magna Alexandrina Ecclesia Paramonarium, virum pietate ornatum, & servata virginitate celebrem, annorum duorum & sexaginta, delegerunt. Eo igitur adducto, ad Regem Adad & propriam regionem redierunt. Ita demum Christi fidem professi, Baptismi lumine cuncti fuerunt illustrati.* Diligens examen ipsos docuit istam Indicam regionem deberi Patriarchæ Alexandrino. Eandem rem refert in Ecclesiastica historia Anastasius Romanæ Ecclesiæ Presbyter ac Bibliothecarius, addit Auxumitas degere in sita post Ægyptum India, & istum Alexandrinæ Ecclesiẹ Paramonarium seu Mansionarium fuisse nomine Joannem. Apud eosdem Auxumitas prædicasse Theophilum Indum, supra audivimus à Nicephoro Calixto. Verùm ista Ariana prædicatio nullas radices egerat. Omnis enim plantatio, quæ non est à Patre, brevi eradicatur. Eadem refert Georgius Cedrenus.

Respondeo hanc Diœcesim non esse diversam à priori. Auxumitæ sunt ipsi Abyssinæ Æthiopes, habentes nomen à civitate Auxumitana, ipsorum Metropoli. Lucet ex Nonnoso, Imperatoris Justiniani ad Homeritas & Auxumitas Legato, qui affirmat Elesbaan tunc fuisse Auxumitarum Regem, atque adjungit: *Auxumis est per magna civitas, & quasi totius Æthiopiæ Metropolis, magis ad Meridiem & Orientem vergens, quàm Romanum Imperium.* Nonnosi librum laudat, & compendio exponit in Bibliotheca Photius. Et in libris de Persico Imperatoris Justiniani bello Procopius Cæsareensis Lib. 3. affirmat Homeritas & Auxumitas distingui per mare rubrum, ac pergit: *E regione Homeritarum* Lib. 1. cap. 19. *ulteriorem continentem habent Æthiopes Auxumitæ, ita dicti de nomine urbis Auxumidis, ubi est ipsorum Regia. Porrò interfusum mare ferente mediocriter vento, trajicitur quinque diebus, & noctibus totidem.* Proinde Homeritæ sunt Felices Arabes, Auxumitæ sunt Abyssini Æthiopes. Quæ omnia latè ac eruditè demonstrat in suis ad Theodosianum Codicem Scholiis Jacobus Gothofredus. Et Lib. 12. hinc lucet, quod neque venerabilis Joannes, ne- Tit. 12. que item sanctus Frumentius istic Christianam fi- cap. 2. dem plantaverint. Lapsam dumtaxat repararunt. Hinc item lucet Theophilum Indum & ad Indos & ad Auxumitas fuisse missum ab Imperatore Constantio, ut sancti Frumentii prædicationem illic destrueret. Hinc lucet & ratio, cur Auxumitarum Rex Adad non è Constantinopolitana, sed ex Alexandrina Ecclesia sibi delegerit Episcopum. Antiqua Regula ipsum docebat suam gentem spectare, & semper spectasse ad Patriarchatum Alexandriæ. Porrò suas contrà sanctum Frumentium Literas Imperator Constantius inscripsit ad istius regionis Tyrannos; at verò Nonnosus, sanctus Theophanes, Anastasius Bibliothecarius, aliique affirmant & Anastasii & Justiniani Imperatorum tempore cunctis Auxumios Regionibus fuisse unicum Regem. Et ita est etiamnum hodie. Nempè rerum edax tempus illic mutavit formam regiminis. Quod sub Constantii Imperio per Tyrannos regerentur isti Æthiopes, palàm supponit in priori sua Apologia sanctus Athanasius.

Quæstio est, an Indorum Apostolus & Auxumios Antistes sint unus atque idem Frumentius? Partem negativam suadet Romanum Martyrologium: *Apud Indos sancti Frumentii Episcopi, qui* Octob. 27. *ibi primùm captivus, deinde Episcopus à sancto* Atha-

Athanasio ordinatus, Evangelium in ea Provincia propagavit. Affirmant hunc Frumentium fuisse Indorum dumtaxat Episcopum, ideòque & distinguit ab Episcopo Auxumitano. Etiam illatas illi ab Imperatore Constantio persecutiones non memorat. Et hinc in suis ad hunc Martyrologii locum Scholiis Dominus Cardinalis Cæsar Baronius scribit Indorum Apostolum laudari à Ruffino, Socrate, Theodoreto, Zozomeno, & Cassiodoro, atque adjungit: *Vixit iisdem temporibus alius Frumentius Episcopus Auxumios in Ægypto, ordinatus à sancto Athanasio, confessione clarus. Multa enim passus est ab Arianis ob tuendam Catholicam fidem, in quem data Tyranni epistola extat apud Athanasium in Apologia ad Constantium.* Respondeo utrumque hunc Frumentium esse unum ac eundem. Etiam Auxumis non est Ægypti civitas, sed Metropolis Æthiopiæ. Nec Tyranni ad Imperatorem Constantium, sed hujus ad Tyrannos extat epistola. Et sanctus Athanasius non laudat, nisi unicum Frumentium. Et Theophilus Indus, quem adversùs Frumentium legaverunt idem Constantius ac Nicomediensium Metropolita Eusebius, non tantùm apud Indos prædicavit, sed etiam apud Auxumitas: Quod nempe utrobique prædicasset Frumentius. An Æthiopum Principes, Constantio obedientes, tradiderint Frumentium, non constat. Partem tamen affirmativam suadent hæc Athanasii verba: *Ecce tertia ad-labitur fama, scriptum Tyrannis in Auxumi, ut Frumentium Auxumios Episcopum adducerent, ac me ubicumque etiam apud barbaros perquirerent, & ad Præfectorum custodias, quæ Commentaria nominantur, deportarent, populosque & Clericos ad communionem Arianæ hæresis cogerent, eosque qui hic non obtemperarent, curarent interfici. Quæ res non verbis tantùm, sed opere quoque completa fuit.* Et certè Auxumitarum Tyrannis, nisi Frumentium traderent, Constantius fuerat minatus bellum ac totius gentis excidium. Quare priùs post ejectum Frumentium videtur Nicomediensis Eusebius prophanum, ac à Nicephoro Calixto imperitè laudatum, legasse Theophilum. Et ita hic absentis Frumentii non solummodo Dogma, sed etiam Ecclesiasticos Ritus rosit. Magni istius Apostoli Acta indigent ac digna sunt diligentiori Commentario.

Proinde terria ad Alexandrinum Patriarchatum spectantium Barbarorum Diœcesis est Nubia, de qua Strabo: *A sinistra parte cursus Nili habitant Nubæ, magna Libyæ gens, à Meroe,* Nili insula, *incipientes usque ad Nili flexus. Nequaquam Æthiopibus parentes, sed per sese in multa Regna dispartiti.* Et infra: *Ægyptus ab Ortu & Occasu Desertis, & Arabicis ac Libycis montibus tuta est. Austrum versùs Troglodytæ, & Blemmyes, & Nubæ, & Megalari sunt, qui Æthyopes supra Syenem habitant. Suntque ii Nomades, non tamen multi, nec bellicosi, quamquam olim viderentur, propterea quod sæpe latronum more incautos ad orirentur.* Notanda sunt verba: *Per sese in multa Regna dispartiti.* Evincunt Nubios non spectasse ad Romanum Imperium, sed fuisse barbaros. Quod enim Strabo suos de Geographia Libros scripserit ad quartum Imperatoris Tiberii annum, id est, dudum post occupatam à Romanis utramque Libyam, in secundo de historicis Græcis Libro eruditè demonstrat Gerardus Joannes Vossius. Post omnem illam occupationem Nubii permanserunt liberi. Auxumidem civitatem laudat in libris de Persico Imperatoris Justiniani bello etiam Procopius Cæsaræensis, atque adjungit: *Hic cùm alii, tum Blemmyes & Nobatæ habitant, gentes admodum populosæ. Sed Nili ripam Nobatæ, interiorem regionem Blemmyes obtinent.* Per Nobatas omninò intelligit Nubios. Affirmat ipsorum Sedes ab Imperatore Diocletiano fuisse non nihil transfixas, & palàm profitetur ipsos etiamnum suo tempore perstitisse liberos ac barbaros. Regionem in Lexico describit Philippus Ferrarius: *Nubia est Regio ampla Africæ, versus Nilum & Nubiam fluvios, & undique montibus vallata. Terminatur à Septentrione Ægypto & Deserto Barcæ, ab Occasu autem Zaara regione, ab Ortu & Meridie Æthyopia superiori, seu Abyssina. Extenditur ferè ad quadringentas leucas gallicas. Ejus primaria urbs est Damcula. Aliæ præcipuæ urbes sunt Dusa, Quadna, Jubaam, & Sula.* Quod omnes ejus Episcopi debeant consecrari à Patriarcha Alexandrino, adeòque ad ejus Patriarchatum plenissimè pertineant, palàm affirmat in suæ Ecclesiæ Annalibus Patriarcha Eutychius. Ejus verba mox adducam. Porrò Nubia, quam propè Libanum montem ponit Plinius, est ab hac penitus diversa. Et omnes hæ Barbarorum Ecclesiæ habuerunt suos Metropolitas. Et hi augent numerum eorum, quos habuit Romana Ægyptiorum Diœcesis.

Cap. 6.

Lib. 1. cap. 19.

De quarta ad Alexandriæ Patriarchatum spectante Barbarorum Diœcesi scribit in Ecclesiastica historia Theodoretus: *Per idem tempus,* utique sub Valentis Ariani Imperio, *Ismaelitæ agros Romano Imperio finitimos populati sunt, quorum Dux fuit Mavia, quæ non complexa mente eam quam habuit naturam, viriles sibi animos sumpsit. Eadem post multa commissa prælia primùm fœdus cum Romanis fecit, deinde luce Divinæ Cognitionis accepta postulabat Episcopum genti suæ designari Moysem quemdam, qui in finibus Ægypti & Palestinæ habitabat. Cujus postulationi adsensus Valens divinum illum hominem Moysem jubet adduci Alexandriam, ibique gratia Episcopali donari. Ubi verò adductus est, viditque Lucium sibi manum imponere velle, absit, inquit, ut tua manus me consecret. Nam tua invocatione Spiritus Sancti gratia in neminem descendit. Cui Lucius, inquit: Unde ista conjicis? Non conjicio, inquit, sed certò equidem scio. Etenim pugnas contrà doctrinam Apostolicam, & contrariam ipse doces, atque cum blasphemiæ verbis impiâ facta conjungis. Quis namque impius non tua causa Conventus Ecclesiasticos est petulanter insectatus? quis è laudatorum virorum numero non per te exulavit? quam immanitatem barbaram maleficia abs te in dies singulos admissa non superarunt? Quæ cum animo valde fidenti dixisset, Lucius verbis ejus attentè auditis eum interficere magnoperè cupiebat, sed tamen metuebat, ne bellum extinctum de integro accenderet. Quamobrem ad alios Episcopos, quos ipse postulaverat, deduci jussit. Postremò Moyses, ubi cùm fide admirabili gratiam Episcopalem acceperat, ad eos qui eum requirebant profectus est, & partim doctrina Apostolica, partim Miraculis eos ad veritatem traduxit.* Quod ipsum scribunt Socrates ac Hermias Zozomenus.

Cur Imperator Valens Sarracenicam gentem Ale-

Alexandrino Patriarchatui subdere, ac ipsius primum Episcopum voluerit ab hujus Patriarcha consecrari, non constat. Fuerunt tamen rationes. Primò, quod Patriarcha Lucius esset zelosissimus Ariani Dogmatis, ac multa in Orthodoxos crudelitate famosissimus, ideòque Valenti charissimus. Secundò, quod Moyses in Ægypti finibus ageret Anachoretam. Tertiò, quod Ismaelitę seu Saraceni habitarent Felicem Arabiam, solo rubro mari divisam ab Ægypto, ideòque quàm optimè possent adjungi Ægyptiacæ Ecclesiæ. Verùm res non successit. Etenim Moyses nodosas potiùs spinas, quàm hæreticas & sanguinolentas Lucii manus suo capiti imponi maluit, & fuit ab aliis Catholicis Episcopis consecratus. Ab Episcopis spectantibus ad Antiochenum Patriarchatum. Lucet ex Collectaneis Theodori Lectoris, aliisque antiquis Scriptoribus, apud quos Sarracenorum Phylarchus Alamondarus Christianam fidem, Baptisma, atque Episcopos petit & accipit ab Episcopis istius Patriarchatus. Quod nempè alii tunc Christiani Sarraceni ad istum Patriarchatum pertinerent. Et jure merito. Nam Romana Arabia ad illum semper spectavit, adeòque convenit & Sarracenicam ad ipsum spectare. Sarracenos pro Dei donis semper ad Antiochenum, numquam ad Alexandrinum Patriarchatum accessisse, ostendit Theodoretus in variis locis Monasticæ historiæ.

De alia adhuc Alexandrini Patriarchatus Diœcesi scribit Nilus Doxopatrius: *Erant Patriarchæ Alexandrino & alii Throni diversi, sed post Severi hæresim à Sarracenis sublati sunt, quemadmodum & Ditio omnis Hierosolymitana, ac ipsa Hierosolyma, omnesque alię Sedes, quę nunc sunt sub Hierosolymitano Patriarcha. Nam universam Palestinam possidebat, & alias provincias.* Consonat in Orientalis Ecclesiæ Historia Jacobus Cardinalis de Vitriaco, affirmans Hierosolymæ Patriarchatum à quinto priùs Concilio fuisse institutum, atque adjungens: *Quosdam Suffra-*
Cap. 55. *ganeos Antiocheno & Alexandrino Patres subtraxerunt, eò quod in confinio & limite horum duorum Patriarchatuum esset constituta Hierosolyma.* Subtractas utrique Patriarchatui Provincias edicit in Sacri belli Historia Guilielmus Metropolita Tyriorum:
Lib. 23. *Quoniam Deicultrix civitas Hierosolyma quasi in limite Alexandrini & Antiocheni Patriarchatus erat, nec haberent quinti Concilii Patres, unde illi Urbes ordinarent suffraganeas, nisi utrique aliquid detraherent, visum est expedire ab utroque aliquid decerpere, ut eidem, juxtà formam aliorum Patriarchatuum, ordinarent subjectos. Subtraxerunt ergò Antiocheno Cæsaræensem & Schytopolitanum Metropolitanos, Alexandrino autem Rabbensem & Beterensem, item Metropolitanos. Et quoniam iterum eundem Patriarcham oportebat præter supradictos Metropolitanos habere familiares Suffraganeos, quos Græci Syncellos vocant, prædictis Metropolitanis subtraxerunt quosdam Episcopos, & quosdam de novo creaverunt, usque ad viginti quinque.* Quod ipsum in antiquo Romanorum Censuum Libro haberi scriptum testatur Dominus Cardinalis Cęsar Baronius. Pro *Beterensem*, legendum est *Berytensem.* Est nova & accessoria Metropolis in prima Phœnicia. Rabbensis civitas est antiqua Ammonitarum Metropolis Rabath, quæ postmodò appellata est Philadelphia, Metropolis Arabiæ. Ita scribit ad vigesimum primum Prophetæ Ezechielis Caput sanctus Hieronymus.

Respondeo hæc omnia esse recentia Schismaticorum Græcorum figmenta. Etenim Hierosolyma numquam ad Alexandrinum, sed ex Apostolico Canone semper spectavit ad Patriarchatum Antiochenum. Olim fuit communis Palestinæ Provinciæ sub Cæsaręensi Metropolita Episcopalis Parochia, cujus tamen Antistes inter Comprovinciales erat Proto-Thronus, seu habens primum locum. Et hanc Dignitatem ipsi confirmavit septimus Canon Nicænus. Quomodò ista Cathedra priùs in Metropolim, ac deinde in Patriarchatum profecerit, suo loco exponetur. Factum id fuit dudum antè Concilium. Et præter Cæsaræensem & Scytopolitanum, primæ & secundæ Palestinæ Metropoles, non duntaxat Phœniciæ Berytensem, ac Arabiæ Philadelphiensem, sed etiam Tyriam, Damascenam, ac Bostrensem Metropoles invasit, tenuitque usque ad Chalcedonense Concilium. Porrò Berytensis & Philadelphiensis Ecclesiæ etiam numquam ad Alexandrinum, sed semper ex Apostolico Instituto spectarunt ad Patriarchatum Antiochenum. Res est cunctis Ecclesiasticæ Hierarchiæ peritis explorata. Et fabula sibi ipsi non cohæret. Etenim Guilielmus Tyrius alio in loco affirmat Rabath esse antiquissimam secundæ Arabiæ Metropolim, in cujus olim *obsidione, mandato David & Joab consilio, Urias innocens legitur occisus, postea verò dicta est Petra Deserti, unde & secunda Arabia hodie dicitur Petracensis.* Hoc ipsum repetit in alio loco, & adjungit à Balduino primo Hierosolymæ Rege fuisse in tertia Arabia ædificatum castrum munitissimum, dictumque *Montem Regalem.* Quod Regem haberet fundatorem. Lib. 15. cap. 21. Lib. 11. cap. 26.

Ejusdem fabulæ patronus Matthæus Parisiensis Hierosolymitano Patriarchatui subjicit Metropolitas Cæsaręensem, Tyrium, Nazarenum, Petracensem, & adjungit: *Id est, Montis Regalis.* Montem Regalem non in tertia ponit Arabia, sed confundit cum Petra, secundæ Arabiæ Metropoli. Per Nazarenum intelligit Schytopolitanum. Etenim Flandri nostri Metropoliticam secundæ Palestinæ Sedem Schytopoli transtulerunt in Nazareth. Et Matthęus sub Tyrio possit etiam Berytensem comprehendere. Quod ambo sint in prima Phœnicią. Verùm Petracensis est omninò alius à Philadelphiensi. Philadelphia enim Ammonitidis, Petra est Idumææ Arabiæ Metropolis, eadem cum Bosra & Theman. Hæc tria omninò sunt diversa ejusdem civitatis nomina. Ita in Commentariis ad Abdiam Prophetam, & ad Prophetam Amos demonstrat Sanctus Hieronymus. Præfatus Guilielmus Cap. 1. rectè fatetur hæc fundari *in quibusdam Scriptis, quę auctoritatem habent non modicam apud Palæstinos, maximè Græcos.* Utique Schismaticos, aut certè recentiores, adsuetos istiusmodi fabellis. Nolo in res lucidas pretiosum tempus expendere.

CAPUT III.

Exponitur Alexandrini Patriarchæ Potestas in consecrandis Episcopis suarum Diœcesium.

Patriarchales ac Apostolicæ Sedes ex Apostolico Instituto non sunt nisi tres: Romana, Alexandrina, ac Antiochena. Constantinopolita-

na,

na, Hierosolymitana, Veneta, & Gradensis postmodò accesserunt. De illis tribus scribit ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum magnus Gregorius: *Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu Sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in qua Evangelistam Discipulum misit. Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, quamvis decessurus, sedit. Cùm ergò unius atque una sit Sedes, cui ex auctoritate Divina tres nunc Episcopi præsident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid boni de me creditis, hoc vestris meritis imputate. Quia in Domino unum sumus.* In alia ad eundem Eulogium Epistola affirmat fraternam Charitatem esse Catholicæ Communionis radicem, atque adjungit: *Hanc esse nobis cum cæteris fratribus communem semper optamus. Est tamen aliquid, quod nos erga Alexandrinam Ecclesiam quadam peculiaritate constringit, & in ejus amore proniores existere speciali quodammodò lege compellit. Nam sicut omnibus liquet, quod beatus Evangelista Marcus à Sancto Petro Apostolo Magistro suo Alexandriam sit transmissus, sic hujus nos Magistri & Discipuli unitate constringimur, ut & ego Sedi Discipuli præsidere videar propter Magistrum, & vos Sedi Magistri propter Discipulum.* Non ergò cujuscumque Apostoli, sed Solius Coryphæi Petri Insessio facit Cathedram Apostolicam & Patriarchalem. Et hinc nec Sanctus Jacobus Hierosolymitanæ, nec Sanctus Andreas Byzantinæ Ecclesiæ potuit istam Dignitatem imprimere. Porrò Sanctus Petrus insedit Solas tres Sedes: Romanam & Antiochenam per semetipsum, Alexandrinam per Discipulum Marcum. Hinc istæ tres Sedes sunt quasi unica, & plura inter se communicant Idiomata. Notanda sunt Sancti Gregorii verba: *Ex auctoritate Divina.* Videntur affirmare, quod Apostoli non sua auctoritate, sed ex Divina jussione tres istas Sedes per Sanctum Petrum insideri jusserint, atque ita erexerint in Patriarchales. Id decretum fuisse in Antiochena Apostolorum Synodo adserit in Epistola ad Ruthenos de Primatu Papæ Meletius Patriarcha Alexandrinus.

Lib. 6. epist. 37

Lib. 5. epist. 60

Quidquid sit, quod Sola Sancti Petri Insessio faciat Apostolicam ac Patriarchalem Sedem, docet etiam prima Sancti Gelasii Pontificis Romana Synodus: *Prima ergò Petri Apostoli Sedes est Romana Ecclesia. Secunda Sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco ejus Discipulo & Evangelista consecrata est. Ipse à Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit Martyrium. Tertia Sedes apud Antiochiam ejusdem Beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eò quod illic, antequam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum, novellæ gentis, exortum est.* Et in Literis ad Imperatorem Michaelem tertium scribit Sanctus Papa Nicolaus primus: *Sanctam Romanam Ecclesiam Petrus & Paulus roseo cruore suo consecraverunt. Sic demum Alexandrinam Ecclesiam suam fecerunt per Beatum Scilicet Marcum, unius horum filium ac Discipulum. Fecerat autem Beatissimus Petrus præsentia corporali & Ecclesiam Antiochenam jam suam. Per has igitur tres præcipuas Ecclesias omnium Ecclesiarum Sollicitudo Beatorum Apostolorum Principum Petri & Pauli procul dubio moderamen expectat.* Quod ipsum repetit in Rescripto ad Bulgarorum Consulta, addens Sanctum Marcum fuisse Sancti Petri ex Baptismate Filium, ab ipso missum Alexandriam, ideoque hanc Ecclesiam esse etiam plantationem Sancti Petri. Et in famosis ac eruditis adversùs Hincmarum Laudunensem Episcopum ac suum nepotem Hincmarus Metropolita Remensis scribit: *Sedes Ecclesiarum, scilicet Romanæ, Alexandrinæ, atque Antiochenæ, idcircò specialiter legimus Sedes dici, cum plurimæ Sedes & Apostolorum, scilicet Jacobi Hierosolymæ, & Joannis apud Ephesum, in qua sedit & Timotheus Beati Pauli Discipulus, & multæ aliæ principalium Civitatum, quoniam Sedes sunt, quin potiùs, licet disparentur longinquitate terrarum, una Sedes sunt magni Petri Apostolorum Principis.* Quod ipsum tradunt in Literis ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum, & Leonem Bulgariæ Archiepiscopum Sanctus Leo nonus Pontifex, in Literis ad Anti-papam Cadaloum Sanctus Petrus Damiani, in Animæ Gemma Honorius Augustodunensis, in Theologica Erudirione Hugo Victorinus, & alii plures Latini ac Græci, etiam hodierni Schismatici.

Epist. 8.

Epist. 28

Quæstio est, qua ratione Sanctus Petrus Alexandrinam Cathedram per Discipulum Marcum fecerit Apostolicam & Patriarchalem? Etenim idem Petrus Aquilejensem per eundem Marcum, & Vesontionensem Ecclesiam docuit per Linum Discipulum: Et tamen neutri dedit istam Dignitatem. Et ad Decentium Eugubinum Episcopum scribit Innocentius primus Pontifex: *Manifestum est in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus aut ejus Successores constituerint Sacerdotes.* Cur igitur istarum Ecclesiarum aliquæ non sint Patriarchales? In præfata Epistola respondet laudatus Hincmarus: *Licet Beatus Petrus antea in Antiochia sederit, quàm Romam venerit, unde Marcum misit Alexandriam, non tamen ideò Antiochia secunda, sed tertia Sedes, & Alexandrina Ecclesia secunda Sedes dicitur, propter privilegium Evangelii, quod Sanctus Marcus Evangelista ex ore Petri accepit atque conscripsit, quod in Alexandria prædicavit.* Loqui videtur ex magno Leone in Literis ad Galliarum Episcopos: *Alexandrina Ecclesia Beatum Marcum, Beatissimi Petri Apostoli Discipulum, in omnibus ubique Doctrinis sui Doctoris Magisterio consonantem, habuit fundatorem.* Plures Ecclesiæ Patres Apostolicam ac Patriarchalem istius Cathedræ dignitatem fundant in laudato Discipulatu Marci fundatoris.

Verùm solus Discipulatus nullo modo sufficit. Nam & ipse Marcus Aquilejæ, & Vesontione Linus prædicavit auditum ex Petri ore Evangelium. Hoc ipsum alii fecerunt in aliis Europæ ac Africæ Diœcesibus. Proinde rectiùs ac pleniùs respondet in sermone de Sancto Marco Sanctus Petrus Damiani. Auditum ex Sancti Petri ore Evangelium affirmat à Discipulo Marco fuisse prædicatum Alexandriæ ac per omnem Ægyptum, atque adjungit: *Factus Episcopus Alexandrinam fundavit*

Ser. 16.

davit Ecclesiam, eamque, postquam super Petram, quæ Christus est, insignis Architectus erexit, glorioso Magistri sui nomini dedicavit. Unde factum est, ut eadem Ecclesia non tam ex Marci, quàm ex Beati Petri vocabulo Sedes Apostolica vocitetur, tamquam si Petrus ipse illic per se Episcopalem Cathedram tenuisset, ideòque Clavicularii cœlestis insignita vocabulo Ecclesia illa in toto terrarum orbe post Romam obtinet secundum Thronum. Et quamquam Antiochiæ, ubi scilicet Christianæ religionis nomen Exortum est, Petrus ipse per se fidei Primitias intulisset, superiorem tamen locum Alexandrina Sedes obtinuit. Et meritò. Ubi Marcus, ibi Petrus. Quæ omnia repetit in duobus sequentibus Sermonibus, ac denuò adjungit: *Marcus hoc modo Alexandrinam fundavit Ecclesiam, eamque non suo, sed Magistri sui nomine titulavit.* Et iterum: *Porrò cum cœli Clavicularius per tot terrarum Regna Discipulos destinaverit, eisque per diversas Mundi Provincias Ecclesiarum regimen commiserit, quid est quod earum nulla præter Solam dumtaxat Alexandinam, vel Petri Sedes vel Apostolica Ecclesia est appellata?* Pluribus versat hanc quæstionem, adscerit Petrum Alexandriæ numquam sedisse Episcopum, adjungit Alexandrinam Ecclesiam esse Antiochena digniorem, & dat omnium causam: *Superior est Sedes, cui Marcus vice Petri præfuit, quàm ea cui per propriam Cathedram Petrus ipse præsedit.* Loquitur cum Dioscoro Presbytero & Cheræmone Lectore, Alexandrinæ Ecclesiæ apud Imperatorem Anastasium Apocrisariis, qui Germano, & Cresconio Episcopis, Anastasii Pontificis secundi Legatis, in Regia civitate dixerunt: *Venerabiles Sanctæ Ecclesiæ Romanæ urbis atque Alexandrinæ non solùm fidem rectam & immaculatam, sed etiam in divino Ministerio semper concordiam servaverunt. Quippe cum ab uno fuerit in utrisque jactum fidei fundamentum. Petrum memoramus Beatum Apostolum, cujus per omnia Sanctus Marcus Evangelista extitit imitator. Ita ut si quando contigerit in rebus ambiguis quædam Episcoporum Concilia celebrari, sanctissimus is, qui Romanæ præsideret Ecclesiæ, Reverendissimum Alexandrinæ civitatis Archiepiscopum deligeret, ut sui Loci curam susciperet.* Laudant Sanctum Celestinum Pontificem, qui suas Ephesinæ Synodo præsidendi vices delegavit Sancto Patriarchæ Cyrillo. Et in laudata ad Imperatorem Michaelem Epistola Nicolaus primus Pontifex, ubi dixisset Alexandrinam Ecclesiam à Sancto Marco Petri Apostoli filio ac Discipulo fundatam, adjunxit: *Hæreditas filii in Potestate Parentis existit, & gloria Discipuli ad Magistrum sine cunctatione refertur.* Ecclesiasticam Hierarchiam Apostoli ordinarunt juxtà ordinem & formam Romanæ Monarchiæ. Prædicando suo Evangelio ac fundandæ suæ Ecclesiæ Christus Dominus præmisit Romanum Imperium, hoccè esse voluit illius quasi materiam, ideòque utriusque regimen esse ejusdem formæ. Et hinc Romana Ecclesia etiamnum hodie habet plures mores palàm mutuatos ex antiqua Romanorum Disciplina. Hinc item istud Imperium non nisi proximè ante supremi Judicis adventum est destruendum. At verò suprema ejus Metropolis fuit Roma, secundum Alexandria, tertium locum habuit Antiochia. Et quidem Alexandria ac omnis Ægyptiaca illius Diœcesis non per Consularem, Proconsulem, Prætorem, aut Præsidem fuit gubernata, sed per Præfectum Augustalem, seu Vicarium ipsius Augusti Principis. Ejus gubernator fuit ipse Augustus Princeps, at per Vicarium aut Vicè-Regem. Eodem modo & jure primus ejus Episcopus fuit Sanctus Petrus, verum per Marcum Vicarium, Discipulum, ac filium. Nam & Augustalis Præfectus erat semper quis Palatinus ex Militaribus Augusti Principis officiis. Hinc Nicolaus Pontifex affirmat Discipuli & Filii Sedem fuisse Patris ac Magistri. Hinc Dioscorus & Cheræmon dixerunt Sanctum Marcum Sancto Petro fuisse Alexandriæ, quod Sanctus Cyrillus Sancto Celestino in Ephesino Concilio: Utique Vicarium & Legatum. Hinc Sanctus Petrus Damiani adserit, quod Sanctus Marcus istam Cathedram non suo, sed S. Petri nomine titulaverit: Quia nempè illam sedit ut Vicarius. Hęc item est causa, cur neque Aquilejensis, neque Vesontionensis, neque aliæ per alios S. Petri Discipulos fundatæ Cathedræ sint Apostolicæ ac Patriarchales: Quia nempè eas cuncti ex nomine proprio, nulli sederunt, ut Marcus ex nomine aut vice Sancti Petri.

Nihilominus sanctus Marcus nequaquam Commendatarius dumtaxat aut Visitator, sed omninò fuit Cardinalis Alexandrinorum Episcopus. Nam & hujusmodi est suo Populo, licet Christi Domini Vicarius sit, Pontifex Romanorum. Et generales Episcoporum Vicarii per hodiernos Canones habent Potestatem ordinariam, non dumtaxat delegatam. In memorata adversùs suum Nepotem Epistola Hincmarus Metropolita exponit hæc insigni exemplo suæ Remensis Ecclesiæ ac Laudunensis. Laudunum juxtà antiquas Romanę Reipublicæ & Ecclesiasticæ Hierarchiæ tabulas fuit Remensis Parochiæ dumtaxat Oppidum, ipsum Civitatis ac Episcopatus dignitate primus donavit sanctus Remigius, & primum istic Episcopum nominavit & consecravit sanctum Genebaudum. Quod ex inde Remensis Parochia duas habere Civitates, & sanctus cum suis Successoribus Remigius in ambabus, Remis per se, Lauduni per Vicarium, cœperit esse ac sedere Episcopus, ideòque Laudunenses Episcopi singularem præ aliis Comprovincialibus reverentiam ac obedientiam debeant Metropolitæ Remensi, Hincmarus affirmat, & confirmat auctoritate sancti Augustini, similem potestatem ex eadem causa sibi adscribentis in Ecclesiam ac Episcopum Fussalensem. Et Augustinum omninò fuisse istius mentis, non vanè colligitur ex ejus Epistola ad sanctum Pontificem Celestinum. Augustus Romanorum Princeps duas etiam civitates sub sua proximè cura habuit: Roma & Alexandriam. Istam per se, hanc per Vicarium. Easdem sub sua immediata solicitudine habuit sanctus Petrus: Et quia utramque per se curare non potuit, suas in posteriori vices explevit per sanctum Marcum. Porrò Augustalis Pręfectus, licet Vicarium, attamen non dumtaxat delegatum, sed omninò ordinarium habuit Magistratum. Etiam Laudunensis Episcopus, ac Fussalensis, ergò & sanctus Marcus, cunctique ejus in Patriarchatu successores. Et hinc Eutychius Alexandriæ Patriarcha, in suę Ecclesię Annalibus adserens istum Patriarchatum à sancto Marco institutum, & primum ipsius Patriarcham fuisse Ananiam, palàm labitur. Istum sanctus Petrus instituit, & primus Patriarcha omninò fuit sanctus Marcus.

Epist. 261.

Lib. 1. fol. 331.

Et

Et ex hoc principio dixerunt de Romana ac Alexandrina Ecclesia Dioscorus & Cheræmon Apocrisarii: *Non solùm fidem rectam & immaculatam, sed etiam in divino Ministerio semper concordiam servaverunt.* Exponit in Literis ad Dioscorum Alexandriæ Patriarcham magnus Papa Leo: *Unum nos sentire oportet & agere, ut in nobis quoque unum cor esse & anima comprobetur. Cum enim beatissimus Petrus Apostolorum à Domino acceperit Principatum, & Romana Ecclesia in ejus permaneat Institutis, nefas est credere, quod sanctus Discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus gubernavit Ecclesiam, aliis regulis Traditionum suarum Decreta firmaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratiæ unus spiritus fuerit, & Discipuli & Magistri, nec aliud Ordinatus tradere potuerit, quam quod ab Ordinatore suscepit. Non ergò patimur, ut cum unius nos esse corporis & fidei fateamur, in aliquo discrepemus, & alia Doctoris, alia Discipuli Instituta videantur.* Et infrà; *Studiosè Dilectionem tuam & familiariter admonemus, ut quod nostræ Consuetudini ex forma Paternæ Traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis & fide & actibus congruamus. Propter quod remeanti filio nostro Possidonio hanc ad Fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam, qui nostris Processionibus atque Ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos missus, quid in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate teneremus, agnovit.* Sancti Petri ac sancti Marci Magisterium ac Discipulatum, ac in ipsis fundatam Alexandrinam Ecclesiam laudat in Literis ad ejus Patriarcham Eulogium etiam magnus Gregorius Pontifex, atque adjungit: *Ad hanc unitatem cordium etiam vestræ Sanctitatis meritis ligamur, quos Auctoris sui salubriter sequi Instituta cognoscimus, & semper ad Magistri sui gremium, unde illi prædicatio salutis exorta est, tota se conferre devotione sentimus.* Affirmat Romanam ac Alexandrinam Ecclesiam non dumtaxat eadem fide, sed & iisdem Sacrorum Ritibus vixisse semper, ac debere semper vivere. Et certè ita fuit. Licet hæc fuerit Græca, semper habuit plures Ritus Romanos. Quod nempè hos à sancto Petro accepisset Marcus, & Alexandriæ plantasset.

Epist. 31

Lib. 5. epist. 60

Porrò Patriarchalis Potestas consistit præsertim in duobus: In Episcoporum consecrationibus, ac in Ecclesiasticarum causarum judiciis. Circà Episcoporum consecrationes Alexandrinus Patriarcha per omnem Ægyptiacam Diœcesim habet ac semper habuit Auctoritatem longè amplissimam. Nullus istic Metropolita consecrari à suis Suffraganeis, aut ipsos consecrare potuit, sed omnium & Metropolitarum & Provincialium Antistitum consecratio privativè spectavit ad solum Patriarcham. Lucet hoc ex Meletii Lycopolitani Episcopi audacia, attentata adversùs sanctum Petrum Patriarcham, & per Nicænam Synodum damnata. Meletius erat Thebaidos Metropolita: Et omnis audacia ejus fuit in eo posita, quod suæ provinciæ Episcopos non permisisset sancto Petro consecrandos, sed ipsorum consecrationem suo Metropolitico juri adrogasset. Rei seriem suo loco exponam. Quod omnium in Ægypto Episcoporum consecratio ad solum Patriarcham privativè spectet, disertè affirmat laudata Synodus in Literis ad Ecclesiam Ægyptiacæ Diœceseos. Et huc omninò respexit in literis ad Auxumitanę civitatis Tyrannos Imperator Constantius: *Frumentium Episcopum quamprimùm in Ægyptum dimittite ad Venerabilissimum Georgium, & alios per Ægyptum Episcopos, qui in creandis ac dijudicandis Episcopis summam authoritatem habent.* Audi causam: *Scitis & meministis Frumentium ab Athanasio, homine omnibus malis obnoxio in hunc ordinem vitæ esse coaptatum.* Frumentius fuerat à magno Athanasio consecratus Episcopus: Hinc ipsum Constantius mandat deduci Alexandriam, ut Georgio Cappadoci, quem in Patriarchalem damnati Athanasii Thronum intruserat Eusebiana factio, profiteatur & communicet, aut tamquam perduellis degradetur. Auxumitana civitas nequaquam fuit in Augusta Provincia, immò neque in Ægypto: Est abyssinæ Æthiopiæ civitas. Et hinc per ejus loci Tyrannos quibus scriptam à Constantio Epistolam affirmat sanctus Athanasius, intelliguntur Barbari Principes istarum Regionum. Et tamen istius civitatis Episcopum consecravit sanctus Athanasius, & pro accipienda Consecrationis ratificatione Imperator Constantius misit ad Pseudopatriarcham Georgium: Quod nempè Alexandriæ Patriarcha in cunctis non tantummodò per Ægyptum, sed & per omnem Æthiopiam consecrandis etiam Provincialibus Episcopis haberet summam ac omnem auctoritatem. Extat epistola in priori Apologia laudati Athanasii.

Ex eadem Regula Arsenius Hypselitarum in Lycopolitana Thebaidos Provincia Episcopus, homo Meletiani schismatis, dum ad Ecclesiam rediit, solemnem obedientiæ professionem misit ad Athanasium, ac ipsi dedit hanc Epigraphen: *Athanasio beatissimo Pontifici Arsenius Episcopus civitatis Hypselitarum, cui aliquando præfuit Meletius.* Qualemcumque Meletii Præsidentiam nullatenus damnat: Meletius enim omninò fuerat verus ac legitimus istius Provinciæ Metropolita. Damnat Præsidentiæ excessum, quo suos Comprovinciales Episcopos consecrare præsumpserat, & profitetur istud jus nunc spectare ad Athanasium, & ad ejus in Patriarchatu Prædecessores semper spectasse. Hinc pergit ejus epistola. *Promittimus citrà tui Metropolitani Episcopi sententiam nullum de Episcopis aut alio Dogmate communi & Ecclesiastico Decretum edituros, sed cessuros Canonibus ante susceptis, ad exemplar & modum Episcoporum, Ammoniani, Tyranni, Plusiani, & reliquorum Episcoporum.* Profitetur ac spondet se non consensurum in ullius Episcopi Consecrationem, nisi quem probaverit sententia Athanasii Metropolitæ, id est, nisi quem ipse Patriarcha consecraverit, aut jusserit consecrandum. Et affirmat etiam Ammonianum, Tyrannum, Plusianum, ac reliquos è Meletii schismate ad Catholicam Matrem reversos Episcopos fuisse eadem solemniter professos. Quin & ipse in Nicæna Synodo Meletius fuit sancti Athanasii Antecessori Patriarchæ Alexandro professus eadem, & omnes à se consecratos Episcopos illi tradidit, ab ipso confirmandos aut abjiciendos. Synodalia Acta suo loco exponentur. Imperatorem Constantium, quod quosvis Catholicos Episcopos ejiceret, & introduceret Arianos aut Meletianos, esse Anti-Christum, aut certè Anti-Christi Præcursorem, demonstrat in Literis ad suos Monachos sanctus Athanasius, ac pergit: *Senes, qui ab Alexandro*, & ante Alexandrum

drum ab Achilla, & ante Achillam *ab ipso usque Petro Episcopi fuerunt, eliminantur: illi contra, quos Asseclæ Militum in Episcopos nominaverunt, introducuntur.* Palàm affirmat omnes per Ægyptum Episcopos semper consuevisse consecrari à solo Patriarcha. Et de Martiniano, Pelusiensis Ecclesiæ Presbytero, ac nequissimo Æconomo, scribit ad sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham sanctus
Lib. 2. Isidorus Pelusiotes: *Martinianus, cum Ecclesiasticas*
ep.127. *omnes facultates & copias in sinum condidisset, nuper quidem aurum præmisit Alexandriam, Episcopatum aucupans. Quod cum Sanctitas tua comperisset, pro eo atque ipsum ab Ecclesia proscribere debebat, per literas comminata est, atque affirmavit se eum, si id rursum aggrederetur, in tota Ægyptiaca regione proscripturum & abdicaturum. Atqui nunc quidem, Literis tuis ac minis contemptis & pro nihilo habitis, Alexandriam perrexit, sibi quidem Episcopatum captans, tuæ autem famæ atque existimationi, ut qui sacras Ordinationes pecunia addicas, labem inferens.* Cur Episcopatum venaturus atque empturus Martinianus accessit Alexandriam? Quod omnes per Ægyptum Episcopi istic consecrarentur. Quod non tantummodò Patriarcha consecrari, sed ejus etiam Sacras manus deberent accedere.

De Timotheo item Æluro, crudelissimo Alexandrinæ Sedis invasore, Ægyptiacæ Diœceseos
epist.23 Episcopi scripserunt ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum: *Timotheus se ipsum inthronizavit, & quasi Archi-episcopum demonstravit. Et repentè quidem accessit Ordinationes efficere Diaconorum atque Presbyterorum, nec non & Episcoporum. Et eos quidem, quos ordinavit, distribuit in Alexandrinas Sanctas, Ægyptiacasque Ecclesias, præcipiens omnes religiosissimos Presbyteros Ecclesiarum atque Diaconos à Prædecessoribus ad cœlos transitum habentibus ordinatos, id est, à Theophilo, & Cyrillo, & Proterio, ab Ecclesiis expelli, nullum deinceps Sacerdotii ministerium habituros.* Quod ipsum repetunt in Literis ad Impera-
Ep. 22. torem Leonem. Palàm affirmant omnes tunc per Ægyptum Episcopos à Theophilo, Sancto Cyrillo, ac Sancto Proterio Patriarchis fuisse consecratos juxtà jam laudatam à Sancto Athanasio vetustam Consuetudinem, & hac legitima Potestate Timotheum esse crudelissimè & sceleratissimè abusum. Extant istæ Epistolę post Synodum Chalcedonensem.

De Ægyptiacæ Ecclesiæ statu, quem sub Saracenica captivitate habuit scribit in ejus Annalibus
Lib. 2. Patriarcha Eutychius: *Ex quo tempore Georgius*
fol.387. *Patriarcha Alexandria Constantinopolim fugit, anno tertio Calyphatus Homari Ebnol Chetami, donec constitueretur Cosmas Alexandriæ Patriarcha, anno septimo Calyphatus Heshami, fuit Cathedra Alexandrina absque Patriarcha Melchita, spatio scilicet annorum nonaginta septem, occupaverantque Jacobitæ omnes Ecclesias tam Ægypti quàm Alexandriæ. Et jam Nubii opus haberent Episcopis, ordinavit Patriarcha Jacobitarum ipsis Episcopos: Atque ex eo tempore Jacobitarum sententiam amplexa est Nubia. Et quotiescumque moreretur in aliqua Ægypti urbe Episcopus, alium ipsis constituit Patriarcha Jacobitarum Adeòque facta est Ægyptus, tam superior quam inferior, Jacobitica, excepta Ecclesia Michaelis, quæ in Kasril Shumai, Arce candelæ fuit. Illam scilicet retinuerunt Melchitæ, atque in ea orabant. Cumque moreretur ipsis Episcopus, ad Tyri Metropolitam mittebant, qui ipsis Episcopum ordinaret. Neque ita se habere desiit Melchitarum in Ægypto & Alexandria status usque ad Cosmam Patriarcham.* Homarus fuit tertius post Mahometem Saracenorum Princeps, qui sub Cyri Patriarchatu & Heraclii Imperio invasit Alexandriam ac omnem Ægyptum. Porrò Cyrus inter Orthodoxos & Eutychianos fecit monstruosam Unionem: Ambos seduxit à suo Dogmate, & fecit Monothelitas. Et hos Eutychius appellat Jacobitas. Et ita fuit usque ad Cosmam Patriarcham, de quo scribit Martyr Theophanes: *Eodem anno Cosmas Alexandriæ Patriarcha cum ipsa Civitate, Monothelitarium pravitate, à Cyri, qui sub Heraclio vixit, temporibus eam civitatem obtinente, abjurata, & errore cognito, ad Orthodoxam Ecclesiam rediit.* Hoc est, ad Ecclesiam Melchiatarum, seu Imperialium. Orthodoxos enim, quod Imperatorum Martiani ac Leonis pro Chalcedonensi Synodo & ejus Romana Fide pœnales leges venerarentur, Eutychianistæ appellaverunt Melchitas seu Imperialistas. Vox Syra, *Melchi*, aut, *Malchus*, significat Regem aut Imperatorem. Quod ipsum de Cosma Patriarcha scribunt Anastasius Bibliothecarius ac Georgius Cedrenus. At verò Nubios esse Barbaram Libyæ gentem, est suprà demonstratum. Quare adducta Eutychii verba evincunt omnes non tantummòdo per Romanam Ægypti diœcesim, sed etiam per Barbaram multorum Regnorum Nubiam Episcopos spectasse ad Alexandrini consecrationem, & semper per ipsum fuisse consecratos. Hinc idem Scriptor adjungit de Patriarcha Christophoro: *Patriarcha Christophorus Paralysi est* Lib. 2.
correptus, adeò ut hominum manibus gestaretur. Qua- fol.411.
re quidam nomine Petrus Episcopus constitutus, Cathedræ Patriarchali insidens, ipsius vice Episcopos ordinavit. Christophorus, nè Metropolitæ suorum Comprovincialium Consecrationes invaderent, assumpsit sibi istum Vicarium, imitatus Romanos Pontifices, qui Episcoporum consecrandorum vicem quandoque commiserunt Episcopo Ostiensi. Proinde nec in isto infirmitatis casu Metropolitæ potuerunt consecrare. Hæc Consecratio adeò privativè spectavit ad Patriarcham.

Hanc Alexandrini Patriarchę amplissimam Potestatem etiam per exempla demonstremus. Inter causas, ex quibus Tyria Eusebianorum Synodus damnavit Sanctum Athanasium, Hermias Zozomenus adducit & hanc: *Quod Marco cuidam,* Lib. 2.
qui fuerat Presbyterio abdicatus, Ecclesiæ Pelusia- cap.24.
næ gubernationem commiserit, & Callinicum à militibus custodiri, verberibus cædi, & in judicium adduci effecerit. Hoc est, quod Callinicum Pelusii, quæ est Augustamnicæ Provinciæ Metropolis, Episcopum degradasset, & irregularem ac damnatum Marcum consecrasset in ejus Cathedram. Non quod istum Metropolitam, sed quod consecrasset indignum hominem. Etenim Pelusii non dumtaxat Metropolitam, sed & cunctos ejus Comprovinciales Episcopos debere ab Alexandrino consecrari, supponit in Literis ad sanctum Patriarcham Cyrillum sanctus Isidorus Pelusiotes. Lib. 2.
Et ad Ecclesiæ suæ Clerum scribit de semetipso ep.127.
recenter ordinato sanctus Synesius Ptolomaidis in Pentapoli Metropolita: *Eædem*, utique Pascha- Ep. 13.
les Patriarchæ Theophili, *Literæ civitati suadent, ut*

ut pro nobis Deum precetur. Jam enim indè eam oportet suæ erga me imprudentiæ sensum capere, quæ quidem ad Sacerdotium evexit non eum, cui ad Deum adeundi & pro Universo Populo supplicandi esset fiducia, sed qui, ut servari ipse posset, populo deprecatore opus haberet. Et infra: *Quod si nihil eorum dicere potui, cujusmodi audire soletis, mihi quidem ipsi condonandum est, vobis autem culpæ tribuendum, quoniam Divinarum Scripturarum ignarum earumdem peritis antepofuiftis.* Epistola habet hanc epigraphen: *Petro Presbytero.* Ad quam rectè scribit Dionysius Petavius: *Falsa videtur hæc inscriptio Nam ad plures datam esse ex ea ipsa colligitur. Crediderim autem Synesium Alexandria hanc epistolam ad Clericos suos misisse, cum paulò ante Episcopus à Theophilo factus esset.* Quod isto ipso anno Synesius fuerit creatus Episcopus, idem eruditus vir demonstrat in ejus vita. Ante Pascha consecrandus iverat Alexandriam, atque inde consecratus Paschales Literas mox misit ad suam Ecclesiam. Hinc illæ inter alia Clero & Populo injungebant etiam preces pro novello Antistite. Et in suis, quas adjunxit, insinuativis Literis more suo ipse queritur se indignum ab illis fuisse electum. Quæ omnia altissimè clamant Ptolomaidis Electum debuisse accipiendæ Consecrationis gratia accedere ad manus Patriarchæ. In epistola ad fratrem suum Evoptium operosè demonstrat se ineptum Episcopatui, factam de se Electionem conatur excutere, & palàm profitetur se à Patre Theophilo Alexandriæ Patriarcha, si electionem admittat, fore consecrandum, ac debere consecrari. Id clamant
Epist. 105. vel hæc sola verba: *Hoc unum ab eo ignorari non oportet, penes quem creandi Potestas est.*

Etiam Theodorum Oxyrinchi, quæ est Arcadiæ Metropolis, fuisse à Pseudo-Patriarcha Georgio re-ordinatum testantur in exhibitis magno Theodosio precibus Romani Presbyteri, Faustinus ac Marcellinus. Nempè à magno Athanasio, aut ejus Antecessore Alexandro fuerat ille antea consecratus. Oxyrinchus tunc necdum erat civilis Metropolis. An Ecclesiastica fuerit, ignoro. Quidquid sit, exemplum istud omninò facit ad Propositum. Etenim Oxyrinchus numquam in Augusta Provincia, sed semper fuit in Thebaide, ideòque Provincialium istic Episcoporum consecratio, quæ spectavit ad Patriarcham, clamat longè potiori jure ad eundem spectasse Consecrationem etiam Metropolitarum. Et in sancti Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani Spirituali
Cap. 117 Prato Zozimus Cilix, ex Episcopo Monachus in monte Sina, de semetipso ac duobus Sociis dicit: *Cum venissemus in Sina, post paucos dies Abbas misit me & duos alios in ministerium in Alexandriam. Et tenens nos Papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris, omnes tres fecit Episcopos: Unum quidem Heliopoleos, alium Leontopoleos, me verò in Babyloniam misit.* Leontopolis erat Metropolis secundæ Augustamnicæ. Antiqua Romani Imperii Notitia Babyloniam ponit in Thebaide. Et quia Zozimus ipsam memorat post Leontopolim, videtur & ipsa fuisse Metropolis. Quod si verum sit, hæc est alia Thebaidos Ecclesiastica Provincia.

Quod cunctos quarumvis Provinciarum Suffraganeos Episcopos Patriarcha consecraverit, demonstrant plura item exempla. Etenim quod Oxyrinchi Georgius, & Heliopoleos Provincialem Episcopum Patriarcha Apollinarius consecrarit, jam audivimus. Palebisca Pentapolitanæ Libyæ oppidum ex Paterna & Apostolica ordinatione Episcopalem Erythrii Cathedram respexit usque ad Episcopatum beati Orionis. Hic senio confectus cœpit esse nimium facilis, & ad sæcularia fidelium negotia dirigenda inhabilis, atque ita Populus ab ipso defecit, & elegit sibi Siderium, de quo ad Theophilum Patriarcham scribit laudatus Metropolita Synesius: *Juvenis hic esse videbatur, & in agendo strenuus, qui à Valentis* Epist. 67. *Imperatoris exercitu veniebat, ut agros postulatos administraret. Ejusmodi vir, qui & inimicis nocere, & amicis prodesse posset.* Affirmat ipsum à Philone seniori, Metropolitano Cyrenensium Episcopo, fuisse consecratum, & adjungit: *Ipsum non legitimè, imò contra jura omnia fuisse creatum Episcopum, à senioribus accepi, cum neque Alexandriæ sit, nec à tribus hic constitutus, quamvis illinc ordinandi esset facta potestas.* Siderii consecrationem arguit de duobus vitiis. Primò, quod facta non esset Alexandriæ per Patriarcham. Ex quo vides non dumtaxat consecrandi quosvis Episcopos, sed & ipsos ad suas manus evocandi jus Patriarchæ competisse. Aliud vitium erat quod non à tribus Episcopis, sed à solo Philone fuisset consecratus. Synesius tamen admittit Siderium fuisse verum Episcopum. Quod nempè Episcopus ab uno licet non legitimè, tamen validè consecretur. Notanda sunt verba: *Quamvis illinc ordinandi esset facta potestas.* Affirmant Philonem, licet *audacior esset quàm legum observantior*, non fuisse ausum consecrare ex Metropolitica sua auctoritate, sed consecrandi Facultatem ac Delegationem postulasse à sancto Athanasio Patriarcha, ac impetrasse. Quod nempè Patriarchæ jus esset lucidum ac exploratum. Et hinc oritur quæstio: Si Philo habuerit consecrandi Facultatem, cur Siderii Ordinatio culpatur, quod non fuerit facta apud Alexandriam? Respondeo inde non argui. Arguitur, quod fuerit facta à solo Philone. Etenim solam consecrandi facultatem delegaverat Athanasius, non verò dispensarat in quarto Nicæno Canone, qui mandat Episcopum non consecrari, nisi ad minùs à tribus Collegis. Hanc Philonis audaciam exaggerat sanctus Synesius, atque concludit: *Formidolosis temporibus summum Jus prætermitti necessè est. Ideò magnum illum Athanasium id tempori dedisse.* Erant formidolosa tempora propter grassantem, & pessimi Imperatoris Valentis patrocinio gaudentem Arianam hæresim. Hinc & consecrandi facultatem delegavit, & Consecrationis vitia dissimulavit Athanasius. Ex quo vides istam Delegationem fuisse impetratu difficilem.

Quod Patriarcha Theophilus sanctum Nilammonem, Gerensis in prima Augustamnica Provincia prope Pelusium civitatis Electum, ordinare disposuerit atque debuerit, scribit Hermias Zo- Lib. 8. zomenus. Licet Pelusii Metropolis esset Gerensi cap. 19. civitati vicina, Electi consecratio spectavit ad Patriarcham. Etiam Ammonium, nescio cujus civitatis Electum fuisse Consecrationis causa oblatum eidem Theophilo, scribit in Lausiaca histo- Cap. 12. ria Palladius Episcopus Helenopolitanus. De eodem Theophilo ac Dioscoro Monacho scribit So- Lib. 6. crates: *Theophilus Dioscorum, quasi vi à Mona-* cap. 7.
sterio

ſterio abſtractum, Hermopolis Epiſcopum deſignavit. Lib. 8. cap. 12. Quod ipſum ſcribit præfatus Zozomenus. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla. Et de ſancto Athanaſio, in ſuam Sedem per Sardicenſem Synodum reſtituto, Lib. 2. cap. 19. habet Socrates: *Athanaſius Hieroſolyma per Peluſium rectà Alexandriam iter carpit, & in ſingulis civitatibus, ad quas adventabat, docuit, hortatuſquè eſt, ut Arianos devitarent, eoſque amplecterentur, qui fidem confiterentur Conſubſtantialis. In quibuſdam Eccleſiis Miniſtros etiam creat.* Utique Orthodoxos Epiſcopos. In cunctis, quas tranſibat, Ægypti civitatibus, quæ aut carebant Epiſcopis, aut habebant Arianos.

Verùm his obſtant verba proximè ſequentia: *Atque iſta origo erat alterius illi objectæ criminationis, quod in alienis Eccleſiis Miniſtros ordinaverat.* Videntur aſſerere, quod iſta Ordinatio non ad Patriarcham Athanaſium ſpectaverit, ſed ad Metropolitas. Lib. 3. cap. 20. Reſpondeo hæc exponi ab Hermia Zozomeno: *Athanaſius, cùm veniſſet in Ægyptum, quotquot Sectæ Arianæ deditos cognoſcebat* Epiſcopos, *eos abdicavit, quorum verò fidem habebat exploratè cognitam & probatam, illis Eccleſiarum concredidit adminiſtrationem. Dicitur porrò per alias quoque nationes eodem tempore iter faciens, ſi quas fortè Eccleſias ab Arianis occupatas offenderet, eodem modo cum illis egiſſe. Itaque iſtud demùm ei criminis loco objecerunt: Quod ſcilicet in urbibus nihil ad ſe pertinentibus Miniſtros Eccleſiæ inſtituere auderet.* De ſancto Euſebio Samoſatenſi Epiſcopo, per Valentem Imperatorem relegato, ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Theodoretus: Lib. 4. cap. 12. *Euſebius cum multas Eccleſias Paſtoribus orbatas intellexiſſet, habitu Militari indutus, & capite Tiara operto, Syriam, Phœniciam, & Paleſtinam peragravit, quò tum Presbyteros & Diaconos crearet, tum alia Eccleſiaſtica obiret officia. Quod ſi quando in Epiſcopos ſecum doctrina conſentientes incidebat, eos Eccleſiis, quæ carebant Paſtoribus, præfecit.* Iſtud ipſum, verùm in Epiſcopali habitu, fecit magnus Athanaſius. Itaque Euſebiana factio ipſum, non quod Ægyptiacis, ſed quod aliarum gentium Cathedris ordinaret Epiſcopos, culpavit. Quocirca etiam hinc lucet cunctas Epiſcopales per Ægyptum Conſecrationes pleniſſimo jure ſpectaſſe ad Patriarcham.

Ampliſſimę hujus Poteſtatis radicem aliqui hauriunt ex Alexandrinis Eutychii Patriarchæ Annalibus: *Sciendum eſt, ab Aniano, quem conſtituit Marcus Evangeliſta Patriarcham; uſque ad tempora Demetrii Patriarchæ ibidem, is Patriarcha fuit Alexandrinus undecimus, nullum fuiſſe in Ægypti Provinciis Epiſcopum. Nec Patriarchæ ante eum crearunt Epiſcopos. Ille autem factus Patriarcha tres conſtituit Epiſcopos. Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos fecit. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit viginti.* Iſto igitur tempore Alexandriæ Epiſcopus erat non tantummodò Patriarcha totius Ægypti, ſed & immediatus Metropolita, adeoque & omnium Epiſcoporum Conſecrator. Quis poſt-modò Metropoliticas Sedes induxerit, ignoratur. Interim inductæ ſunt ſalvo Jure Patriarchæ: Eà lege, ut hic & cunctos Metropolitas & omnes ipſorum Suffraganeos pergeret conſecrare. Nam ſub hac Lege etiam magnus Papa Leo erexit Metropolim Ravennatem. Eadem cum Lege omnes per utramque Siciliam & alias Italiæ Provincias prodierunt variæ Metropoles. Reſpondeo Eutychii Annales laborare quibuſdam. Et inter hæc eſſe iſtud exordium Ægyptiacorum Epiſcopatuum: Nulla enim Eccleſiaſtica Provincia unquam habuit ſolum ſine Suffraganeis Metropolitam, niſi una Thracum Schytia, habens unicum Tomi Epiſcopum. Et in Nomo-Canone Photius 1. 20. rectè advertit id eſſe contra Canones. Adverſatur Apoſtolico Canoni, ex quo ſanctus Paulus Tito, à ſe in Cretenſium Metropolitam conſecrato, mandat ut per omnes civitates conſtituat Presbyteros, id eſt, Epiſcopos. Quomodo igitur quis ſine Collegis ſolus potuiſſet eſſe vaſtiſſimarum Diœceſeon Patriarcha? Quomodo ſingularem hunc morem ſanctus Petrus in Diſcipulo Marco diſſimulaſſet? Longè aliud inſinuat in lib. de ſui Anteceſſoris Dionyſii ſententia S. Athanaſius: *In Pentopoli Superioris Libyæ quidam Epiſcoporum ſententias Sabellii amplectebantur, tantumque eorum commenta invaluerant, ut ulterius vix Filius Dei in eorum Eccleſiis prædicaretur. Re cognita Dionyſius, ad cujus curam iſtæ Eccleſiæ pertinebant, Legatos miſit, qui auctores harum rerum ab illis pravis opinionibus retraherent.* Palàm affirmat non Sabellium, ſed Libyæ Epiſcopos tunc fuiſſe iſtarum rerum auctores. Quod nempe Sabellius eſſet defunctus, & ſuperſtites aut ſucceſſores Epiſcopi impietatem reſorbuiſſent. Dionyſius poſt Heraclam ſucceſſit Demetrio, & Sabellius fuit Ptolomaidis in Pentapolitana Lybia Epiſcopus. Quo tempore vixerit, ignoratur. Certè laudatus Athanaſii locus aſſerit ipſum fuiſſe Dionyſio longè ſeniorem, ideoque & priorem Demetrio. Affirmat ſub Dionyſio fuiſſe, & quidem ex antiqua Inſtitutione, plures in utraque Libya non tantummodò Provinciales, ſed etiam Metropolitas Epiſcopos, ideoque Epiſcopatum iſtic eſſe Demetrio longè antiquiorem. Notanda ſunt Athanaſii verba: *Ad cujus curam iſtæ Eccleſiæ pertinebant.* Altè clamant in utraque Libya non dumtaxat Provinciales, ſed & Metropolitas Epiſcopos eſſe vetuſtos. Nec enim Epiſcopalem aut Metropoliticam, ſed manifeſtè laudant Patriarchalem iſtic curam Alexandrini Epiſcopi, adeoque ſupponunt iſtic ex antiquo fuiſſe etiam Metropolitas. Sanctus Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis affirmat Patri-Paſſianam hæreſim cœpiſſe à Noeto, ab ipſo ad Sabellium, à Sabellio ad Praxeam ſerpſiſſe ac Hermogenem. At verò Praxeas fuit Tertulliano co-ætaneus, ideòque Sabellius fuit longè ſenior Demetrio. Quid opus multis? Antiquum atque authenticum, ab Abrahamo Ecchelenſi translatum & vulgatum, Alexandrinorum Patriarcharum Chronicon diſertè ſcribit de ſancto Marco: *Egreſſus eſt, & abiit Pentapolim, ubi manſit biennio, adnuntians, & conſecrans illis Sacerdotes.* Et ſanctus Ado Archiepiſcopus Vienenſis ſcribit in ſuo Martyrologio: *Sanctus Marcus Evangeliſta ordinavit poſt ſe Alexandriæ Epiſcopum Anianum. Aliis quoque longè lateque Eccleſiis Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos dedit.* Per April. 25. omnes Ægyptiacæ Diœceſis Provincias. Hinc Ado pergit in Libro de Feſtivitatibus Sanctorum: *Marcus conſtituit & confirmavit Eccleſias per Libyam, Marmaricam, Ammoniacam, Pentapolim, Alexandriam, atque Ægyptum Univerſam.* Iſtorum Epiſcoporum Unus fuit ſanctus Lucius, de quo idem Ado: *Beatus Lucius Cyrenenſis apud Cyrenen* Maji 6.

nen primus Episcopus à sanctis Apostolis constitutus est. Utique à sancto Marco. Eadem verba habet in suo Martyrologio Usuardus. Et consonat Romanum Martyrologium. Hunc Lucium laudat sanctus Lucas in Actis.

Et hæc non adversantur Patriarchæ Eutychio. Quod ejus Chronicon Joannes Seldenus, utique Homo Calvinista, ideòque Episcoporum antiquitati Hostis implacabilis, infidè transtulerit, affirmat laudatus Abrahamus, nativæ suæ Arabicæ Linguæ peritissimus. Seldenus vertit: *Usque in tempora Demetrii Patriarchæ nullus erat in Provinciis Ægypti Episcopus.* At verò Arabicus Eutychii textus habet: *In Provincia Ægypti.* Seldenus vertit: *Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus qui fecit Episcopos.* At verò Eutychius habet: *Et est primus Patriarcha qui in Alexandria fecit Episcopos.* Hos errores Abrahamus detexit in Rescripto ad Consultationem Eruditi Joannis Morini. Eutychius ergò vult Demetrium fuisse primum, qui non in omni Ægyptiaca Diœcesi, sed in sola Ægypti, ad Alexandrini Patriarchæ Metropoliticam Potestatem proximè spectantis, Provincia crearit Episcopatus Suffraganeos, ac Episcopos consecraverit. Qua etiam in rè certum est labi Eutychium. Etenim in sua Bibliotheca Photius laudat sancti Pamphili Martyris pro Origene Apologiam, ex ipsa affirmat Origenem, Demetrio Patriarchæ dilectissimum, fuisse sine ejus dimissoriis Literis à Theotecno Cæsaræensi apud Palestinos Episcopo consecratum in Presbyterum, atque prosequitur:
Lib. 118 *Hinc Demetrio amor in odium vertit, laudesque mox cum vituperatione commutatæ. Synodus insuper Episcoporum coacta & Presbyterorum quorumdam contra Origenem, quæ, ut Pamphilus refert, Decretum fecit, Alexandria quidem pellendum Origenem, neque in ea versari aut docere permittendum, Sacerdotii tamen dignitate nequaquam submovendum. Verùm Demetrius unà cum aliquot Ægypti Episcopis Sacerdotio quoque illum abjudicat, subscribentibus etiam Edicto huic, quotquot antea ei suffragati fuissent.* Notanda sunt hæc verba: *Cum aliquot Ægypti Episcopis.* Etiam hæc: *Quotquot antea ei suffragati fuissent.* Altissimè clamant in priori Synodo fuisse multò plures Episcopos quàm in secunda, adeòque tunc longè plures quàm tres fuisse in ipsa Ægypti Provincia. Et istic non ex Demetrii Instituto fuisse, sed ab antiquo. Et de proximo Demetrii Antecessore Juliano scribit laudatum Patriarchale Chronicon: *post Julianum nullus Episcopus manere potuit Alexandriæ, sed clam exibant, & constituebant Sacerdotes*, seu Episcopos, *omni loco.* Affirmat tunc omni loco, seu omni per Ægyptum Civitati fuisse suum Episcopum. Haud dubiè ex institutione sancti Marci.

Quæ omnia insigniter confirmantur à Philone Judæo, in Libro de vita contemplativa, ac in Libro, *Quod omnis probus.* Distinguit duplices Essæos: Alios activæ alios contemplativæ vitæ sectatores, & hos vocat Therapeutas. Istos in Syria aut Judæa, hos esse dicit in multis Mundi Regionibus, maximè tamen in Ægypto, præsertim circùm Alexadriam ad Lacum Mareotidem. Eos probari ac recipi à Græcis atque Barbaris. Eorùmdem describit Mores, Studia, Ecclesiasticos ritus, Rectores, Doctores, Ministros. Quod per contemplativos Essæos intelligat Christianos, præsertim Ægyptios, affirmat in Illustrium Virorum Catalogo Sanctus Hieronymus: *Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcircò à nobis inter Scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est, non solùm eos ibi, sed in multis quoque Provinciis esse commemorans, & habitacula eorum dicens Monasteria. Ex quo apparet talem primam in Christum credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper. Patrimonia egentibus dividantur. Orationi vacetur & Psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ: Quales & Lucas refert primùm Hierosolymæ fuisse credentes. Ajunt hunc sub Caji Caligula Romæ periclitatum, quo Legatus gentis suæ missus fuerat. Cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem Urbe locutum esse cum Petro Apostolo, ejusque habuisse amicitias, & ob hanc causam etiam Marci, Discipuli Petri, apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus suis.* Et librum, quem Philo de vita contemplativa inscripsit, idem Hieronymus appellat de vita Christianorum. Ejusdem libri multa Cæsaræensis Eusebius inseruit suæ Ecclesiasticæ Historiæ, ac adjunxit: *Virorum Ecclesiastica munia obeuntium gradus, quibus alter alteri præstat, Diaconorum item ministeria, summum denique & primarium Episcopatus Honorem Philo diligenter præscribit. Quod verò non solùm primos Evangelicæ Doctrinæ Prædicatores, verùm etiam Instituta principio ab Apostolis tradita certò cognoscens Philo ista scripserit, nemini omninò obscurum esse poterit.* Quod cuivis per Ægypti Præfecturas Ecclesiæ suum Præfectum ac Doctorem, suosque Ministros seu Clerum Philo adscribat, omnem istum librum legenti est exploratum. Et istum Præfectum Eusebius affirmat fuisse Episcopum, idque ex Apostolico Instituto. Ergò certum videtur, quod sanctus Marcus singulis Ægypti Ecclesiis consecraverit suum Episcopum. Et hoc facto, abiit in alias istius Diœcesis Provincias, illud ipsum facturus. Sic intellige laudatum Patriarchale Chronicon, & alia adducta testimonia.

Apud Eusebium item extat Epistola, qua sanctus Dionysius Alexandriæ Patriarcha Fabio Patriarchæ Antiocheno exponit varia suę Diœceseos ex nuperrimo Decii Imperatoris Edicto Martyria, & hoc est Unum: *Chæræmon Episcopus civitatis, quæ dicitur Nilus, cum jam plenè grandis esset, & ætate propè exacta, ad montem Arabiæ confugit.* Videtur non tantum annis, sed & Episcopali dignitate fuisse grandęvus, ideoquè Heraclæ Episcopatum antecessisse. Forsan & Demetrii. Insuper videtur non fuisse primus istius civitatis Episcopus. Eusebius laudat & Dionysii librum de Pœnitentia, scriptum ad Cononem Episcopum Hermopoleos. Epistolam quoque ad Hieracem Episcopum Ecclesiarum Ægypti. Etiam varias Paschales Epistolas: *Flavio, Domitio, Didymo, Hermammoni, & aliis in Ægypto fratribus.* Hoc est, Episcopis. Istiusmòdi enim literas non nisi ad Episcopos scribere consueverunt Patriarchæ. Quod Alexandrinus ipsas ad solos Metropolitas, hi ad suos Comprovinciales mitterent, non obscurè colligitur ex tertia decima Epistola sancti Sinesii Metropolitæ Ptolomensis in Pentapoli. Affirmat hanc esse *Patriam & veterem consuetudinem.* Extat & Ca-

Lib. 6. cap. 34. Cap. 38. Lib. 7. cap. 16. Cap. 15. 18.

Canonica sancti Dionysii ad Basilidem Episcopum & Filium Epistola. Filii titulus evincit ipsum fuisse subditum. Et certè aut Metropolita fuit, aut spectavit ad Augustalem Provinciam. Hi enim soli referre poterant immediatè ad Patriarcham. Hæc omnia demonstrant sub Dionysii Patriarchatu Ægyptum fuisse plenam Episcopis, ideòque ipsos à Demetrio non cœpisse. Eusebius præterea laudat duos Dionysii libros contra Chyliastas, quorum Auctor fuerat Nepos Ægypti Episcopus, tunc defunctus. Hinc ipsius solum Dogma, non Personam Dionysius damnavit. Quod nempè defunctos in Ecclesiæ pace Doctores ægrè damnandos duceret Antiquitas. Quo Dionysii exemplo suum de tribus Capitulis Constitutum defendit Papa Vigilius. Quare Nepos videtur Dionysio fuisse ignotus, ac ante ejus ætatem defunctus, ideòque fuisse Episcopus ante Demetrium.

Lib. 7. cap. 19.

Hæc omnia grande robur accipiunt ex Adriani Imperatoris ad Servianum Consulem Epistola, quā nobis in Saturnino servavit Flavius Vopiscus: *Ægyptum, quam mihi laudabas, totam didici levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapim colunt, Christiani sunt, & devoti sunt Serapi, qui se CHRISTI Episcopos vocant.* Imperator Adrianus rerum Christianarum fuit omninò peritus. Hinc enim ad ipsornm imitationem extruxit templa sinè Simulachris. Proinde & noverat quid apud ipsos Episcopi, quid essent Presbyteri. Et affirmat suo dudum ante Demetrium tempore plures in Ægypto fuisse Episcopos. Nec obest quod ab ipsis dicat coli Serapim. Etenim circà invisibilem Christianorum Deum etiam Gentilium peritissimi miserrimè cœcutierunt. Hinc quidam putaverunt esse caput asini aut porci, quidam riduculum monstrum, memoratum in Apologetico libro Tertuliani. Et quod ante Nicænam Synodum Ægyptiaca Diœcesis habuerit plusquam centum Episcopatus, constat documento vario. Etenim Synodalis, qua Arii damnationem ad omnes sub cœlo Orthodoxos retulit Patriarcha Alexander, Epistola habet: *Ario nos cum aliis ferè centum Ægypti ac Libyæ Episcopis Anathema denuntiavimus.* Laudat solos Ægypti ac Libyæ Episcopos: Quod plerique Thebaidos Episcopi adhærerent Meletio, & Alexandro non communicarent. Etiam quidam aliarum Provinciarum Episcopi. Certè quos in Nicæna Synodo Meletius Alexandro tradidit, erant numero viginti quatuor. Et supererant quidam contumaces. Et in secunda Apologia scribit sanctus Athanasius: *Sunt in Ægypto & Libya, & Pentapoli Episcopi propemodum centum, quorum nemo nos accusavit.* Non cunctos istarum Regionum, sed solos sibi obedientes Episcopos laudat: plures enim ipsi adversabantur. Etiam omittit Thebaidis Episcopos: Quod nempè statim post Synodum Meletiani redierint ad vomitum. Et Sardicensis Synodi ad omnes sub cœlo Orthodoxos Antistites Epistolę subscripserunt nonagintaquinque Ægyptii. Si sub Heraclæ Patriarchatu non fuerunt illic nisi viginti Episcopi, unde emersit tanta turma? Certè de succedanea ipsorum per alios Patriarchas creatione nihil legimus. Quia nempe erant à sancto Marco. Quomodo hic contra aliorum Apostolorum morem & Canonem solus tantas Gentes rexisset & docuisset? Absit ut Apostolicum Canonem sit prævaricatus. Certè Rabanus Maurus, & NotKerus Leodiensis Episcopus in suo Martyrologio habent ea ipsa verba, quæ supra adduxi ex sancto Adone. Quod S. Marcus in Cyrene & Pentapoli consecraverit Episcopos, affirmant etiam Græcorum Synaxaria, & Ecclesiastica Historia Nicephori Calixti. 7. Maji.

Veram igitur præfatæ Patriarchalis Potestatis radicem edicit in literis ad sanctum Alexandrum Antiochiæ Patriarcham sanctus Innocentius primus Pontifex: *Revolventes auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis Fidelibus, nè dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua supra Diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam Provinciam cognoscimus constitutam.* Antiocheni Patriarchatus dignitatem exponit, atque concludit: *Itaque arbitramur, Frater Carissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinis singulari, sic & cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum rectè servabis, ut longè positos literis datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu; vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ Gratiæ statuas pervenire. Quorum enim te maximè expectat cura, decet præcipuè tuum mereri judicium.* Diuturna Eustatiani schismatis perseverantia Orientalis Diœceseos Metropolitis fecerat animos attentandi varia: Varia Patriarchalis Potestatis capita invadendi. Inter ista erat, quod suos Comprovinciales suo arbitratu sine prævia Patriarchæ venia, examine, & confirmatione ordinarint. Extincto Schismate sanctus Alexander Patriarcha retulit omnia Sedi Apostolicæ, expetens medicinam. Et Innocentius Pontifex rescripsit varia. Primò, quod Patriarcha semper ordinaverit, ac ordinare debeat omnes & singulos Metropolitas. Et quidem Auctoritate singulari. Hoc est, quæ nulla via possit auferri. Deindè, quod ad ipsum spectet etiam Consecratio omnium & singulorum Episcoporum Provincialium. Tertiò, quod istos vicinarum Provinciarum Episcopos possit ac debeat evocare ad suas manus. Quartò, quod remotiorum Consecrationes possit delegare ipsorum Metropolitis. Quintò, quod consecrandi Potestas fundetur in potestate judicandi, ideòque quivis Patriarcha omnes sibi subjectos tam Provinciales, quàm Metropolitanos Episcopos, uti potest ac debet judicare, ità possit ac debeat consecrare. Quam Regulam laudant atque usitant in suis Legibus Imperatores Justinianus & magnus Carolus. Sextò, Innocentius rescripsit, quod hæc omnia fundentur in Canonibus Nicænis. Utique in sexto Nicæno: *Illud generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere.* Per Metropolitanum omninò intelligitur Patriarcha, aut certè quis Primas Autocephalus. Per ejus Sententiam intelligitur ejus Potestativum arbitrium, quo istas Consecrationes aut peragere possit, aut delegare. Et hanc auctoritatem Canon non condit, sed ipsius conditorem Apostolicum Canonem solummodò innovat & firmat. Proindè ista Patriarchalis Potestas non est soli Alexandrino propria, sed omnibus communis & generalis. Ob Diœceseon multitudinem ac vastitatem Romanus multam ejus Partem suis Vicariis, ac etiam remo-

Epist. 18. cap. 1.

remotioribus Metropolitis, quin & Provincialibus variarum Gentium Episcopis permisit. Item Antiochenus. Alexandrinus nullo modo: Istam Potestatem semper servavit sibi plenè integram. Nulla Diœceseon pluralitas aut vastitas ipsum valuit ad suæ Potestatis diminutionem inducere. Et rectè. Istius laudatissimæ constantiæ rationes fateor à me ignorari.

CAPUT IV.

Exponitur Potestas Patriarchę Alexandrini quo-ad consecrandos aliarum ad ipsum spectantium Diœcesion Episcopos.

De consecrandis Æthyopicę Diœceseos Episcopis statuunt Arabici Canones: *Ut non possint Æthyopes creare, aut eligere Patriarcham quin potius eorum Prælatus sit sub potestate ejus, qui tenet sedem Alexandriæ. Sit tamen apud eos loco Patriarchę. Et appelletur Catholicus. Non tamen jus habeat constituendi Archiepiscopos, ut habet Patriarcha. Siquidem non habet Patriarchæ honorem & potestatem. Et quando facta ei fuerit Potestas constituendi Archiepiscopos in Provincia sua, non licebit illi constituere aliquem ex illis. Et quicumque non paruerit, eum Synodus excommunicat.* Qui istos Canones, existimant Nicænos, aberrant plusquàm toto Cœlo. Esse Ephesina Synodo posteriores, ac Priores Zenonis Imperio & invento sancti Barnabæ corpore, demonstrat Canon trigesimus-septimus de Metropolita Cypriorum. Continet Cypriæ Ecclesiæ cum Antiocheno Patriarcha concordatum, quod constat esse ista Synodo posterius, & prius isto Imperio ac Inventione. Suo loco hæc elucidabuntur. Adductus Canon nos docet varia. Primò, quòd Æthyopes non potuerint suum Primatem consecrare, imò nec eligere. Quod hæc omnia privativè spectaverint ad Patriarcham Alexandrinum. Neque tamen hic solus ipsum elegit aut nominavit. Rem exponit in Relatione de moribus Æthyopum Damianus à Goes: *Vita defuncto Patriacha, statim Imperator Pretiosus Joannes nuntium aliquem expeditum mittit Hierosolymam ad Monachos ibidem degentes. Qui nuntio accepto ac muneribus, quæ Imperator ad sanctum Sepulchrum dono mittit, continuò alium Patriarcham suffragiis eligunt. Sed fas non est alium quam Alexandrinum eligere, ac moribus incorruptum. Quo creato, suffragia sua obsignant, eaque Legato, qui ad id venit, in manibus tradunt. Is Statim Cayrum contendit, quò ubi ventum est, Patriarchæ Alexandrino, qui ibi semper Sedes habet, creationem illam legendam porrigit. Cognito autem quem ex Alexandrinis delegerint, Virum tantis honoribus destinatum cum Legato in Æthyopiam mittit, qui ex veteri instituto Monachus sancti Anthonii Eremita debet esse, cum quo in Æthyopiam Nuntius mox proficiscitur. Ubi cum magno gaudio & honore ab omnibus excipitur. In quo negotio aliquando annus unus aut alter transfigitur, interimque Pretiosus de proventibus ipsius Patriarchę pro libitu dispensat. Præcipuum autem Patriarchæ Officium est Sacros Ordines dare, quos nemo, ipso excepto, aut dare aut auferre potest. Cæterum nullum Episcopatum aut Ecclesiæ beneficium in ullum confert. Id ad solum Pretiosum Joannem spectat, qui omnia pro suo arbitrio dispensat.* Proinde Æthyopum Primas nec in Æthyopia eligebatur nec ab ipsorum Rege aut Patriarcha Alexandrino nominabatur: Eligebatur Hierosolymæ ab istius Gentis Monachis, degentibus istic apud Dominicum Sepulchrum. Quod hi etiamnùm sub Turcico Imperio istìc degant, & suum in ista Ecclesia sacellum ac Altare habeant, testatur etiam Jacobus Cardinalis à Vitriaco. Erat Electio hetroclita. Ejus originem & authorem ignoro. Interim inchoata omninò est post captivitatem Saracenicam, imò & Turcicam. Etenim ante has calamitates Alexandrinus Patriarcha non morabatur apud Cayrum.

Adductus Canon secundò nos docet, quod Æthyopię Primas nec esset, nec titulari posset Patriarcha. Quia nempè ejus Sedem sanctus Petrus Apostolus nec insederat, nec fundaverat. Postmodò tamen iste titulus ad plures Primates Episcopos fuit extensus, atque ita etiam ad Æthyopem. Hinc ipsum Damianus à Goes constanter inscribit Patriarcham. Etiam alii Scriptores. Et ista Canonis verba iterùm evincunt ipsum non esse Nicænum, sed Chalcedonensi Synodo posteriorem. Hæc enim prima quatuor Primates Ecclesiæ Episcopos appellavit Patriarchas. Tertiò discimus ex isto Canone, quòd hic Primas apud Æthyopes fuerit loco Patriarchæ. Videtur fuisse perpetuus ac natus Patriarchæ Vicarius. Quartò discimus, quòd appellaretur *Catholicus* seu Universalis Episcopus. Non per omnem Ecclesiam, sed per istam dumtaxat Gentem. Et hinc vides, quod iste, de quo tamdiu & acriter disputatum fuit, Titulus, Constantinopolitano Patriarchæ potuerit in sano sensu concedi. Et hoc voluit Imperator Mauritius. Attamen magnus & prudens Papa Gregorius non sine fundamentis intercessit. Iste namque Titulus in isto Episcopo erat scandalosus, periculosus, suspectus, recta via ad Photii schisma & hęresim. Eventus docuit. Et hinc etiam suspicor hunc Titulum esse ista lite posteriorem. Etenim ipsum primi videntur assumpsisse Episcopi Constantinopolitani. Quintò discimus, quòd omnium subditorum Archi-Episcoporum seu Metropolitarum Consecratio spectet ad Patriarcham. Sextò, quod hìc Primas istud jus non habuerit: Quia nempè non erat verus Patriarcha. Imò nec Autocephalus Primas. Suberat enim Patriarchæ Alexandrino. Et omnes istius Gentis Metropolitæ debebant ad hujus manum accedere Alexandriam. Septimò discimus, quòd Metropolitarum Consecrationem Patriarcha quandoque illi delegabat. Utique ob regionum distantiam. Et ad beneplacitum. Octavò notanda sunt verba: *Non poterit constituere aliquem ex illis.* Videntur adfirmare, quod uti ipse Primas, ita & quivis Metropolita non potuerit esse Æthyops, sed esse debuerit Alexandrinus, aut certè Ægyptius. Hac arte Alexandrinus Patriarcha istam alienam ac bellicosam Gentem sub obedientia continuit.

Ex Damiano à Goes varia etiam discimus. Primò, quod Æthyopiæ Primas debeat esse sancti Anthonii Monachus. Antiquo omnium Orientalium more. Quod enim à multis sæculis cuncti Orientales ad Episcopalem dignitatem admittant solos Monachos, est alibi demonstratum. Et est fundatissima Disciplina. Secundò discimus, quod Æthyopiæ Rex gaudeat vacantium Ecclesiarum proventibus: Etiam Ecclesiæ Primitialis. Adeò

hæc

hæc Regia in Ecclesię facultates ac libertatem violentia non grassatur apud solos Latinos. Discimus tertiò, quod idem Rex nominet omnes Episcopos. Videtur quod solos Provinciales. Etenim jam dixi, quod Metropolitæ videantur debere esse Ægyptii, adeoque per Regem non queant nominari. Quartò discimus, quod Rex omnes etiam Clericos nominet, & conferat Beneficia. Quintò, quod Primas omnes Provinciales Episcopos, omnesque totius Diœcesis Clericos solus consecret; solus damnet ac degradet, adeoque Metropolitæ non plenam secundùm Canones, sed insigniter contractam habeant Metropoliticam potestatem. Nempè omnium Provincialium etiam Episcoporum consecrationes spectant ad Alexandriæ Patriarcham: & hic ipsas ob locorum distantiam & nimias suas in Romanarum suarum Diœcesion consecrandis Episcopis occupationes delegavit isti suo Vicario. Ex qua causa hic Primas cunctos ubique Clericos solus consecret, huc usque non reperi.

Quæ omnia confirmat vetus, ab Abrahamo EKellensi publicatum, Alexandrinorum Patriarcharum Chronicòn. Josephi, qui ad noni sæculi medium sedit, Patriarchæ Acta exponit, & scribit: *Ejus tempore Episcopus quidam erat in Æthyopia, quem constituerat Patriarha Jacob*, secundus Josephi antecessor. *Hunc, egresso Rege Æthyopiæ ad bellum, exilio mulctavit Regina & Princeps, ideoque minimè pluit eo anno, & pestis grassata est per eas Regiones. Remisso autem Episcopo in Ægyptum, alium sibi constituerunt præter Canonem. Quod percipiens Rex Æthyopiæ reversus à bello, ægerrimè tulit, misitque aliquos, qui veniam peterent à Deo ac Patriarcha: & reduxerunt illum Episcopum in Æthyopiam.* Notanda sunt verba: *Remisso Episcopo illo in Ægyptum,* Innuunt Episcopum hunc non dumtaxat fuisse consacratum à Patriarcha, sed insuper fuisse Ægyptium. Possit fuisse quis Metropolita. Notanda sunt & hæc verba: *Alium sibi constituerunt præter Canonem.* Fuit duplex Canonis prævaricatio. Prima, quod esset illegitima Superordinatio. Secunda, quod esset Consecratio citrà manum ac veniam Patriarchæ. Hinc, si iste Episcopus fuerit Provincialis, lucet etiam tales Episcopos sine Patriarchæ manu aut venia non potuisse consecrari.

Et pleraque hæc esse antiquissima, lucet ex Epistola, quam adversus sanctum Frumentium, primum Auxumios Episcopum ac Æthyopię Primatem, scripsit ad ejusdem Gentis Tyrannos Imperator Constantius: *Frumentium Episcopum quam primùm in Ægyptum dimittite ad venerabilissimum Georgium, & alios per Ægyptum Episcopos, qui in creandis judicandisque Episcopis summam Authoritatem habent. Scitis & meministis Frumentium ab Athanasio, homine omnibus malis obnoxio, in hunc Ordinem vitæ coaptatum esse, qui cum ex omnibus criminibus jure ipsi objectis nihil prorsùs diluere posset, excidit statim à sua Cathedra, & ut in vita, ita in locis omnibus errabundus Solum semper ex Solo vertit, quasi mutatis Sedibus scelera sua effugere posset. Si igitur spontè obtemperet Frumentius, rationesque det de diversa seditione, certum est apud omnes eum nihil à Legibus Ecclesiasticis, fideque quæ nunc obtinet, dissentire, eumque Judicio accepto, rationibusque vitæ redditis, ab illis penes quos est harum rerum Authoritas & Censura, Episcopum debere constitui, si modò ipse reverà se & jure Episcopum videri velit. Quod si procrastinationes aucupetur, Judiciumque fugiat, evidens omninò documentum est, eum sceleratissimi Athanasii verbis inductum impiè adversùs Deum agere, cum eodem modo in sceleribus, quorum ille convictus est, pergat: Periculumque est, nè peragrata Auxumi, vestrates nefariis & impiis Sermonibus corrumpat: Nec solùm Ecclesias confundat ac turbet, & in summum Numen blasphemias dicat, sed nè singulis quoque gentibus vastationem & excidium conciliet. Certus enim sum, eum, ubi aliquid addidicerit, comparata ingenti in publicum utilitate ex familiaritate venerandi Georgii, & cæterorum qui doctrina pollent, ad suas Sedes reversurum esse, utpote jam exactè in disciplinis Ecclesiasticis eruditum.* Hic Frumentius est omninò ille idem, quem sanctus Athanasius legavit ad Indos. Perperàm à quibusdam secatur in duos. Ipsum Auxumitanæ Æthyopum Metropoli Episcopum, & toti isti genti Primatem consecravit idem Athanasius. Et omnes ejus successores sanxit à suis successoribus semper consecrandos. Hinc illum à Georgio in Athanasii, per Tyriam Synodum iniquissimè degradati, Thronum violenter intruso Catechizari in Ariana Dogmata, Arianum fieri, atque ita ejus consecrationem ratificari & firmari voluit Imperator Constantius. Et hanc ratificationem tanto impetu ac zelo expetivit, ut Auxumitanis Tyrannis, nisi obedirent, generale bellum indiceret. Quod nempè isto per Athanasium inducto jure nollet Georgium aut ullum ejus successorem privari. Frumentius in omni ista neophyta gente erat tunc solus Episcopus, ideòque alia per Arabicum Canonem adducta Alexandrini Patriarchę jura videtur non Athanasius, sed quis ejus successor induxisse. Et certè sanctus Frumentius, nec Alexandrinus, nec Ægyptius fuit, sed Tyrius & Syrus, adeòque Auxumitanum Episcopatum Athanasius non possit solis Alexandrinis adligasse. Hujus Instituti authorem ignoro. Etiam Potestatis, qua in consecrandis Indorum Episcopis Alexandrinus Patriarcha fuit usus.

CAPUT V.

Exponitur Consecratio ipsius Alexandrini Patriarchæ.

IN suis Annalibus Patriarcha Eutychius affirmat Apianum fuisse primum Alexandriæ Patriarcham, atque adjungit: *Constituit autem Evangelista Marcus una cum Aniano Patriarcha duodecim Presbyteros, qui nempè cum Patriarcha manerent, adeo ut cum vacaret Patriarchatus, unum è duodecim Presbyteris eligerent, cujus capiti reliqui undecim manus imponentes ipsi benedicerent, & Patriarcham crearent. Deinde virum aliquem insignem eligerent, quem secum Presbyterum constituerent loco ejus, qui factus est Patriarcha, ut ita semper extarent duodecim. Neque desiit Alexandriæ Institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo trecentorum & octodecim. Is autem vetuit, nè deinceps Patriarcham Presbyteri*

teri crearent. Et decrevit, ut mortuo Patriarcha convenirent Episcopi, qui Patriarcham ordinarent. Decrevit item, & vacante Patriarchatu eligerent ex quacumque tandem regione, sivè ex duodecim illis Presbyteris, sive aliis virum aliquem eximium perspectæ probitatis, eumque Patriarcham crearent. Atque ita evanuit Institutum illud antiquius, quo creari solitus à Presbyteris Patriarcha, & ejus in locum successit Decretum de Patriarcha ab Episcopis creando. Consonat in literis ad Evagrium sanctus Hieronymus. Episcopatum ac Presbyteratum fuisse in primitiva Ecclesia eundem gradum demonstrat multis, at- Epist. 85 que prosequitur: *Quod autem postea Unus electus est, qui cæteris præponeretur in Schismatis remedium factum est, nè Unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si Exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archi-diaconum vocant.* Sanctus Hieronymus & Euthychius differunt in duobus. Primò, hic morem illum usque ad Alexandri, ille dumtaxat usque ad Heraclæ & Dionysii Patriarchatum affirmat perseverasse. Secundò, Hieronymus Patriarcham ab illis Presbyteris fuisse dumtaxat electum ex suo gremio, & mox inthronizatum, Eutychius affirmat fuisse insuper consecratum. Hieronymus excludit omnem consecrationem. Lucet ex adductis exemplis.

Eandem creandi Episcopi formam viguisse in aliis etiam Ecclesiis affirmat ad quartum Caput Apostolicæ ad Ephesios Epistolæ Ambrosiaster, seu Hilarus Romanę Ecclesię Diaconus. Affirmat Ecclesiasticam sui temporis Disciplinam in pluribus Articulis dissentire ab Apostolica, ideoque Apostolica Scripta cum ista Disciplina non per omnia convenire. Adjungit id fieri ob posteriores Successorum Episcoporum Canones. Demonstrat exemplis, atque prosequitur: *Nam & Timotheum Presbyterum à se creatum Apostolus Episcopum vocat, quia primùm Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente Uno sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Sed quia cœperant sequentes Presbyteri indigni inveniri ad Primatus tenendos, immutata est ratio, præponente Concilio, ut non Ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum judicio constitutum, nè indignus temerè usurparet, & esset multis scandalum.* Quod ipsum videtur apud sanctum Augustinum insinuare Author quæstionum ex Vetere & Novo Testamento. Demonstrat Episcopum & Presbyterum esse idem apud Apostolum, atque subjungit: *Quid est enim Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos? Denique non aliter quàm Compresbyteros hic vocat, & Consacerdotes suos. Nam & in Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Et hic Author, & Hilarius Diaconus, & sanctus Hieronymus affirmant Presbyteralem consecrationem in primitiva Ecclesia nunquam fuisse separatam à consecratione Episcopali, ideòque omnem tunc Presbyterum fuisse etiam Episcopum. Et videntur verum dicere. Hinc enim Paulus Apostolus hæc vocabula, *Episcopus*, & *Presbyter*, passim pro eodem accipit, & confundit. Hinc item & sanctus Petrus & sanctus Joannes se inscribunt Seniores seu Presbyteros, id est, Episcopos. Non enim fuerunt simplices Presbyteri. Et sanctus Petrus suos Coepiscopos etiam vocat Conseniores, seu Compresbyteros. Omninò loquitur illic de Episcopis. Et suæ ad Philippenses Epistolæ sanctus Paulus dedit hanc Epigraphen: *Paulus omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Græcus textus habet: *Coepiscopis & Diaconis.* Compendio commentatur ex sancto Joanne Chrysostomo Theophylactus: *Coepiscopos Presbyteros appellavit. Non enim in una Urbe multi fuerunt Episcopi. Nondum erant distincta nomina, verum ipsi Episcopi appellabantur Presbyteri & Diaconi.* De eodem Apostolo scribit in Actis sanctus Lucas: *A Mileto mittens Ephesum vocavit Majores natu Ecclesiæ.* Hoc est, omnes cum Episcopo Presbyteros. Et ad ipsos dixit: *Attendite vobis, & Universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quod per Ecclesiæ Majores sanctus Lucas intelligat cunctos cum Episcopo Presbyteros, disertè affirmat sanctus Irenæus. Et in alio sui operis libro distinguit Aposto- Lib. 1. los & Presbyteros, affirmatque hos Apostolis suc- cap. 14. cessisse. Per ipsos igitur omninò intelligit Episcopos. Et in sua ad sanctum Victorem Papam Epistola scribit: *Presbyteri ante Sotarem, qui Ecclesię, cui jam tu præes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Highinum, Thelesphorum, Sixtum, cum Asiaticæ Ecclesiæ Episcopis concordiam retinuerunt.* Romanos Pontifices vocat Presbyteros, Asiæ autem Antistites appellat Episcopos. Quod nempè ista vocabula tunc apud multos essent ejusdem significationis. Extat Epistola apud Ecclesiasticam Historiam Cæsaræensis Eusebii. Plura sunt anti- Lib. 5. qua testimonia, quæ evincunt cunctos multarum cap. 24. Ecclesiarum Presbyteros in primitiva Ecclesia fuisse Consecratione Episcopos.

Non tamen omnes erant etiam jurisdictione. Etenim Apostolicus Canon omninò mandat cuique Ecclesiæ non esse nisi unicum Episcopum. Proindè inter istos consecratos Episcopos unus semper præsedit ac præfuit aliis, ac singulari insuper nomine honorabatur. Quod tunc Episcopus seu Præfectus appellaretur Apostolus, affirmat super primum Apostolicæ ad Philippenses Epistolæ caput Theodoretus. Affirmat in primitiva Ecclesia Presbyteros fuisse etiam Episcopos, istas Consecrationes tunc non fuisse divisas. Probat ex jam adductis sancti Pauli ac sancti Lucæ testimoniis. Adjungit Episcopis semper Diaconos immediatè subjungi ab Apostolo, & tunc de Presbyteris nullam fieri mentionem. Supponit eidem Civitati numquam fuisse plures Episcopos, seu Præfectos, atque prosequitur. *Liquidò patet Presbyteros fuisse eos, quos Apostolus nominavit Episcopos. Beatum verò Epaphroditum in ipsa epistola eorum appellavit Apostolum.* Adducit verba epi- Cap. 2. stolæ: *Necessarium existimavi Epaphroditum, fratrem, & Cooperatorem & Commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, mittere ad vos.* Et pergit de Apostolo Paulo: *Apertè docet Episcopalem dispensationem Apaphrodito fuisse creditam, cum appellationem haberet Apostoli.* Et infrà: *Epaphroditum vocavit ipsorum Apostolum, ut cui esset ipsorum cura concredita. Ut clarum sit sub eo fuisse illos, qui in principio sunt dicti Episcopi. Presbyterorum scilicet in ordine constituti.* Et hæc

Aposto-

Apostoli ad Timoth. verba, *si quis Episcopatum desiderat*, commentatur hoc modo: *Hic Episcopum appellat Presbyterum, sicut Epistolam ad Philipp. interpretando ostendimus. Hoc autem ex hoc etiam loco intelligi facilè potest. Post leges enim Episcopales, eas scribit quæ Diaconis conveniunt, prætermissis Presbyteris. Sed, ut dixi, eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos: eos autem, qui nunc vocantur Episcopi, Apostolos nominabant. Procedente autem tempore Apostolatus nomen reliquerunt eis, qui verè erant Apostoli; Episcopatus autem appellationem imposuerunt eis, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus. Ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus Apostoli. Ita iis, qui erant Antiochiæ, ab Hierosolymis scripserunt Apostoli & Presbyteri.* Alter tunc Episcoporum titulus videtur fuisse *Primas*. Hinc ad Cajum scribit S. Joannes Apostolus: *Scripsissem forsitan Ecclesiæ; Sed is qui amat Primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.* Eundem titulum ipsis tribuit Hilarus Diaconus. Et hoc ex fonte forsitan sunt nati Primates Afrorum. Tertius primitivorum Episcoporum titulus fuit, *Præpositus*. Hoc utitur Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos. Quæ omnia in secundo de Ecclesiasticis Officiis libro confirmat ex eisdem sancti Pauli & sancti Lucæ Testimoniis sanctus Isidorus Episcopus Hispalensis. Et vetus Metensium Episcoporum Chronicon habet: *Qui ab Apostolis ordinabantur Presbyteri, cæteris præeminebant ut Episcopi.* Quod nempe omnes etiam essent in Episcopos consecrati.

Et hinc istorum Episcoporum Primati aut Antistiti decedenti succedebat sinè Consecratione alius. Apud quosdam per Electionem. Eo modo, quo Milites Imperatorem, aut Diaconi è suo corpore eligunt Archi-Diaconum. Et ita factum fuit in Alexandrina Ecclesia. Apud alios erat Successio per ætatis ordinem. Senior ipso jure citrà electionem succedebat. Et hoc ex fonte forsitan nata est Successio Primatum in Africanæ Ecclesiæ Provinciis. Et istum esse genuinum Hilari Diaconi sensum, quidquid dicat in Opere de Ecclesiastica Hierarchia Eruditus Dionysius Petavius, rectè affirmat Salmasius. Ita evincunt vel sola hęc verba: *Ut non Ordo, sed meritum crearet Episcopum.* Lucidè affirmant, quod ipsum antea ætatis ordo creaverit. Porrò in quibus Ecclesiis hic mos olim viguerit, Hilarus non expressit. Interim viguisse dicit usque ad Concilium, quod sanxit multorum Sacerdotum judicio eligi dignos Episcopos. Hoc est, usque ad quartum Canonem Nicænum. Iste mos dudum antea fuit eliminatus à multis Ecclesiis. Etenim procul dubio plures Ecclesiæ sunt imitatæ Heraclam ac Dionysius Alexandrinos Patriarchas, qui minùs malum morem eliminarunt. Nicænum ergò Canonem laudat Hilarus, quod ille istum in quibusdam hinc indè Ecclesiis restantem morem proscripserit, ac penitus extinxerit. Porrò Alexandrinum morem non à solo Heracla, sed etiam à Dionysio fuisse extinctum scribit sanctus Hieronymus: Quod scilicet Heraclæ Decreto quidam recalcitrarent, ideoque per Successorem Dionysium debuerit innovari & confirmari.

Quæstio est, an istè mos, quo Primitiva Ecclesia omnes Presbyteros consecravit in Episcopos, fuerit universalis? Respondeo non fuisse. Quod enim antiquissimi plurimarum Ecclesiarum Electi Presbyteri fuerint per Patriarchas, Primates, aut Metropolitas suos consecrati in Episcopos, adeoque Episcopalem Ordinem non habuerint antea, ostendi possit per authentica testimonia atque exempla. Ita fuisse factum in Africanis Ecclesiis, demonstrant Epistolæ sancti Cypriani. Et ipse è Laico fuit electus in Episcopum. Et ejus successor Cecilianus ex Archi-Diacono. Etiam hujus Anti-Episcopus Majorinus. Quare istìc fuit libera electio, nec fieri debuit è Presbyterio. Presbyteros fuisse passim consecratione distinctos ab Episcopis, altè clamant etiam Epistolæ sancti Ignatii. Eandem distinctionem fuisse semper in Romana item Ecclesia, ac omni ejus Suburbicaria Diœcesi, lucet ex Libro Pontificali, ac aliis manifestis Testimoniis. Proindè memoratus per Hilarum Diaconum mos videtur fuisse in paucis hinc indè Ecclesiis. Et fuisse possit in solis Ecclesiis Cathedralibus. Quod enim antiquissimi etiam Presbyteri Pagensium Ecclesiarum Episcopalem Consecrationem non habuerint, est omnibus exploratum. Excipe tamen Chorepiscopos. Horum Episcopalis Consecratio omninò possit ex isto quarumdam Ecclesiarum more duxisse originem. Nam Chorepiscopi fuerunt digniores civitatensibus Presbyteris. Et eosdem, uti Episcopi Vicarios, habuit quarumdam civitatum Clerus. Nempè quædam Ecclesiæ unum Episcopali Consecratione insignitum Presbyterum voluerunt ex causis retinere.

Altera quæstio est, An Hilarus Diaconus rectè asserat istam Consecrationum conjuctionem fuisse proscriptam à quarto Canone Nicæni Concilii? Respondeo hoc non asseri ab Hilaro. Asserit solam Senioris Episcopi in Præposituram sine electione successionem fuisse istic abolitam, & introductam dignioris electionem. Quod sano sensu est omninò verum. Etenim Episcopalibus electionibus fixam ab Apostolis formam innovat & stabilit iste Canon, atque ita illum ab Hilaro memoratum, qui forsan adhuc vigebat apud quasdam Ecclesias, Successionis morem simul abolevit atque proscripsit. Etiam Consecrationum conjunctio tunc hinc indè possit adhuc viguisse, atque ita etiam per eundem Canonem esse abolita atque interdicta. Canon enim sancit omnem noviter electum Episcopum consecrari à tribus Episcopis, atque ita supponit & sancit electos aut eligendos non esse antea Episcopos. Porrò rationes, ex quibus istam conjunctionem eliminarunt quidam ante Nicænam Synodum Episcopi, jam audivimus à sancto Hieronymo atque ab Hilaro Diacono. Episcopalem consecrationem cum suo Primate & Prępsito habentes Presbyteri potuerint facilè erigi in contumaciam: Et haud dubiè quidam hinc indè fuerint erecti. Hinc ista Consecratio, offensionis Lapis, fuit ipsis merito subtracta. Altera ratio fuit quorumdam ad istam Consecrationem indignitas. Non enim omnis Presbyteratu dignus, est etiam dignus consecrari in Episcopum: Isto igitur modo usque ad Heraclæ ac Dionysii Episcopatum promoveri consuevit Patriarcha Alexandrinus. Etiam alii hinc inde Episcopi. Nec ex inde Lutherani aut Calvinistæ quid venari possunt, ex quo ostendant Episcopalem Consecrationem non esse Sacramentum, aut hodiernam Ecclesiæ Hierarchiam dissidere à Primitiva.

Posteriorem Alexandrinæ Promotionis formam habemus in Synodali totius Ægyptiacæ Diœceseos Epistola ad omnes Orthodoxos sub cœlo Episcopos. Ex Ægypti, Thebaidis, Libyæ, ac Pentapoleos Episcopis fuit congregata ista Synodus ad suum Patriarcham Athanasium expurgandum à factionis Eusebianæ calumniis. Inter calumnias fuit & hic articulus: *Eusebiani ajunt post obitum Episcopi Alexandri, cum paucissimi essent qui Athanasii mentionem facerent, sex aut septem Episcopos clanculùm & in loco obscuro eum Præsulem elegisse. Hæc eadem illi, quibus nullum mendaciorum genus reformidandum videtur Imperatoribus scripserunt.* Dixerunt Athanasium non esse legitimè electum, sed intrusum à paucis, ideoque & extrudendum. At verò universa Synodus respondit: *Nos autem contrà cum tota Civitate & universa Provincia testamur omnem multitudinem ac Populum Catholicæ Ecclesiæ in unum coactum, quasi in speciem totius animæ, clamoribus & vociferationibus postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, idquè publicis votis à Christo expetisse, nosquè ut faceremus, per multos dies & noctes jurejurando fuisse obtestatos, cum interea nec ipsi ab Ecclesia decederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent. Hoc nostrum, totiusque Civitatis & universæ Provinciæ testimonium, nec mali quidquam de eo, quod ab ipsis fit, pronuntiamus, sed optima quæquæ prædicamus, bonum illum esse, Religiosum, Christianum, devotarium, & verè Episcopum. Porrò quod nostrum plerique sub omnium oculis & acclamationibus Athanasium creaverint Episcopum, nos ipsos testes offerimus, quibus ut Auctoribus Creationis, major, quàm istis, qui & tunc aberant, & nunc mentiuntur, fides haberi debet.* Affirmant Athanasium, non tantummodò omnis Alexandrinæ civitatis, sed & totius Provinciæ unanimi acclamatione postulatum, fuisse à se electum Episcopum: Se Creationis seu electionis fuisse Auctores. Affirmant Athanasium juxtà Apostolicum ac quartum Nicænum Canonem fuisse electum. Electus enim fuit à totius Diœceseos Episcopis, istaquè electio per omnem & Civitatis & Provinciæ Clerum atque Populum fuit probata, admissa, firmata. Ita omninò jubent Apostolicus Canon, & quartus Nicænus. Fuit non à solius Augustalis Ægypti, sed à totius Diœceseos Episcopis electus: Quod esset Patriarcha. Et ejus electio fuit non à solius civitatis, sed etiam à totius Provinciæ Populo probata: Quod esset Metropolita. Solius civitatis Clerus in ipsum consentire debuit: Quare ex Provincia adfuit solus Populus. Et hæc Electionis forma non sumpsit in sancto Athanasio exordium. Quin per Heraclam Episcopum jussa, ac in Dionysii, aut certè in Maximi electione fuerit servata, non est dubitandum. Ex inde non soli è suo gremio Presbyteri, sed & omnes Diœceseos Episcopi incæperunt Patriarcham eligere. Et quidem an usque ad Dionysium soli Presbyteri sine Diœceseos Episcopis elegerint, ignoro. Potuerint hi concurrere, ita tamen ut è Presbyteris eligere cogerentur. At sanctus Hieronymus planè innuit istos solos elegisse. Qui mos eligendi Primatis viguit etiam in Cantuariensi Ecclesia, & per validas Petri Blesensis machinas non potuit eliminari. Est omninò contra Canones. Et quidem sanctus Athanasius fuit è Diacono electus in Episcopum. Ex quo vides, quod Patriarcha Heraclas electionem reddiderit plenè liberam juxta Apostolicos Canones, & noluerit deinceps adstringi ad corpus Presbyterorum. Apostolicus enim Canon Diaconum omninò permittit eligi in Episcopum. Quod nempè tunc omnes Cathedralium Ecclesiarum Presbyteri essent passim Episcopi, adeoquè Diaconi essent ipsis proximi. Hæc videtur origo & radix istius Canonis.

Sancti Athanasii electionem, & Eusebianas adversus ipsam calumnias elucidat Hermias Zozomenus: *Ariani dicunt, quod Alexandro mortuo quinquaginta quatuor Episcopi, qui partibus Alexandri & Meletii favebant, ex Thebaide & reliqua Ægypto in unum coacti, communicarunt inter se de eligendo Episcopo, qui Ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula susciperet. Sed eorum septem, violato jurejurando, contra omnium voluntatem clam Athanasium Episcopum ordinasse. Et propter eam causam multos tùm ex Populo, tum ex Ægypti Clericis ejus vitasse Communionem.* Lib. 2. cap. 16. Affirmat Athanasium fuisse virum sanctum, ac legitimè electum, ideoquè Eusebianos mentiri & calumniari. Et firmat hæc testimonio Apollinarii Laodicensis Episcopi, adfirmantis Athanasium ab Episcopatu semper abhorruisse, tendente ad mortem Alexandro fugisse ex urbe, ab eodem moriente ac divinitùs illustrato fuisse commendatum Episcopis, atque ita electum, consecratum, ac totius Populi gaudio inthronizatum. Et Apollinarii, licet Hæresiarchæ testimonium non est spernendum. Fuit enim Athanasio se impugnanti Adversarius, ideoque ejus testimonium est validissimum. In ejus Inthronizatione fuisse commune Civitatis Festum & gaudium affirmat etiam præfata Synodalis Epistola. Et Zozomenus affirmat Alexandriæ Episcopum debuisse eligi ab omni sua Synodo, & Athanasium ita fuisse electum. A moriente sancto Alexandro ad Episcopatum fuisse commendatum affirmat & sanctus Epiphanius: *Postquam Arius proscriptus est, eodem anno mortuo Alexandro Alexandrinam Ecclesiam Achillas obtinuit, contra quem Meletiani Theonam opposuerunt. Achilla verò post tres menses defuncto Athanasius successit, Alexandri Diaconus, ab eo ad Comitatum missus, cui moriens Alexander Episcopatum commendaverat. Verùm cum hæc sit Alexandriæ consuetudo, ut post Episcopi mortem successor non diutius differatur, sed subinde pacis tuendæ gratia subrogetur, ne aliis hunc, aliis illum amplectentibus, jurgia in vulgus & contentiones existant, absente Athanasio Achillam substituere coacti sunt. Enimverò Sedes ei ac Pontificatus debebatur, qui & à Deo vocatus, & à beato Alexandro constitutus fuerat.* Hæres. 69. c. 11. Errat in duobus. Primò, quod Athanasius Alexandro non proximè, sed post Achillam successerit. Certùm enim est Achillam fuisse Alexandri proximum Antecessorem. Secundò labitur Episcopatum Athanasio ex Alexandri designatione fuisse delatum. Etenim moriens Episcopus successorem potest petere & commendare, nequaquam eligere. An Athanasius tunc fugerit, an ad Comitatum fuerit missus, atque ita absfuerit, ignoratur. Ipsius interim electioni Eusebiana factio numquam objecit Diaconi gradum. Hinc lucet Patriarchæ electionem tunc non amplius debuisse fieri ex Presbyterorum corpore. Athanasii electionem laudat etiam sanctus Gregorius Nazianzenus. Orat. 21

Eodem

Eodem penitùs modo electum fuisse S. Athanasii successorem Petrum scribit in Ecclesiastica Historia Theodoretus. Describit S. Athanasii mortem, & pergit: *Petrus facilè optimus Præsulatum illum obtinuit, quem primum beatus Athanasius suo suffragio designaverat, ejusque electioni ab omnibus, tam Sacerdotibus quàm Magistratibus, adsensum est. Populus quoque universus acclamationibus quantum lætitiæ percepisset, demonstravit. Quapropter Episcopi vicini eò simul ire maturant, ad Petrum in Sede Athanasii collocandum.* Et adversùs Alexandrinæ Ecclesiæ invasorem Timotheum Ælurum, scripsit ad Leonem Imperatorem Anatolius Constantinopolitanus Episcopus: *Timotheum Alexandrinorum populus, & Honorati, & Curiales, & Naucleri Episcopum sibi petunt.* Et cum sua Synodo Joannes Heraclæensis Episcopus, Europæ Metropolita: *Timotheum Alexandrinorum populus sibimet Episcopum ordinavit.* Et plena Ægypti Synodus: *Sanciat vestra Potentia, ut Timotheus, qui ita vastavit Ecclesiasticas Sanctiones, ab Alexandrinorum Ecclesia sancta recedat, cui præsederat Tyrannico modo, & non legitima dispositione tentavit atque perfecit, tantarumque præsumptionum pœnæ subjaceat. Deinde jubeat, sicut sanctę Patrum Regulę pręcipiunt, & antiqua Consuetudo tradit, Ægyptiacæ Diœcesis omnem Synodum Orthodoxam, & communicatricem totius orbis Episcoporum, quempiam sanctæ vitę eligere dignum Sacerdotio virum, qui Sedi S. Marci irreprehensibilis videatur.* Timotheum, quod à solo Populo esset electus, affirmat esse intrusum, ideòque & extruendum. Esse antiquam Consuetudinem, ut magnæ Alexandriæ Episcopus juxta Patrum Regulas eligatur ab universa Ægyptiacæ Diœceseos Synodo, istaque electio per Clerum Civitatis ac Populum probetur & acceptetur. Ex quo vides à sancto Hieronymo & Patriarcha Euthychio memoratam eligendi formam dudum & constanter fuisse istic proscriptam.

Lib. 4. cap. 18. — epist. 21 — epist. 27 — epist. 22

Attamen aliquid singulare in sua electione semper habuit ista Ecclesia. Hinc enim nobis jam dixit sanctus Epiphanius: *Cum hæc sit Alexandriæ Consuetudo, &c.* Exponit ipsam in Nestorianæ ac Euthychianæ hæresis Breviario Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Archidiaconus: *Consuetudo est Alexandriæ, illum qui defuncto Episcopo succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci Pallium, & tunc legitimè sedere.* Et hinc adversus Petrum Mogum, Alexandrinæ Sedis invasorem, scripsit ad Simplicium Pontificem Acacius Episcopus Constantinopolitanus: *Petrus filius noctis existens, omninò tenebras ad latrocinium peragendum conguas earum cooperator inveniens, media nocte, adhuc jacente cadavere illius, qui Paternos Canones subverterat, insepulto, subrepsit in Sedem, sicut ipse arbitratus est, uno & solo præsente.* Timothei Æluri successorem Petrum arguit; quod necdum sepulto sui in Sede & prævaricatione Antecessoris cadavere pręsumpserit sancti Marci Pallium induere, & in Patriarchali Throno sedere. Quod supra defuncti cadaver non egisset plenas excubias. Defuncto igitur Episcopo statim ante ejus sepulturam debebat esse facta electio. Causam nobis supra dedit sanctus Epiphanus: *Nè jurgia in vulgus & contentiones existant.* Utique per eligendi moras. Alexandrinum namque Populum fuisse seditiosissimum est omnibus notum. Et iste mos etiamnum vivit in quibusdam Ecclesiis ac Monasteriis. Defunctus Antistes sepeliri non potest, nisi à novo Electo. Porrò novus Patriarcha sancti Marci Pallium accipiebat è sepulti tumulo, & defuncti dexteram imponebat suo capiti: Quo profiteretur ac demonstraret se legitimum sancti Marci in ista Apostolica Cathedra successorem. An istud fuerit ipsum individuum sancti Marci Pallium, ignoro. Possit fuisse. Nam quod Hierosolymitana Ecclesia sancti Jacobi Apostoli Pallium servaverit per multa sæcula, ac per ipsum suos Episcopos investiverit, & tandem sancto Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano donaverit, testatur in hujus vita Nicætas Paphlago. Et confirmatur in octavo Concilio. Si Alexandrina etiam Ecclesia habuerit sancti Marci Pallium, errat Eutychius non Marcum, sed Ananiam seu Anianum fuisse istic primum Episcopum.

Cap. 20.

Antiquum Alexandrini Patriarchæ consecrandi modum exponit laudata Ægyptiacæ Synodi ad Leonem Imperatorem Epistola. Affirmat Sanctum profani ac per Calcedonensem Synodum damnati Dioscori successorem Proterium fuisse Canonicè electum, admissum ab omni Alexandria ac omni Ægypto, ipsi rebellasse solum Presbyterum Timotheum Ælurum cum quatuor aut quinque Episcopis & paucis Monachis Apollinaristis, hoc omnes fuisse Synodaliter damnatos à Proterio, atque adjungit: *Adsumens secum Timotheus justè condemnatos duos Episcopos, & Clericos similiter, qui in exilio fuerant habitare damnati, tamquàm manus impositionem suscepturus à duobus nullo penitùs Orthodoxorum Episcoporum ex Ægyptiaca Diœcesi præsente, ut moris est in talibus Alexandrinorum Episcoporum Ordinationibus interesse, ut credit, adeptus est Pontificatus Sedem, adulterium apertè præsumens in Ecclesia.* Duos istos Episcopos Evagrius Epiphaniensis affirmat fuisse Eusebium Pelusii Episcopum, primæ Augustamnicæ Provinciæ Metropolitam, & Petrum ex Iberia ortum, Majumæ Episcopum in prima Palestina. Hic palàm non spectabat ad Ægyptiacam, sed ad Orientalem Diœcesim: Ex nupero Chalcedonensis Synodi Decreto spectabat ad Patriarchatum Hierosolymitanum. Ad Ægyptiacam tamen Diœcesim omninò spectabat Eusebius Pelusii Episcopus. Hic est fædus iste Eusebius, cujus horrendam Simoniam, & variè sceleratam vitam depingit in multis Epistolis, & per sanctum Patriarcham Cyrillum castigari expostulat sanctus Isidorus Pelusiotes. Adfuit Ephesino Concilio, & istic damnavit Nestorium. Licet Ephesino Latrocinio non adfuerit, omninò tamen secutus est sui Patriarchæ Dioscori factionem atque Eutychianam hæresim: Et hinc forsitan sibi timens noluit adesse Chalcedonensi Concilio. Interim factam hìc Dioscori damnationem, & novam sancti Proterii promotionem admittere noluit, huic pertinaciter rebellavit cum Timotheo Æluro, hinc damnatus & relegatus est à laudato Proterio, hujus horrendam trucidationem adjuvit, & ipsius auctorem Timotheum curavit eligi à tumultuante Populo, & cum damnato Petro damnatus Damnatum consecravit. Hujus magnæ rei notitiam debemus uni Evagrio. Et hinc oritur quæstio, Quomodò laudata

Lib. 2. cap. 8.

data ad Leonem Imperatorem Epistola affirmet Timothei Ordinationi nullum adfuisse Ægyptiacæ Diæcesis Episcopum? Respondeo, quod iste Eusebius jam esset Ex-Episcopus. In Timothei Consecratione patratos excessus epistola exaggerat: Affirmat fuisse adeò irregularem, ut non tantùm ex Augustali Provincia, sed nec ex omni Ægyptiaca Diœcesi adfuerit ullus verus Episcopus.

Et quantumvis Eusebius fuisset integer, nullatenùs tamen poterat Patriarcham consecrare. Spectabat id ad Solos Augustali Provinciæ Episcopos, immediatos Patriarchæ Suffraganeos. Ita ad Imperatorem Leonem scripsit cum sua Synodo Evoptius Cyzicenus Episcopus, Hellesponti Metropolita: *Timotheus, qui nunc Alexandriæ est constitutus Episcopus, in ea Sede permanere non potest. Cùm enim secundùm Sacras Regulas Episcopi Consecratio celebretur, convenientibus Provinciæ cunctis Episcopis, etsi per ægritudinem fortè, aut pro aliis necessariis & inevitabilibus causis absentes sint, propriis tamen literis ordinationi factæ consentientibus, si duo homines, & hi quoque damnati, Timotheum ordinaverunt, nequaquam Ægyptiaco consentiente Concilio, superfluum est hujusmodi hominem in Episcopatus ordine permanere.* Affirmat Alexandriæ Patriarcham debere juxta quartum Nicænum Canonem consecrari, non à Diœceseos, sed à propriæ Provinciæ Episcopis. Addit Timothei Ordinationem fuisse adeò extravagantem, ut nec ex Diœcesi adfuerit quis Episcopus. Et istum non tantum in Provinciali aut Metropolitano Episcopo, sed etiam in ipso Patriarcha consecrando morem Nicæna Synodus non induxit, sed ab ipsis Apostolis acceptum dumtaxat confirmavit. Etenim de Romani Pontificis ac etiam Carthaginensis Primatis Consecratione scribit in Carthaginensis Collationis Breviculo sanctus Augustinus: *Donatistæ agebant, ut confirmaretur Cæciliani damnatio, quod non expectaverat ut Princeps à Principe*, utique à Numidarum Primate, *ordinaretur, cum aliud habeat Ecclesiæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent. Sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.* Ità etiam olim factum fuit Antiochiæ, Heracliæ, Ephesi, & Cæsaræ Cappadocum. Et istum Romanum morem haud dubiè induxit sanctus Petrus. Quod hic propriis manibns sanctum Marcum consecrarit, ideoque Romana & Alexandrina Ecclesiæ in suis Ritibus semper symbolizaverint, disertè testatur Magnus Papa Leo in literis ad Dioscorum Patriarcham Alexandrinum. Quare, licet fortasse non Marcus, certè ipsius successores Heraclas ac Dionysius istum Romanum morem in sua Ecclesia plantarunt. Et hinc de Petri Patriarchæ Consecratione suprà nobis dixit Theodoretus: *Vicini Episcopi eò ire maturarunt.* An certè suffraganeæ Sedi fuerit adnexum consecrandi Patriarchæ Jus, usque huc ignoro.

Epist. 47 · Lib. 13. cap. 16. · Epist. 81

Ft hæc omnia insigniter confirmat in literis ad Eusebianam factionem sanctus Papa Julius: *Non decuit novos istos modos contra Ecclesiam induci. Ubi enim est istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut istiusmodi Traditio Apostolica? Ut in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio, immittere Georgium, peregrinum & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris, eumque Antiochiæ creatum Episcopum atque indè deducere Alexandriam, non cum Presbyteris aut Diaconis Civitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus. Si enim post Synodum in culpa deprehensus fuisset Athanasius, non tamen oportuit Creaturam novi Episcopi ita illegaliter & præter Canonem Ecclesiasticum fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso Sacerdotali ordine, & ex ipso Clero, ab Episcopis Provinciæ constitui oportuit, & nequaquam nunc Apostolorum Canones violari.* Agit adversus Antiochenam Synodum, in qua Eusebiana factio Georgium Cappadocem, hominem Arianum, sancto Athanasio superordinavit. Disertè affirmat Alexandriæ Patriarcham debuisse Alexandriæ & eligi & consecrari: Non à Diœceseos, sed à Provinciæ Episcopis. Et ita juberi per Canones Apostolicos. Ista omninò est Lex Autocephaliæ. Georgio successit Gregorius, Gregorio Lucius, etiam Antiochiæ ordinatus. Hanc Ordinationem ex iisdem capitibus damnant Socrates, Hermias Zozomenus, ac S. Epiphanius. Et de Paulo Alexandriæ Patriarcha scribit Liberatus Diaconus: *Postquam Theodosius Alexandrinus*, homo Eutychianista, *in exilium missus est, Paulus quidam, unus Abbatum Thabennensium Monachorum, ad Alexandrinam Sedem ordinatur Episcopus, Pelagio interveniente Apocrysario Romano, plenè orthodoxus. Ordinatus est à Menna Constantinopoli, præsente eodem Pelagio, Apocrisario Vigilii.* Liberatus non sine causis ita urget Pelagii præsentiam. Nempè contrà regulas erat ista Consecratio: Et ob rationes Pelagius dispensavit. Adeò magna semper fuit Potestas Legatis Romanis. Et hinc Joannem III. Patriarcham Constantinopolitanum, quod Joannem Alexandriæ Patriarcham Constantinopoli consecrasset, graviter arguit sanctus Anastasius Patriarcha Antiochenus. Ita habes in Ecclesiastica Historia Anastasii Romani Bibliothecarii. Utique quod consecrasset sine authentica Dispensatione.

Hæref. 68. c. 10 · Cap. 23. · Fol. 68.

CAPUT VI.

Exponitur Hierarchia Alexandrinæ Civitatis.

ALexandriam esse Ægypti, Libyæ, Pontapolis, & multarum Regionum Metropolim scribit Ammianus Marcellinus. Et in Maximi Cynici ad Constantinopolitanos dicto Encomio S. Gregorius Nazianzenus scribit illum fuisse natum Alexandriæ, atque adjungit: *Hoc est, in ea Civitate, quæ vel cum vestra, vel certè statim post eam numeratur, quæ cum omnibus rebus urbes omnes antecellat, tum nihil tam proprium habet, quam animorum fervorem, & quod in eo præclarissimum est, accerrimum erga Christianam Religionem studium, à voluntate quidem atque animi inductione principium ducens, cæterùm à natura postea confirmatum.* Affirmat Alexandriam esse primam à Roma, secundam urbem Romani Imperii. Et ità omninò fuit. Hinc Alexandrinus ex Apostolico Canone est omninò secundus Patriarcha. Verùm quia magnus Constantinus extructam à se Constantinopolim sanxerat esse

Lib. 29. cap. 26. · Orat. 32

esse novam, secundam, ac veteri æqualem Romam, Constantinopolitanos offendere nolens
Orat. 21 Gregorius moderatur suum verbum, atque adjungit: *Quæ vel cum vestra, vel certè statim post eam numeratur.* Et in sancti Athanasii Encomio scribit: *Athanasius Alexandrino Populo, quod est idem ac si dixissem universo terrarum orbi præficitur.* Reverà enim Alexandria, dum Romanum Imperium viguit, fuit quasi Mundus. Et hinc in Chalcedonensis Synodi Actis frequenter appellatur *magna Civitas Alexandrinorum.* Ipsam esse, ac semper etiam dum ante Alexandri Magni opera adhuc No vocabatur, fuisse Ægypti Metropolim, &
Cap. 3. Populis abundantissimam, testatur in Nahum Prophetæ Commentariis S. Hieronymus. Hujusmodi plurima sunt istius Civitatis encomia.

Quod fuerit insigniter Christiana, docet vel sola plurium Ecclesiarum antiquitas, de qua sanctus
Hæres. 68. c. 4. Epiphanius: *Arius Baucalæ cujusdam apud Alexandriam Ecclesiæ Presbyter erat. Nam unicuique Ecclesiæ, quæ tum multæ erant, hodie verò plures sunt, suus attribuebatur Presbyter. Qua ratione procurandam illam Ecclesiam Arius susceperat.* Et infrà:
Hæres. 69. c. 1. *Ferunt Arium Alexandriæ Presbyterum esse factum, qui tum Baucalensis Ecclesiæ cujusdam Præfecturam gerebat. Etenim quotquot Alexandriæ sunt Catholicæ Communionis Ecclesiæ, uni Archi-Episcopo subjectæ, suus cuique præpositus est Presbyter, qui Ecclesiastica munera iis administret, qui circa Ecclesias illas habitant, eorumque conventicula ab Alexandrinis vulgò nominantur Vici seu Lauræ.* Et in sequenti ejusdem Libri capite: *Sanè complures Alexandriæ sunt Ecclesiæ præter eam, quæ nuper extructa dicitur Cæsarea. Quæ olim Adrianum, postea Licinianum Gymnasium, sive Basilica fuit; deinde imperante Constantio ædificari in Ecclesiam placuit. Idque Opus à Gregorio Meletiano & Ariano inchoatum, à beato Athanasio, Orthodoxæ Religionis Parente ad exitum perductum est: & ab eodem postea, cum sub Juliano deflagrasset, instauratum. Præter hanc verò sunt aliæ plures, ut diximus, velut Dionysii Ecclesia, Theonæ, Pierii, Serapionis, Persiæ, Dizyæ, Mendidii, Aniani, Baucalis, & cæteræ.* Cæteras utinam Epiphanus enumerasset & exposuisset.

Sancti Dionysii Ecclesiam laudat etiam Socrates. Affirmat Georgium Cappadocem, quem degradato Athanasio superordinavit Antiochena Eusebianæ factionis Synodus, fuisse per milites deductum Alexandriam, ac per eosdem inthronizatum, ejus ex metu fugisse sanctum Athanasium, atque adjungit: *Tum Georgius Ecclesiam*
Lib. 2. cap. 8. *illam occupat. Populus Alexandrinus, quod factum erat, iniquo animo ferens, Ecclesiam, quæ est Dionysii nomine appellata, incendit.* Eadem omnia refert Hermias Zozomenus, & pergit: *Georgius Se-*
Lib. 3. cap. 6. *dem Alexandrinam occupat. Ob quam causam Populus graviter commotus Ecclesiam nomine Dionysii, qui ibi fuerat Episcopus, nuncupatam incendunt.* Hoccè incendium in Literis ad istam Antiochenam Synodum elucidat sanctus Papa Julius: *Quæ fuerunt à Georgio in introitu ejus, ostendunt qualis fuerit ordo in ejus ordinatione. Temporibus enim ita pacatis, pro-ut renuntiant qui Alexandria veniunt, & quemadmodum Episcopi scribunt, ipsa Ecclesia incendium passa est, virgines denudatæ, Monachi conculcati, Presbyteri & multi ex Populo indignè habiti & violati, Episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati, Sacra Mysteria ab Ethnicis direpta, & in terram abjecta sunt, ut vi cogerent nonnullos ad constitutionem Georgii approbandam.* Patriarchalem Episcopis & omni suo Clero ac Populo Synaxim Athanasius tunc agebat in Ecclesia sancti Dionysii, ipsam invaserunt milites, sperarunt Athanasium comprehendere, inthronizarunt Georgium, irata plebs incendit Ecclesiam, sperans hac via ejicere Georgium, hunc milites defenderunt, vindicarunt incendium, atque ita patrarunt horrendas & sacrilegas petulantias, quas variis in locis largè describit ipse etiam Athanasius. Proinde ista Ecclesia erat sancti Dionysii Patriarchæ Alexandrini.

Sancti Theonæ Ecclesiam laudat in suis ad omnem Catholicam Ecclesiam Literis etiam Petrus Alexandriæ Patriarcha, proximus successor sancti Athanasii. Describit similes in Lucii, qui post Gregorium Georgio successerat, Pseudo-Patriarchæ Alexandrini intrusione patratas à Valentis Imperatoris milite insolentias, ac scribit inter alia: *Copiæ Ecclesiam Theonæ, sic enim vocabatur ingressę &c.* Epistolam in sua Ecclesiastica Historia conservavit nobis Theodoretus. Eadem in Ecclesia sanctum Athanasium fuisse aliquando occultatum testatur Hermias Zozomenus. Et in prima ad Im- Lib. 4.
peratorem Constantium Apologia ipse Athanasius cap. 8.
affirmat antiquas Alexandriæ Ecclesias pro Populi multitudine paucas fuisse ac parvas, & adjungit: *Beatę memoriæ Alexander, cum alia loca angusta essent, in Ecclesia majore Theonæ nuncupata, quam ædificabat, Synaxes celebrari voluit. Id enim jubebat hominum frequentia. Nec in cogendo populo respexit eam nondum esse ædificatam.* Theonæ igitur Ecclesia est sancti Alexandri Opus. Fuit tunc omnium major & Cathedralis. Inscripta fuit sancto Theonæ, qui sanctum Petrum Martyrem in Alexandrino Patriarchatu immediatè præcessit.

Magnam Ecclesiam, quæ Cæsaris nomine nuncu- Lib. 2.
patur, laudat in Ecclesiastica historia etiam Eva- cap. 8.
grius Epiphaniensis, scribens Timotheum Ælurum in ipsam fuisse à seditiosa ac Eutychiana plebe inductum, & ab Eusebio Pelusii Metropolita ac Petro Majumensi Episcopo consecratum in Patriarcham. Ipsius primam origenem exponit in Lib. 2.
suis Annalibus Patriarcha Eutychius, scribens de cap. 8.
Ptolomæi Dionysii filia, ac postrema Ægyptiorum Regina Cleopatra: *Hæc Alexandriæ multa ex-* Fol. 300
truxit ædificia magna & miranda, fecitque opera tessellata. Extruxit etiam templum magnum, quod Saturni Templum appellavit, quod sub Christianismo in Ecclesiam conversum, sancti Michaelis Ecclesiam appellarunt. Quæ eadem Alkaisariah appellata est dum igne periit, quo tempore ingressi sunt Occidentales Alexandriam cum Domino nostro Almansore Abikasem. Et infrà: *Porrò fuit Alexandriæ templum magnum,* Fol. 435
quod extruxit Cleopatra Regina nomini Saturni dedicatum, in quo idolum magnum æreum erat, quod Michael appellatus est, cui Alexandriæ & Ægypti incolæ die mensis Heturi, qui Tisbrin posterior est, festum magnum celebrabant, multas eidem hostias immolantes. Cum ergò Alexandriæ Patriarcha factus esset Alexander, ibique obtineret Fides Christiana, voluit ille confringi Idolum, & tolli sacrificia: cumque isti obsisterent Alexandrini, ille astutia, ipsos aggressus, inquit, Idolum istud nulli omninò

rei

rei est utile, quod si Festum istud Michaeli Archangelo celebraveritis, eique hostias istas constitueritis, ipse pro vobis apud Deum intercedet, majorisque vobis boni causa est futurus, quàm istud Idolum. Adnuentibus ergò illis, ex Idolo confracto Crucem confecit, templum verò appellavit Michaelis Ecclesiam. Estque illa Ecclesia, quæ Cæsarea vocata est, & igne periit, cum Occidentales Alexandriam ingressi, eam vastaverunt. Et consecrata sunt Festum & Victimæ Michaeli Angelo. Unde & adhuc Cophitæ in Ægypto & Alexandria eo die Festum Michaeli Angelo celebrant, & Victimas quam plurimas cædunt. Et in sequenti libro Calyphatum AlmoKtaderi Belahi describit, ac pergit: Fol. 503 *anno Calyphatus Almoktaderi tertio conflagravit Alexandriæ Ecclesia magna, quæ Cæsarea appellata est, & fuerat templum, quod Cleopatra Regina Saturno sacrum extruxerat.* Hæc ergo Ecclesia prius Saturni templum, hinc Imperatoris Adriani, dum Licinii fuit Basilica seu Gymnasium, non à sancto Patriarcha Alexandro, sed à pseudo-Patriarcha Gregorio cœpta converti in Ecclesiam, per sanctum Athanasium perfecta fuit, dedicata, post incendium restaurata. Eutychius consuevit vera falsis admiscere. Omnem rei seriem exponit in prima ad Constantium Imperatorem Apologia Fol. 531 ipse Athanasius: *Cæterùm quia de magna Ecclesia crimen concinnant, quod ibi Synaxis habita sit, priusquam dedicaretur, age, etiam ea de re tuæ Pietati Responsum demus. Eò enim nos trahunt illi, qui in nos odia congerunt. Factum est, agnosco. Non Encæniorum festum celebravimus. Religiosissime Auguste: Id enim celebrare ante tuum Decretum fuisset prorsus nefarium. Festum erat Paschæ, & tanta vis Populorum aderat, quantum Christianorum in urbe esse Christiani Principes optarint. Cum igitur & Ecclesiæ paucæ parvæque essent, & magno tumultu posceretur, ut in magna Ecclesia Conventus celebrarentur, atque ibidem preces pro tua salute fierent, quod & factum est, egoque reniterer adhortationibus, ut rem aliquo usque differrent, & potius quomodocumque liceret, etiam cum compressione & afflictione, in aliis Ecclesiis agerent, mihi neutiquam obtemperatum est. Quin potius urbem egredi erant parati, ut in desertis locis, & sub dio Conventus facerent, melius esse laborem itineris ferre, quàm cum luctu Festum celebrare. Crede mihi, Imperator, & in eam rem accipe testem veritatem ipsam, in Synaxibus quadragesimæ ob multitudinem Populorum, & in locis angustis plurimos pueros, nec paucas puellas, & aniculas complures, & adolescentes multos jacuisse afflictos, ac domum delatos esse, sed tamen ut eorum nemo, benevolentia Numinis perierit.*

Hinc discimus plura. Primò, quòd licet tunc Alexandriæ, essent omnes per sanctum Epiphanium enumeratæ Basilicæ, sanctus tamen Athanasius ipsas dicat fuisse paucas. Nempè respectu numerosissimi fidelis populi. Secundò, quod licet sancti Theonæ Basilica esset à sancto Alexandro nuperrimè ob aliarum angustiam ædificata in novam Cathedralem, ideòque haud dubiè fuerit amplissima, sanctus tamen Athanasius ipsam dicat parvam. Nempè ob numerum ejusdem populi; qui sine compressionis & mortis periculo non poterat istis, licet multis & magnis, Basilicis comprehendi. Istius namque temporis Disciplina etiam in maximis festivitatibus non admittebat nisi unicam in quavis Basilica Synaxim ac unicum Sacrificium, ideòque unius Mandræ seu Parochiç populus cogebatur simul adunari, nec poterat distrahi in diversas coram Divina Majestate Apparituras. Discimus tertiò, quòd ad hæc incommoda evitanda Gregorius Cappadox judicaverit requiri majorem Basilicam, atque hunc in finem ab amico Constantio impetraverit Gymnasium Licinianum. Gregorius enim, licet Arianus, zelum Dei habuit. Quartò discimus, quòd hæc facta sint post Antiochenam Synodum. Hæc enim à Tyria Synodo factam sancti Athanasii damnationem fuit executa, ac ejus in Thronum intrusit Gregorium. Porrò Sardicensis Synodus ipsum extrusit, ac magnum Athanasium reposuit in suam Sedem. Quintò discimus, quod Gregorii Opus sanctus Athanasius censuerit utile & necessarium, atque ita sit prosecutus. Censuit utile, quia necessarium. Quod enim istius temporis Disciplina superfluas Basilicas vetarit extrui abundè lucet vel ex solo sancto Optato Milevitano. Sextò discimus, quòd magnus Athanasius istam fabricam absolverit. Nisi enim fuisset perfecta, & ad Dedicationem parata, non poterat ille Paschalem Synaxim in ipsa celebrare. Nec obsunt ejus verba: *Priusquam absoluta esset.* Hæc enim est versio Illustrissimi Domini Lucæ Holstenii. Petrus Nannius sic vertit: *Priusquam dedicaretur.* Et forsan melius. Septimò discimus, quod ista Basilica fuerit dicta Cæsarea. Quia nempe fuerat duorum Cæsarum Gymnasium, & jam erat tertii Cæsaris donum. Mirum est, quod uti Romana Lateranensis Ecclesia fuit dicta Constantiniana, hçc non fuerit dicta Constantiana. Octavò discimus, quòd ista Basilica dedicari non potuerit sinè venia ac Decreto Constantii. Quia nempè hæc erat ejus donum, ac ipse illius Patronus. Patronatus jus est adeò antiquum.

Eusebianis calumniis circumscriptus Imperator Constantius denuò ejecit Athanasium, & ejus in Thronum intrusit Georgium, hominem laicum & Palatinum, Arianum simul ac Meletianum, quem alii item fuisse Cappadocem, alii affirmant Cilicem. In Sardicensis Synodi, quæ forenses ac Palatinos non tantummodò ad Episcopatum, sed etiam ad Presbyteratum aut Diaconatum adsumi vetuit, odium id fecit Constantius. Et ipsum Ægyptii, gentiles præsertim ac Judæi, crudelissimè ac deformissimè trucidarunt. Et cum ipso etiam Diodorum Presbyterum. Rationem dat Ammianus Marcellinus: *Quod cum ædificandæ* Lib. 23. *præesset Ecclesiæ cirros puerorum licentiùs detondebant,* cap. 28. *id quoque ad Deorum cultum existimans pertinere.* Ista Georgii cædes contigit sub Imperio Juliani Apostatæ, ideòque hic ista de re scripsit ad Alexandriæ populum: *Per Serapim, dicite mihi, quæ tandem Georgii crimina vos in illum incitarunt? Respondebitis arbitror, quoniam in vos Constantium incenderit, deinde exercitum in sacram Urbem adduxerit, hinc Rex sanctissimum in Ægypto Dei templum cæperit, statuas & donaria, & ornatum omnem diripuerit, cumque vos meritò irasceremini, & Deo, vel potius Dei opibus succurreretis, ille summa iniquitate, scelere, impietateque usus armatos immiserit magis fortassè Georgium quàm Constantium veritus, si seipsum erga vos modestè ac civiliter gereret, neque tyrannidem*

dem absens exerceret. His itaque de caussis irati Deorum inimico Georgio, iterùm sacram Urbem scelere polluistis, cùm liceret eum sententiis judicum permittere. Ita è Græco transtulit Dionysius Petavius. At videtur vertendum: *Rex Ægypti sanctissimum Dei templum cæperit.* Per Ægypti Regem Julianus intellexit Augustalem Ægypti Præfectum, qui Regias vices gerebat per Ægyptum, & reverà quasi Rex dominabatur. Et hinc Petrus Nannius ista Epistolæ, quæ & apud Socratem extat, verba transtulit hoc modo: *Præfectus Ægypti.* Verba exposuit potiùs, quàm transtulit. Præfatus Socrates hæc omnia exponit. Refert Mithræ Fanum à Georgio fuisse eversum, ejus sacrilegas nugas fuisse detectas ac omnium risui expositas, locum destinatum ædificandæ Ecclesiæ, paganos offensos, actos in publicam seditionem, atque ita Georgium cum suo Presbytero, quem ædificandæ Ecclesiæ præfecerat, Diodoro horrendè trucidatum. Et in hoc tumultu videtur Cæsarea Ecclesia fuisse combusta, & postmodò per sanctum Athanasium reparata. Hujus incendii meminit & sanctus Ambrosius, ad Imperatorem Theodosium, qui destructam à nescio quo apud Orientem fideli populo Judaicam Synagogam reparari ab eodem
Epist. 17. jusserat, scribens: *Incensa est Basilica & Alexandriæ à gentibus & Judæis, quæ sola præstabat cæteris. Ecclesia non vindicata est, vindicabitur Synagoga?* verba, *Quæ sola præstabat cæteris*, affirmant ipsam fuisse Cathedralem. Quis inchoatam à Georgio Basilicam perfecerit, ignoro. Quin imò videtur istius Ecclesiæ fabrica fuisse dumtaxat concepta à Georgio, numquam inchoata. Etenim Socrates affirmat Mythrę Fanum à Theodosio Imperatore fuisse jussum dirui, & iterùm risui expositum, ac tandem dirutum à Patriarcha Theophilo. Affirmat omnia idolorum Alexandrina Fana à dicto Principe damnata ad excidium. Quod ipsum affirmat Idatii Chronicon, addens edictum emanasse Consulibus Manilio & Theodoro. At verò Comes Marcellinus scribit: *Templum Serapidis apud Alexandriam Theodosii Imperatoris Edicto solutum est.* Videtur asserere solum Serapidis templum fuisse solutum: Quod nempè Mythra suum jam per Georgium amisisset. Quidquid sit, concepta aut inchoata, si quidem perfecta fuerit, per Georgium Ecclesia numquam fuit Cathedralis. Quod Cæsarea usque ad factam ab Occidenralibus combustionem Cathedralis permanserit, supra audivimus à Patriarcha Eutychio. Quod ex Imperatoris Constantii morte, & novo Juliani Imperio Alexandrini Gentiles ac Judæi cæperint istam au-
Lib. 5. daciam, affirmat Hermias Zozomenus. Id ipsum
cap. 7. affirmat adducta Juliani Epistola.

Sanctum Pierium, cujus etiam fuit istic Ecclesia, laudat in Virorum Illustrium Catalogo sanctus Hieronymus: *Pierius, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, sub Cajo & Diocletiano Principibus, eo tempore quo eandem Ecclesiam Theonas Episcopus regebat, florentissimè docuit populos, & in tantam sermonis, diversorumque Tractatuum, qui usque hodie extant, venit elegantiam, ut Origenes junior vocaretur. Constat hunc miræ Ascesios & Appetitorem voluntariæ paupertatis, scientissimumque Dialecticæ & Rhetoricæ Artis, & post persecutionem omne vitæ suæ tempus Romæ fuisse versatum.* Quæ eadem verba parumper mutata, habemus in Romano Martyrologio. Antiquum ejusdem Ecclesiæ Martyrologium eum appellat *Hierium Presbyterum, vita purissimum, in Scripturis nobiliter eruditum.* Eundem ita appellat, ac eximiè prędicat in suo Martyrologio sanctus Ado Viennensis Episcopus, atque adjungit: *Hic quievit tempore Philippi Imperatoris.* Quod ipsum habet Usuardi Martyrologium. Est manifestus lapsus. Porrò de motæ per Imperatorem Diocletianum persecutionis fine scribit ad quarti Christiani sæculi decimum tertium annum Eusebii Chronicon: *Pax nostris à Constantino reddita.* Erat Constantini sextus, sancti Sylvestri Pontificis, & sancti Achillæ Patriarchæ annus secundus. Quare Pierius videtur etiam sub S. Alexandri Patriarchatu vixisse. Idem Alexander videtur ipsi extruxisse Ecclesiam. Hanc enim sub Alexandro fuisse palàm affirmat sanctus Epiphanius. Et non possit anteà fuisse. Et sancto etiam Theonæ, qui fuerat Pierii Episcopus, Alexander extruxit Ecclesiam.

Quod Alexandrina Serapidis ac Bacchi templa Theophilus Patriarcha etiam purgaverit, ac in Lib. 7.
Ecclesias verterit, testatur præfatus Zozomenus. cap. 15.
De Mythræ templo non meminit. Quod nempè id jam factum esset à Pseudo-patriarcha Georgio. Alexandriæ fuisse etiam sancti Quirini Ecclesiam. ac in ipsa item à Pseudo-patriarchæ Georgii Satellitibus patratas pessimas petulantias, testatur in Epistola ad suos Monachos sanctus Athanasius. Hanc Ecclesiam Patriarcha Eutychius appellat sancti Cyrini, & adjungit: *Alexandrini, audito* Lib. 2.
mortuum esse Martianum Imperatorem, proterium fol. 103
Patriarcham Alexandrinum adorti interfecerunt in Ecclesia Cyrini. Istic esse & sancti Joannis Baptistę Basilicam, & in ipsa sub Justiniani Imperio Corpus sancti Anthonii fuisse sepultum, testatur in Chronico Victor Episcopus Tonnonensis. Quod ipsum in suo Chronico scribit sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus. Fuisse augustam Ecclesiam, & Joannem Thalajam, qui Timotheo Salophasciolo successit in Patriarchatum, ejus fuisse Rectorem, adeoque esse antiquam Ecclesiam, affirmat Evagrius Epiphaniensis. Ejus originem ex- Lib. 3.
ponit in libello de præcipuis Sanctorum Festivita- cap. 12.
tibus sanctus Ado Archi-episcopus Viennensis. Affirmat sancti Joannis Baptistæ corpus apud Sebasten seu Samariam fuisse sepultum, atque prosequitur: *Ubi per aliquot annos jacuit usque ad tem-* Cap. 44.
pora Juliani Imperatoris. Qui cum Christianis esset infestissimus, Pagani apud Sebasten sepulchrum ejusdem Joannis Baptistæ invadunt, ossa dispergunt, eadem rursùs collecta & cremata latiùs dispergunt. Sed Dei providentia adfuere quidam ex Hierosolymis Monachi, qui mixti colligentibus, quæquæ ipsi poterant, ablata ad patrem suum Philippum pertulere. Ille confestim hæc, supra se enim ducebat tantum thesaurum servare propriis vigiliis, ad Pontificem Maximum tunc Athanasium per Julianum Diaconum suum mittit. Quæ ille suscepta, paucis arbitris sub cavato Sacrarii pariete inclusa, prophetico spiritu profutura generatione posteræ conservavit. Cujus præsagium sub Theodosio Principe per Theophilum ejusdem urbis Episcopum completur. Qui destructo Serapidis templo, sancti Joannis ibidem consecravit Ecclesiam.

Fuisse illic & Ecclesiam Colymbethram, & sanctum Patriarcham Proterium in ipsa trucidatum, affirmat in Collectaneis Theodorus Lector. Quare hæc Ecclesia videtur fuisse eadem cum Eccle-

Ecclesia sancti Cyrini. Istam cædem constat fuisse patratam in Baptisterio: Proinde & ista Ecclesia ipsum habuit. Fuisse istic sub Anastasii Imperio etiam Arcadii Ecclesiam, scribit Patriarcha Eutychius: Existimo sic dictam ab Imperatore & fundatore Arcadio. Nam & hic in Ægypto erexit Provinciam Arcadiam. Sancti Martyris & Patriarchæ Petri, per Anastasium Romanæ Ecclesię Bibliothecarium è Græco in Latinum translata, Acta laudant & Ecclesiam Deiparæ Virginis. Laudant tria Alexandriæ Cœmiteria. Sancti Marci Cœmiterium propè Buculam. Hic sanctus Evangelista fuit occisus & sepultus. Et ejus successor Patriarcha locum sacravit in Cœmiterium. Laudatur etiam constructum à sancto Petro Cœmiterium. Necnon & Cœmiterium Martyrum ultra Pharum propè Leucada, & adjungitur: *Apud quod à sancto Petro, pacis tempore, erecta fuerat Dei Genitricis memoria.* Hæc Ecclesia videtur fuisse suburbana. Quæ omnia extructa sunt ad morem Romanum. Haud dubiè in ista Amplissima Civitate fuerint & aliæ Ecclesiæ, quæ à nobis ignorantur.

Hæres. 68. c. 4. De harum Ecclesiarum antiquo Regimine scribit sanctus Epiphanius: *Meletius*, Lycopolitanus Episcopus, *Arium à se deprehensum ad Alexandrum Alexandriæ Patriarcham detulit, cùm eum accepisset à rectæ Fidei scopo in Scripturis apud Populum interpretandis aberrare. Arius enim Baucalæ cujusdam apud Alexandriam Ecclesiæ Presbyter erat. Nam unicuique Ecclesiæ, quæ tum multæ erant, hodie verò plures sunt, suus attribuebatur Presbyter. Qua ratione procurandam Ecclesiam illam Arius susceperat, sive quis alius ei adjunctus fuerat, de quibus suo loco agemus.* Et in alio loco: *Per illud tempus Presbyter Arius habebatur, ac multi in unaquaque Ecclesia Collegæ illius erant Presbyteri. Sanè complures Alexandriæ sunt Ecclesiæ. Harum unam Colluthus administrabat, aliam Carpones, aliam Sarmatas. Sed & Arius iste unam ex illis Ecclesiis regebat. Cum autem singuli commissum sibi Populum per statos & Solemnes Conventus publicè docerent, dissensiones in vulgus sparserunt.* Et rursus: *Ferunt Arium ex Lybia oriundum Alexandriæ Presbyterum esse factum, qui tum Baucalensis cujusdam Ecclesiæ Præfecturam gerebat. Etenim quotquot Alexandriæ sunt Catholicæ communionis Ecclesiæ, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est Presbyter, qui Ecclesiastica munera iis administrat, qui circa Ecclesias illas habitant, earumque conventicula vici sine lauræ ab Alexandrinis vulgò nominantur.* Eandem istius Ecclesiæ formam Lib. 1. cap. 4. laudat Hermias Zozomenus. Est forma lucidè Romana. Romana quippè Ecclesia præter Cathedralem, in qua Episcopus semper docuit & Conventus egit Basilicam, habuit plures Titulos Presbyterales, quibus Presbyteri præerant docentes istic, & omnia Divina administrantes. Et hos Presbyteros posterior ætas appellavit Cardinales. Quorum formam, quia est antiquissima, omninò instituit S. Petrus Apostolus. Et primi ejus Presbyteri videntur fuisse Linus, Cletus, & Clemens. Videntur ad primævum Alexandriæ morem fuisse consecratione Episcopi, atque hinc sancto Petro in Papatum successisse. Nam Vesontionenses affirmant Linum antè Papatum fuisse aliquanto tempore suum Episcopum. Eò missum à sancto Petro. Quidquid de hiscè sit, istam Presbyteralium Ecclesiarum & Conventuum formam sanctus Marcus omninò didicit à sancto Petro, Roma Alexandriam detulit, atque ita etiam hunc Ritum Alexandrina Ecclesia debet Romanę. Erant Parochiales Ecclesiæ. Parochias Romani Regiones, Alexandrini dixerunt Vicos seu Mandras. Earum Clerum Romani Regionarium, Alexandrini appellarunt Vicanum. Quod enim etiam Alexandrię in quavis Ecclesia fuerint plures sub uno Primate Presbyteri, adeoque & varii Clerici, disertè jam dixit sanctus Epiphanius. Pleræque olim Civitates non habuerunt, nisi unicam Ecclesiam, in qua docebat ac ministrabat Episcopus. Et erat longè convenientius. Sic enim suo Episcopo Populus in omni Conventu præsens adunabatur. Verùm & Romanus & Alexandrinus Populus in unicam totus Basilicam adunari, & solius Episcopi verbo pasci non poterat: Hinc statim ab Evangelii exordio fuerunt illic plures Basilicæ. Plures fuisse etiam in aliis majoribus Civitatibus, non est dubitandum. Verùm in ipsis non Presbyteri, sed per varios successivè dies videtur solus olim Episcopus, aut non nisi ipso præsente ac jubente Presbyter docuisse. Videtur solus Episcopus cunctis istic Ecclesiis solus immediatè præsedisse. Quod quibusdam tunc Civitatibus fuerit solus sine ullo Presbytero Episcopus, possit facilè ostendi. De consueta tunc plerarumque Ecclesiarum forma scribit in suo super primam Epistolam ad Timotheum Commentario Hilarus Romanorum Diaconus: *Nunc septem Diaconos esse oportet, & aliquantos Presbyteros, ut bini sint per Ecclesias, & unus in Civitate Episcopus.* Palàm agit de Cathedralibus Ecclesiis. Et addit causam: *Omni hebdomada offerendum est. Etiamsi non quotidiè Peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada.* Affirmat oportere, ut in quavis Cathedrali Ecclesia sint ad minùs duo Presbyteri, nè solus Episcopus cogatur semper offerre. Hæc sunt suo loco magis elucidanda.

Adducenda sunt verba Hermiæ Zozomeni: Lib. 1. cap. 14. *Fuit olim Alexandriæ Consuetudo, sicuti nunc est, ut licet unus omnibus præ-esset Episcopus, Presbyteri tamen separatim Ecclesias retinerent, Populumque sibi commissum ad Conventus cogerent.* Et in alio loco scribit: Lib. 7. cap. 19. *Apud Alexandrinos solus docet Civitatis Episcopus. Ajunt tamen hanc Consuetudinem non priùs inolevisse, quàm ex quo Arius Presbyter, de doctrina disserens, insolitum introduceret.* Quod ipsum docet Socrates. Arii ergò lapsus istam Presbyterorum per Basilicas & Mandras Prefecturam non penitùs abstulit, sed tamen insigniter mutilavit. An Alexander Patriarcha, an Nicæna Synodus mutilaverit, ignoro. Si conjecturandi detur facultas, Decretum ab Alexandro emanasse dicam, à Synodo fuissę confirmatum. Et ipsum plures aliarum Civitatum Episcopi quibusdam videntur probasse & admisisse, aut certè antea habuisse in suis Ecclesiis. Etenim ad Nepotianum scribit sanctus Hieronymus: *Pessimæ Consuetudinis est in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros,* Epist. 2. *& præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur audire.* At errant. Non enim istud Alexandrinum Decretum, sed antiquam quarumdam Ecclesiarum Consuetudinem, quæ non omninò, sed dumtaxat præsente Episcopo imponebat Presbyteris silentium, damnat Hieronymus. Hanc in Africana etiam Ecclesia viguisse, & à sancto Valerio Hipponensi Episcopo,

qui

qui sancto Presbytero Augustino coram se concionandi potestatem primus fecit, cœpisse, cum plurium Collegarum obloquio intercidi scribit S. Possidius. Ex his item intelligimus, quo fundamento Colluthus, unius Alexandrinæ Basilicę Rector, Episcopalem consecrationem ambiverit, eandem sit mentitus sibi impartitam, se pro Episcopo gesserit, & Clericos consecrare attentarit. Quia nempè omnes isti Rectores usque ad Heraclæ ac Dionysii tempora fuerant Consecratione Episcopi: Istam consuetudinem Colluthus tentavit reparare. Existimo quod consecrare tentaverit solos Clericos suæ Basilicæ. An ista olim ipsis fuerit facultas, non possim dicere. Interim hinc vides singulis istis Basilicis fuisse olim plures Clericos: Etiam Presbyteros.

Quæstio est, quot tales Basilicas atque Rectores Presbyteros olim habuerit Alexandrina Ecclesia? Patriarcha Eutychius affirmat fuisse duodecim Presbyteros, & quidem ex Institutione & Consecratione S. Marci. De Basilicarum numero plenè silet. Et quis credat ex tunc fuisse illic tot Basilicas? Eusebius Cæsaræensis ex Philone affirmat per Marcum in quavis Nomo ac agro erectum fuisse suum augustum Templum, suumque Monasterium: præsertim circa lacum Mareotidis. Et per Monasterium videtur Mandram intelligere. Nam principaliora Monasteria Græci semper vocarunt Mandras, eorumque Præfectum appellarunt Archi-Mandritam. De ipsius Alexandriæ Basilicis Eusebius nihil affirmat. Quin imò S. Marcus videtur non statim tot Presbyteros istic consecrasse. Etenim antiqua, per Abrahamum Ecchelensem translata & vulgata, Alexandrinorum Patriarcharum Historia habet: *Multiplicato credentium in Christum numero, constituit S. Marcus Anianum Episcopum Alexandriæ, & cum eo tres Prerbyteros, & Diaconos septem.* Existimo Presbyterorum numerum uti & Basilicas, pedetentim cum fidelium augmento profecisse. Hinc S. Epiphanius affirmat ipsas sub S. Alexandri Patriarchatu fuisse multas, plures autem suo tempore. Sanctus verò Athanasius affirmat sub se fuisse paucas & parvas. Nempe respectu numerosissimi Populi. Sanctus Epiphanius præter Cæsaream Cathedralem enumerat novem Presbyterales, atque adjungit: *& cæteræ.* Apud Gelasium Cyzicenum extat Diploma, quò Arium Presbyterum suum S. Alexander Patriarcha damnat ob novam hæresim. Et ipsum mittit ad omnes Ecclesias: & ipsi subscribunt septemdecim Presbyteri Alexandrinæ Ecclesiæ. Proindè Arius erat decimus octavus. Non enim videtur ex tunc fuisse quis ordinatus in ejus Titulum. Et in secunda S. Athanasii Apologia extat ad Theognium & alios Tyriæ Synodi Antistites epistola, cui est Epigraphe: *Presbyteri & Diaconi, sub Reverendissimo Episcopo Athanasio, Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ.* Et subscribunt Presbyteri sexdecim. Eos inter non est Timotheus, qui impudentis meretriculæ calumnias evertit in Tyria Synodo. Quod nempe is esset apud Athanasium. Etiam quis alter, imò & quidam alii possint abfuisse. Nam ante extructam Cęsaream Basilicam Alexander Episcopus habuit octodecim Presbyteros, ideoque Successor Athanasius debuit habuisse novemdecim. Quia nempe S. Theonæ Basilica, quę sanctæ Alexandro fuit Cathedralis, post ædificatam Cæsaream est versa in Presbyteralem. Ipsam inter Presbyterales disertè numerat S. Athanasius. Possint fuisse & aliæ nobis ignotæ. Item possint fuisse Presbyteri sine istiusmòdi Titulis.

Lib. 2. cap. 3.

Alia quæstio est, an Alexandrina Ecclesia sub se habuerit forensem Parochiam; seu forenses & rusticanas Parochiales Basilicas? Etenim Romana Ecclesia tales numquam habuit. Semper habuit, ac etiamnum habet solas Urbanas Basilicas, & aliquot extrà muros Cæmeteria ac Monasteria. Quo omnium sub Cælo Ecclesiarum solicitudini melius attenderet Romanus Episcopus, S. Petrus ipsum voluit esse solius Urbis Episcopum, liberum ab omni cura Pagensium. Quæ forma videtur viguisse etiam Antiochiæ & Constantinopoli. Quæritur, an eandem S. Marcus plantaverit Alexandriæ? Respondeo non plantasse. Lucet ex Epistola, quam ad Flavium Philagrium Augustalem Pręfectum scripsit pro S. Athanasio Clerus Mareotidis. Habet hanc Epigraphen: *Presbyteri & Diaconi Mareotici è Regione & Nomo, cujus Episcopatum gerit Reverendissimus Athanasius.* Extat epistola in secunda Apologia laudati Athanasii. Et ipse ibidē Athanasius scribit: *Mareotes est ager Alexandrię, quo in loco numquam Episcopus fuit, imò nec Chorepiscopus quidem, sed Universæ ejus loci Ecclesię Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen ut singuli pagi suos Presbyteros habeant. Sunt autem pagi isti maximi decem numero, aut aliquantò plures. Pagus autem, ubi habitat Ischyras, minimus est, & paucissimorum hominum, adeò ut non ibi, sed in proximo pago Ecclesia sit constituta.* Extat ibidem totius Mareotici Cleri ad Tyriam Synodum pro S. Athanasio epistola, cui subscribunt quatuordecim Presbyteri, & quindecim Diaconi. Et laudatæ, quæ apud Gelasium Cyzicenum extat S. Alexandri adversus Arium epistolæ subscribunt sexdecim Mareotici Presbyteri, & totidem Diaconi. Subscribunt proximè post septemdecim Presbyteros, & tredecim Diaconos Alexandrinæ civitatis. Quod Mareotidis Ecclesia ex S. Marci Instituto spectet proximè ad Alexandrinam Cathedram, lucidè insinuat Eusebius Cæsaræensis.

Et ex his addiscimus varia. Primò, quod Mareotidis lacus habuerit sibi adjacentes pagos varios, aliquot ultra decem. Secundò, quod non quisque pagus, sed soli principaliores habuerint Ecclesiam. Minores in Ecclesiasticis dependebant à vicino majori, ac ejus frequentabant Basilicam. Et talis erat pagus, in quo Eusebiana Factio erexit novum Episcopatum, dandum nequissimo Ischyræ, uti pręmium fictę in S. Athanasium calumniæ. Discimus tertiò, quod sub Patriarcha Alexandro Mariotes habuerit sexdecim Presbyteros, ac totidem Diaconos. Quia nempè quævis istic Pagensis Ecclesia habebat suum Presbyterum, ac suum sub illo Diaconum. Quare dum datis ad Tyriam Synodum literis per quatuordecim dumtaxat Presbyteros & quindecim Diaconos subscriptum est; reliqui obierant aut aberant. Discimus quartò, quod ista Regio & Pagorum congregatio numquam habuerit Chorepiscopum, seu Decanum Ruralem. Quia nempè sine medio spectabat ad Patriarcham. Ita videtur. Et hæc item videtur causa, ex qua Diplomati, quo Alexander Patriarcha Arium damnavit, non soli Civitatenses Presbyteri ac Diaconi subscripserint, sed etiam Mareotici. Etiam

ambo indubiè adfuerunt damnati Synodo. Quia nempè Mariotici, licet Pagenses, erant Alexandriæ vicini, & ex singulari Privilegio spectabant ab ejus Clerum. Quod ipse sanctus Marcus istic Augusta Templa & Monasteria, nec non singularia Christianæ eruditionis ac Disciplinæ Gymnasia erexerit, supra audivimus à Cesaræensi Eusebio. Hinc iste Clerus possit semper spectasse ad immediatam curam Patriarchæ. An Alexandrina Cathedra sub se alios insuper Pagos, & quosdam in his Chorepiscopatus habuerit, trado aliis me eruditioribus examinandum.

CAPUT VII.

Exponitur Alexandrini Patriarchæ Jurisdictio.

HAc de re in Theodosiano Codice extat Valentiniani II. magni Theodosii, ac Arcadii Imperatorum Lex ad Optatum Præfectum Augustalem. Omnes Ecclesiasticas Episcoporum & Clericorum causas mandat non apud publica Tribunalia, sed per Episcopos examinari ac decidi, & concludit: *Quibuscumque igitur mota fuerit Quæstio, quæ ad Christianam pertineat Sanctitatem, eos decebit sub eo Judice litigare, qui Præsul est in partibus omnium Sacerdotum, id est, per Ægypti Diœcesim. Quare laudabilis Authoritas tua arbitrio temperato, quidquid negotiorum aliunde incidet, terminabit, habituro Pontificium Sacræ Disceptationis Timotheo Episcopo, quem sibi omnes etiam suo judicio prætulere. Est enim vir cùm omnium Sacerdotum susceptatione venerandus, tùm etiam nostro judicio approbatus.* (Lib. 16. tit. 12. cap. 3.) Hæc postrema verba alludunt ad aliam ejusdem Codicis Legem, qua idem Imperator Theodosius eundem Timotheum sancit omni Ægyptiacæ Diœcesi esse radicem orthodoxæ Communionis. (Lib. 16. tit. 1. cap. 3.) Adducta jam Lex nos docet plura. Primò, quod Alexandriæ Patriarcha habeat jurisdictionem per omnem Diœcesim Ægyptiacam. Erat enim Ægypto in Ecclesiasticis, quod Augustalis Præfectus in Politicis. Et quod hic olim per omnem istam Diœcesim habuerit Potestatem, omnibus notum est, & hæc ipsa Lex demonstrat. Etenim Optato Augustali Præfecto mandat, ut hanc Legem faciat per omnem istam Diœcesim observari. Licèt postmodò Imperator Justinianus ejus authoritatem ad solam Alexandrinam Civitatem & duas Ægyptos circumscripserit, avita tamen Patriarchæ Potestas in nullo fuit læsa. Et quidem ejus Potestas videtur etiam antiqua Præfecti Potestate fuisse amplior. Etenim adducta Lex omnes omnium per omnem Diœcesim non tantumodò Episcoporum, sed & Clericorum causas mandat per ipsum definiri. Etiam in prima instantia. Nec enim agit de Appellationibus. Et hoc esse affirmat istius Patriarchæ Pontificium. Utique ex antiqua consuetudine. Nec mireris hoc. Etenim hæc Potestas videtur competere omni Patriarchæ. Lucet ex trigesimo octavo Canone Arabico: *Ut nullus Episcoporum in Parœcia alterius Ordinationes Presbyterorum aut Diaconorum faciat, exceptis Patriarcha & Archi-Episcopo, in locis quæ sub eorum Potestate sunt.* Ordinandi & judicandi Potestas sunt connexæ: Quare Patriarcha, qui per omnem suam Diœcesim ordinare potest, potest & judicare. Potest cum omnibus sibi subjectis Episcopis ad ista concurrere. Et datur locus præventioni. Et hinc Alexandrinus videtur quid singulare habuisse. Omnium prima instantia videtur privativè ad ipsum spectasse. Et certè omnium penitus Episcoporum Consecratio ad ipsum privativè spectavit, ideòque spectasse potuit & ipsum judicium. Et adducta Lex dat caussam: *Quem, sibi omnes suo etiam judicio prætulere.* Affirmat Patriarcham hunc non à solis suæ Provinciæ, sed à cunctis suæ Diœcesios Episcopis eligi, ideòque esse omnium judicem. Et hoc secundò addiscimus ex ista lege. Præterea, nullus per Ægyptum Metropolita videtur potuisse facere Synodum, sed solus Patriarcha. Certè Provincialis istic Synodi ego nullum scio exemplum. Omnes, quascumque legi, fuerunt Patriarchales. At verò omnes alicujus momenti Ecclesiasticæ causæ debent disceptari ac definiri in Synodis: ergo per Ægyptum definiri potuerunt per solum Patriarcham.

Hæc omnia lucidè & amplè confirmantur ex quarta Actione Chalcedonensis Synodi. Hæc Actio Dogmaticam, quæ priùs S. Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, deinde hanc ipsam Synodum direxerat atque instruxerat, S. Leonis Pontificis Epistolam solemnissimè probavit, munivit singulorum Episcoporum suffragio & Subscriptione, voluitque ut tredecim, qui cum suo jam degradato Patriarcha Dioscoro Chalcedonem venerant ut Legati totius Diœceseos, Ægyptii Episcopi etiam subscriberent. Verùm isti intercesserunt. Imperatori Martiano obtulerunt preces, sese orthodoxos sunt professi, & postularunt à Subscriptione excusari. Princeps preces remisit ad Synodum. Ad ipsas auditas obstupuerunt cæteri Episcopi, & reposuerunt: *Dogma Eutychis, quare non anathematizarunt? Cum impostura petitiones porrexerunt. Epistolæ Leonis subscribant, anathematizantes Eutychen & Dogmata ejus. Consentiant epistolæ Leonis. Eludere nos volunt, & discedere.* Ægyptii Episcopi Eutychianum errorem abundè damnaverant in suo libello, sed ejus nomen disertè non expresserant: Hinc sese Synodo fecere suspectos. Quare Diogenes Chizici Episcopus, Hellesponti Metropolita, adversùm illos perrexit: *Propter Eutychem facta est Synodus, non propter aliquid aliud. Romanus Episcopus propter ipsum scripsit. Omnes consentimus epistolæ consequenter habenti expositioni SS. Patrum. Et isti consentiant Epistolæ sanctissimi Leonis.* Quod ipsum Apostolici Legati & plures Episcoporum Primates gravissimis interlocutionibus firmarunt atque urserunt. Et Hieracus Aphnaitarum in Ægypto Episcopus ex suo & duodecim Collegarum nomine reposuit: *Si quis præter ista, quæ à nobis in Petitionibus porrecta sunt, sapit, sive Eutyches, sive alter aliquis, Anathema sit. De epistola autem Sanctissimi & Deo amicissimi Archiepiscopi Romani Leonis sciunt omnes SS. Patres nostri, quia in omnibus exspectamus Sententiam Beatissimi nostri Archi-Episcopi, & petimus vestram Clementiam expectare Præsidis nostri Sententia, quia eum in omnibus sequemur. Nam & sanctissimi, qui in Nicæa congregati sunt, trecenti decem & octò Patres, hanc Regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca Regio Archiepiscopum Magni nominis Civitatis Alexandriæ, & nihil absque illo agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo.*

Eusebio

Eusebio Dorylæensi apud Phryges Episcopo, zelosissimo damnati Eutychetis accusatori, visa sunt hæc mira, ideòque ex consueto impetu est interlocutus: *Mentiuntur.* Et Florentius Sardensis Episcopus, Metropolita Lydorum: *ostendant quod dicunt.* Molliùs intercessit, attamen tantam Ægyptiorum Episcoporum à suo Patriarcha dependentiam non potuit intelligere. Cecropius Sebastopolitanus in Armenia Episcopus est usus alio argumento: *Non noverunt isti quomodò credunt, & nunc volunt discere.* Dixit omnem Episcopum oportere esse fidei Doctorem, ideòque Ægyptios, qui ipsam, antequam Papali Epistolæ subscriberent, postulabant discere à novo Patriarcha, esse adhuc Discipulos, ideòque indignos Episcopatu. Photius Tyriorum Episcopus, primæ Phœniciæ Metropolita, addidit ad ipsos Ægyptios *Consentitis Epistolæ Beatissimi & Sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis, sicut & universalis Synodus consentit, & subscribitis, An non?* Censuit tantæ Episcoporum à Patriarcha dependentiæ non esse locum in generali Synodo: hanc esse omni Patriarcham superiorem. Etiam Romani Legati hanc Ægyptiorum Exceptionem improbarunt, & locuti sunt ad Synodum: *Tot annorum Episcopi in Ecclesia senescentes, usque ad hoc tempus fidem rectam & Catholicam ignorant, & expectant adhuc alienam Sententiam?* Approbarunt intercessionem Cecropii Sebastopolitani. Etiam Diogenes Cizicenus Episcopus est denuò interlocutus: *Qui necdum cognoscunt quod credunt, isti ordinare habent Episcopum?* Et universa Synodus exclamavit: *Qui non consentit Epistolæ sanctissimi Archiepiscopi Leonis, hæreticus est. Qui non anathematizat Eutychen, hæreticus est.* Et Ægyptii responderunt: *Anathema Eutychi, & credentibus ei.* Ita sese ab hæresi expurgarunt. Et rursum omnis Synodus: *Subscribant epistolæ Leonis. Qui ei non subscribit, hæreticus est.* Et Ægyptii: *extrà voluntatem Archiepiscopi nostri non possumus subscribere.* Et Acacius Ariaratiræ in Armenia Episcopus opposuit: *Incongruum est universalem Synodum prætermittere, & in unam Personam attendere, quæ susceptura est Episcopatum Alexandriæ magnæ Civitatis. Intentio enim his est, sicut in Epheso,* seu Ephesino Latrocinio, *perturbarunt omnia, & scandalis compleverunt universum Mundum, & nunc istam sanctam & magnam Synodum volunt perturbare. Petimus ut non eis concedatur, sed aut consentiant Epistolæ, aut regularem damnationem suscipiant, & cognoscant quia excommunicati sunt.* Sensit cum Photio Tyriorum Episcopo, & ejus argumentum insigniter elucidavit. Hinc idem Photius statim adjunxit: *Quomodo conantur ordinationem facere non eadem sapientes huic Sanctæ & Universali Synodo? Si enim recta sapiunt, ostendant propriam intentionem, qualis est circa fidem, & suscipiant Epistolam sanctissimi Archi-Episcopi Leonis. Si autem nolint, sint excommunicati.* Et omnis Synodus acclamavit: *Hæc omnes dicimus, omnes sic sapimus.* Existimarunt Ægyptios dolosè agere, dolere ob degradatum Dioscorum, provocare ad falsam consuetudinem, hac arte velle elabi, & persistere in Eutychiana perfidia. Hinc Ægyptii per Hieracum Aphnaitarum Episcopum constanter regesserunt: *Jam per petitiones nostras fidem manifestam fecimus, & non extra Catholicam Fidem credentes apparuimus. Quia verò Episcopi nostræ Regionis nimis multi sunt, nos pauci, non possumus numero pauci illorum personas suscipere. Petimus autem vestram Sublimitatem, & hanc sanctam ac magnam Synodum, ut misereamini nobis, & expectetis nostrum Archiepiscopum, ut secundùm antiquam Consuetudinem illius sequamur sententiam. Quia si extrà voluntatem Præsidis nostri aliquid faciamus, sicut præsumptores, & non servantes secundùm Canones antiquam Consuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones insurgent in nos. Ergò miseremini nostræ Senectutis: Miseremini, & non faciatis nos in peregrinatione nostram vitam consumere.* Et eidem Reverendissimi Episcopi jactaverunt se in terram, atque dixerunt: *Clementes estis, miseremini nostri.* Firmi perstiterunt prædicare suæ Diœcesis Consuetudinem. Prædicare ipsam esse immobilem. Et non esse extravagantem. Hinc addiderunt esse secundùm Canones, seu per Canones confirmatam. Utique per sextum Nicænum. Addiderunt omnem Ægyptum istius Patriarchalis Juris esse adeò zelosam atque tenacem, ut nemo ipsius prævaricator permittatur istic vivere, ideoque se, si prævaricentur, reverti non posse in Ægyptum, sed compelli ad omni sua vita infæliciter peregrinandum. Insuper subtexuerunt & aliam rationem: Quod nempè pauci essent, ideoque ex totius Diœceseos, quæ numerosissimos Episcopos habet, persona nihil possent agere sine singulari mandato. Hinc & à sancta Synodo, & à gloriosis Judicibus flagitarunt misericordiam. Et quidem in terram prostrati.

Nihilominus plures Episcopi censuerunt per hæc non everti Photii Tyrii & Acacii Ariaratirensis argumentum, ideoque Cecropius Sebastopolitanus est denuò interlocutus: *Universalis hæc Synodus Ægyptiaca regione major est, ac fide dignior. Et non est justum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Episcopos. Non enim nunc nos exigimus, ut pro aliis suam fidem ostendant, sed dicimus, ut ipsi pro sua persona rectæ fidei consentiant.* Ita etiam respondit ad novum Ægyptiorum de Mandati carentia argumentum. Et Eusebius Dorylæensis Episcopus adjunxit: *Procuratores isti sunt omnium Ægyptiorum, & debent Universalem Synodum sequi.* Dixit ipsis adesse Mandatum, ideoque iterum mentiri. Et Lucentius Esculanus Episcopus, ac sancti Papæ Leonis Legatus addidit ad gloriosos Judices: *Si errant, doceantur per vestram magnificentiam. Quia non possunt decem homines præjudicium facere Synodo sexcentorum Episcoporum, nec Catholicæ fidei.* Confirmavit fundamentum Photii Tyrii, Acacii Ariaratirensis, & Cecropii Sebastopolitani. Hinc undique pressi Ægyptii denuò perrexerunt: *Jam non possumus habitare in Provincia. Misereamini nostri. Occidimur. Miseremini nostri.* Perrexerunt urgere Ægyptiacæ Diœcesis zelum pro jure Patriarchico. Universa Synodus fuit admirata, & exclamavit: *Videtis, quomodo testimonium perhibent suis Episcopis, dicentes. Quia occidimur?* Et hinc ad gloriosos Judices converterunt se isti Episcopi, atque dixerunt: *Morimur, per vestigia vestra. Miseremini nostri. Moriamur à vobis, & non illic. Fiat hic Archiepiscopus, & subscribimus, & consentimus. Miseremini canorum nostrorum. Detur hic Archiepiscopus. Novit Dei amantissimus Archiepiscopus Anatolius, quia talis*

lis Consuetudo in Ægyptiaca regione obtinuit, ut omnes obediant Archiepiscopo Alexandriæ. Non quia non obtemperamus Synodo, sed occidemur in patria. Miseremini nostri. Potestatem habetis. Subditi sumus, non recusamus. Meliùs est nos hìc mori à Domino mundi, & à vestra magnificentia, & ab hac sancta Synodo, quam illic. Propter Deum miseremini istorum canorum: Parcite decem hominibus, parcite. Potestatem habetis in animam nostram: Parcite decem hominibus. Moriemur illic. Meliùs est hìc mori. Misericordes sunt Domini. Novit Consuetudinem Anatolius Archiepiscopus. Sedes nostras volunt: Tollant. Nolumus esse Episcopi. Solummodò non moriamur. Date Archiepiscopum, & si contradixerimus, punite nos. Consentimus his, quæ decrevit vestra Potestas. Non contradicimus, sed eligite Archiepiscopum. Hìc expectamus, usque dum ordinetur. Anatolius dudum fuerat Alexandrinæ Sedis Archi-Diaconus, ejusdemquè in Regia civitate Apocrisarius, ex ista Dignitate per Ephesinum Latrocinium evectus in Episcopatum Constantinopolitanum, atque ita Alexandrinæ Ecclesiæ jura, & totius Ægyptiacæ Diœcesis Hierarchicos mores quàm optimè callebat. Hinc ad ipsum appellant Ægypti Episcopi, & sua de sui Patriarchæ juribus & totius Diœceseos pro ipsis zelo. Allegata postulant per eum confirmari. Addunt se, statim ac fuerit electus novus Patriarcha, ad sancti Leonis epistolam & quævis Synodi Decreta subscribenda paratissimos. Rogant aut à Synodo Patriarcham eligi, aut se usque ad factam Alexandriæ electionem detineri Constantinopoli. Promittunt tunc sine mora subscribere.

Et hæ rationes ac preces placuerunt gloriosis Judicibus, atque sunt ita interlocuti: *Quoniam Reverendissimi Episcopi Ægyptiorum, non ut repugnantes Catholicæ Fidei, subscribere in præsenti distulerunt Epistolę sanctissimi Archiepiscopi Leonis, sed dicentes Consuetudinem esse in Ægyptiaca regione, extra sententiam & jussionem Archiepiscopi nihil tale se posse, poscunt autem sustineri se, donec consecretur Episcopus, qui ordinandus est magnæ civitatis Alexandriæ.* Et sanctus Paschasinus, Lilybeti in Sicilia Episcopus, sancti Leonis Papæ Vicarius ac Legatus, judicium comprobavit: *Si præceperit Gloria vestra, & jubetis illis præstari aliquid humanitatis, datis Fidejussoribus non exeant de ista civitate.* Et gloriosissimi Judices: *Sanctissimi Paschasini sit firmum judicium. Unde permanentes in proprio habitu Reverendissimi Episcopi Ægyptiorum aut dent fidejussores, si hoc illis est possibile; aut per Sacramentum eis credatur, quia expectant ordinationem futuri Episcopi magnæ civitatis Alexandriæ.* Et istam gloriosissimorum Judicum interlocutionem Universa Synodus adeò probavit, ut ipsam voluerit esse suum trigesimum Canonem. Utique post maturum ac plenum examen Ægyptiacæ Consuetudinis. Ita quibusdam videtur.

Quidquid sit de Universa Synodo, certum est & gloriosos Judices, & præsertim S. Paschasinum sine maturo examine non pronuntiasse. Item dubitandum non est, quin Anatolius Constantinopolitanus Episcopus Ægyptiacę Consuetudini perhibuerit plenum testimonium. Quocirca omnes per Ægypti Diœcesim non tantummodò Provinciales, sed etiam Metropolitani Episcopi in cunctis dependebant à Patriarcha: Non dumtaxat uti à Patriarcha, sed etiam uti à Metropolita: Hinc nullus ipsorum poterat suæ Provinciæ Synodum facere, nec sine Patriarchæ auctoritate ullum Decretum edere, imò nec generalis Synodi sanctionibus subscribere. An Provincialis Episcopus citra Metropolitæ auctoritatem nequeat subscribere hiscè Sanctionibus, firmus non scio. Interim ad Ephesinæ Synodi adversus Nestorium Decreta Maximus Assi in Asia Episcopus est hoc modo suffragatus: *Quemadmodum sanctissimus Episcopus noster Memnon deposuit, ita & ego credo, concordanterque in hac fide persevero.* Memnon erat Ephesinus Episcopus, Maximi Metropolitanus. Eandem formam servavit Dorotheus Dodonensis in veteri Epyro Episcopus. *Quæ sanctissimus Metropolis meæ Episcopus Donatus sentit & affirmavit, ego quoque sentio & affirmo.* Donatus erat Nicopolitanus Archiepiscopus. Ista Professio fortiter suadet Provinciales Episcopos etiam in generali Synodo à sui Metropolitæ judicio plurimum pependisse. Et Calcedonensi Synodo Diogenes Cyzici Episcopus, Hellesponti Metropolita, & alii plures in ista dignitate Collegæ subscripserunt hoc modo: *Et pro me, & pro Episcopis absentibus, sub me constitutis.* Non ex ipsorum mandato, sed ex sua in ipsos auctoritate taliter subscripserunt. Uti ipsi pro absentibus poterant, ita præsentes sine ipsorum facultate videntur non potuisse subscribere.

Hanc dependentiam suadet etiam sancti Petri Chrysologi, Ravennatis Episcopi, Rescriptum ad Eutycheten hæresiarcham. Suas cum suo sancto Episcopo Flaviano Dogmaticas lites hìc illi retulerat & commendaverat, & S. Petrus respondit: *In omnibus hortamur te, ut his quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei extra Consensum Romanæ civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* Diploma, quo Imperator Valentinianus tertius Ecclesiam Ravennatem erexit in Metropolim, datum est Joanni primo, sancti Petri proximo Antecessori. Hinc si ipsum sit verum, sanctus Petrus fuit Metropolita. Dico, *Si ipsum sit verum.* Quod enim sit spurium figmentum, suadent varia. Si verum sit, Ravennates Episcopi sunt per ipsum evecti in mutilam & contractam Metropoliticam potestatem. Sine Romani Pontificis, sui usque tunc Metropolitæ, consensu nullam fidei quæstionem judicare, imò nec audire potuerunt, adeoque nec suæ Provinciæ, saltem Dogmaticam, Synodum celebrare, ad morem Metropolitarum Ægyptiorum. Dico, *saltem Dogmaticam.* Quod enim inter Dogmatica & Synodica Judicia sit multum discrimen, demonstrat Africana Ecclesia, cujus inferior Clerus à Canonicis suarum Synodorum Judiciis Romam appellare non potuit, & tamen potuit à Dogmaticis.

An etiam in generali Synodo isti Episcopi habuerint tantam dependentiam, non possim affirmare. Certè habuerunt in amplissima totius Italię Synodo. Lucet ex tertia Synodo Felicis tertii Pontificis. Quod cuncti generatim Episcopi atque Abbates etiam in generali Synodo nihil possint sine sui Patriarchę præsentia & assensu statuere aut subscribere, alicubi scripsit etiam Theodorus apud Constantinopolitanos Præfectus Studiani

ni Monasterii. Et certè de Abbatibus res est fundata. Etenim Constantino Diacono, hæreticum Eutychetis Tomum circumferenti per Monasteria, & Abbatum subscriptiones postulanti, respondit Martinus Presbyter & Archi-Mandrita: Fol. 111 *Non est meum subscribere, sed dumtaxat Episcoporum.* Ita habes in prima Actione Chalcedonensis Concilii. Istam certè à suo Patriarcha dependentiam habuerunt Ægyptiorum Episcopi. Etiam Metropolitæ. Et Hieracus Aphnaitarum Episcopus in Chalcedonensi Concilio rectè asseruit istam Consuetudinem fuisse probatam & firmatam à Nicæna Synodo. Utiquè per sextum Canonem. Suo loco id demonstrabitur. Hoc ipsum demonstrant Pacta inter sanctum Patriarcham Athanasium & Arsenium Hypselitarum Episcopum: Hujus Professio sic habet: *Promitto nos citra tuam Metropolitani Episcopi sententiam nullum de Episcopis aut alio dogmate communi & Ecclesiasticum Decretum edituros, sed cessuros Canonibus ante susceptis, ad exemplar & modum Ammoniani & Tyranni, Plusiani, & reliquorum Episcoporum.* Antea à Meletianis suscepti Canones sunt omninò sextus Nicænus. Quin etiam Meletius, & omnes ei complices Episcopi similem Professionem sancto Alexandro Patriarchæ fecerint in ipsa Nicæna Synodo, videtur non dubitandum. Et quidem hic erat Metropolita Lycopolitanus. Etiam alii fuerunt Metropolitæ. Quocirca omnes Ægyptiorum Episcopi habuerunt à suo Patriarcha singularem dependentiam, ex qua nec suarum Provinciarum Synodos potuerunt facere, nec ullum sine ejus consensu Decretum edere aut subscribere, nè in generali quidem Concilio. Nec Dogmaticum Decretum, nec Canonicum. Ita de utroque palàm habet Professio Arsenii. Dependentiæ & consuetudinis veram originem ac radicem ignoro. Etiam de Episcopis nullum poterat Decretum edere: hoc est, nullum Episcopum degradare. Hoc enim fieri non poterat nisi per Provinciæ Synodum, istis Episcopis non permissam.

CAPUT VIII.

Exponitur Origo Meletiani Schismatis.

MELETIUS fuit Lycopolitanus Episcopus, Thebaidis Metropolita, ac de ejus in Schisma prolapsu scribit sanctus Epiphanius: Hæref. 68. c. 1. 2. 3. *Meletius Ecclesiam Schismate discidit, ita tamen ut fidem nulla ex parte mutaret. Qui in Diocletiani ac Maximiani Imperatorum persecutione unà cum sancto Petro Episcopo Alexandrino & martyre, cæterisque martyribus comprehensus est ab Alexandriæ & Ægypti Præfectis, quibus hoc ab Imperatoribus fuerat mandatum. Meletius itaque cum martyribus, ac præcipuè Petro Archiepiscopo Alexandrino, tum in vinculis habebatur. Atque ille quidem cæteris Ægypti Episcopis antecellens, secundum à Petro Dignitatis locum obtinebat, utpote illius adjutor, sed eidem tamen subjectus, & ad ipsum de causis Ecclesiasticis referens. Hic enim mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Amminiacam, Mareotidem, & Pentapolim Ecclesiastica negotia administrent. Ergo omnes illi ob Christi nomen in custodiam dati diu in vinculis detenti sunt, ante quos non nulli eadem de causa vincti martyrium obierunt, ac præmium morte consecuti sunt, cum interim isti tanquam primarii ac præstantiores in posterum reservati essent.* Notanda sunt verba: *Cæteris Episcopis antecellens.* Et verba: *Adjutor illius.* Videntur adserere, quod Meletius per aliquot Ægyptiacæ Diœcesis Provincias gesserit Patriarchales sancti Petri vices, ideoque primum ab ipso locum habuerit. Verùm istiusmodi Patriarchales vices ignoravit Antiquitas. Eas in Illyricianam Diœcesim primus induxit sanctus Papa Damasus. De Alexandrinis nulla est memoria. Quare Meletius inter Ægypti Metropolitas nequit fuisse primus, nisi ob ætatem Episcopalis consecrationis. At neque hæc videtur subsistere. Etenim in Ecclesiastica historia scribit Theodoretus: *Meletius non multò ante, quam Arii furor erumperet, Episcopus fuerat ordinatus.* Proinde Lib. 1. cap. 8. istius Prioritatis fides & radix sint penes sanctum Epiphanium. Alibi hic Meletium vocat *Thebaidis Archiepiscopum,* at *Alexandro* Patriarchæ *subjectum.* Ex quo lucet Meletium fuisse Metropolitam.

Epiphanius pergit: *Cum nonnulli martyrium feliciter subiissent, alii verò ab eodem excidissent, & nefariam idolorum superstitionem admisissent, adeo ut vi ac necessitate sacrificarent, iidem post lapsum ac sacrificia ad Confessores & Martyres accesserunt, ut pœnitentia misericordiam obtinerent. Quorum alii milites erant, alii ex variis Clericorum ordinibus: Presbyteris, Diaconis, ac reliquis aliis. Hinc non minima inter Martyres commotio ac dissensio est exorta: Negantibus aliis eos, qui semel lapsi essent, & Christum abnegassent, nec fortitudinem & constantiam retinuissent, aut certamen obiissent, recipiendos ad pœnitentiam esse, ne fortè reliqui ob celerrimè ab eis impetratam indulgentiam minore pœnarum metu abripi sese paterentur, ac Deum negarent, execrandisque Gentilium sacris se polluerent. Et erat, quod ab hujusmodi Confessoribus dicebatur, à ratione non alienum. Hi erant Meletius ac Peleus, aliique complures Martyres, quos divini honoris studio ac zelo inflammatos, cum hæc dicerent, fuisse non dubium est. Auctores porrò iidem erant, ut secundum persecutionem post justum aliquod temporis spatium, pace constituta, pœnitentiæ illis locus indulgeretur: Si quidem illam & ex animo susciperent, atque ejus fructus exhiberent. Nec ita tamen, ut è Clericis unusquisque in pristinum ordinem restitueretur, sed ut post aliquod tempus ad Ecclesiam & Communionem admissus in reliqua populi multitudine, non inter Clericos censeretur. Eratque hæc à veritatis amore profecta, & divini ardoris plenissima ratio.* Meletius volebat duo. Primò, ut lapsi Clerici manerent perpetuò irregulares, & post peractam pœnitentiam non nisi laica Communione donarentur. Secundò, ut lapsi laici tractarentur juxta regulas, quas olim in Deciana persecutione sanxerant sanctus Cyprianus, omnis Africana Ecclesia, atque Romana.

Rursum Epiphanius: *Contrà sanctissimus Petrus, utpote benignus ac misericors, & velut communis omnium parens, his illos verbis obsecrabat. Admittamus illos, quandoquidem peccat eos pœnitet, at pœnitentiam illis constituamus, ut ad Ecclesiam adsideant, neque aut ipsos aut Clericos adversemur (his enim verbis, usum esse constanti fama dedicimus)*

mus) nè & pudore & dilatione illa temporis, qui semel præ imbecillitate & ignavia à Diabolo concussi & labefactati sunt, penitùs deciscant, nec remedium ullum adhibeant, quemadmodum sacræ Literæ præcipiunt, non perverti claudum, sed sanari potius Quamobrem Petri quidem oratio ad Clementiam ac humanitatem spectabat, Meletii verò ac fautorum ejus susceperat veritatis ac divini ardoris patrocinium. Cum ergò à se invicem diversa sentirent, ex eorum quæ utrimque piè ac religiosè proferebantur, occasione & specie Schisma conflatum est. Etenim Petrus Archi-Episcopus, cum animadverteret consilium suum, humanitatis plenissimum, Meletianis minimè placuisse, quod divini honoris ardentiore studio flagrarent, medio in carcere Pallium, quod lodicium dicitur, veli instar appendens, proclamari à Diacono jussit: Qui mecum sentiunt, huc ad me veniant; qui Meletii opinioni favent, ad Meletium. Quod cum ita factum esset, diviso in partes Populo, Episcoporum, Monachorum, & Presbyterorum, ac reliquorum Ordinum major numerus sese ad Meletium adjunxit; pauci quidem Episcoporum & aliorum sunt Petrum secuti. Quò ex tempore preces ac sacrificia, cæterasque omnes ceremonias separati à sese invicem obierunt. Post hæc Petrus Martyrio affectus est, Alexandro successore relicto. Hic enim post Petrum Alexandrinæ Ecclesiæ est præpositus: Meletius verò cum aliis plerisque relegatus, & ad Phanesia metalla damnatus est. Post illud tempus Meletius cum omnibus illis Confessoribus, qui tracti & abrepti fuerant cum eo, tam in carcere quàm in itinere, & quamcumque regionem ad locum peragraret, ibi Clericos, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos instituit, & privatas Ecclesias fundavit, cum interim nec hi cum illis, nec illi cum his commune aliquid haberent. Porrò suam quisque Ecclesiam diversis nominibus inscribebat. Nam Petri successores penes quos erant veteres Ecclesiæ, Catholicæ Ecclesiæ titulum usurpabant; Meletiani Ecclesia Martyrum. Igitur Eleutheropolim, Gazam, & Æliam profectus Meletius plerosque ad eum modum ordinavit. Acciditque ut ad Metalla diutiùs detineretur. Sed ab iis tandem Confessores liberati sunt, tam qui Petro favebant (adhuc enim complures erant) quam Meletiani. Qui quidem in metallis à mutua Communione abstinebant, ac ne simul quidem orabant. Meletius verò diù postea superstes fuit, adeò ut cum Alexandro quoque Petri successore floruerit, & familiaritatem habuerit. Præcipuam porrò Ecclesiæ ac fidei curam gessit. Nam, ut sæpe dixi, nihil ab ea diversum aut alienum docuit. Addit ipsum fuisse primum errantis Arii accusatorem. Etiam in libro Ancorato eadem confirmat: *Meletiani ob eos, qui in* Cap.14 *persecutione lapsi, & à nostris in suum Ordinem ac statum fuerant recepti post pœnitentiam, se ipsos avulserant, neque tamen in hæreticis versantur.* Sanctum Patriarcham Petrum accusat de duobus. Primò, quod lapsos Episcopos & Clericos non dumtaxat in Communionem, sed etiam in gradum admiserit, atque ita prævaricatus sit Apostolicum Canonem. Secundò, quod lapsos Laicos nimìs præcipitanter ac indulgenter reconciliarit, atque ita violaverit Canones sancitos à sancto Cypriano & Romana Ecclesia.

Quæ omnia unde Epiphanius hauserit, est ignotum. Haud dubiè hausit nimium credulus ex scriptis Meletianis. Etenim in secunda sua Apologia longè aliud scribit sanctus Athanasius: *Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione Martyr declaratus, Meletium Episcopum Ægypti nominatum, multis convictum criminibus, & in primìs quod Idolis sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo deposuit. Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed Schisma fecit, adeò ut illius sectatores etiam nunc pro Christianis Meletiani vocitentur. Ac jam tum in Episcopos convitia dicere incæpit: Et primò Petrum, deinde ejus successorem Achillam, & post Achillam calumnatus est Alexandrum. Idque magna cum calliditate. Exemplum ab Absalone mutuatus, ut pudorem Depositionis suæ calumniis Innocentium ulcisceretur.* Ex quibus verbis habemus plura. Primò, quod sancto Petro non Alexander, sed Achillas in Alexandrinum Patriarchatum immediatè successerit. Est res certa, adeoque sanctus Epiphanius manifestè hìc labitur. Etiam supra in Alexandrinorum Patriarcharum successione est lapsus, dicens sancto Alexandro non sanctum Athanasium successisse, sed Theonam. Secundò ex istis verbis discimus, quod sancti Petri in Meletium quæstiones, & hujus in illum rebellio non ex nimia in Lapsos facilitate duxerint originem, sed ex variis Meletii facinoribus, & ipsis inflicta Synodali Degradatione. Inter quæ crimina præcipuum fuit in persecutione Lapsus: Et quidem plenus usque ad Thurificationem.

Eadem de re scribit Socrates: *Meletius civitatis cujusdam in Ægypto Episcopus, à Petro Alexandriæ Episcopo, qui regnante Diocletiano mortem obierat martyrio, cùm multis aliis de causis, tùm maximè quod tempore persecutionis fidem inficiatus, Idolis immolaverat, Episcopatus munere abdicatus est. Qui cum esset abdicatus, compluresque haberet qui ipsius dicto essent audientes, illi qui ab illo usque tempore ad hodiernum diem in Ægypto Meletiani vocantur, Ducem hæresis se præbuit. Et cum nullam justam excusationem aut causam adferre posset, cur se ab Ecclesia separasset, verbo tantummodo affirmavit sibi esse factam injuriam, Petrumque maledictis figere, & convitiis lacerare cæpit. Verum ut primùm Petrus per martyrium, persecutione sæviente, mortem oppetierat, probra sua & contumelias in Achillam, qui Petro in illum Episcopatum succedebat, transtulit. Ac postea denuò in Alexandrum, qui mortuo Achilla eum dignitatis gradum est adeptus. Et dum hi in dissidio & dissensione versabantur, interea quæstio de Ario habetur. Meletius cum suis Ario fuit subsidio. Unà cum ipso contra Episcopum conspiravit.* Ex quo lucet alter error, quo sanctus Epiphanius asserit Meletium fuisse primum Arii accusatorem. Quod S. Petrus Arium Diaconum suum ob præstitum Meletio ac ejus Schismati favorem & fomentum excommunicaverit, habet Romanum Breviarium. Rem elucidat Hermias Zozomenus: *Arius, licet initio videretur doctrinæ Christianæ per-studiosus esse, Meletio tamen res novas molienti fuit adjumento. Cujus partes cum deseruisset, à Petro Episcopo Alexandrino Diaconus ordinatus est. Et rursus per eundem Ecclesia ejectus, quando-quidem cum Petrus Meletii fautores abdicasset, & ejus Baptisma improbasset, hic Arius in res à Petro gestas graviter invectus est.* Arius quidem cum Petri

Lib. 1. cap. 3.

Lib. 1. cap. 14.

Petri successoribus Achilla & Alexandro in gratiam rediit, at Meletius cum utroque fovit perpetuas discordias: Quomodo igitur apud hunc primus Arium accusaverit?

Quod sanctus Petrus Meletium degradarit, scribit etiam in secunda contra Arianos disputatione sanctus Athanasius: *Meletius ejectus à Petro, & Episcopo & Martyre, suos qui ipsum sequebantur, non Christianos postea, sed Meletianos denominavit.*
Lib. 1. cap. 8. Consonat in Ecclesiastica Historia Theodoretus: *Meletius ob quasdam nefarias opiniones à sanctissimo Petro Episcopo Alexandrino, cui corona fuit donata Martyrii, refutatus est, & Episcopatu abdicatus. Abdicationis non acquievit sententiæ, sed Thebaidem & ei finitimam Ægyptum tumultu & contentionum procellis complevit, & Tyrannidem contra Primatum Alexandrinum exercuit.* Ex quibus verbis manuducimur ad cognoscenda alia Meletii crimina, propter quæ ipsum sanctus Petrus degradavit. Voces, *ob nefarias opiniones*, altè clamant ipsum fuisse etiam hæreticum. At in quarto
Cap. 7. hæreticarum fabularum libro idem Theodoretus asseverat contrarium: *In Alexandria Ægypti, quò tempore Arius adversus Unigenitum est exorsus blasphemiam, Meletius quidam Episcopus adversus magnum Alexandrum seditionem movens, multis Urbibus & Episcopos ordinavit, & Præsbyteros, & Diaconos. Non novam hæresim inchoans, eadem enim cum Ecclesia sentiebat, sed ambitionis morbo laborans. Hinc Meletianorum Schisma in Ægypto conflatum est. Verùm pietatis ille quidem Dogmatum nihil innovavit.* Videtur utroque loco fuisse memoria lapsus. Nam & hìc pro S. Petro posuit magnum Alexandrum. Verùm in Ecclesiastica Historia positum ab ipso vocabulum non solas nefarias opiniones comprehendit, sed & quævis crimina. Et ita ipsum transtulit Jacobus Sirmondus. Sanctus Philastrius Brixiensis Episcopus hæc scribit: *Meletiani sunt à Meletio quodam in Ægypto, qui de parte fuerat Ariana, & abjectus est ab Ecclesia Catholica, qui postea quasi verum sequendo susceptus est, & discipuli ejus cum eo pariter.* Miscet tempora, facta varia, vera falsis. Etenim Meletius ob Arianam hæresim, ipso ac ejus damnatione posteriorem, nequit fuisse per sanctum Petrum damnatus. An postmodò adhæserit Ario, est incertum. Interim sanctus Philastrius non credidit ipsum fuisse primum Arii accusatorem.

Ex supra adductis sancti Athanasii verbis discimus tertiò, quod Meletius sancto Patriarchæ Alexandro numquam amicus fuerit, multò minus familiaris. Quod ipsum lucet ex irrefragabili testimonio Apologeticæ Epistolæ, quam pro S. Athanasio ad omnes sub cœlo Catholicos Episcopos scripsit Alexandrina Synodus: *Meletiani, homines prorsus fide indigni, schismatici, & hostes Ecclesiæ, neque ii novi aut recentes, sed vetusti jam olim à temporibus beati Petri, cui insidias posuerunt, & Achillæ ejus successoris, quem calumniati sunt, & Alexandri, quem usque ad tribunalia Cæsaris sunt calumniis prosecuti.* Etiam in prima contra Arianos oratione scribit laudatus Athanasius: *Erat jam pridem malitia & calumnia Meletianorum omnibus nota, nec impietas Arianorum unquam obscura fuit. Neque enim parum temporis intercessit. Nam illi ab hinc ante quinquagesimum quintum annum schismatici facti sunt, isti verò antè trigesimum sextum hæretici declarati & ab Ecclesia submoti, idque judicio Synodi universalis.* Et infrà: *Memores Meletiani, quomodo sese primùm adversus beatum Martyrem Petrum, ac deinde contra magnum Achillam, postremò contra beatum Alexandrum gesserint, &c.* Lucet quod cum omni sua factione Meletius adversum Alexandriæ Patriarchas foverit cum Schismate perpetuum odium, nullam Communionem, nullam amicitiam. Item lucet annus, qui istud Schisma incæpit. Etenim istam Orationem S. Athanasius scripsit anno trigesimo sexto post Nicænam Synodum, hoc est, CHRISTI Domini anno trecentesimo sexagesimo primo. Synodus enim fuit celebrata ejusdem Christiani sæculi anno vigesimo quinto. Igitur Meletianum schisma, quod tunc ad quinquaginta quinque annos duraverat, incœpit dicti sæculi anno sexto. Quod ipsum ex eodem S. Athanasii loco advertit in suis Annalibus Dominus Cardinalis Cæsar Baronius.

Isto igitur anno ob patratum antea Lapsum damnatus Meletius cœpit contra sanctum Petrum, Alexandrinam Cathedram, & ejus Synodum & vetusta privilegia rebellare, erigere Para-Synagogam, Altare contra Altare. Ita enim solent superbi atque ambitiosi Episcopi, dum damnantur ob crimina. Solent protestari de injuria ac iniquo judicio, agere turbas, nolle cessare ab officio, Dignitatem violenter retinere, mendaciis circumscribere Populum, ipsum ad se seducere à Matre Catholica, per falsa Dogmata sibi alligare, atque ita è Christiano facere Sabellianum, Arianum, Meletianum, aut quid ejusmòdi. Degradatus ergò Meletius patrare cœpit illa, quæ pridiè suæ mortis sanctus Petrus Patriarcha in carcere dixit ad suos Presbyteros Achillam & Alexandrum: *Quanta mihi ostensa sunt in Lycaonia ab hæreticis, credo quia vos non latet: Quomodo Meletius Christianorum Gregem ab Ecclesia separarit, pro quo Dei Filius animam suum posuit, & effudit sanguinem pretiosum. Adversùs quem Meletius impiè repugnans, sanctos Episcopos ac religiosos viros in carcerem claudebat, ac tribulabat cogens eos prævaricari.* Et infrà: *Comperi, quod impius Meletius contra me multa mala testificetur, ut amplius Tyranni Maximini furor excitetur, & me interficiat.* Ita habent sancti Petri Acta, quæ è Græco in Latinam transtulit Cardinali Anastasius, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius. Pro *Lycaonia*, videtur legendum, *Lyco.* Hæc enim est Civitas & Regio, in qua Meletius fuit Episcopus. Antiqui Ægyptii colebant etiam bruta animalia. Hinc à Lyco seu lupo, quem in ista Regione olim adoraverant, quidam existimant dictam fuisse Lycopolim. Damnatus ergò Meletius incæpit furere, conspirare cum Gentilibus Tyrannis, adversantes sibi Episcopos & alios fideles istis prodere ac tradere, & præsertim sanctum Petrum, suum Patriarcham & damnatorem, accusare apud eosdem, ac ejus mortem expetere. Nam quod Meletiani sanctum Petrum, magnum Achillam, & sanctum Alexandrum fuerint calumniati, jam nobis dixit Alexandrina Synodus. Sanctus Athanasius dixit eadem patrata ab ipso Meletio. Videtur Maletius etiam idololatriam contempsisse, & docuisse, aut certè per cauteriatam conscientiam patrasse errorem Elcesaitarum, blaterantium fidem in persecutione posse negari, dummodo servetur in corde.

Hoc

Hoc enim non vanè colligitur ex sancto Athanasio, qui in Epistola ad suos Monachos enumerat varia Meletianorum facinora, inter quę est & hoc: *Non est sperandum, ut Anti-Christo Melestiani resistant. Non illis cura est veritatis, neque CHRISTUM abnegare inter mala numerant. Non enim sinceriter ad Dei verbum accesserunt, sed ad omnia tamquam Chamaleontes transformantur, semper mercenarii eorum, qui ipsorum operam requirunt. Non veritatem pro scopo habent, sed Veritati voluptatem anteponunt, solumque id dicunt: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quæ omnia videntur promanasse ex Magisterio ac exemplo Meletii.

Aliud ipsius jam damnati crimen audivimus à Theodoreto: *Thebaidem ac ei finitimam Ægyptum tumultu & contentionum procellis complevit.* Et iterum: *Meletius seditionem movens, multis urbibus & Episcopos ordinavit, & Presbyteros & Diaconos.* Consonat S. Epiphanius, scribens Meletium ad Phanesia Metalla fuisse damnatum, & adjungens: *Post illud tempus Meletius, quamcumque regionem & locum peragraret, ibi Clericos, Episcopos, Presbyteros & Diaconos instituit, ac privatas fundavit Ecclesias.* Et infra: *Eleutheropolim, Gazam, ac Æliam profectus Meletius plerosque ad eum modum ordinavit.* Labitur sanctus Epiphanius, quod Meletius ad Phanesia aut ulla fuerit damnatus metalla. Lapsus quippe in Sacrificium idololatricum, & postmodò ob ipsum damnatus conjuravit cum Gentilibus Tyrannis, egit ipsorum Frumentarium ac Satellitem, ideoque ab ipsis non metalla, sed plenæ libertatis stipendia est consecutus. Etiam labitur, quod Eleutheropoli, Gazę, ac Hierosolymis ordinaverit Episcopos & Clericos. Istius audacię nulla extat authentica Memoria. Meletius post damnationem videtur Ægypto non fuisse egressus. Et quo fine egrederetur? Ipsius item Schisma non fuit nec esse potuit extrà Ægyptum, extrà Patriarchatum Alexandrinum. Et inter Episcopos atque Clericos, quos à se consecratos apud Nicænam Synodum tradidit S. Patriarchæ Alexandro, nullus fuit Syrus, sed omnes Ægyptii. Et in libris de Magni Constantini vita Eusebius Cęsareensis Episcopus affirmat Meletianum Schisma & Arianam hæresim fuisse coætanea: Hanc non tantum per Ægyptum, sed insuper per Libyam ac exteras etiam Provincias, istud per universam dumtaxat Ægyptum ac superiorem Thebaidem fuisse grassatum. Grassatum tamen fuit etiam per Pentapolitanam, imò & per aridam Libyam.

Hæres. 68. c. 3.

Lib. 2. cap. 61.

Errat item Epiphanius, quod major Episcoporum & Confessorum pars sanctum Petrum deseruerit, & adhæserit Meletio. Errores continent hæc verba: *Ario longiorem in* Alexandrina *urbe moram trahente, moritur Confessor Meletius & Martyr.* Intolerabile est, quod iste schismaticus & sceleratus Turbo appelletur Confessor & Martyr. Error item est, quod statim post Arii damnationem sit ante Nicænam Synodum mortuus Alexandriæ. Etenim adfuit isti Synodo, ibidem fuit damnatus partim, partim donatus gratia, & omnes à se consecratos Episcopos atque Clericos tradidit Patriarchæ Alexandro. Adductum à nobis Meletii crimen confirmat Gelasius Cyzicenus: *Meletius Episcopus delectus non multo ante Arii furorem, convictus à sanctissimo Petro, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo, & postea Martyrii corona exornato, & Episcopatu abdicatus, abdicationis sententiæ non acquievit, sed Thebaidem & vicinam ei Ægyptum tumultu & contentionum procellis implevit, tyrannidem contrà Prærogativam Sedis Alexandri Episcopi usurpans.* Partim ex Hermia Zozomeno, partim ex Theodoreto loquitur. Hinc dicit Meletium non contrà sancti Petri, sed contrà sancti Alexandri Cathedram rebellasse. Quod in consecrandis Episcopis præceps ac temerarius fuisset Meletius, affirmat etiam Zozomenus, atque adjungit: *Meletius, cum Petrus, qui post martyrio occubuit, eo tempore quo Alexandrinam regebat Ecclesiam, propter persecutionem tunc ingravescentem cæpisset fugam, ministrorum Ordinationes, ad Petrum solum pertinentes, sibi arripuit.* Per Anastasium Bibliothecarium, translata Acta affirmant sanctum Petrum, ante incarcerationem fuisse Relegatum in Phœniciam ac Palestinam. Aliter tamen habet per Dominum Cardinalem Cæsarem Baronium laudatus Codex Vaticanus: *Petrus sponte recessit, cum quæreretur ad necem, ne ejus causa civitas Alexandrina, adversantibus Christianis, tumultu exagitaretur, quando tum in Palestina, tum etiam in adjacentibus Insulis diù latuit, literis interea suos roborans, ac præsertim Philæam, Hesychium, & Theodorum, quos omnium Confessorum, qui tenebantur in carcere ultra sexcentos sexaginta numero, Signiferos vocat & Præceptores, eosque cum consummatos martyrio audisset, ingenti se lætitia affectum esse testatur, pro quorum agonem semper Deum precibus interpellaverat.* Hæc possunt & debent concordari. Suam publicæ Alexandrinorum paci necessariam, qua imminentem relegationem aut carcerationem prævenit, absentiam sanctus Petrus meritò appellat Relegationem. Videtur Meletius tunc necdum fuisse lapsus, ideoque nec degradatus, atque ita necdum habuisse occasionem rebellionis ac tyrannidis. Videtur isto tempore, quò Petrus exulabat, fuisse lapsus, ac non nisi per reducem esse degradatus, adeoque tunc priùs incæpisse suas petulantias. Philæas, Hesychius, ac Theodorus fuerunt Episcopi. Hesychium, quod pro Alexandrinis, & omnibus Ægyptiis novam Sacrarum Literarum translationem fecerit, laudat S. Hieronymus. Sanctus Petrus tertii Christiani sæculi anno nonagesimo octavo est factus Episcopus. Sedit annis duodecim: Tribus in pace, novem in persecutione. Hæc enim cœpit primo anno quarti sæculi. Proinde Meletius, qui istius sæculi anno sexto cæpit insanire, inter primum & sextum annum fuit lapsus ac degradatus.

Lib. 3. cap. 33.

Lib. 1. cap. 14.

Porrò per ipsum attentata Tyrannis fuit Episcoporum Consecratio, & Invasio plenę Metropoliticæ Potestatis. Meletius advertit, quod in aliis Patriarchatibus Metropolitæ suos Comprovinciales consecrarent, celebrarent Synodos, & agerent id genus alia: Quod Ægyptiorum Metropolitarum à suo Patriarcha Alexandrino dependentia esset extravagans, & contrà communem Consuetudinem. Hinc S. Petro offensus excussit istud jugum, consecrare cœpit, & quidem sine petita ac obtenta Patriarchæ autoritate, suos suffraganeos, alios Metropolitas in eandem audaciam seducere, ac insuper aliarum Provinciarum Episcopos, quin & ipsi Alexandrinæ urbi Presbyteros & Diaconos ordinare. Sextus Nicænus in Meletium editus Canon non sine causa dicit: *Antiqua consuetudo ser-*

ſervetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim. Sub Ægypto comprehendit etiam Thebaidem, ac Provinciam Auguſtamnicam. Affirmat non ſolummòdo in iſtis Provinciis, ſed etiam in utraque Libya Meletianam audaciam, ac Alexandrinæ Cathedræ injuriam fuiſſe graſſatam. Et inter Epiſcopos quos à ſe conſecratos Meletius in Nicæno Concilio tradidit S. Patriarchæ Alexandro, fuerunt etiam Callinicus Peluſii Metropolita, & Ammonius Dioſpolitanus Epiſcopus in Ptolomaide, ſeu in Pentapoli. Exiſtimo quod ſuam audaciam perſuadere aliis Epiſcopis ac præſertim Metropolitis non valens Meletius proceſſerit ad novum facinus: Quod vacantium iſtic Sedium Clero & Populo attentarit intrudere novos Epiſcopos, imò & legitimis Epiſcopis alios ſuper-ordinare. Lucet hoc ex Nicæno adverſus ipſum Decreto: *Meletius in propria ac ſua civitate remaneat, nullamque poteſtatem habeat vel cuipiam manus imponendi, vel quemquam ad aliquod munus Eccleſiaſticum deligendi, vel aliquam Regionem ac Civitatem ejus rei gratia commeandi, ſed ut ſolum Dignitatis & Officii nomen retineat.* Solebat igitur ad alias Civitates & Regiones ordinaturus commeare. Synodus inſuper ſancit, ut ordinati per Meletium Epiſcopi ſint per Alexandrum ordinatis inferiores quo-ad omnia, & nullam Ordinandi poteſtatem habeant, niſi poſt horum mortem. Tunc ſi quidem videantur digni, poſſint ſuffici in horum Sedes. Hæc Sanctio palàm affirmat, quod Meletius per varias Ægyptiacæ Diœceſis Regiones & Civitates etiam ſuper-ordinaverit. Etiam Alexandrinæ civitatis Presbyteros atque Diaconos conſecravit, & in Nicæna Synodo tradidit Patriarchæ Alexandro. Nempè noverat Schiſmaticam ſuam audaciam ſine Alexandrini Patriarchæ conſenſu non poſſe firmari: Hinc in iſta ipſa ſuprema Metropoli, quod Patriarcham intrudere ac ſuper-ordinare non poſſet, intruſit ac ſuper-ordinavit ſaltem Presbyteros, qui ſtuderent Patriarchatum pedetentim invadere. Quin imò videtur etiam intruſiſſe imaginarium Patriarcham. Etenim inter Epiſcopos, quos à ſe conſecratos Meletius in Nicæna Synodo tradidit S. Alexandro Patriarchæ, erat & *Agatamnon in Alexandrinorum Agris.* Uti Donatiſtæ in Sub-urbanis Romæ agris imaginarium Papam, ità Meletiani in Alexandrinis Suburbiis videntur intruſiſſe imaginarium Patriarcham. Quidam exiſtimant, quod Meletius Patriarchatum invadere ibi tentaverit, ac trans-ferre in Lycopolitanam Cathedram. At malè. Quo enim fundamento, aut fundamenti fuco iſtud attentaſſet? plenam dumtaxat Metropoliticam poteſtatem, nec non & ſuorum Comprovincialium Epiſcoporum Conſecrationem invaſit contra antiquam Ægypti Conſuetudinem, & vetuſta Privilegia iſtius Patriarchatus. Et ad eadem patranda induxit alios Metropolitas. Induxit & Provinciales Epiſcopos, ut ſuos ipſi Metropolitas conſecrarent. Ex nimia in ſuum Degradatorem invidia tentavit ejus Cathedram penitùs denudare.

Quæſtio eſt, Quomodo Hermias Zozomenus ſcribat à ſancto Petro datum à Meletio Baptiſma fuiſſe improbatum, & iſtud ejus judicium fuiſſe reprehenſum ab Ario? An datum à jam damnato Meletio Baptiſma ſanctus Petrus exſufflaverit? Reſpondeo affirmativè. Licet Hermiæ Zozomeni Auctoritas non ſit irrefragabilis, alia tamen principia perſuadent hanc aſſertionem. Quis enim ignorat ſanctum Petri Anteceſſorem Dionyſium adhæſiſſe ſancto Cypriano? Plura ex ejus de hoc negotio Epiſtolis Fragmenta adducit in ſua Eccleſiaſtica hiſtoria Cæſaræenſis Euſebius. Dolendum eſt, quod nobis non tranſmiſerit integras Epiſtolas. Ex iſtis quippe Fragmentis non poſſumus firmi definire. Fragmentum ex ejus ad ſanctum Sixtum Pontificem Epiſtola ſic habet: *Stephanus antea ſcripſerat Epiſtolam de Heleno* Tarſenſi, *de Firmiliano* Cæſaræenſi, *de omnibus Epiſcopis, qui erant in Cilicia, & Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus Gentibus, quæ erant finitimæ, quod neque cum illis quidem ob eam cauſam omninò communicare vellet. Nam illi, inquit, Hæreticos rebaptizant. Rei igitur magnitudinem attenta cogitatione complectere. Decreta enim in maximis Epiſcoporum Conciliis, ſicuti audio, facta fuerunt, ut qui ab Hæreſis impietate redeunt, debeant primùm in Pietate inſtitui, deinde veteris & impuri Fermenti eluvie ac ſordibus ablui & purgari. Atque ut pro his omnibus Epiſcopis illum deprecarer, Epiſtolam ſcripſi.* Fragmentum affirmat plura. Primò, quod Papa Stephanus Firmilianum, Helenum, alioſque Ciliciæ & Ponticæ Diœceſis Epiſcopos hanc ob cauſam excommunicaverit. Secundò, quod iſti Epiſcopi varias Synodos fecerint, & iſtic Rebaptiſmi neceſſitatem confirmaverint. Tertiò, quod iſta Synodalia judicia ſint magni ponderis, ideoque non contemnenda. Quartò, quod tantorum virorum excommunicationem ſolvi Dionyſius fuerit deprecatus. Et Stephanus omninò ſolvit. Hæc Dionyſius prædicat & urget apud Sixtum, atque ita profitetur ſe favere iſtis Epiſcopis. Lucidiùs hoc patet ex fragmento Epiſtolæ ad Philemonem Romanæ Eccleſiæ Presbyterum: *Hoc tamen didici, quod Epiſcopi in Africa non ſolùm iſtam conſuetudinem de rebaptizandis Hæreticis jam invexerint, verùm etiam longo ante tempore, Epiſcoporum memoria qui antegreſſi ſunt, in Eccleſiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis Fratrum, tùm Iconii, tùm Synadis, tum aliis multis in locis convocatis, iſtud Decretum fuit, quorum judicia & Sententias condemnare, irritaque facere non audeo, ac ſic illos in odium & invidiam congerere. Terminos, ut eſt apud Salomonem, & Fines proximi tui non commutabis, quos Patres tui præſtiterunt.* Edicit præfatas Synodos: Et ipſarum præcipuas affirmat fuiſſe Iconienſem ac Synadenſem. Earumdem Decreta manifeſtè confirmat. Sancti Cypriani ſententiam affirmat eſſe antiquam, & palam comprobat. Euſebius habet plura, quæ evincunt Dionyſium ita ſenſiſſe. Lib. 7. cap. 4. & 8. Verùm quod Romanam, ſingularem Ægyptiacæ Matrem Eccleſiam revereretur, videtur noluiſſe faciem penitùs revelare. Habuit ſingularem Sententiam. Etenim in Canonicis ad ſanctum Amphilochium literis Magnus Baſilius ſcribit, quod Cyprianus ac Firmilianus & Hæreticos & Schiſmaticos eidem Regulæ ſubjecerint: Quod omnium Baptiſma exſufflarint. Et adjungit: *Quæ ad Catharos pertinent quæſtiones, oportet uniuſcujuſque Regionis morem ſequi, quod variæ fuerint de ipſorum Baptiſmate diſſenſiones eorum, qui ab ipſis acceperunt.* Cap. 1. Dionyſius videtur ipſorum Baptiſma probaſſe. Nam & probavit Baptiſma quorumdam Hæreticorum. Etiam Pepuzenorum. Quod in ipſo Baſilius graviter improbat. Quod item magnus

gnus Athanasius hæreticorum Baptisma exsufflarit, suo loco ostendetur. Nempè ipse istud ab Alexandro, hic ab Achilla, hic à Petro, hic à Theona, hic à Maximo, hic acceperat à Dionysio. Proinde Petrus omninò videtur Meletii Baptismum ex sufflasse. Nec obest, quod Meletius fuerit non Hæreticus, sed dumtaxat Schismaticus. Erat enim ex Idololatra Schismaticus, ideoque pejor omni hæretico. Sanctus Petrus censuit in ipso obtinere hanc, à S. etiam Basilio laudatam, Regulam: *Qui abrupti sunt, Laici effecti, nec Baptizandi, nec Ordinandi habent potestatem, ut qui non possint amplius Spiritus sancti gratiam aliis quoque præbere, à qua ipsi exciderunt.* Nec dubium est, quin Arius, dum in Ecclesia fuit, fuerit ejusdem sententiæ. Dum ad hæresim defecit, egit & alium Vertumnum: Vertit se ad Ecclesiæ Romanæ mores, & cæpit omnem Rebaptismum damnare.

Aliam sub S. Petri Patriarchatu fuisse de Baptismo, aut potiùs de requisita ad ipsum præparatione Quęstionem scribit in Spirituali Prato S. Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus. (Cap 198) Quantę humilitatis fuerit S. Petrus, docet ejus mos, quo Patriarchalem Synaxim solemniter celebrans, numquam, licèt & à Populo & à Clero frequenter rogatus, in Episcopali Throno sedere voluit, sed semper sedit in ejus Suppedaneo. Et in ipso tunc sedere ac emicare videbat cœlestem quampiam Virtutem. Ex hujus reverentia non præsumebat Thronum ascendere. Et ita Clero & Populo se excusabat. Et hinc Meletii in humilem adeò Virum rebellio fuit atrocior. Et ipsum variis Signis honoravit Divina Majestas. Dum huic proximè ante suum Martyrium ille commendaret Ecclesiam, & ipsi pacem imploraret, quædam sacra Virgo è Cœlis audivit: *Petrus initium Apostolorum, Petrus finis Episcoporum Martyrum Alexandriæ.* Et ipse omninò fuit postremus Ægypti Episcopus, ob Christi fidem à Paganis occisus. Fuit decollatus. Et abscisso capite truncus permansit erectus in genua. Fideles ipsi caput reposuerant, eum ornarunt Patriarchaliter, ac in Episcopali Throno sedere fecerunt. Mortuus istic sedit, ac omni populo solemniter benedixit. Quod ipsum fecit cadaver sancti Joannis Chrysostomi. Quæ omnia latè habes in ejus Actis, Latinè translatis per Anastasium Bibliothecarium. Quibus fidem addit in Libro de sacris Ordinationibus etiam Symeon Archiepiscopus Thessalonicensis.

CAPUT IX.

Exponuntur Errores, Mores, Successus Meletianorum.

IN Hæreticorum Catalogo S. Augustinus Meletianis adscribit hunc errorem: *Meletiani à Meletio nuncupati, nolentes orare cum Conversis, id est, eis qui in persecutione ceciderunt, vel Schisma fecerunt. Nunc autem dicuntur Arianis esse conjuncti.* Eis adscribit errorem Novatianensem. Novatianus enim Idololatriam, adeoquè & quemvis in Persecutione Lapsum credidit non posse solvi per Claves Ecclesiæ, sed esse Divinæ Majestatis judicio per Christum Dominum reservatam, ideoque adversùs S. Cornelium Papam, ac omnem illi communicantem, & ejus Decretis obedientem Ecclesiam fecit Schisma, & lapsis numquam voluit communicare. Per S. Fabiani Pontificis mortem viduatæ Romanæ Ecclesiæ Clerus, & cum Africana Ecclesia S. Cyprianus, primi contrà priorem Canonum rigorem cœperant Lapsis in Deciana persecutione, seriò pœnitentibus, impartiri Sacramentalis Reconciliationis pacem: Et ipsorum Acta probarat S. Cornelius, & admiserat in Universalem Disciplinæ Regulam. Unde ista S. Augustinus hauserit, ignoro. Nam ipsa nec sanctus Epiphanius habet. Dumtaxat adscerit, quod Meletius Lapsorum Reconciliationem voluerit perpendi maturiùs, ac differri. Quod & ipsum est Meletiana fabula. De Meletianis longè aliter scripsit S. Philastrius: *Meletiani sunt à Meletio quodam in Ægypto, qui de parte fuerat Ariana, & abjectus est ab Ecclesia Catholica, qui postea quasi verum sequendo susceptus est, & Discipuli ejus cum eo pariter. Atque iterum indifferenter post hæc agere cupientes, communicabant & Hæreticis & Ecclesiæ Catholicæ. Quorum cum cognovisset indifferentiam, exortes eos suæ Communionis effecit Ecclesia Catholica.* Verba, *Qui de parte fuerat Ariana*, affirmant Meletium Ario adhæsisse, ideoque non fuisse primum ejus accusatorem.

Istud Schisma extinxit Nicæna Synodus. Meletius istic recantavit errorem, deposuit audaciam, & se ipsum ac omnes à se consecratos Episcopos & Clericos tradidit Patriarchæ Alexandro, ac ejus Patriarchalem auctoritatem est amplissimè professus. Et quidem tam in Meletii Ordinatos, quàm in ipsum Meletium Synodus fuit clementior. Sic enim oporuit. Et hinc factum est, quod scribit Socrates: *Qua de causa arbitror Meletianos in Ægypto ad hoc usque tempus ab Ecclesia fuisse propterea separatos, quod Synodus omnem Meletio auctoritatem abstulit.* (Lib. 1. cap. 6.) Et in Ecclesiastica historia Theodoretus Nicænum de Meletio Decretum adducit, atque adjungit: *At quamquam divinus ille Episcoporum Cœtus morbo, quo Meletius laborabat, hanc adhibuit curationem, tamen ad hodiernum diem illius stupiditatis Reliquiæ remanent, suntque in illis locis quædam Monachorum turbæ, quæ non sanæ adsentiuntur doctrinæ, sed vitæ rationem inanibus quibusdam Institutis informatam sequuntur, & insanæ Samaritanorum & Judæorum dementiæ se addicunt.* (Lib. 1. cap. 9.) Et infra exponit S. Athanasii Patriarchalem promotionem, affirmat ipsam Arianis per omnia displicuisse, atque prosequitur: *Meletius ille, quem Nicæna Synodus abdicarat, tumultus & turbas in Thebaide ac vicina Ægypto ciere non desistebat.* (Cap. 26.) Proinde fictam ex vana retinendi Episcopatus libidine egit pœnitentiam. Et quia vota non plenè successerunt, non acquievit Synodali in se Clementiæ, factam sancto Alexandro Professionem excussit, & adversùs Patriarchalem Cathedram perrexit rebellare. Et nescio quæ Monachorum turmæ præbuerunt ipsi fomenta. Etiam quidam Episcopi.

Eo tamen tempore inter ipsos & Arianos erat adhuc fortis inimicitia. Existimo contractam, aut certè stabilitam in Nicæna Synodo. Huic enim Meletiani obedierunt per omnia, Ariani sunt contumacissimè refragati, ideoque non potuerunt non esse inimici. De S. Athanasii promotione scribit Hermias Zozomenus: *Cæterum Ariani dicunt,* (Lib. 2. cap. 16.)

quod

quod Alexandro mortuo quinquaginta quatuor Episcopi, qui partibus Alexandri & Meletii favebant, ex Thebaide & reliqua Ægypto in unum coacti communicarint inter se de Episcopo creando, & dato jurejurando communibus suffragii consenserint de uno eligendo, qui Ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula susciperet, sed septem eorum, violato jurejurando, contra omnium voluntatem, clam Athanasium Episcopum ordinasse, & propter eam causam multos tum ex Populo, tum ex Clero Ægypti vitasse ejus Communionem. Desumpsit hęc Zozomenus ex Alexandrina Synodo, ac ejus pro Athanasio Apolegiticis literis: *Eusebiani ajunt post obitum Episcopi Alexandri, cum paucissimi essent, qui Athanasii mentionem facerent, sex aut septem Episcopos Clanculum & in loco obscuro eum in Præsulem elegisse.* Et infrà: *Prorsus ejusdem vanitatis sunt cum superioribus, quę nunc fingunt, fuisse, scilicet in Athanasii introitu seditiones, luctus, Populorum lamentationes, indignè ferentium illius creationem.* Quin aliquot Meletiani, hoc est, aliquot à Meletio ad Matrem Catholicam reversi ac per Nicænam Synodum reconciliati Episcopi ad S. Athanasii creationem concurrerint, vix est dubitandum. At quod soli ipsorum pauci illum creaverint, est impudentissima fabula. Hinc interim lucet, quod Ariani usque tunc fuerint Meletianis inimicissimi. Etiam Meletianis adversus Patriarchalem Cathedram adhuc rebellantibus. Nam & hos invasit ista Ariana calumnia.

Inimicitia duravit usque ad mortem Meletii. Hic enim Arianam hæresim perpetuò & constanter fuit aversatus, adeoque & omnem Arianam Communionem. Novum Alexandrię Patriarcham Athanasium Eusebius Nicomediensis Episcopus, Bithyniæ Metropolita, & Arianæ factionis signifer, variis modis urgere cæpit & premere, ut Nicææ damnatum Arium, quem rectè jam sentire asserebat, reponeret in Communionem & gradum. Verùm hi, licet validi, venti pulsarunt Domum ædificatam in firmissima Petra. Pergit Hermias Zozomenus: *Dum hæc geruntur, contentio inter Ægyptios ab initio concitata longiùs manare cœpit. Nam quamquam in Nicæna Synodo Ariana Hæresis prorsus condemnata fuit, & Meletiani conditionibus illis, quas supra memoravimus, in Ecclesiam recepti, & Meletius Alexandro in Ægyptum reverso Ecclesias, quas inique occupasset, reddidit, ipseque in Lyco ætatem degit, tamen non multò post, cum erat è vita migraturus, unum è suis familiaribus Joannem contrà Decretum Nicæni Concilii in suum locum suffecit, sicque Ecclesias denuò conturbandi auctor & causa extitit. Ariani autem, cum Meletianos cernerent novas res moliri, ipsi quoque Ecclesias turbare cœperunt. Nam uti in ejusmodi tumultibus solet evenire, alii laudabant Arii opinionem, alii ducebant æquum, ut à Meletio ordinati Sacerdotes præessent Ecclesiis, ipsorumque partibus se addicebant, & quamquam Ariani ac Meletiani ante inter se dissentissent, tamen cum viderent multitudinem ad partes Sacerdotum Catholicæ Ecclesiæ deflectere, eam rapere in invidiam, amicitiæ fœdera jungere inter se, commune odium in Clerum Alexandrinum suscipere, promiscuè illis, contrà quos disceptabant, crimina inferre, & sese mutuò defendere studuerunt. Usque eò, ut progrediente tempore Ariani, licet cum Meletianis de Ecclesiarum Primatu decertarent, à plerisque Meletiani nominarentur, sed tamen eandem, quam Arius, de Deo opinionem tenere non desisterent. Et quamvis utrique suam controversiam ab sese mutuò disceptari & judicari recusarent, tamen contra omnium opinionem in communis simultatis contra Orthodoxos societate non inviti consenserunt, singulique ipsorum expectarunt se facilè, quæ sibi in optatis erant, consecuturos. Tempore autem procedente Meletiani habitum Ariani dogmatis ex disputatione cum illis habita nacti, eadem cum Arianis de Deo sentire cœperunt. Hinc res Arianæ ad priorem tumultum sunt denuò devolutæ.*

Lib. 2. cap. 20.

Ex hiscè verbis addiscimus plura. Primò, quod Meletius Nicæa Alexandriam redux Synodalia Decreta obediens in plenam executionem miserit, & sua omnia submiserit S. Patriarchæ Alexandro. Secundò, quod Alexandria abierit Lycopolim, & aliquo tempore istic quietus vixerit. Tertiò, quod per nescio quos in boni operis pœnitentiam transversus resumpserit rebellionem & Schisma, atque ita suum congerronem Joannem creavit sibi successorem. Nempè ne per ejus mortem Schismatica rebellio deficeret ac moreretur. An ipsum consecraverit Episcopum, an dumtaxat elegerit ac designaverit, non possum certus affirmare. Quidquid fecerit, fecit contrà Apostolicos Canones, ac præsertim contra Nicænum de ipso Decretum, & contra propriam professionem. Quartò discimus, quod Meletiani Arianos & ipsorum errorem diù fuerint constanter aversati. Quintò, quod vice versa Ariani fuerint detestati Meletianam rebellionem. Nam Pseudo-Patriarchæ Gregorius, Georgius, ac Lucius, licet nequissimè Ariani essent, suæ tamen Cathedræ dignitatem sunt zelosissimè tutati. Sextò discimus, quod ambo hi turbines pari typho laborarint, & alter ab altero corrigi noluerit, aut judicari. Septimò, quod Herodem ac Pilatum egerint adversùs CHRISTUM Dominum: Quod licet essent jurati hostes ad invicem, simul tamen conspiraverint adversùs Catholicam Ecclesiam, & non amicitiam aut communionem iniverint, sed confusionem & conjurationem. Octavò, quod in ista confusione Ariani fuerint fortiores, & Meletianos tandem seduxerint in suam blasphemiam. Nonò, quod istam conjurationem non ipse Meletius iniverit, sed ejus successor Joannes. Decimò, quod ista conjuratio ipsos seduxerit in horrenda facinora.

Quę omnia confirmat ex propriorum oculorum testimonio, ac ex propria experientia S. Athanasius. In secunda Apologia hæc scribit: *Interea dum hæc utique sua adversus Alexandrinam Cathedram schismatica facinora, ageret Meletius, etiam Ariana hæresis emersit. Cæterum Nicæna in Synodo anathemate damnata est, & Ariani rejecti sunt. Meletiani autem aliquo modo recepti sunt: Neque necessum est ut ejus rei causam dicam. Necdum quinque menses præterierant, cum beatus Alexander mortem obiit. Meletiani autem, quos & quietos & gratos esse oportuit, quod aliquo saltem modo recepti essent, more canum non obliti vomitus sui, rursum Ecclesias perturbare cœperunt. Eusebius igitur*, Nicomediensis Episcopus, *propugnator Arianæ Hæreseos, ad illos literas dat, per quas promissis societatem & amicitiam clanculum init, ac sibi invicem rebus agendis tempus constituunt. Qua-propter primùm ad nos literas hortatorias scribit de Ario recipiendo, sed ita ut sine Scripto minaretur, Scriptis autem speciem rogantis præse-*

præ-se-ferret. Verùm ubi illi responsum esset, Hæresos inventores veritati infestos, & damnatos ab Universi Orbis Concilio, minimè recipiendos esse, Cæsarem beatæ memoriæ Constantium inducit, ut mihi cum minis scriberet, ea nos expectare debere, quæ & nunc & antea passi sumus, nisi Arium reciperem. Ex quibus verbis aliqua iterum addiscimus. Primò, quod & Ariani & Meletiani Hæreticum & schismaticum furorem numquam deposuerint, mente tamen clausum continuerint per quinque à Concilio menses usque ad sancti Alexandri mortem, & tunc iterum permiserint liberum ebullire. Quod tamen de Arianis est cum aliquo moderamine intelligendum. Quod enim hi etiam sanctum Patriarcham Alexandrum sollicitarint ad reddendam Ario Communionem, disertè testatur Alexandrina Synodus. Nempè supplicarunt sine violentia. Secundò discimus, quod ad novas Meletianorum turbas Ariani fuerint gavisi, & ipsos suæ Factioni sint conati adjungere. Sic etiam tumultuantes in Africa Donatistas studuerunt sibi sociare. Lucet ex Synodali epistola Philippo-politani Conventus, ac quibusdam locis sancti Augustini. Et fermè cunctis, licet inimicissimis, Hæreticis consuetum est uniri adversus Matrem Catholicam, & conjurare. Tertiò discimus, quod ad stabiliendam hanc conjurationem Ariani Meletianis locum condixerint. Quartò, quod ambo convenerint ad locum, & conjurationem firmaverint. Quintò, quod hæc Ariani egerint, ut novum & adhuc juvenem Alexandriæ Patriarcham Athanasium cogerent ad Arium reparandum. Sextò, quod hujus conjurationis auctor fuerit Eusebius Nicomediensis Episcopus, vetustus & pertinax Arii Patronus. Septimò, quod hac conjuratione fretus Eusebius cœperit Athanasium premere ad istam Reparationem: Per preces, verùm violentas atque armatas. An ipse Meletius, an autem ejus successor Joannes hanc conjurationem inierit, Athanasius non exprimit. Videtur fuisse Joannes. Ipsum enim ille in secunda Apologia affirmat fuisse histrionem totius Arsenianæ Sycophantiæ. Et probat ex Epistola, quam hac de re ad ipsum scripsit Pinnes, Presbyter Domicilii Ptemergysiris, quæ est in Nomo Anteo-politana. Etiam infra repetit se à Joanne apud Constantinum Imperatorem fuisse accusatum. Meletius usque ad mortem fuit Arianos constanter aversatus.

Hæres. 63. c. 5. Hac de re audiamus sanctum Epiphanium. *Per idem tempus Alexandriæ beatæ memoriæ Alexander, post Meletii Confessoris obitum adversùs Ecclesiæ Schisma vehementi quodam ardore succensus, Meletianos qui privatos habebant Conventus, agitare ac vexare, & vim adhibere cœperat, ne ab Una eademque Ecclesia contumaciter descisceret. Illi contra detrectantes tumultuari, & perturbare omnia. Quare persequente eos, & acrius urgente Alexandro, nonnulli è Sectæ Primariis, ac pietate & virtute facilè Principes, ut iis incommodis moderentur, ad Comitatum profecti sunt, ut Imperatori supplicarent, ac ab ipso privatorum Conventuum sine ullo impedimento facultatem obtinerent. Ex his præcipui erant Paphnutius quidam, Vir magnus & Anachoreta, cujus mater olim fuerat CHRISTUM confessa, sed & ipse aliqua ex parte eandem confessionem obierat. Cùm ipso erat & Joannes Episcopus, vir & ipse cum primis Venerabilis, nec non & Callinicus Pelusii Episcopus, cum aliis quibusdam, qui hujus Consilii fuerant participes. Qui cum ad Imperatorem venissent, & adire vellent, pulsi ac rejecti sunt. Nam Palatini audito Meletianorum nomine, quid hoc sibi vellet, ignorantes, adire Principem minimè permiserunt. Inter hæc Paphnutius, Joannes, & cæteri, Constantinopoli ac Nicomediæ longiorem moram trahentes, cum Eusebio Nicomediæ Episcopo familiaritatem contrahunt, eique rem omnem aperiunt. Noverant enim hunc apud Imperatorem valere plurimùm autoritate & gratia. Per hunc itaque conciliari se Imperatori, ac perduci postularunt. Qui cum prolixè his omnia facturum se recepisset, ut & de illorum causa ad Imperatorem referret, & id quod petebant impetraret, vicissim hoc ab illis postulat, ut Arium in Communionem reciperent, qui fictam ac simulatam pœnitentiam præ-se-tulerat. Quod ubi spopondissent, eos ad Imperatorem adducit Eusebius, exponitque quid illis negotii sit. Ac postremò Meletianis permissum ex eo tempore, ut privatim sine ulla cujuspiam molestia convenire possent. Utinam Meletiani isti, qui exactissimam justitiæ ac veritatis rationem professi fuerant, cum iis qui lapsi erant, post pœnitentiam habere Communionem, quàm cum Arianis maluissent. Contigit enim illis, quod est in Proverbio, ut qui fumum evitant, incidant in ignem. Neque enim consistere Arius, aut fiduciam habere ullam potuisset, nisi eam esset occasionem nactus, quæ pessimam inter illos ad hodiernum usque diem concordiam devinxit. Siquidem Meletiani, sinceri quondam ac fidei tenacissimi, cum Arianis commixti sunt, & plerique falsa Arii doctrina contaminati, à recta Fide hoc tempore degenerarunt. Nonnulli verò, etsi constanter in ea perseverarint, ob illam tamen cum Ario & Arianis societatem in cœno illo ac sordibus hæserunt. Et hæc fuit mutuæ inter Meletianos & Arianos conjunctionis occasio.* S. Alexandri Constantinopolitani Episcopi pro Nicænis Decretis constantiam, & hinc fœdam Arii mortem narrat Epiphanius, atque adjungit: *Secundùm hæc ab Arii Discipulis fraudulenta illa contra Ecclesiam Concilia sunt inita. Alexander verò Alexandriæ Episcopus post Nicænam Synodum obiit, absente post Arii mortem Athanasio, qui Diaconus per istud tempus ordinatus ab Alexandro, ab eodem missus ad Comitatum fuerat. Cumque moriens Alexander nullum alium sibi suffici præter Athanasium mandasset, Meletius Ægypti Episcopus occasionem nactus, Theonam quemdam substituit.* Hiscè in verbis Epiphanius multifariàm labitur. Primò, quod Meletius fuerit Confessor. Secundò, quod ejus successor Joannes fuerit Vir insigniter venerabilis. Tertiò, quod Meletiani fuerint professi exactissimam rationem veritatis ac justitiæ. Quartò, quod sinceri fuerint, & fidei tenacissimi. Longè alia statim audiemus à sancto Athanasio. Quintò, Epiphanius errat, quod Meletiani Lapsis in persecutione noluerint communicare post pœnitentiam. Ipse nobis supra dixit, quod illis Meletius non absolutè negari, sed dumtaxat differri Communionem voluerit. Quod & ipsum deviat. Nec hac de re unquam ille disceptavit cum sancto Patriarcha Petro. Ex istis interim Epiphanii verbis lapsus forsitan fuit etiam sanctus Augustinus. Sextus Lapsus est, quod sanctus Alexandriæ Patriarcha Alexander post Meletii mortem cœperit in Meletianos vehementior agere. Et sibi ipsi Epiphanius

phanius cohæret. Etenim sui oblitus scribit, quod in defuncti Alexandri Sedem Meletius intruserit Theonam. Et hic est septimus error. Certum enim est, quod Alexandro proximè successerit Athanisius. Igitur vivo Alexandro Meletius tacuit, tenuitque virus clausum in pectore. Et non nisi post ejus mortem cœpit denuò vomere. Octavus error est, quod illius successor Joannes à Magno Constantino obtinuerit licentiam Schismatici Conventiculi, & erigendi Altaris contra Altare. Quomòdo id Princeps contra Nicęnam Synodum indulsisset? Nulla est istius authentica memoria, nullum fidum testimonium. Epiphanius ista nimiùm credulus hausit ex nescio quibus Commentis Meletianorum. Etiam Joannes videtur tunc non abiisse Constantinopolim, nec relata per Epiphanium via conjurasse cum Nicomediensi Eusebio. Jam quippe à S. Athanasio audivimus, quod non Eusebium Meletiani, sed Meletianos Eusebius sollicitaverit, seduxerit, ac ipsis fixerit certum firmandæ conjurationi locum. Hic videtur non fuisse Regia civitas. Secretis & vilibus latibulis gaudere solent similia commercia.

Arianorum cùm Meletianis Conjurationem memorat, & omnibus fidelibus fugiendam inculcat etiam in prima contra Arianos Oratione S. Athanasius, & de ambobus prosequitur: *Qui cum antea inter se contentiosi essent, nunc Herodes & Pontius in blasphemias adversus CHRISTUM consentiunt. Quapropter meritò quis eos exosos habeat, quod cum de privatis rebus inter se simultates gerant, odio tamen ac inimicitia communi adversus veritatem conspirent, & in impietate adversus Dominum fœdera conglutinent, seseque mutuò amplexentur, securi quidvis & facere & pati, modò id, quod semel animo conceperint, tueantur. Meletiani quidem ambitione, ut rebus præsint, tum insano avaritiæ studio; Ariani verò sua ipsorum impietate ultrò incitantur, ut hujusmòdi conspirationibus mutuò invicem animi sui pravitatem promoveant.* Hanc conjurationem exaggerat, ac pergit de ejus origine & scopo: *Cæterùm ex iis, quæ nunc fecerunt, clara jam in reliquum tempus documenta data sunt, eos non alia de causa tùm contra nos, tùm contrà reliquos Episcopos Orthodoxos jam ab initio insidias tetendisse, nisi ut impietatis suæ hæresim propagarent. Ecce enim quod olim struebat Eusebius, nunc tandem committitur: Dederunt enim operam, ut Ecclesiæ nobis abriperentur. Et Episcopos unà cum Presbyteris, Communionem cum ipsis non usurpantes, pro ut collibitum fuit, in exilium profligarunt, Populosque qui ipsis adversabantur, ab Ecclesiis excluserunt, easque Arianis, ante tot annos condemnatis, regendas tradiderunt, ut consociata secum Meletianorum hypocrisi, tutò possent tetra suæ impietatis verba evomere.* Et infrà, *Cum à nobis, ut omnes novistis, per Eusebium cum suis postulatum esset, ut vel ageremus ac sustineremus eandem personam impietatis, vel expectaremus eorum insidias, noluimus illis ut Suffragatores assidere, sed potius illorum insectationem præ-optavimus, quàm Judę mores imitari. Ergò fecerunt quod sibi collibitum fuit. Et quod minis denuntiaverant, opere compleverunt. Ac Jesabeli similes, dolosos sibi Meletianos conciliarunt.* Affirmat Nicomediensem Eusebium fuisse hujus sceleratæ Unionis Architectum. Omni cum sua Factione Eusebius novellum Episcopum Athanasium postulavit, ut dolosæ pœnitentiæ simulatorem Arium Gradui redderet, ac plenæ Communioni. Erant preces armatæ minis publicæ hostilitatis. Et non impetrarunt. Hinc Eusebius est venatus artes, quibus & Athanasium, & omnes illi Communicantes in Ægypto Episcopos Sede exturbaret, intruderet suos factiosos, atque ita damnatum cum sua hęresi Arium faceret adversus Nicænam Synodum triumphare. Quò ut pertingeret, sociandos sibi duxit Meletianos, peritissimos criminationum consutores, qui suam hanc artem adversum tres Alevandriæ Patriarchas jam nervosè ostendissent. Obtinendæ Unionis spem faciebant novi motus, quibus & non ita pridem ipse Meletius, & jam ejus successor Joannes Patriarchalem Cathedram, adeoque & ejus In-Sessorem Athanasium oderant & arietabant.

Et hæc conjuratio non fuit sine fructu. Etenim vetustas Meletianorum calumnias edisserit Alexandrina Synodus, atque adjungit: *Meletianorum calumniæ, antea inefficaces, nunc tandem successum habuerunt, ex quo Eusebianos in Arianæ impietatis gratiam Socios & Patronos adepti sunt, pro qua tuenda, utì in multos alios Episcopos, ita quoque in Athanasium conspirationes faciunt.* Imperatoris Constantii Notarium Paulum, quod omnia secreta scrutari, & insolubiles calumniosarum delationum technas sciret compingere, appellatum fuisse *Paulum Catenam*, scribit Ammianus Marcellinus. Eandem ob artem à Nicomediensi Eusebio fuerunt dilecti ac electi Meletiani. Et certè omnia in sanctum Athanasium ficta & consuta mendacia fuerunt istorum opus. Et quidem Eusebius conjurationis leges exactè servavit. Athanasium, à quo fuerat passus ipse repulsam, ante calumnias censuit fortiori manu pulsandum. Sacram, qua circumscriptus Imperator Constantius dolosè pœnitentem Arium voluit in sui gradus Communionem reddi, jussionem obtinuit: Etiam excussam ab Athanasio. Hanc Athanasius adducit in secunda Apologia, atque prosequitur: *Tum demùm tempus obvenisse arbitratus Esebius, quod cum Meletianis constituerat, literas ad eos scribit, ut ea de nobis scelera fingerent, & fama spargerent, quibus se adversus Petrum, Achillam, & Alexandrum exacuerant.* Ut sibi consuetam Pauli Catenæ officium strenuè exequerentur. *Sed cum plurima captantibus nihil reperiretur, ex Eusebianorum sententia tale crimen per Isionem, Eudemonem, & Callinicum de ordinariis linteis ementiuntur, quasi ego Canonem istiusmòdi tributi induxerim Ægyptiis, ac omnium primus exegerim.* Ision Atribiensis, Eudemon Taneos, Callinicus erat Episcopus Pelusii. Homines per Meletium intrusi; reconciliati per Nicænam Synodum, & ad Schismatis, vomitum denuò relapsi. Hoscè fuisse primos Athanasii calumniatores testatur antiqua ejus vita, addens Eudemonem malitia opulentum, Callinicum omnibus fuisse malitia superiorem. Ista igitur fuit prima calumnia.

Lib. 14. cap. 12.

Secunda fuit Sacer Calix in Mareotica Ischyræ Presbyteri Ecclesia fractus per Macarium Athanasii Presbyterum, & eversum Altare. Omne arcanum edicit in secunda Apologia ipse Athanasius: *Mareotes est Regio quædam Alexandrina, ubi Meletius quondam Schisma inducere non potuit. Cum igitur ibi Ecclesiæ certis in locis essent, & Presbyteri Synaxes in Ecclesia celebrarent, populusquè inquiete esset,*

esset, Ischyras quidam, ut nequaquam Clericus, ita moribus improbissimus, conatus est sui Pagi Incolas decipere, jactans sese Clericum esse. Id ubi rescivisset ejus loci Presbyter, mihi tum Ecclesias perlustranti renuntiavit. Ego igitur illum ipsum cum Macario Presbytero ablego ad Ischyram accersendum. Quem cum morbo decumbentem in cubiculo invenissent, Patri injunxerunt, ut filio denuntiet, nè tale quid, quod de eo ferebatur, tentaret. Ille autem, ubi à morbo surrexisset, & ab amicis, atque adeò ipsius Patre coerceretur, ad Meletianos confugit, qui rè cum Eusebianis communicata, istiusmòdi calumniam composuerunt: Calicem à Macario fractum, Arsenium autem Episcopum esse à me interfectum. Hic denuò labitur sanctus Epiphanius. Affirmat Mareotidis Ecclesias fuisse visitatas ab Athanasio, atque adjungit: *Fortè igitur congregatis Meletianis, Diaconus quidam ex Athanasii Comitatu cum quibusdam de populo, ut fama est, irrumpens candelam confregit, unde jurgium & pugna conflata. Hinc adversus Athanasium occultæ molitiones, fraudesque concitatæ; accusantibus Meletianis & calumniantibus, & ficta quædam objicientibus; Arianis verò adlaborantibus, & communicantibus consilia, propter insitam invidiam in Orthodoxam fidem.* Addit Candelam fuisse Sacrum quoddam Vas, quod nonnulli ita appellaverunt. Labitur primò, quod Macarius fuerit dumtaxat Diaconus. Secundò, quod cum Meletianis pugnaverit, & Calicem reverà fregerit. Tertiò, quod istic fuerint Meletiani. Ex horum Libris ista hausit nimiùm credulus. Est omninò credendum sancto Athanasio.

Hæref. 68. c.6.

Tertia adversus sanctum Athanasium calumnia fuit Arsenii trucidatio, & ipsi ad magicas artes abscissa manus. Etiam de hac errat Epiphanius: *Et de aliis criminibus accusarunt in-primìs Arsenium quemdam Mareotidis Presbyterum ab Athanasio pulsatum, cujus manum ab Athanasii fautore Populo, sive ipso-met potius Athanasio præcisam, quam etiam ad Comitatum in arcula delatam ostentabant.* Etenim Arsenius non fuit Mareotidis Presbyter, sed Episcopus Hypselitarum. Et quidem omnis hujus Sycophantiæ Histrionem atque autorem fuisse Meletii successorem Joannem testatur in secunda sua Apologia ipse Athanasius. Et probat ex Pinnes apud Antinoo-politanos Schismatici Presbyteri, & seditiosi ibidem Monachi Paphnutii ad ipsum literis, in quibus hi profitentur se ipsi in occultando & transportando Arsenio fideliter quidem,at infeliciter serviisse.Eundem Joannem fuisse calumniæ de fracto Calice autorem scribit in eadem Apologia S. Athanasius. Et probat autoritate Alexandrini Concilii, asserentis Joannem inter Meletianos esse principem calumniatorum. Et hoc ipsum ille, dum pœnitens ab Athanasio fuit admissus in sui gradus Communionem, est apertè confessus. Ibidem habes, quod Ischyras fuerit ab Eusebianis motus, itemque à Meletianis. Nempè isti illum ad hos instruendos miserant. Et ipsum Joannes Episcopus direxit. At non rectè. Ei solam calumniandi voluntatem impressit, non docuit artem. Etenim Ischyras nunc ipsum Athanasium, nunc ejus Presbyterum Macarium incusavit de fracto Calice. Ignoravit regulam: *Oportet mendacem esse sui memorem.* Pluribus insuper calumniis arietarunt optimum Athanasium. Istius conjurationis causa S. Epiphanius rectè scribit Gregorium, quem in S. Athanasii Sedem intrusit Antiochena Synodus, fuisse Alexandriæ Episcopum Meletianorum simul ac Arianorum. Utraque factio ipsum venerabatur. Quod omnem istam eorum malitiam habuerit pespectam, ideoque ipsis numquam communicare voluerit, & hoc ipsum moriens omnibus suis Discipulis mandaverit sanctus Antonius, testatur in ipsius vita sanctus Athanasius. Hæref. 76. c.1.

Quantum ex Eusebianorum consortio profecerint in perversis moribus Meletiani, audire possis à dicta Alexandrina Synodo. Eosdem in Epistola ad suos Monachos insigniter depingit S. Athanasius. Imperatorem Constantium, qui Orthodoxos expellebat Episcopos, ac intrudebat Arianos, demonstrat servire Anti-Christo, & ipsi ad devastandam Ecclesiam venturo aperire portas, atque prosequitur: *Qui ab Alexandro, & antè Alexandrum ab Achilla, & ante Achillam ab ipso usque Petro senes Episcopi fuerunt, eliminantur; illi contra, quos asseclæ Militum in Episcopos nominaverunt, introducuntur, neminem interim alium nominantes, quam qui polliceantur se idem cum ipsis sentire, quæ conditio facillima est Meletianis. Nam plerique eorum, vel potiùs omnes sunt educati impiè, neque cognitam habent sanam in CHRISTO Fidem, aut quid omninò sit Christianismus, aut quas nos Christiani habeamus Scripturas. Eorum enim aliqui ab Idolis, aliqui ex Curia, aut ex summis Magistratibus prodeuntes, ob miseram immunitatem & Præfecturam persuasis Meletianis, Minoribus suis, ad hoc dignitatis, etiam antequam Cathechismo imbuerentur, evecti sunt, aut si in speciem videantur Cathechismo imbuti, quæ quæso ratio Cathechismi apud Meletianos? Imò sine omni speciè hac pervolarunt, & statim quasi pueri accepto nomine Episcopi appellati sunt, & propterea quia tales erant, rem pro nihilo habuerunt, neque inter pietatem ac impietatem esse ullum discrimen arbitrati, promptè certè & quàm citissimè Ariani ex Meletianis sunt facti. Quod si posteà aliud quidpiam Imperator jusserit, in id quoque rursum se promptissimè immutabunt. Si quidem piæ Religionis ignorantiæ facilè eos ad Consuetam, & quam ab initio didicerunt, vecordiam deducit, & pro nihilo illis est omni vento & flatu circumferri, modò id solum ipsis contingat, ut sint immunes, & humanas Præfecturas habeant. Quid si dicas eos nihil immutatos, sed tales etiamnum permanere, quales in gentilitate antea fuerant? Illi igitur istis moribus, tam lubricis & incertis, quid miri si Ecclesiam pro Functione & Curiali Magistratu habeant? Et cum animo ac sententia sint Idololatræ, non aliter quàm Gentes in Domini Salvatoris nomen erumpunt, Ægyptumque contaminant: Eam in rem cura & opera impensa, ut Arianæ hæresis nomen ibi quoque invalescat, cum antea saltem per universam Ægyptum libera & secura erat Orthodoxæ fidei Professio. Ac propterea etiam his Provinciis suam luem invehere studuerunt, non tam ipsi Ariani, quam qui ipsos concitat Diabolus, ut cum venerit ejus præco Anti-Christus inveniat in Ægypto & ipsas Ecclesias esse suas, & in Meletianis, suo jam Catechismo imbutis, sese delineatum ac figuratum agnoscat.* Et statim infra prosequitur: *Non est sperandum, ut Anti-Christo Meletiani resistant. Non illis cura est veritatis, neque CHRISTUM abnegare inter mala numerant.*

Non

Non enim sinceriter ad Dei verbum accesserunt, sed ad omnia tamquam Chamaleontes transformantur, semper Mercenarii eorum, qui ipsorum operam requirunt. Non veritatem pro scopo habent, sed veritati voluptatem anteponunt, solumque id dicunt: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Histrionum igitur Epicurianorum ex Meletianis transfiguratorum scopus talis est, talisque perfidia in moribus. Ex quibus vides, quod Meletianos esse ad omni Sectæ communicandum promptos rectè dixerit sanctus Philastrius. Quod sanctus Epiphanius malè dixerit ipsos sinceros ac fidei tenacissimos, sectantes exactissimam justitiæ ac veritatis rationem. Quod malè dixerit ipsos Lapsis nolle communicare. Hinc item vides radicem, ex qua pedetentim omnes ferè sint facti Ariani.

Sancti Philastrii assertionem confirmant in exhibitis Imperatori Theodosio precibus etiam Faustinus ac Marcellinus, Romanæ Ecclesiæ Presbyteri. Affirmant Theodorum Oxyrinchi Episcopum fuisse adeò vertumnum, ut se à Catholicis Episcopis consecratum permiserit fieri laicum, ac denuò consecrari à Georgio Ariano Alexandriæ Patriarcha, atque pergunt: *Hic est egregius & sanctissimus ille Episcopus, qui cum fuisset primùm à Catholicis ordinatus, postea ab impio Georgio in Laicorum numerum redactus, nihilominùs ab ipso Georgio Episcopus ordinatus est, in vexatione Fidelium sedens, & communicans in una eademque civitate Apollonio Meletianorum Episcopo, consentienti impietatibus Georgii, cum ipso item Apollonio idem Theodorus persequens beatum Heraclidem, vindicem Catholicæ fidei.* Habemus hinc duo. Primò, quod tunc sub sancti Damasi Papatu Meletiani adhuc vigerent, ac in Ægypti civitatibus haberent proprios Episcopos. Secundò, quod adhuc essent Arianis colligati contra Ecclesiam. Attamen iste Heraclides videtur fuisse sectatus Schisma Luciferi. Et ad Calosyrium scripsit sanctus Cyrillus Alexandriæ Patriarcha: *Cæterùm ne permittas cum eis, qui Meletiani vocantur, ad sacram Communionem venire Orthodoxos, nè illorum Apostasiæ ac defectionis participes fiant. At verò si resipiscentes illi ad Orthodoxos se contulerint, sint acceptabiles. Nemo autem, nullo planè discrimine habito, cum eis communicet, nisi prius resipuerint: Nè pravæ illorum opinionis socius efficiatur.* Hinc videm Meletianos etiam Catholicis, & quidem in Divinis, sine scrupulo communicasse. Et hæc est ultima Meletianorum memoria. Eorum nec Ephesina Synodus meminit, nec Chalcedonensis. Videntur per S. Cyrillum aut ejecti omnes, aut fuisse conversi. Videtur illis evenisse, quod de Tertullianistis scribit in Hæreseon Catalogo S. Augustinus: *Tertullianistæ usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis Reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi. Me autem ibi posito ante aliquot annos, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi enim, qui remanserant, in Catholicam transierunt, suamque Basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt.* Etiam in Constantinopolitano Concilio nulla fuit de Meletianis memoria. Quod nempe tunc etiam nihil possent, aut agerent, sed fermè defecissent.

CAPUT X.

Exponitur Schisma Colluthi.

DE Collutho hæc scribit S. Epiphanius: *Harum, supra-memoratarum in Alexandrina urbe Basilicarum, unam administrabat Colluthus, aliam Carponas, aliam Sarmatas. Sed & Arius unam ex commemoratis illis Ecclesiam regebat. Cum autem singuli commissum sibi populum per statos & solemnes Conventus publicè docerent, dissensiones sparserunt in vulgus. Itaque alii ad Arium adhæserant, alii ad Colluthum, alii Carponæ, alii Sarmatæ partes tuebantur. Et cum in sua quisque Ecclesia alius aliud interpretando proponeret, prout in unumquemque favore ac laudatione propensiores erant, alii Colluthianos, alii Arianos sese nominabant. Quippe & Colluthus falsa quædam ac depravata docuit. Sed ejus Secta diuturna non fuit, statim dissipata.* Colluthus itaque fuit alicujus apud Alexandriam Basilicæ Rector, & Cardinalis Presbyter. Basilicæ nomen ignoramus. Istius errorem edicit in Hæreseon Catalogo S. Augustinus: *Colluthiani à quodam Collutho, qui dicebant Deum non facere mala, contrà illud quod scriptum est,* Ego Deus creans mala. *Floriani à Florino, qui è contrario dicebant Deum creasse mala, contrà id quod scriptum est*: Fecit Deus omnia, & eccè bona valde. *Ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo Divinis Eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Colluthus non videbat; non autem malas creando Naturas atque Substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ, ubi Florinus errabat.* Consonat S. Philastrius: *Colluthiani à Collutho quodam ita dicti sunt in Ægypto, qui dicunt Dominum malorum non esse factorem. Contrà autem alter quidam opponebat dicens Dominum malorum non esse factorem. Qui & ipse est hæreticus.* Hunc Colluthi antigonistam S. Augustinus appellat Florinum. Quis hic & qualis fuerit, ignoratur. Forsitan & ipse fuit in eadem civitate Cardinalis Presbyter. Quidquid sit, utriusque Erronis Dogma & Augustinus & Philastrius eodem modo exponunt.

Hæref. 69. c. 2.

Alium Colluthi Errorem aut Lapsum exponunt in literis ad Tyriam Synodum Presbyteri ac Diaconi Mareoticæ Ecclesiæ. Sanctum Athanasium, quod istam Ecclesiam visitans Altare ac sacrum Calicem dejecisset atque fregisset, apud istam Synodum accusavit famosus Ischyras, adseverans se istic Presbyterum, unius pagensis Basilicæ Rectorem. Et quia plenè probare non poterat hæc omnia, Synodus in Mareotem legavit quinque Episcopos, veritatem inquisituros. Et inquisitione peracta, præfati Presbyteri atque Diaconi Synodo rescripserunt: *Admiramur quomodo vel ulla tandem ratione Ischyras pro Ecclesiastico habeatur. De qua re primùm nobis referendum arbitramur. Ischyras enim numquam è sacris Ecclesiæ Comministris fuit, sed primùm jactavit se Colluthi Presbyterum, verùm ita ut neminem haberet, qui ipsi crederet, exceptis dumtaxat cognatis suis, ut qui nec unquam Ecclesiam obtinuerit, nec Clericus ab ullis, nisi qui longiùs ab ipsius pago habitarent, unquam sit creditus, solis ejus dumtaxat Cognatis exceptis.*

exceptis. Idemque cum talem sibi titulum vendicasset, in Alexandrina Synodo in præsentia Patris nostri Hosii depositus est, & cum Laicis in ordinem redactus, atque in eo statu reliquum jam inde tempus permansit. Ad istum igitur modum inanis illa fama Presbyterii est excussa. Etiam ad Flavium Philagrium, Augustalis Provinciæ ac totius Diœceseos Præfectum, eadem scripserunt: *Adduxerunt secum*, utique à Tyria Synodo ad nos Legati Episcopi *Ischyram quemdam, hominem minimè Presbyterum, tamet-si se eo nomine jactitet. Quippe ordinatum à Colluthο quodam, non vero, sed imaginario Episcopo, cui in generali Concilio ab Hosio & cæteris Episcopis, qui unà aderant, jussum fuit, ut se pro Presbytero, qualis antea fuerat, haberet, atque ideo omnes ab illo constitutos in veterem suam Ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischyras numerandus est, qui dicit se habere eam Ecclesiam, quæ numquam fuit. Quippe quę Domuncula sit in Prædiis cujusdam pupilli, nomine Isionis.* Ambæ Epistolæ extant in secunda Apologia sancti Athanasii.

Cum sancto Patriarcha Athanasio Tyriam Synodum accesserunt plures ex Ægypti Episcopis, qui & ipsi de ista Legatione ac Inquisitione peractis instruxerunt Synodum. Et inter cætera scribunt de Legatis: *Ecce Arianos, Colluthianos, ac Meletianos, hostes Catholicæ Ecclesiæ, ideo potissimùm emittere studuerunt, ut per præsentiam Hostium nostrorum, sutelas, quas vellent, adversùm nos facerent. Certè Meletiani, qui hìc Tyri apud nos sunt, ante quatriduum, quasi certi essent hoc in Concilio Decretum iri, quosdam è suis vesperi per veredarios ablegarunt, qui Meletianos etiam ex reliqua Ægypto Mareotem, cum ibi nulli essent convocarent, eòdemque Colluthianos & Arianos ex aliis locis contraherent, ut eos instruerent, quid contra nos dictum vellent.* Et infrà: *Scitis Eusebianos suis sutelis curavisse Epistolam nobis reddi, quasi à Colluthianis, Meletianis, & Arianis contra nos scriptam. Neque ignota res est, hostes Ecclesiæ nil veri de nobis, sed omnia infesta locuturos.* Etiam ad Dionysium Ægypti Comitem scripsit Alexander Thessalonicensis Episcopus: *Nosti Colluthianos unà cum Arianis ac Meletianis esse hostes Ecclesiæ. Isti nunc inter se animo & calculis consociati ingentia mala patrare possunt.* Extant Epistolæ in eadem Apologia.

Eadem de re ad omnem sub Cælo Ecclesiam scripsit Synodus Alexandrina: *Presbyter: qui fingitur*, dum Athanasius Sacrum Calicem fregisse dicitur, *adfuisse, est ille toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia electus Presbyter, neque cum à Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesiam reciperet, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus. Quo igitur pacto Presbyter Ischyras? Aut quo tandem auctore constitutus? Numquid scilicet à Colluthο? Id enim restat. Atqui Colluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum Impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos, esse in Laicorum ordinem redactos, & sub laicorum nomine ad Synaxim admissos, adeo constat apud omnes, ut nemo ea de re dubitandum putet.* Et quidem Ischyram non fuisse à Meletio ordinatum Presbyterum, variis in locis demonstrat sanctus Athanasius.

Dum Presbyter Arius prima sui erroris semina spargeret, & adversus sanctum Patriarcham Alexandrum digladians omnem turbaret Ægyptum, Imperator Constantinus ac sanctus Silvester Pontifex eò legarunt Hosium Cordubensem Episcopum, laudato Principi amicissimum, ac ubique collateralem, ideoque apud omnes potentem sermone & opere. Et insigniter eruditum. Legarunt, ut ille omnia componeret. Et ipse generalem fecit Synodum totius Diœceseos. Adeò vetustum est, ut Apostolici Legati celebrent Synodos, ac ipsis præsideant. Etiam in alienis Patriarchatibus. Et quidem præsente Patriarcha. Et inter alia Hosius discussit etiam Colluthi causam. Hic se gerebat pro Episcopo, attentabat Episcopales functiones, nominatim Consecrationem Presbyterorum ac aliorum Clericorum. Et inter consecratos ab ipso Presbyteros repertus est etiam Ischyras, rusticus Mareotidis. Et discussa Colluthi persona, reperta est solam Presbyteralem, non autem Episcopalem habuisse consecrationem. Fuisse simplex Presbyter: Nequaquam verus, sed imaginarius dumtaxat Episcopus. Et hinc Hosius de ipso sanxit varia. Primò, omnes ab ipso datos Ordines exsufflavit, & declaravit attentatos ac nullos, omnesque Ordinatos redegit in Communionem Laicam. Secundò, Episcopale nomen & officium, omnesque illius functiones Colluthο rigidissimè interdixit. Tertiò, permisit ipsi gradum Presbyteri. Ex dispensatoria & magna gratia. Ejus enim Attentata omninò merebantur plenam degradationem. Et ita malum quievit, ac desiit serpere. Colluthus enim videtur per omnia obtemperasse. Et hinc in Nicæna Synodo nullus de ipso est factus sermo, nullum Decretum, nulla memoria. Sanctus Epiphanius rectè scripsit ejus Sectam fuisse mox dissipatam.

Quæstio est, quo fuco Colluthus, cum consecratus non esset, se ostentaverit Episcopum? Cur dicatur non verus, sed imaginarius fuisse Episcopus? Quæ ipsi fuerit inanis & vacua Episcopatus imago? Respondeo veritatem latere, ideoque postulo licentiam conjecturandi. Existimo in Colluthi memoriam & ambitiosum animum incurisse antiquam, ab Heracla Patriarcha abrogatam, Alexandrinæ Ecclesiæ Consuetudinem, quæ omnes istic Presbyteros donaverat Episcopali Consecratione, & ex ipsis novum suo tempore Patriarcham elegerat, uti è militibus Imperatorem, aut Archi-Diaconum è Collegio Diaconorum. Colluthus prætendit istam Consuetudinem abrogari non potuisse, integram adhuc vigere, ideoque se in sua Basilica esse plenum Episcopum. Possit superbo Aerio præformasse ac præmonstrasse Hæresim: Docuisse Presbyteratum Episcopatu non superiorem, sed esse unum ac eundem Gradum, ideoque omnia, quæ potest Episcopus, posse etiam Presbyterum. Posset & Episcopalem Consecrationem alibi postulasse: Possit fuisse mentitus sibi impensam, atque ita se ostentasse Episcopum. Videtur Presbyteros & alios Clericos non pro quavis Ecclesia, sed pro sola sua Basilica consecrasse. Quod enim Alexandrinę Basilicę pręter Cardinalem Rectorem Presbyterum habuerint & alium isti subditum Clerum, non est ambigendum. Quod si verum sit, etiam Ischyras non pro aliquo Mareotico pago, sed ad Colluthi Basilicam fuit consecratus, & istic ministravit usque ad Hosii Legati Synodum. Ab hac excussus rediit in agros proprios. An istarum Basilicarum usque ad Heraclę Patriarchatum

chatum Rectores quędam Episcopalia munia obierint, ac præsertim an sui Tituli Clerum consecraverint, atque elegerint, ignoro. Colluthus posset vetustos excessisse terminos. Sic enim consuevit Hæretica atque Schismatica ambitio. Etiam ejus Hæresis non est mihi plenè nota. Videtur agitatas Sæculo nono de duplici Divina prædestinatione quæstiones movisse, & cum Hincmaro Remensium Archi-Episcopo censuisse, quod Divina Bonitas neminem queat prædestinare ad ullum etiam pœnæ malum. Ita videtur colligi ex sancto Augustino ac sancto Philastrio.

Et hæc insigniter confirmat in Literis, quas ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum scripsit adversus Arium S. Alexander Patriarcha Alexandrinus. *Arius & Achillas, conjuratione nuper facta, Colluthi ambitionem multò, quam ille, deteriùs æmulati sunt. Nam hic quidem, hos ipsos culpans, pessimi sui consilii prætextum invenit. Isti verò illum quæstui habere CHRISTUM cernentes, non amplius Ecclesiæ subjici se passi sunt, sed Speluncis latronum sibi constructis, assiduos in his Conventus agunt, noctes atque dies CHRISTO & nobis maledicè obtrectantes.* Affirmat varia. Primò, quod Colluthi crimen fuerit ambitio. Secundò, quod CHRISTUM Dominum quæstui habuerit. Videtur ex Ecclesiastici quæstus, seu accipiendarum Oblationum libidine fuisse lapsus in ambitionem, qua esse voluit suæ Basilicæ Episcopus. Quia nempè tunc Oblationes non teneretur cum Patriarcha partiri. Alexander affirmat tertiò, quod Colluthus aliquem suę ambitioni prætextum dederit: Nempe antiquam Consuetudinem, quę Alexandrinarum Basilicarum Rectoribus Presbyteris impartiverat Episcopalem Consecrationem. Quartò affirmat, quod etiam Arius & Achillas sint æmulati ipsius ambitum. Etiam Sarmatas & Carponas videntur laborasse eodem fastu, atque ita hæc superbia incendit plures tunc Alexandriæ Presbyteros, & istam Ecclesiam durè arietavit. Quintò Alexander affirmat, quod Colluthus Arii errorem numquam fuerit amplexus. Sextò, quod CHRISTO Domino in suis Conventiculis quotidiè maledixerit. Septimò, quod Arius & Achillas plenum atque apertum Schisma in suis Basilicis tandem fecerint. Et sic insinuat Colluthum resipuisse, rediisse ad Matrem Catholicam, & Hosii judicio per omnia paruisse.

Attamen quidam de his dubitant. Existimant aut non obediisse, aut certè postmodò rediisse ad vomitum ac vacuam Episcopatus imaginem. Etenim à Magno Athanasio jam audivimus, quod post Nicęnam Synodum Colluthiani cum Arianis ac Meletianis adversum ipsum conspiraverint & egerint: Quod juncta opera consuerint calumnias agitatas in Tyria Synodo. Et ipsis Colluthus, adhuc vivens, videtur tamquàm imaginarius Episcopus cooperatus. Et ipsum tunc non tantùm Meletiani, sed etiam Eusebiani videntur uti Episcopum agnovisse ac honorasse. Etenim Eusebiani calumnioso Ischyrę in suarum sutelarum præmia promiserunt Episcopatum, ac tandem detulerunt. Audiamus rem à secunda Apologia laudati Athanasii: *Mareotes est ager Alexandriæ, quo in loco numquam Episcopus fuit, imò nè Chor-Episcopus quidem, sed universæ istius loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen ut singuli Pagi suos Presbyteros habeant. Sunt autem Pagi isti maximi decem numero, aut aliquantò plures. Pagus autem, ubi habitat Ischyras, minimus est, & paucissimorum hominum: adeò ut non ibi, sed in proximo Pago Ecclesia sit constituta. Nihilominus tamen hominem, qui nè Presbyter quidem erat, hujus pagi præter Majorum traditionem Episcopum scilicet appellaverunt. Non quidem ignari, ne ipsi quidem, quam hoc absurdum esset, sed redemptæ calumniæ promissis adacti, etiam illud sustinendum putaverunt, nè malignè habitus sceleratissimus Ischyras veritatem enuntiaret, ac Eusebianorum malitiam proderet. Verùm ille neque Ecclesiam habet, neque Populum sibi obedientem, atque ut canis ab omnibus agitatur. Eusebiani autem Imperatori,* Magno Constantino, *autores fuerunt literarum mittendarum ad Colluthum, adeò omnia illis licent, ut juberet Ischyræ Ecclesiam ædificari, ut auctus ea Dignitate habeatur fide dignus in suis de Calice & Mensa calumniis. Statim igitur curaverunt ut Episcopus nominaretur, nè cum neque Ecclesiam possideret, neque Presbyter esset, pro Sycophanta necessariò haberetur, & mentiri videretur. Ille tamen, cum nec Populum habeat, nec suos sibi obsequentes, quemadmodum inane nomen Episcopi, ita quoque Epistolam illam Imperatoriam sine ullo fructu detinet, quippe quæ argumentum sit ipsius ac Eusebianorum teterrimæ & intentionis & voluntatis.* Sanctus Athanasius etiam adducit literas, quibus rei hujus executionem Mareotidis Exarchus suo populo injunxit: *Ad preces Ischyræ Presbyteri, pietati Dominorum meorum Augustorum & Cæsarum supplicantis, ut sibi in loco pacis Secontaturi Ecclesia ædificaretur, decrevit Divinitas illorum, ut id quàm primùm fieret. Cura igitur, exemplaribus Divini istius Diplomatis, quod primo loco positum, nostræque Sanctitatis monimentis perlectis, breviterque perlustratis, ut in negotio procedatur, & quæ divinitus constituta sunt, ad effectum perduci queant.*

Utinam Magni etiam Constantini hac de re Diploma suæ Apologiæ inseruisset S. Athanasius, & nobis conservasset. Plurima, quæ hodie circa has res latent, nos docuisset. Interim ex jam adductis docemur plura. Primò, quod Ischyras fuerit imaginarii Episcopi Colluthi imaginarius, per Hosii Synodum degradatus, aut potius ob nulliter acceptum Ordinem exsufflatus Presbyter. Secundò, quod supra nulliter acceptum Presbyteratum acceperit similiter imaginarium Episcopatum. Tertiò, quod non secundùm Canones ab Alexandriæ Patriarcha, sed ad sacram Magni Constantini jussionem fuerit consecratus à nescio quibus Eusebianis Episcopus. Hæc in Ecclesiasticam libertatem ac Apostolicum Canonem Regia violentia est adeò antiqua. Nicomediensi Eusebio nimiùm credulus Constantinus permisit se ita circumscribi. Et hæ sunt justæ rationes, cur ipsum in Sacras Sanctorum Tabulas admittere semper recusavit Latina Ecclesia. Quartò docemur, quod ad nativi Pagi Titulum Ischyras fuerit consecratus. Et quidem ad Titulum Pagi non habentis Basilicam. In quo uno opere fuit varia Canonum prævaricatio. Quintò discimus, quod in istius Erronis gratiam Magnus Constantinus jusserit per suum in Ægypto Catholicum ædificari novam Basilicam. Ex suo ærario. Hinc illius Operis executionem injunxit isti per Ægyptum Officio. Sextò discimus, quod tunc Colluthus se in hujus Mundi scena adhuc ostentaret imaginarium Episcopum. Septimò,

mò, quod nulla fuerit facta executio. Quia nempè per Athanasium meliora edoctus Constantinus suum Rescriptum circumduxit. Quod tùnc Meletianos, tamquam sceleratos calumniarum consutores, fuerit detestatus, hac ipsa in Apologia demonstrat S. Athanasius. Eandem haud dubiè censuram Princeps intulit istorum Collegis Colluthianis. Et ex inde Colluthi Factio abire cœpit, ac tandem plenè abivit in fumum.

Respondet ad hæc Dominus Cardinalis Cæsar Baronius: *Hucusque de rebus Ischyræ Athanasius. Sequitur epistola Colluthi Presbyteri, Exarchi Mareotes. Porrò longè hic alius à priori illo Colluthο, ex quo Colluthiani dicti sunt. Nam ille se gerebat Episcopum, hic autem Presbyter nominatur. Discessit enim ille longè ante hæc tempora.* Videlicet ante CHRISTI Domini annum trecentesimum trigesimum quintum, quo fuit acta Tyria Synodus, & per Magnum Constantinum scripta ista Epistola. Prioris enim Colluthi damnatio fuit facta ejusdem sæculi anno quinto-decimo. Colluthi ad Mareotis Incolas Epistola, seu Edictum habet hanc epigraphen: *Flavius Himerius Exarchus Mareotæ.* Ex ipso Dominus Cardinalis censet Colluthum fuisse Presbyterum Mareotidis Exarchum, seu Præfectum, aut potius Patriarchalem Visitatorem. Hoccè enim Officium habet etiam antiqua Notitia Dignitatum & Officiorum magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Respondeo Dominum Cardinalem labi. Ipsum circumscripserunt Basilæensis Editio sancti Athanasii, & adjuncta Petri Nannii Translatio, quæ isti Epistolæ præposuerunt hæc verba: *Colluthi epistola.* Et statim subjungunt: *Flavius Himerius Exarchus Mareotæ.* Quæ sibi mutuò non cohærent. Etenim si sit epistola Colluthi, quomodo est Flavii Himerii? Nisi quis dicat Flavio Himerio fuisse & tertium nomen Colluthi. At cur ipse istud non addidit duobus aliis? Et hinc Illustrissimus Dominus Lucas Holstenius correxit istum Athanasii locum, ponens hæc verba: *Catholici Epistola.* Et rectè. Etenim Flavius Himerius, Mareotidis Exarchus, erat istìc & Principis Catholicus. Proinde S. Athanasius nobis memorat tres personas, ac tres ipsarum epistolas: Epistolam Imperatoris Constantini ad Colluthum, hujus epistolam ad Flavium Himerium Catholicum, & hujus literas ad Mareotem. Et hujus solius Contextum, grandi Christianæ eruditionis damno, suæ Apologiæ inseruit. Colluthus videtur per Ægyptum fuisse Augustalis Questor; Flavius autem Himerius erat ipsi subditus Catholicus, id est, generalis Receptor. Quod enim non sola Alma Urbs, aut ipse Princeps, sed etiam variæ Romanorum Provinciæ habuerint Quæstorem, & quod huic omnis Procurator, etiam Catholicus, subesset, possit facilè demonstrari. Extruendam igitur Ischyræ Basilicam Imperator Constantinus Collutho Quæstori, Colluthus Quæstor Flavio Himerio Catholico, Flavius injunxit Populo Mareotidis. Fabricæ impensas jussit fieri ab isto Populo, postmodò ad Principis onus defalcandas. Hic est genuinus sensus S. Athanasii. Proinde hic posterior Colluthus nec verus Presbyter, nec imaginarius fuit Episcopus, sed Laicus Minister Romani Imperii. Imaginarius istius nominis Episcopus videtur factæ per Hosium Synodo obediisse, & Tyrii Concilii tempore non fuisse in vivis. Ex ejus tamen Sectariis quidam manserunt pertinaces in Schismate atque errore, & perrexerunt se inscribere Colluthianos. Et hi, quod pauci essent atque acephali, adjunxerunt se Eusebianis ac Meletianis. Haud dubiè empti pretio. Nec mireris, quod Flavius Himerius se inscribat Mareotidis Exarchum seu Prefectum; etenim Catholicus cum Rectore venit in partem administrandæ Provinciæ, & non minùs quàm ille appellatur Præfectus. Et hinc vides eorum, quæ quidam ex adductis Athanasii verbis colligunt, aliqua non subsistere. Notanda sunt & verba Flavii Himerii de Constantini Diplomate: *Quod primo loco positum.* Evincunt quod apud Romanos Lex seu Rescriptum semper consueverit præponi Edicto.

CAPUT XI.

Exponuntur Arii Genus, Mores, Studia, Magistri, & Ordo.

De Arii genere hæc scribit S. Epiphanius: *Ferunt Arium ex Libya oriundum, Alexandriæ Presbyterum esse factum, qui tum Baucalensis cujusdam Ecclesiæ Præfecturam gerebat.* Et adjungit de ejusdem moribus & corporali forma: *Fuit hic proceriori statura, tristi oris specie, totaque corporis configuratione, subdoli serpentis instar, ad fraudem & fallaciam composita, ita ut callido illo & externo habitu facilè obreperet simplicioribus animis. Nam Hemiphorium & Colobium indutus, in colloquiis ac salutationibus blandus erat inprimìs, atque omnium animos adulationum illecebris devinctos tenebat.* De ipsius corporea forma habet etiam Imperatoris Constantini increpatoria ac Encyclica Epistola: *Videte omnes, videte, ut Arius lamentabiles prætendat voces, viperæ morsu læsus. Videte, ut venæ ejus, ut carnes veneno occupatæ acerbos moveant cruciatus, ut ejus corpus tabe defluxerit. Ut attenuatum, & squallore ac sordibus obsitum, lamentatione, pallore, horrore, infinitisque malis conficiatur, misereque strigosum sit. Ut deficiens eluvie, ac sordidus capillus. Videte semi-necem, obtutu jam languido, vultu exangui, mæsto, tabido. Cernite, ut ad eum propter mali diuturnitatem confluxerit furor, insania, vanitas: Eumque immanem ac ferum reddiderint. Nè sentit quidem, quibus sit in malis.* Arius videtur fuisse deformis vultu ac omni corpore. Deformitas videtur traxisse originem ex naturali livore, aut certè ex simulata sanctimonia. Et concepta ex Synodali ac Imperiali ob Hæresim damnatione rabies videtur deformitatem auxisse. Hæref. 69.c.1.

Quod & ipse, & omnes ejus Congerrones *probabilibus & blandis colloquiis perniciosam suam Doctrinam obtegerent*, atque ita multos simpliciores circumscriberent, scripsit ad sanctum Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum etiam S. Alexander Patriarcha Alexandrinus. Et adjunxit de ipsorum superbia: *Qui aciem contra Dei Filium instruxerunt, contra nos ingratis animis debacchari non refugiunt. Qui nec ullos secum ex antiquis comparari sinunt, nec eos quibus ab ineunte ætate nos Magistris usi sumus, pares dici patiuntur. Quin imò nec ullum Collegarum nostrorum, qui ubique gentium, ad mediocrem scientiam pervenisse*

venisse censent. Solos se Sapientes jactant, solos Egestatem sectantes, solos Dogmatum Inventores, sibique solis patefacta esse illa, quę in nullius unquam sub Sole cogitationem venire potuerint. O impiam arrogantiam! vesaniam immensam, inanem gloriam cum furore conjunctam. Extat Epistola apud Ecclesiasticam historiam Theodoreti. Notanda sunt verba: *Cum furore conjunctam.* Alludunt ad Arii nomen, de quo sanctus Gregorius Nazianzenus: *Arius à furore nomen habet.* Quod ipsum inculcat in pluribus locis. Et in prima sua Oratione scribit: *Libycus Sabellius, & Alexandrinus Arius.* Videtur hunc non Libycum, sed adserere Alexandrinum. At possit ejus non nativam Regionem, sed Ecclesiasticæ Ordinationis Titularem urbem respicere.

Lib. 1. cap. 3.

Orat. 20

De Ario scribit etiam in sancti Athanasii funebri Elogio: *Fuit quondam tempus, cum res nostræ florerent, ac præclarè se haberent, cum nimirùm superflua hæc, & verborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad Divinas Aulas nè aditum quidem haberet. Verùm idem erat calculis ludere, inversionis celeritate oculorum obtutum fallentibus, aut omnigenis & lascivis corporis flexibus spectatores ludificari, quod novi & curiosi quidpiam de Deo vel dicere vel audire; simplex contra & ingenua Oratio atque Doctrina existimabatur pietas. At postquam Sexti & Pyrrhones, & contradicendi libidine incitata lingua, velut gravis quidam & malignus morbus, in Ecclesias nostras magno nostro malo irrepserunt, & doctrinæ nugacitas eruditionis opinionem tulit, quod Liber Actorum narrat de Atheniensibus, ad nihil aliud vacamus, quàm ut novi aliquid dicamus vel audiamus. O quis Jeremias confusionem nostram & caliginem deplorabit, qui solus lamentationes calamitatibus exæquare novit? Huic furori Arius quidem ille, à furore nomen habens, initium dedit. Qui etiam petulantis & effrænis linguæ pœnas expendit, in obscænis ac impuris locis extinctus.* Sophisticas Dialecticæ tricas, ac alias humanæ Philosophiæ subtilitates, nec non & nimios dicendi fucos dilexit, & Christianæ Philosophiæ miscuit, atque ita explevit laudatam à Tertulliano Paræmiam: *Hæreticorum Patriarchæ semper Philosophi.* In Epistola, qua sanctum Patriarcham Alexandrum & hæresiarcham Arium conciliare in Catholicam pacem, & ortas verborum dissensiones in ipso ortu extinguere est conatus, Imperator Constantinus harum quæstionum sublimitatem exaggerat insigniter, atque adjungit: *Quare in talibus rebus loquacitas coercenda est.* Et iterum: *Tales quæstiones, licèt ad ingenii acumen exercendum instituantur, &c.* Non Alexandrum, sed omninò Arium arguit de ostentato ingenii acumine, atque inde nata loquacitate Dialectica. Arium Dissertatoriæ artis ac subtilitatis fuisse insigniter peritum, disertè testatur Hermias Zozomenus.

Orat. 21

Lib. 1. cap. 14.

In secunda Theologica Oratione laudatus Gregorius largè tractat, An Divina Majestas sit in toto Universo? An sit in ipso solo, an etiam extrà ipsum in spatiis imaginariis? Demonstrat has Quæstiones ex omni latere esse periculosissimas, obscurissimas, honorandas silentio & adjungit: *Quorsùm hæc disserui, & fortasse curiosiùs, quàm vulgi aures ferant, ac pro ea, quæ hac tempestate viget, disputandi ratione, quæ simplici atque ingenua Divinarum rerum pertractatione contempta, & & pro nihilo habita, subdolum atque involutum dicendi genus invexit, ut nimirùm ex fructibus arbor, hoc est, ater ille ac tenebrosus Spiritus, hujusmodi Dogmatum adflator, ex hac disputationis caligine agnoscatur? Non enim hoc eò à me factum est, ut ipse quoque nova, & ab hominum sensibus aliena proferre, atque eximia quadam & excellenti sapientia ornatus esse videar, nodos nectens, atque adstricta dissolvens; verùm ut ostendam Deum extra humani ingenii captum esse.* Quod hoc postremum utinam quidam hodie attendant, qui de Divinis intrà & extrà mundum mira fabulantur supra suum captum, & infirmorum fidem ac pietatem, quam stabilire debuerant, concutiunt atque inquietant. Sanctus Gregorius Arianos arguit de doloso ac involuto dicendi genere, de nova disputandi affectata methodo, de incursa ob nimium subtilitatis studium caligine, ac de vanitate, qua ambirent nova ac inaudita proferre, & hominibus placere ob eximiam sapientiam. Quæ omnia sunt vitia cunctis passim Hæreticis communia. Etiam in Maximi Cynici elogio Gregorius Arium onerat duris ac dignis titulis: *Altera tempestas adversus Ecclesiam excitatur, ille injustitiæ turbo, illud impietatis Supplementum, illa Spirituum legio, illa Christo adversaria lingua, illa iniquitatem in Excelsum locuta mens, ille Divinitatis Sector, cujus gravis quidem & horrendus conatus, gravior autem & magis horrendus vitæ finis, & Judæ proditione dignus, quam ille adversùs nostræ salutis auctorem moliri ac perpetrare non dubitavit. Arius, inquam, pulchrè à furore nomen habens.* Non sine fundamento dicit: *Spirituum legio.* Etenim in septima Joannis Cassiani Collatione Serenus Abbas affirmat atque demonstrat esse varia Dæmonum studia ac genera, atque adjungit: *Alios reperimus non solum studere mendaciis, sed etiam blasphemias hominibus inspirare. Cujus rei etiam nos testes sumus, qui audivimus apertissimè Dæmonem confitentem, per Arium & Eunomium se impietatem sacrilegi Dogmatis edidisse.* Affirmat hunc Dęmonem fuisse ex ista classe, ex qua quis etiam in tertio Regum libro dixit: *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* Nam & Apostolus Hæreses appellat *doctrinas Dæmoniorum.*

Orat. 23

Cap. 25.

Cap. 22.

Eadem affirmat in Nicænorum Patrum Encomio Venerabilis Gregorius, Cæsaræensis in Cappadocia Ecclesiæ Presbyter. Datæ Ecclesiis per Magnum Constantinum pacis gaudia & fructus enumerat, atque prosequitur: *Ceterùm boni osor hostis eam hominum provectionem ad meliorem cognitionem ferre non potuit. Quin imò velut olim primùm condito homini vitam laborum vacuitate felicem invidit, ejusque per Serpentem, ut nè Præcepto obediret, auribus insevit, se quoque per id tempus, idololatrarum ad Deum conversione exulceratus, suscitat Spiritum Pythonis. Fuit is Arius. Christianus quidem nomine, ac Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter allectus, cui Divinarum Scripturarum interpretatio fuit demandata. Atque utinam non fuisset. Homo inani gloria; ac avaritia, patris sui Diaboli armis, possessus.* Gregorius hæc hausit ex Ecclesiastica Theodoreti Historia. Nam & hæc iisdem ferè verbis affirmat Arium fuisse Presbyterum Alexandrinæ Ecclesiæ, Sacrarum Literarum inter-

Lib. 1. cap. 1.

interpretationi præpositum, ad turbas suscitatum à Diabolo, indignato ob extinctam idololatriam. Antiqua Officiorum & Dignitatum magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Notitia in quarto Quinario hæc habet: *Doctor Evangelii, qui interpretatur illud. Doctor Apostoli, qui illius interpres est. Doctor Psalterii, Psalterio explanando destinatus. Rhetoris munus est Scripturas interpretari.* Hujus Officium alia Notitia lucidius exponit: *Rhetor nomine Patriarchæ Sermones doctrina & eruditione plenos componit.* Hęc Officiorum distinctio videtur non adeò antiqua. Quidquid sit, ipsorum nullũ Arius habuit. Fuit Baucalensis Ecclesię Rector & Cardinalis Presbyter. Ex hoc Officio debuit docere Populum, & Sacras Literas interpretari. Quod ipsum propter labentem Idololatriam offensus Diabolus suscitaverit, scribit in libris de Dei Civitate S. Augustinus: *Videns Diabolus Templa Deorum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, Hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano doctrinę resisterent Christianæ, quasi possent indifferenter sine ulla correptione haberi in civitate Dei, sicut civitas confusionis indifferenter habuit Philosophos, inter se diversa & adversa sentientes.* Quod ipsum in Libro de Unitate Ecclesiæ scripsit S. Cyprianus. Etenim ista Dæmonum ita non solam Arianam, sed omninò omnem nobis progenuit Hæresim. In erudito, ac per Jacobum Gretserum vulgato, adversùm Eutychianistas Libro insigniter hoc demonstrat Venerabilis Anastasius Sinaita, adjungens id esse singulariter verum de Ariana hæresi. Hæc namque Mediatoris Divinitatem, per quam Idololatria destruebatur, conata est apud nostram fidem destruere, atque ita inducere novum monstrum Idololatriæ. Nam Dei Filium, si Deum non credas, adorare est omninò nequissima Idololatria. Diabolus per Arium studuit novum sibi Regnum parare.

Lib. 18. cap. 51.

Quod Arius etiam avaritia laboraverit, non sine fundamento dixit Cæsaræensis Gregorius. Etenim avaritia est antiquissimum Cleri vitium, ex quo etiam ipsis Apostolorum temporibus quidam censebant quæstum esse pietatem. Et ab ipso dehortans Timotheum Antistitem Apostolus addidit: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.* Cur ab ipso præsertim Clerus invadatur, edicit S. Augustinus in Libro de Sancta Viduitate. Porrò de scelerata & sacrilega Arii avaritia rem arcanam prodit in S. Thomæ Apostoli Encomio S. Joannes Chrysostomus. Inducit Apostolum Ario hæc dicentem: *Hęc ego experimento percepi, hæc digitis tractavi, hæc animo intellexi.* Utique Dei Verbi cum Deo Patre Consubstantialitatem. *Tu verò, Ari, unde blasphemiam es edoctus? Unde quæ prædicas, didicisti? Num CHRISTUM, ut ego, palpasti? Num manum admo visti? Num clavorum vestigia scrutatus es? Num digiti testimonium ferunt? Tu-nè CHRISTUM tenuisti? Qua verò manu? An ea, qua pretiosam supellectilem rapuisti? Qua Apostolos compilasti? Qua Barbari spolia excepisti? Qua mercedem impietatis tenuisti? Qua Sanguinis vasa conflasti? Hac ipsa CHRISTUM contrectasti? Absit. Non adeò iniquus est Dominus, non adeò imprudens, ut suam carnem tibi credat.* Sanctus Joannes affirmat, quod Arius Sacra Ecclesiæ Vasa fuerit furatus, quod Sacros Calices conflaverit, quod Apostolorum Imagines spoliaverit, quod impia facinora pretio vendiderit, quod excæperit Barbari spolia. An Barbaro oblata, an per Barbarum ablata Ecclesiæ, ignoro. Etiam ignoro, quis fuerit Barbarus. S. Joanni debemus magna hæc Secreta.

Eadem pravæ avaritiæ radix fecit Sacras Virgines diligi ab Ario, & ipsarum grandes circumduci turmas, de quibus sanctus Epiphanius: *Alexander Arium Ecclesia exturbavit, & cum eo ingens Virginum, quas ille depravaverat, vis ejicitur.* Et iterum: *Arius erat blandus in-primis, atque omnium animos adulationis illecebris devinctos tenebat. Quare brevi septingentas Deo consecratas Virgines ab Ecclesia abstractus in unum coegit.* In Sacris Virginibus, quarum corporibus non possunt frui, sibi adunandis primus & palmaris similium hominum scopus solet esse ipsarum crumena & facultas. Quàm avidè & sordidè quidam sint hanc sectati, docent plurima exempla, ac Patrum testimonia. Quidam se istis exhibuerunt plusquàm mancipia. Quod aliqui ipsarum infirmarum Testamenta aut Legata venantes, etiam matulam eis ministraverint, aliaque non tantùm Ecclesiastico gradui, sed & virili Sexui indigna præstiterint famulitia, testatur atque indignatur sanctus Hieronymus. Et hinc nata est prima Imperatoris Valentiniani adversùm pia Testamenta Lex, de qua extat plena querimoniis Epistola S. Ambrosii. S. Hieronymus censuit justam. Porrò an Arius istarum suarum Amazonum sola crumena, an insuper & corporibus fuerit abusus, non possim certò adfirmare. Certè ipsum etiam de corporum abusu arguere videtur in Literis ad sanctum Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum sanctus Patriarcha Alexander: *Nunc lites & jurgia movent per impuras mulierculas, quas seduxerunt. Nunc Christiani Christianæ Religioni derogant per Invenculas suas, quæ plateas omnes turpiter circumcursant. Nos igitur ad ea, quæ & vita eorum & nefarius conatus postulant, serius, quia latebant, incumbentes, communibus illos suffragiis ab Ecclesia ejecimus.* Et infrà: *Per urbes circumcursant, hoc Unum agentes, ut sub specie amicitiæ & pacis nomine Literas per simulationem & assentationem dent atque accipiant, per quas in errorem mulierculas paucas peccatis onustas, quas deceperunt, facilius pertrahant, & cætera.* Agit de Ario & Achilla, ac ipsorum à se damnatis Asseclis. Ipsorum vitam culpat de secretis olim, ac jam tandem manifestatis peccatis: Quæ omninò videntur esse libidinis. Hinc istas Amazonas affirmat esse Mulierculas, Juvenculas, impuras, impudentes, loquaces, Circumcursatrices. Etiam voces, *Et cætera*, videntur non vacare mysterio. Quod fœminarum corpora dilexerint, in scriptis ad ipsos Literis palàm affirmat Imperator Constantinus: *Agedùm Mars, Ari, clypeis sanè utendum est. Nè hoc, quæsumus, facias. Cohibeat te saltem Veneris congressus.* Quia nempe huic adsuetus Congressui, non est aptus ad arma. Epistolæ locum amplè exponit Dominus Cardinalis Cæsar Baronius. Ex eadem radice Puellos præsertim ac Puellas in sui erroris rem & fidem circumscribere studebant Ariani: *Deinde quoque & Mulierculas, sese insinuantes istiusmòdi verba effœminata sonabant: Quid, an habes filium, antęquam pareres? Sed sicuti tum temporis non habebas, itidem & Dei Filius quoque non erat, antequam gigneretur*

Hæres. 68. c. 4.

Epist. 12

Epist. 2.

Anno 319.

gneretur. Hoc verborum genere famosi nebulones propemodùm tripudiando lasciviebant, Deum hominibus adæquantes, ac interim sese jactantes fuisse semper Christianos, qui Dei gloriam in similitudinem imaginis hominis corruptibilis immutant. Ita scribit sanctus Athanasius in secunda adversùm ipsos Disputatione. Hinc item Magnum hunc Athanasium, sanctum Eustatium, Venerabilem Vincentium Capuanum Episcopum, ac alios similes Christianæ fidei ac Disciplinæ Gigantes, illi machinati sunt infamare de impudicitia: Ne ipsi essent soli maculosi. sic consuevit profunda iniquitas.

Impurus Arii animus abundè lucet ex ejus etiam Thalæa, quam memorat in prima adversùm ipsos Disputatione idem Athanasius: *Thalææ suę, quam faciunt, fidem haberi volunt, qui nè ipsi quidem sciunt quid credant.* Et infra habet de Eusebianis: *Si sinceriter scriberent, delevissent utique Thalæam, quam Arius composuit.* Et in secunda Disputatione: *Novarum pestium inventores se præbent, qui relictis CHRISTI eloquiis, Thalæas Arii, hoc est, Crapulas titulo novæ Sapientiæ cohonestant. Et bono jure eum Titulum usurpant: Novam enim Hæresim annuntiant. Quapropter non sine admiratione est nusquam in multis multorum Operibus & Sermonibus, tum in vetus, tum in novum Testamentum conscriptis, inter Librorum titulos reperiri Thalæas, id est, Crapularum nomen. Imò nè apud Ethnicos quidem frugi & temperantes, sed apud istos dumtaxat, qui istiusmodi res inter pocula ad risum captandum per plausum, jocum, & lasciviam decantant. At eximius ille Arius, cum nihil aut sanctum aut grave imitandum desumeret, securus & negligens istiusmodi probitatis, depeculatis aliorum Hæresibus, æmulum se in ridiculis uni Sotadæ præbuit. Quid enim aliud congruum illi, qui CHRISTO Domino Choreis suis insultare voluit, quam ut miseras impietatis suæ Dictiunculas dissolutioribus ac elumbatioribus metris insonaret, ut quemadmodum Sapientia loquitur*, Ex eloquio verborum cognoscitur vir, *ita quoque ex illis Sotadicis numeris animi ejus effæmimatio & mentis putrilago deprehenditur.* Quod per Legis verba Legem impugnare ac destruere sit Pharisaicum vitium, demonstrat Athanasius, atquè prosequitur: *Ita quoque fucatus & Sotadicus Arius simulat se quidem de Deo loqui, cum interponat verba Sacrarum Literarum, deprehenditur tamen undecumquè Atheus, dum Filium negat, & ipsum rebus conditis adnumerat. Tale igitur exordium crapularum Arii & vaniloquentiæ, moribus ac numeris effœminatum, invenias.* Enumerat præcipua Thalææ capita, & pergit: *Hæc sunt capita fabellarum, quæ in ridiculo Arii Opere invenias. Quis igitur talibus Thalææ Cantiunculis, ac istiusmodi rebus auditis, non summo jure oderit Arium, quasi in scena ad istum modum de tantis rebus ludentem?* Et statim inferius: *Si ea de causa, quod aliquot Sacræ Scripturæ voculas in Thalæa scriptas videant, arbitrentur blaspemias esse benedictiones, prorsus futurum est, ut cum nostri temporis Judæos videant Legem & Prophetas evolvere, unà cum Judęis CHRISTUM abnegent.* Affirmat Thalæam esse exemplar ac imaginem malorum, scatentem omni impietate. Et in Nicænorum Decretorum Expositorio Libro scribit: *Arius in suis Cantiunculis & Convivalium Libro per sub-dubitandi speciem fabulatur.* Et in libro de sui Antecessoris S. Dionysii Sententia: *Arius est novæ hæresis inventor, Hæresimque Thalæa, effœminatis ac ridiculis numeris, ad similitudinem Ægyptii Sotadæ, conscripta in lucem promulgavit.* Et in libro de Synodo Ariminensi ac Seleuciensi; *Arius suam hæresim Scripto complexus est, qui in Thalæa, neminem Prudentium imitatus, nisi solum Ægyptium Sotadem, ad ejus indolem & mollitiem Numerorum multa conscripsit, quorum hæc aliqua est portiuncula.*

De Hæresiarcha Valentino scribit in Libro de Carne CHRISTI Tertullianus: *Cum Psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicujus Autoris interserit, ad unam jam lineam congressionem dirigimus.* Cap.17 Valentinus novos Psalmos composuit, eis inseruit suos errores, & à suis sequacibus jussit tam intrà quàm extrà Ecclesiam decantari. Quod ipsum fecit Paulus Samosatensis, Laodicensis Apollinarius, plures antiqui Hęretici, ac elapso sæculo Martinus Lutherus. Hoc ipsum fecit Arius. Composuit non unam aut alteram Cantilenam, sed integram Symposiam, seu librum Convivalium. Et quidem ad imitationem Sotadæ, de quo Suidas: *Sotades Cretensis Maronita, à Dæmonio vexatus, Jambo-graphus, scripsit Phlyacas sive Cinædos, lingua Jonica. Nam Jonici sermones sic vocabantur. Usus est hoc genere etiam Alexander Ætolus, & Pyrrhus Milesius, & Theodoras, & Dimocharidas, & Xenarchus. Sunt autem ejus genera plurima: Veluti Descensus ad inferos, Priapus, ad Belestichen, Amazon, & alia. Et Inclusæ, & Redemptus: Ut Athenæus ait in Dypnosophistis.* Est Metrum leve atque lascivum, aptum decantandis lascivis amoribus. S. Athanasii Textus hominem istum quandoque Sosatem, quandoque apellat Sotadem. Quæ posterior lectio videtur recta. Idem Athanasius ipsum constanter affirmat Ægyptium, at verò Suidas scribit Cretensem. Respondet Dominus Cardinalis Cæsar Baronius: *Sotades non fuit Ægyptius, sed ipse Arius ob contumeliam Sotades Ægyptius est dictus.* Anno 325. Sed clarum est, quod Athanasius non Arium dicat Ægyptium Sotadem, sed ipsum. Sotadem fuisse Ægyptium. Quidquid sit, Sotades fuit Poeta adeò spurcus, ut de ipso scribat Martialis: *Quod nec carmine glorior supino, nec retrò lego Sotadem Cinędum.* Profitetur se ejus imitationem aversari. Sotadæ Metra erant non tantùm impudicis Symposiis, sed etiam lascivis Saltibus aptissima Cantica, ideoque certum videtur Arianas Amazonas, ac omnem seductam Ægypti Plebem ad ipsa etiam saltitasse. Quod ipsi etiam Ariani Doctores in Foro ferè tripudiarent, ac tripudiando lascivirent, suprà nobis dixit S. Athanasius. Hæc ejus de Ario verba sunt clara: CHRISTO *Salvatori choreis suis insultare voluit.* Affirmat quod non tantùm Ariani ad Thalæam saltaverint, sed insuper quod Arius ipsam ad istum finem composuerit. Ægyptii, præsertim Alexandrini, sunt ventosi, lingua petulantes Versificatores, vulgaribus cantilenis consueti ludere. Huic ipsorum vitio & mori Sotadicam Thalæam obtrusit Arius, atque ita fecit ipsos etiam in CHRISTUM Dominum dicaces esse, ac toto corpore & animo blasphemos. Similem suorum Germanorum Consuetudinem eadem arte circumvenit Martinus Lutherus. Et hinc de Ario rectè concludit S. Athanasius: *Ex illis Sotadicis Numeris animi ejus effœminatio, & mentis putrilago deprehenditur.*

Arius

Arius in suis Scriptis fuit non tantùm impudicus, nec tantum in Divinam Majestatem blasphemus, sed etiam in Humanam. Quod enim inofficiosas, imò impudentes Literas ad Magnum & Christianum Imperatorem Constantinum scripserit, lucet ex hujus ad ipsas Responso, de quo scribit S. Epiphanius: *Imperator, Divinæ fidei ardore commotus, Epistolam bene longam, & Encyclicam ad omnes Romano Imperio subjectos adversus Arium ac ejus Dogma scripsit, omni sapientia ac veritate refertam, quæ in hodiernum usque diem Eruditorum manibus teritur. Hujus initium est: Constantinus Augustus, Maximus, &c. Arius cum Arianis malus Interpres, & ipsissima imago ac simulachrum Diaboli. Tum post alia quædam, ac longam illius ex sacris Scripturis refutationem, postremò Versum quemdam ex Homero cum indignatione ac stomacho contorquet, quem hìc adscribendum putavi: Age, inquit, Mars Ari, clypeis opus est. Verùm nè id facias, obsecramus: Ac te saltem Veneris consuetudo cohibeat.* Est locus, ex quo supra probavimus Arii incontinentiam. Hæc est versio Dionysii Petavii. Suprà sum usus versione Petri Morini. Dudum latuit hæc Epistola: Ipsam tandem in Vaticana Bibliotheca invenit, ac Latinam reddidit laudatus Petrus, & suis Annalibus inseruit Cardinalis Baronius. Eandem lucidè laudat Socrates: *Alias quoque literas Imperator contra Arium & ejus opinionis Fautores magis populari & fusa scribendi ratione composuit. Quas quidem, quò ejus amentiam morderet, & lepida dissimulationis specie acrius pungeret, in singulis civitatibus passim divulgandas curavit.* Epistola hæc fuit & Encyclica ad omnem Romani Imperii Populum, & simul singulare Rescriptum ad Arium & Arianos. Hìc enim est ejus titulus: *Constantinus Augustus Ario & Arianis.* Singulis Arii Dictis mordaciter respondet. Fuit verò etiam Encyclica. Quia ipsam per omnes Imperii Civitates misit, & ubique legi Princeps jussit, ut Hæresiarchæ impudens etiam in Augustam Majestatem Contumacia fieret manifesta omnibus, & ab omnibus damnaretur. Dolendum est Arii ad Principem Literas periisse aut latere. Hæ hominis pervicaciam nobis demonstrarent. Fuisse procacissimas evincit aculeatum Responsum mitissimi Principis. Similem procaciam in Donato magno Donatistarum Principe notat ac demonstrat S. Optatus Episcopus Milevitanus.

Et quidem Arius non fuit penitùs indoctus. Quin nec dubitandum, quin plura scripserit. Ad scriptitandum manus pruriunt omni Hæretico. Binas ejus Epistolas, unam ad Eusebium Nicomediensem Episcopum, alteram ad Patriarcham Alexandrum, suo Panario inseruit S. Epiphanius. Hanc suo de Ariminensi ac Seleuciensi Synodis libro inseruit etiam S. Athanasius. Omnes Arii Libros cremari, & ipsorum nullum à quopiam retineri, sub Capitali Supplicio edixit Magnus Constantinus. Hinc eorumdem numerum & speciem penitùs ignoramus. Literas ad Eusebium Arius ita concludit: *Benè valere te cupiamus Collucianista vere Eusebi.* Nempe Eusebius & Arius fuerant Condiscipuli sub S. Martyre Luciano, Ecclesiæ Antiochenæ Presbytero, & Sacrarum istic Literarum Interprete. Rectè tamen de Eusebio scribit S. Epiphanius: *Cum Luciano Nicomediæ simul vixerat.* Sanctum Lucianum fuisse genere nobilem ac opulentum, & omnibus pro CHRISTO Domino renuntiasse, scribit Græcorum Anthologion, & adjungit: *Lucianus deserta domo paterna, & Nicomediam Profectus, ibi vacillantes metu suppliciorum Christianos, ac deficientes à fide, ad certamen subeundum erexit & confirmavit.* Quod an subsistat, ignoro. Etenim Authentica apud Simeonem Metaphrasten Acta affirmant Lucianum fuisse Samosatensem, è Paterna domo ad Scholam Edessenam, hinc profectum ad Antiochenam Ecclesiam. Quare audiendus est in Ecclesiastica historia Cæsaræensis Eusebius: *Lucianus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, vir cùm aliis rebus omnibus, tùm continentia eximius, tùm in Sacris Disciplinis diù & multùm exercitatus, ad civitatem Nicomediensem, in qua tunc Imperator commorabatur deductus, cum coram urbis Præfecto Apologiam pro Christi doctrina, cujus patrocinium susceperat, recitasset, in carcerem conjectus est, ibique trucidatus.* Proinde non ex Paterna domo juvenis ac spontaneus, sed ex Antiochena civitate senex atque compulsus accessit Nicomediam. Fuit in cippo extensus & diuturno isto tormento barbaricè extinctus. Quod insuper cibo & potu fuerit privatus, addit istud Anthologium.

Hæref. 69. c. 5.

Aliqui sub Maximiano Armentario, aliqui affirmant passum sub Galerio Maximino. Utrumque possit esse verum. A Maximiano evocatus Nicomediam possit à successore Maximino, & ejusdem persecutionis Continuatore, fuisse tortus, damnatus, atque occisus. Occisus videtur eodem anno, quo & S. Petrus Patriarcha Alexandrinus. Aut certè sequenti. Ob suæ Personæ ac Doctrinæ eminentiam fuit evocatus ad Regiam civitatem, & ipsum Tribunal Principis. Laudatum Anthologium scribit: *Lucianus tantò fuit homine sublimior, ut cùm urbem perambularet, à quibus vellet videretur, à quibus nollet, non cerneretur. Qua de re edoctus Maximianus, & veritus vultum illius coram inspicere, intrà Tapetem latens est cum illo locutus.* Et laudata S. Luciani apud Simeonem Metaphrasten vita: *Cum de Luciano à multis audiret Maximianus tantam in ejus facie insidere Reverentiam, ut si eum solùm vidisset, veniret in periculum nè fieret Christianus, postquam jussit, ut ille adduceretur, timens nè sibi tale quid accideret, Velo interjecto cœperat Sermonis congressionem, & verba procul ad eum emittebat, intermedio utens Sermonis ministero.* Hic Tyranni timor Luciano fecit largas apud Nicomediam morandi inducias, nec non & facultatem recitandi coram Urbis Præfecto Apologetici, ac patrandi magna alia opera. In suis Sanctorum tabulis Romana Ecclesia ipsum ornat hoc Encomio: *Beatus Lucianus, Antiochenæ Ecclesię Presbyter, satis clarus doctrina & eloquentia, passus est Nicomediæ ob CHRISTI confessionem, sepultusque est Helenopoli in Bithynia, cujus laudes S. Joanne Chrysostomus celebravit.* Quod ejus venerabile corpus per Delphinos fuerit Drepanum, quod postmòdo ab Helena Constantini Matre dictum est Helenopolis, translatum, ibidem tumulatum à Christianis, ac tandem à laudata Imperatice honoratum insigni Basilica, scribit Nicephorus Callixtus. Lib. 8. cap. 31.

Consonat Usuardi Martyrologium: *Lucianus, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter & Martyr, qui satis clarus doctrina & eloquentia, passus est Nicomediæ ob CHRISTI Confessionem in persecutione Maximini, sepultusque est Helenopoli Bithyniæ.* Et sancti

ſancti Adonis Martyrologium: *Lucianus, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter ac Martyr, vir doctiſſimus atque eloquentiſſimus, qui Nicomediæ ob CHRISTI Confeſſionem paſſus, & in quatuor partes diſſectus eſt. Quibus in ſingulis lapidibus ligatis, & in mare demerſis, alia die Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cùm ipſis lapidibus inventum, honorificè ſepultum eſt. Quam Urbem, cùm priùs Drepana vocaretur, in honorem ejuſdem Martyris Conſtantinus Imperator inſtaurans, ex nomine Matris ſuæ Helenopolim nominavit.* Quod ipſum habent & alia variarum Eccleſiarum Martyrologia. Et Alexandrinum Chronicon: *Conſtantinus, inſtaurata Drepani Urbe ad cultum ſancti Luciani Martyris, illam à Matre ſua Helenopolim nuncupavit, donata civitati in Martyris honorem, quouſque patet ante urbem Proſpectus, Immunitate Vectigalium in hodiernum uſque diem.* Quæ omnia latiùs referunt antiqua & authentica S. Luciani Acta extantia apud Simeonem Metaphraſten, Laurentium Surium, ac Joannem Bolandum. Laudatum Græcorum Anthologion etiam ſcribit: *Luciani corpus, juſſu Prætoris in mare abjectum, Delphinus Divina Providentia exceptum humeris in terram expoſuit.* Proindè miraculoſa Luciani Sanctitas erat tunc omnibus adeò manifeſta, ut ejus in honorem Helena novam Baſilicam, Imperator Conſtantinus condiderit, ac amplis Privilegiis ornaverit novam Civitatem.

Sancti Joannis Chryſoſtomi de ipſo Sermonem ſuo tempore ſervatum fuiſſe in Bibliotheca Cardinalis Sirletti, teſtatur in ſuis ad Romanum Martyrologium Notis Dominus Cardinalis Cæſar Baronius. Ipſum in tertio S. Chryſoſtomi Tomo jam vulgavit Fronto-Ducæus, & primo ſuo ſanctorum Tomo inſeruerunt Joannes Bolandus & Godefridus Henſchenius. Iſto igitur tempore dum S. Lucianus habuit circumſcriptum Nicomedia exilium, Euſebius fuit ibidem Epiſcopus, atque ita illi convixit. Nec dubitandum, quin ipſum tractaverit ut Magiſtrum diſcipulus, ut Epiſcopus advenam Doctorem & Confeſſorem. Erat vir Regiæ Stirpis, ac Regiæ, quæ tunc Nicomedia, Civitatis Epiſcopus, per verſatile ingenium etiam paganis ac perſecutoribus Auguſtis gratus: Hinc in graſſanti tunc adversùs omnem Eccleſiam perſecutione ſedebat quietus. Sanctum Lucianum in ſacrarum Literarum Synopſi etiam laudat ſanctus Athanaſius. Affirmat Sacrarum Literarum eſſe ſex ex Hebraico in Græcum Translationes, ac pergit: *Septima ac poſtrema Translatio eſt ſancti Luciani, Magni, Religioſi, & Martyris, qui & ipſe, cum in prædictas Verſiones ac Hebraicos libros incidiſſet, & diligenter quæ vel veritati deerant, vel ſuperflua aderant, inſpexiſſet, ac ſuis quæque locis correxiſſet, Verſionem hanc Chriſtianis Fratribus edidit, quæ ſanè poſt ipſius certamen ac martyrium, quod ſub Diocletiano ac Maximiniano tyrannis ſuſtinuit, libro videlicet propria ipſius manu ſcripto comprehenſa, Nicomediæ ſub Conſtantino Rege Magno, apud Judæos, in pariete armarii calce circumlito, in quo cuſtodiæ gratia fuerat poſita, inventa eſt.* Evocatus Nicomediam Lucianus originale ſui Operis exemplar ſecum detulit: Quod videret ſe illic diutiùs moraturum, ideoque iſtud aut limare vellet, aut ipſo non carere.

Rem hanc elucidat Græcorum Anthologion: *Lucianus, cum pereleganter ſcriberet, reliquit Nicomedienſi Eccleſiæ Volumen tribus linguarum columnis diſtinctum, quo totum veteris & novi Sacrarum Literarum Inſtrumenti Teſtamentum complexus eſt.* Sanctus Lucianus videtur Nicomediæ, quod diutiùs illic detineretur, emendatos à ſe Sacros Codices eleganti manu deſcripſiſſe, atque iſti Eccleſiæ legaſſe. Forſitan in gratiam Diſcipuli & optimi hoſpitis Epiſcopi Euſebii. Iſtam emendationem exponit S. Luciani vita: *Lucianus, cum vidiſſet ſacros Libros eſſe valde adulteratos, & cum tempus multa in eis corrupiſſet, continuaque ab aliis in alia Translatio, & quidam homines ſceleratiſſimi, qui gentilitati præerant, conati eſſent pervertere eorum intelligentiam, ipſe omnes rurſum ſumpſit, & ex lingua renovavit Hebraica, quam ipſam quoque ſciebat accuratiſſimè, in eis corrigendis plurimum laboris conferens.* Quæ omnia de verbo fere ad verbum Suidas indidit ſuo Operi, addens emendationem iſtam eſſe optimam, & divinorum Decretorum puritatem in ipſa pulcherrimè conſervari. Addit Lucianum fuiſſe Macarii diſcipulum, qui Edeſſenam Scholam rexit, Interpres ſacrarum Literarum. Quod ipſum habet ejus vita.

Quod non ſub Maximiano, ſed ſub Maximino fuerit paſſus, ſupra nobis dixit Euſebius Cæſarænſis, oculatus inſpector iſtius perſecutionis. Et confirmat in Illuſtrium virorum Catalogo S. Hieronymus: *Lucianus, vir diſertiſſimus, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter, tantùm in Scripturarum ſtudio laboravit, ut uſque nunc quædam Scripturarum exemplaria Lucianea nuncupentur. Feruntur ejus de Fide libelli, & breves ad nonnullos Epiſtolæ. Paſſus eſt Nicomediæ ob confeſſionem Chriſti, ſub perſecutione Maximini, ſepultuſque eſt Helenopoli Bithyniæ.* Ab ipſo factam Sacrarum Literarum novam Translationem ſanctus Hieronymus laudat etiam in literis ad ſanctus Chromatium Epiſcopum Aquilejenſem: *Alexandria & Ægyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem. Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani Martyris Exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Paleſtinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt Totuſque Orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat* Epiſt. 107. Et in Epiſtola ad ſanctum Damaſum Pontificem ſcribit: *Prætermitto eos Codices, quos à Luciano & Heſychio nuncupatos paucorum hominum adſerit perverſa Contentio,* Epiſt. 123. *quibus utique nec in toto veteri Inſtrumento poſt ſeptuaginta Interpretes emendare quid licuit, nec in novo profuit emendaſſe, cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata doceat falſa eſſe, quæ addita ſunt.* Et in Epiſtola ad Suniam ac Fretelam: *Breviter admoneo, ut ſciatis aliam eſſe editionem, quam Origenes & Cæſarenſis Euſebius, omneſque Græciæ Tractatores communem appellant atque vulgatam, & à pleriſque nunc Luciani dicitur; aliam ſeptuaginta Interpretum, quæ & in Exaplis Codicibus reperitur, & à nobis in Latinum Sermonem fideliter verſa eſt, & Hieroſolymæ atque in Orientis Eccleſiis decantatur.* Et infra: *Iſta autem communis, ipſa eſt quæ & ſeptuaginta. Sed hoc inter-eſt inter utramque, quod Communis pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio eſt; ea autem quæ habetur in Exaplis, & quam nos vertimus, ipſa eſt quæ in Eruditorum libris incorrupta & immaculata ſeptuaginta Interpretum Translatio reſervatur.*

Ex quibus habemus varia. Primò, quod Lucianus fuerit vir disertissimus, germanè sanctus, Orthodoxus Doctor ac Martyr. Secundò, quòd non fecerit novam Sacrarum Literarum Translationem, sed antiquam Septuaginta Interpretum Versionem dumtaxat ex Hebræo emendaverit. Tertiò, quòd presertim emendaverit priores Translationes, aut certè Codices novi Testamenti. Quartò, quòd omnes ab Antiochia usque ad Nicomediam Ecclesiæ istam emendationem admiserint. Nempè omnis Antiochenus Patriarchatus, & omnis Pontica Diœcesis. Nempè Patriarchalem Antiochiæ Ecclesiam, & omnem eò confluentem juventutem docuerat per multos annos, & ad Regiam Nicomediæ in Pontica Diœcesi civitatem detulerat suum Opus Lucianus, & sua istud morte confirmaverat. Hinc utraque Diœcesis ipsum meritò admisit. Quintò discimus, quod vulgata Sacrarum Literarum apud Græcos Editio, sit Translatio septuaginta Interpretum. Sextò, quod hæc apud ipsos fuerit triplex: Pura, quam in suis Exaplis posuit Origenes; Correcta per Hesychium Ægypti Episcopum; & correcta per S. Lucianum. Septimò, quod omnis Orientalis Ecclesia probaverit ac legerit ex his unam. Ægyptus Hesychio, Oriens Luciano, Palestina adhæsit antiquo Textui, propter Origenem, suum martyrem Pamphilum, ac Metropolitam Eusebium. Octavò discimus, quod Luciani Emendatio fuerit tantæ auctoritatis apud multos, ut ipsam per Antonomasiam dixerint Communem & Vulgatam. Nonò, quod sanctus Hieronymus ipsam non per omnia probaverit. Proinde absit ut Arius suam hæresim à sancto Luciano didicerit. Hinc in Maximi Cynici Elogio rectè scribit S. Gregorius Nazianzenus: *Arius ab Alexandrina civitate initium*, utique sui erroris, *duxit, & illic pestiferum Dogma didicit.* Non igitur Antiochiæ. Orat. 23

Verùm his obstat gravissima Auctoritas sancti Patriarchæ Alexandri in Literis ad sanctum Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum. Affirmat Arii à se damnatum errorem esse Ebionis, Artemæ, ac Pauli Samosatensis pestiferum surculum, atque pergit: *Paulo succedens Lucianus, diuturno trium Episcoporum tempore exclusus ab Ecclesia mansit.* Affirmat Arianum errorem ab Ebione in Artemam, ab Artema in Paulum, à Paulo in Lucianum, à Luciano serpsisse in Arium. Et Lucianum à tribus successivè Antiochenorum Patriarchis ob errorem fuisse Ecclesia ejectum. Nec solum Arium ac Nicomediensem Eusebium, sed insuper Marim Chalcedonensem Episcopum, Theognidem Nicænum, Leontium Antiochenum, Antonium Tharsensem, Eudoxium Constantinopolitanum, nec non Numenæum, Alexandrum, ac Asterium, sceleratissimos Arianos, fuisse Luciani Discipulos testatur Nicephorus Callixtus. Et hi omnes nebulones, quò rectà docere viderentur, appellabant se Collutianistas. Clamabant se credere ac docere cum suo glorioso Magistro ac martyre Luciano. Hinc Luciano evenit, quod Marcello Ancyrano Episcopo, quem ab Eusebianis calumniis absolvit Sardicensis Synodus, evenisse scribit in Ecclesiastica novi Testamenti historia sanctus Sulpitius Severus: *Marcellum gravabat, quia* hæresiarcha *Photinus auditor ejus fuisse in adolescentia videbatur.* Inter Lib. 8. cap. 31.

præcipuas etiam in Theodorum Mopsuestiensem Episcopum inquirendi causas fuit, quod hæresiarcha Nestorius fuisset ejus Discipulus. Etenim quod ex loquaci Discipulorum libertate agnoscamus Magistrorum Arcana, scribit ad Ctesiphontem sanctus Hieronymus. Dicti nebulones in Antiochena Synodo aboleverunt Nicænum Symbolum, ac ediderè aliud novum, de quo Hermias Zozomenus: *Hanc fidei Formulam his verbis scriptam dixerant se comperisse Luciani fuisse, Formulam, viri spectatissimi, & in sacris Literis summè eruditi, qui Nicomediæ martyrio occubuit. Vera-nè ista sint, an propriam ac suam fidei Formulam titulo Martyris insignire laborarint, non habeo equidem dicere.* Possit fuisse Formula Luciani. Quod enim Lucianus de fide libellos ediderit, supra nobis dixit sanctus Hieronymus. Et per fidei Libellos Antiquitas intellexit istiusmodi Formulas. Antiochenam Formulam adducit integram Nicephorus Callixtus, atque adjungit: *Eusebiani vulgarunt fidem talem se invenisse scriptam, & à Luciano conceptam, qui Nicomediæ Martyrio decertavit, Viro divino, & in sacris Literis supra cæteros apprimè erudito; amplitudine, ut equidem reor, martyris celebritatem potiùs Scripto suo vendicantes, quàm vera dicentes.* Et apud sanctum Athanasium extant quinque Dialogorum Libri, in quorum tertio Hæresiarcha Macedonius Orthodoxum assiduè urget ad admittendam ac profitendam fidem ac Symbolum sancti Luciani: *Nos ita credimus, ut beatus Lucianus. Credis ut beatus Lucianus? Subscribis confessioni fidei à Luciano editæ?* Ecce non soli Ariani in Antiochena Synodo, sed etiam Macedoniani ad editam fidei à Luciano Formulam constanter proclamarunt. Et in Panario sanctus Epiphanius distinguit duos Lucianos: Antiquum ac Recentiorem. Antiquum affirmat fuisse Marcionis Discipulum, ac novum Gnosticorum frustum, & adjungit de secundo: *Lucianus ætate nostra sub Constantino seniore vixit, quem Ariani inter Martyres adscribunt. Fuit enim Arianorum erroribus infectus, de quo postea, cum refutandus erit, sumus acturi.* Et in libro Ancorato scribit: *Lucianus ac Lucianistæ omnes Filium Dei negant animam adsumpsisse, eundemque induisse solam carnem, ut Divino Verbo humanas affectiones tribuant, sitim, famem, fatigationem, fletum, mœrorem, perturbationem: Quidquid denique in suscepta ab illo natura reperitur.* Eorum fundamenta adducit inferius, & adjungit: *Veram fuisse in Christo carnem Lucianistæ, sive Ariani fatentur.* Lucianistas confundit cum Arianis: Quod censeat hos ex istis processisse. Etiam in Panario scribit: *Ariani à Luciano & Origene erroris occasionem sunt nacti.* Adducta Antiochensis Formula apud multos malè olet, quod taceat vocem, *Consubstantiale.* Hinc ergo Lucianus videtur eadem sensisse cum Ario, ac ipsi fuisse Magister & origo erroris.

Lib. 9. cap. 5. — Hæres. 4. c. 1. — Cap. 33. — Cap. 35. — Hæres. 76. c. 3.

Respondeo de sancti Patriarchæ Alexandri fide non posse dubitari. Hinc certum est sanctum Lucianum à tribus successivè Antiochenis Patriarchis fuisse damnatum de hæresi, & proscriptum ex Ecclesia. Et quidem à magnis Patriarchis: Videlicet à Tyranno, Cyrillo, ac Timæo. Etenim in Ecclesiastica historia scribit Antiochenarum rerum peritissimus Theodoretus: *Antiochiæ post Tyrannum, cum Ecclesiis jam reddita pax esset, Episcopatum* Lib. 2. cap. 2.

patum obtinuit Vitalis, huic autem successit Philogonius. Dum ergò Maximiani ac Maximini, sub quibus passus est S. Lucianus, ferveret persecutio, Tyrannus erat Antiochiæ Episcopus, extremus istorum trium. Interim omnes tres damnationes fuerunt injustæ. Ipsarum radicem aperit laudata S. Luciani vita. Affirmat S. Lucianum fuisse famosissimum, ab Imperatore Maximiano, omnes Christiani nominis Columnas evertere tentante, sæpiùs quæsitum, ideoque se abscondisse ac latuisse, atque adjungit: *Lucianus è civitate excedens, in agro quodam latebat. Pancratius autem quidam Antiochenus, qui Presbyteri quidem erat honorem adsecutus, idem vero sentiens quod Sabbellius, jam diu ante illius gloriæ invidens, ipsum prodidit iis qui quærebant.* Evenit S. Luciano, quod non ita dudum antea evenerat sancto Dionysio Patriarchæ Alexandrino. Sabelliana hæresis fuit Antiochiæ grassata. Et uti ipsam in Pentapolitana Libya dictus Dionysius, ita eandem in Orientali Diœcesi impugnans sanctus Lucianus excessit, licet non credendi, tamen loquendi limites. De Divinæ Majestatis, dum Personalem Trinitatem conatur stabilire, essentiali Unitate licentiùs ac amplè nimiùm est locutus, & quibusdam visus fuit ipsam dividere in tres essentias. Et vel oppressus ab Adversariis, vel quosdam liberioris suæ locutionis modos recantare nolens, fuit damnatus à Patriarcha Timæo, ac Ecclesia ejectus. Et istud de ipso judicium Cyrillus ac Tyrannus confirmaverunt. Harum Quæstionum pertæsus videtur sub Tyranni Episcopatu scripsisse Libellos de Fide, laudatos à S. Hieronymo, ac etiam Epistolas, de quibus Suidas: *Lucianus & Epistolas edidit præstantissimas, è quibus facillimè deprehendas, quæ viri hujus fuerit de rebus Divinis sententia.* An sint eædem, quas sanctus Hieronymus affirmat fuisse breves, non possim affirmare. Quidquid sit, sub Tyranni Episcopatu plures pro sua fide Apologeticos libellos atque Epistolas scripsit, elucidavit sua Dicta, plenè expurgavit semetipsum, ac à Tyranno fuit in Gradum receptus & Communionem. Etiam blasphema JESU & Pilati Acta, quæ Jovius Maximinus Imperator fingi & vulgari curaverat, refutavit ac evertit, atque ita ipsius nomen ubique floruit. Videtur hoc fecisse Nicomediæ in libera custodia, ubi pro Christanis scripsit etiam ac dixit Apologeticum. Ex istis ejus de Fide Libellis omninò videtur fuisse Symbolum, postmodò vulgatum in Synodo Antiochena. Licet Hermias Zozomenus ac Nicephorus Callixtus hacde re dubitent, meam tamen adsertionem firmat apud S. Athanasium extans Macedoniani cum Orthodoxo Dialogus. Etenim Macedonio roganti, *Credis ut beatus Lucianus*, Orthodoxus illic respondet: *Jam nos credere dixi, non tantùm ut credidit beatus Lucianus, verùm etiam ut omnes sancti Martyres & Apostoli.* Et iterum roganti Macedonio, *Quid in Confessione Luciani damnas?* Orthodoxus reponit: *Condemno vestrum illud additamentum, idque possum demonstrare à vobis adjectum esse contra ejus sententiam.* Affirmat istam fidei Confessionem esse verè Luciani, sed per Arianos ac Macedonianos auctam atque corruptam. Lucianum assiduè apellat beatum, profitetur istam fidei Formulam esse omninò ipsius, demonstrat corruptam ab Arianis ac malè intelligi, atque adjungit: *Beatus Lucianus, cùm diceret Filium esse imaginem Patris essentiæ, & consilii, & potestatis, & gloriæ non diversam, per Filium, quod ex ipsa essentia esset, per illud, non diversam, identitatem ostendit.* Et infra: *Qui possis Spiritum dicere Deum, qui nobis eandem essentiam & gloriam, idem consilium, eandemque potestatem Patris & Filii fateri, & compertus sis ipsi beati Luciani confessioni, quam opponebas, contraria sentire? Et tibi ipsi, & beato Luciano contradicis.*

Plura hinc discimus. Primò, quod Lucianus sit verè sanctus. Secundò, quod ista Antiochena fidei Formula sit verè ipsius. Tertiò, quod sit plenè orthodoxa. Quartò, quod per Arianos fuerit corrupta. Lucianæi de fide non Libri erant, sed dumtaxat Libelli. Erant Libelli Apologetici, quibus suam, apud multos dubiam & suspectam, de Consubstantiali trium divinarum Personarum Unitate atque essentia fidem & nuperam doctrinam exponebat Lucianus, atque ideo formati erant ad modum Professionis & Symboli. Hæc est antiqua apud Patres significatio vocis, *Libellus.* Porro in ipsis adeò nullum erat pro Arianis fundamentum, ut eis uti non potuerint, nisi priùs corrupissent. Unicus fundamenti fucus erat, quod illic non esset vox, *Consubstantiale.* Et quid mali? Nicæna enim Synodus istam, ab Antiochena olim Luciani Ecclesia & Synodo proscriptam, vocem necdum induxerat in Ecclesias. Hinc ipsam item non habet acris & acerba magni Constantini adversùs Arium & Arianos Epistola. Nec dubitandum, quin Antiochena Encæniorum Synodus produxerit quàm minimè sibi adversum exemplar Lucianæi Libelli. Et quoniam hic est omninò Orthodoxus, certum est alios, quos Ariani non corruperunt, fuisse puriores. Ariani tractarunt hos Libellos, quomodo famosos sancti Dionysi Areopagitæ Libellos postea tractarunt Eutychianistæ. Ambo venati sunt fomenta sui pravi Dogmatis. Et ut ad Dionysii Scripta primùm cespitavit, maturè autem discussa probavit, ac in Eutychianistas retorsit Mater Ecclesia, ita etiam tractavit Arianos, ac Libellos Luciani. Proinde certum est Lucianum, antequam à Maximiano caperetur, & duceretur Nicomediam, fuisse ex integro purgatum ac reparatum. Quomodo aliàs fuisset tantæ gloriæ apud omnes Ecclesias? Certus existimo quod hæc purgatio atque reparatio priorem illi gloriam non tantummodò plenè reddiderint, sed etiam auxerint. Et hinc invida rabies Sabellianum Pancratium impulit ad Lucianum, quem Episcopali ampliùs non poterat, Imperiali gladio prodendum atque perdendum. Et tanti Doctoris rectam fidem magnis statim post Martyrium Miraculis Divina Majestas, eximiis Fabricis Imperator Constantinus ac ejus Mater Helena declararunt atque honorarunt. Et præter sanctum Alexandrum nec magnus Athanasius, nec ullus Ecclesiæ Pater accusavit. Sanctus Alexander, Luciani nomine territus ex improviso, videtur ex quodam præcipitio scripsisse. Quod S. Luciani corpus posterioribus sæculis fuerit transmissum Magno Carolo in Gallias, & à Turpino Remensium Archi-Episcopo locatum, ac annuo Festo decoratum in Arelatensi Ecclesia, affirmat in Gallicano Martyrologio Andreas Saussayus. Hinc plura Gallicarum Ecclesiarum Martyrologia laudant eundem Martyrem.

Sanctus etiam Epiphanius deinceps non impugnavit Lucianum. Ejus, dum Arianos impugnavit, vix fecit memoriam. Quare videtur priorem sententiam recantasse. Et certè istum, de Dominica anima errorem nec sanctus Augustinus, nec sanctus Philastrius, nec Theodoretus, nec quis alius Hæreseon enumerator Luciano adscribit. Nec item S. Athanasius. Sanctus Philastrius adducit Errorem at sine Auctoris nomine.

Lib. 1. cap. 14. De Arii in Alexandrinum Clerum assumptione scribit Hermias Zozomenus: *Jam*, sub Magni Constantini Imperio, *quamquam Religio Christiana in cæteris omnibus rebus florebat, tamen Disputationes quædam litigiosæ, quæ res antea minimè exagitatas in controversiam rursus deducebant, Ecclesias vehementer perturbarunt. Harum perturbationum auctor fuit Arius, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter. Qui licet in initio Doctrinæ Christianæ videretur per-studiosus, Meletio tamen res novas molienti fuit adjumento. Cujus partes cùm deseruisset, à Petro Episcopo Alexandrino Diaconus ordinatus est, & ab eodem rursum Ecclesia ejectus, quandoquidem cum Petrus fautores abdicasset Meletii, & ejus Baptisma improbasset, hic Arius in res à Petro gestas graviter invectus est, & quiescere nullo modo potuit. Ubi verò Petrus Martyrio occubuerat, Arius venia ab Achilla petita, non solùm Diaconatu fungi permissus est, verùm etiam elatus ad gradum Presbyterii. Postea verò Alexander per-magni eum æstimare cœpit. Iste subtilitate disserendi cumprimìs excellens, ad Opiniones absurdas delapsus est.* Verùm longè aliter S. Patriarchæ ac Martiris Petri Acta, è Græco in Latinum translata per Anastasium Cardinalem Bibliothecarium. Datam ab Imperatore Maximino capitalem S. Petri Sententiam exponunt, ac pergunt: *In tali dum esset custodia positus, fama certaminis Petri, quo cum diabolo dimicabat, usque ad infelicissimum Arium discurrendo pervenit, qui ante aliquantos dies, pro Zizaniorum Doctrina, quam adversus Christum Dei Filium in agro Dominico seminaverat, culpatus sepiùs fuerat, increpatus, atque excommunicatus. Et quia sanctis Monitis acquiescere noluit, semetipsum eo-usque perduxit, ut à sancto Petro Clericatus officio privaretur. Cognita ergo infelix Arius Sententia, quam Tyrannus contra Venerabilem Ovium Christi Pastorem dederat, gaudens atque exultans ad Christi Ecclesiam cum omni velocitate pervenit, & cæpit in dolo quosdam de Presbyteris atque Laicis obsecrare, ut ei à sancto Petro veniam atque indulgentiam peterent. Propterea verò conabatur sui Episcopi Communionem recipere, ut post illius vitæ terminum ipse successor existeret. Sed qui cordis cognitor est Omnipotens Deus, in quem graviter peccaverat, divisiones in Sancta Trinitate faciens, non celavit beato Petro iniquum Arii Propositum, quod habebat in animo. Eadem namque nocte apparuit beato Petro, quiescenti in custodia carceris, & ei nequissima infelicis Arii consilia manifestavit.* Nihilominùs dolosis Arii precibus permoti Primores Clerici ac Laici, etiam totius Presbyterii Seniores Achillas & Alexander, jam designatum Martyrem Petrum accesserunt, & multis rationibus ac genuflexionibus supplicarunt reparari Arium, & ipsi à proprio Episcopo fieri gratiam, quam quibusvis passim Lapsis impetrabant quicumque designati Martyres. Verùm Petrus reposuit Arium non à se solo, sed etiam à Christo Domino esse damnatum, ideoque à se non posse solvi. Ista nocte sibi apparuisse discissa veste Christum Dominum, ac dixisse: *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit.* Et vetuisse ipsum solvi. Etiam per Achillam & Alexandrum, sibi in Episcopatum successuros. Et hoc Domini JESU Edictum atque Mandatum Achillæ & Alexandro singulariter exposuit, & rigidè jussit observandum. Amplè hæc habes in laudatis Actis, addentibus à Clero & Populo fuisse supplicatum, ut *Petrus Arium in sancta Ecclesia Presbyterii Ministerio restitueret, depositum ab Ordine Presbyterii.* Videntur Ario non Diaconatum sed Presbyteratum adscribere. Ex quibus habemus varia. Primò, quod Arius ante omnem cum Meletio conspirationem fuerit Clericus. Et quidem in Presbyterii Ordine ac Ministerio. Ex quo quidam censent ipsum aut ex tunc fuisse Presbyterum, aut laudata Acta labi. Respondeo esse tertium mediæ assertioni locum. Etenim Presbyterium Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius non pro Presbyteratu, sed Romanæ locutionis more accipit pro Sacro Tribunali, in quo Diaconi, licet sedere non possent, habebant tamen Ordinem & Ministerium. Græci Bema, Romani illud passim appellarunt Presbyterium. Lucet ex libro Pontificali in vita Leonis Quarti, ac ex S. Gelasii literis ad Lucaniæ Episcopos, extantibus in Decreto S. Ivonis. Quis porrò Patriarcha Parte 6. Arium consecraverit in Diaconum, non constat. cap. 99. Videtur ipsum gradum accepisse antè S. Petri Episcopatum. Etenim de ipso scribit S. Epiphanius: Hæres. *Inflatus opinione sui, senex à veritatis scopo excidit.* 69. c. 3. Loquitur de ejus lapsu sub Episcopatu Alexandri. Proinde tunc habuisse ille debet annos plusquam quinquaginta. Porrò Lapsus contigit quarti Christiani sæculi anno quinto decimo. Et S. Petrus Episcopatum accepit ipso anno trecentesimo. Proinde Arius tunc habebat annos circiter quadraginta. Erat in flore virilis ætatis, adeoque videtur tunc omninò fuisse Diaconus. Quare illum S. Petrus non consecravit, sed dumtaxat degradavit atque excommunicavit. Sancti Petri antecessor S. Theonas sedit quindecim annis, ideoque hic videtur Arium consecrasse.

Ex laudatis Actis discimus secundò, quod S. Petrus Arium non solummòdo ob data Meletiano Schismati adjutoria damnaverit, sed etiam ob inchoatam ex tunc blasphemam de Sacro-sancta Trinitate doctrinam. Lapsos in hæresim aut schisma Episcopos & Clericos, licet pœniterent, antiqua Disciplina in gradum non reparavit, sed tantummòdo in Communionem Laicam. Rationem dat in Literis ad Comitem Bonifacium sanctus Augustinus: *Ne forsitan spe honoris Ecclesiastici intumescens animus superbè ageret pœnitentiam.* Epist. 50. Ex adductis Actis discimus tertiò, quod ista Disciplina Divinæ Majestati placuerit. Ex ipsa enim CHRISTUS Dominus superbam ac ambitiosam Arii pœnitentiam jussit refutari. Quartò discimus, quod fuerit Dispensationi locus. Alioquin enim nec Clerus nec Populus Diaconalem Communionem Ario reparari supplicasset. Quintò discimus, quod sancti Petri successor, quem ob virtutes S. Athanasius in prima contra Arianos Oratione appellat Magnum, Achillas Arium reponendo in gradum, ac præsertim evehendo in Presbyteratum, graviter excesserit. Et Apostolicum

cum Canonem, quem non nisi gravissima ratio permittebat dispensari, ac Divinum Christi Domini, cui ex nulla causa obviari poterat, Edictum fuit prævaricatus. Quin imò licet paterna ex gravissimis fundamentis Dispensatio hæreticum aut Schismaticum Clericum quandoque suo gradui reddiderit, numquam tamen evexit altiùs. Vix invenies anterius exemplum. Et hinc scribit Alexandrinorum Patriarcharum Chronicon: *Archelaus, seu Achillas, in S. Petri thronum suffectus est die Sabathi, Sedemque tenuit sex mensibus tantùm. Causa autem mortis ejus fuit, quod Arium susceperit imprudenter, ideoque occidit illum Deus, & obiit decima nona Bunæ, die Martis.* Eum circumscripsit dolosa Arii pœnitentia. Et quidem hunc consecravit ac Cardinalem Præfecturam Baucalensis Ecclesiæ. Ita dolosus anguis tentavit sibi viam sternere ad Patriarchatum. Achillam fuisse à sancto Theona creatum Presbyterum, doctum, Alexandrinæ Scholæ Rectorem, zelosum, ac pium, testatur in Ecclesiastica historia Cæsaraeensis Eusebius. Quare Divina percussio illi fuit purgatio commissi in Ario delicti. Sanctus Epiphanius, errans ipsum non S. Petro, sed S. Alexandro successisse, affirmat sedisse tribus solummodò mensibus. Præfuisse ad modicum tempus scribit in Ecclesiastica historia Theodoretus. Quidquid sit, Alexandrini Patriarchæ Eutychii Chronicon, affirmans sedisse decem annis, palàm labitur.

Lib. 7. cap. 26. Hæres. 69. c. 11.

CAPUT XII.

Exponuntur Arii in Hæresim Lapsus, Occasio illius, & Tempus.

SAnctum Eremitam ac Cœnobitarum in Eremo Patrem Antonium claruisse Prophetiæ Spiritu affirmat in ejus vita S. Athanasius, atque prosequitur: Antonius quondam certè sedebat quasi raptus extra sese, multumque contemplationi vacabat cum suspiriis. Deinde hora elapsa integra, conversus ad illos qui cum ipso erant, ingemiscebat, tremensque orabat flexis genibus per-quàm diu. Cumque flens surgeret Senex, tremefacti Fratres, ac metu valde perculsi rogabant, ut rem patefaceret. Rogabant tam molestè, ut invitus tandem dixerit, graviterque gemuerit. Hæc autem ejus erant verba: *Filii, præstaret priùs emori, quàm Visa effectum sortirentur. Illis iterum Urgentibus, plorans inquit: Ira Divina Ecclesiam invadet, & hæc iis tradetur viris, qui à Feris rationis expertibus nihil different. Vidi enim Domini Mensam, & Mulos stare circum circa, atque ita calcibus petere interiora, quasi bestiis confusè saltantibus calcitratus fierent. Sensistis planè, quàm suspirarim. Audivi enim vocem dicentem: Altare meum fiet execrabile. Hæc Senex vidit: Et biennio post Arianorum ista, quæ adhuc durat, Incursio subsecuta est, Ecclesiarumque direptio, cum & Sacra Vasa vi prærepta Paganos portare curarunt, & eosdem ex tabernis secum congregari coegerunt, eorumque in præsentia Mensam Domini pro libitu tractarunt. Tunc omnes nos agnovimus per Mulorum calcitratum Antonio hæc præsignificata esse, quæ jam Ariani sine rationis usu tamquam belluæ faciunt.* Hanc Prophetiam laudat in octava super S. Matthæi Evangelium Homilia etiam S. Joannes Chrysostomus. Institutum à S. Antonio Monasterium ornat grandibus encomiis, addit ipsum fuisse virum Apostolis proximum, clarumque prophetiæ dono, atque prosequitur: *Hoc autem facilè cognoverit, quisquis cum legerit librum, qui vitæ ejus texit historiam, in quo etiam Prophetiam lucentem videbit. De his enim quos Ariana pestis invasit, manifestissimè prophetavit, quantaque Ecclesiis labes ab ipsis immineret, docuit, Deo utique revelante hæc, & cuncta ante oculos ejus figura pingente.* De eodem tempore scribit S. Martyr Theophanes: *Hoc anno Arius, ab insania nomen adeptus, in publico Ecclesiæ Conventu excogitatam à se Hæresim prædicavit. Et opitulante maligno Spiritu, perpetuo Ecclesiasticę pacis adversario, Schismatis autorem se præbuit. Horrendus autem terræ motus Alexandriæ contigit, quo pleraque diruta ædificia, & innumera Populi multitudo periit.* Divina Majestas præsignificavit magnam etiam animarum multitudinem esse per Arii dogma perituram. Ipsa insuper Elementa adversus istam blasphemam Prædicationem proreſtata sunt, & conclamarunt.

Quæstio est, An sub solius S. Alexandri, & non sub S. Petri Patriarchatu Arius istam sceleratam & blasphemam Doctrinam incœperit? Laudata S. Petri Acta constanter affirmant istud facinus fuisse sub S. Petro inchoatum. Etenim ad supplicantem pro Arii degradati reparatione Clerum & Populum Venerandus Petrus sic ibi loquitur: *Arius, pro quo rogatis, soli Deo mortuus est, & ab illius facie hìc & in futuro sæculo projectus. Unde & à Sacro-sancto Altari ejus, non mea, sed ipsius est judicii sententia separatus. Quoniam non in hominem, sed in Dominum graviter peccavit, impiè agens in Trinitatis Mysterium, ubi Cherubim & Seraphim non audent respicere, qui incessanter vocibus proclamant Deo: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Cum etiam & Virtutes Cœlorum ipsum canentes dicant, Pleni sunt Cœli & terra gloria tua; ille impia & execrabili mente ausus est blasphemias irrogare, & divisiones facere inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Quemadmodum ergò audeam illi veniam dare, cui omnis creatura irascitur & maledicit? Quomodo potest veniam promereri à me, dilectissimi Fratres?* Pluribus affirmat Arium non tam ob Meletianum Schisma quàm ob proprias blasphemias fuisse à se damnatum. Dominus Cardinalis Cæsar Baronius constanter affirmat ista Acta esse adulterata & mendacia, addit Arium sub sancto demum Alexandro esse lapsum in Hæresim, & prosequitur: *Quamobrem ut edita illa Acta adulterata mentiuntur, ita pariter cum eis hallucinantur, qui dicunt Arium à Petro hæresis causa fuisse ab Ecclesia proscriptum, cum nefas sit Athanasio non acquiescere, Alexandro primas ea in re tribuenti.* Respondeo ista Acta plurimùm laudari à Domino Cardinale in aliis locis: Cur ergo nunc dicuntur adulterata? Oportet demonstrari. Et certè hac in parte non discordant à S. Athanasio. Etenim in secunda sua Apologia hic lucidè scribit: *Meletiani unà cum Arianis à Petro fuerunt ejecti.* Lucidè affirmat ex tunc fuisse duas Erronum classes: Meletianorum ac Arianorum. Si per solam Meletii sequelam tunc Arius deliquerit, erat simplex Meletianus, nullusque erat Arianus. Et per Jacobum

Anno 310.

Cap. 5. cobum Gretserum publicatus Anastasius Sinaita, Scriptor eruditus atque antiquus, laudat Nicæna contra Arium Decreta, & adjungit: *Arium & sanctus Petrus Martyr ac Episcopus jam ante execratus erat, dicens; Arius & in hoc sæculo, & in futuro, à Dei Filii JESU CHRISTI gloria separatus est, & segregatus. Prædicabat enim creaturam esse Dei Filium atque Verbum, neque genitum ex Patre ante sæcula.* Et infra adducit ipsam, qua in Arium usus est S. Petrus, damnationis formulam: *Arius & in præsenti, & in futuro sæculo separatus sit à Filio Dei.* Quare solum Filium exprimit, non etiam Patrem ac Spiritum Sanctum? Quia nempè Dei Filii Majestatem Arius singulariter invaserat ac blasphemarat. Proinde certum est, quod etiam sub S. Petri Episcopatu Arius blaspemarit. Attamen tunc, utpote dumtaxat Diaconus, prædicare & publicè Populum docere necdum poterat, ideoque tunc necdum contigit præfatus terræ motus. Nec ita præfata Calcitratio Mulorum.

Lib. 1. cap. 1. Radicem, ex qua Arius sub sancto Alexandro cœpit insanire, aperit in Ecclesiastica Historia Theodoretus: *Per idem tempus Arius, qui in Presbyterorum numerum fuerat adscriptus, Sacrarumque Literarum Interpretationi præpositus, cum Alexandrum videret Ecclesiarum Gubernaculis admotum, invidiæ aculeos, quibus stimulabatur, non ferens, contentionis & discordiæ materiam aucupabatur. Et cum in laudabilem Viri conversationem oculos intendens, quibus illum calumniis appeteret, non haberet, quiescere tamen illum invidia non sinebat. Hunc ergò idoneum nequitiæ suæ instrumentum nactus hostis veritatis, ejus opera Ecclesiam procellis miscere & exagitare instituit. Nam persuasit illi, ut Apostolicæ Alexandri doctrinæ apertè resisteret.* Idem scribit in Nicænorum Patrum Encomio Venerabilis Gregorius, Cæsaræensis in Cappadocia Ecclesiæ Presbyter: *Cum Arius vidisset Alexandrum, inter Præsules castissimum, strenuumque Apostolicorum Dogmatum Defensorem, Ecclesiæ Alexandrinæ Præfectum, tamquam venenatus serpens, quod in penetralibus suis habebat, virus evomuit. Enim verò non poterat adversùs Alexandrum ipsum importuna se insolentia efferre. Etenim Alexander vita ac moribus erat irreprehensibilis, atque ab omni abstinens malò, juxtà Domini de Jobo testimonium. Quidnam ergo machinatur scelestus! Arma parat adversùs Viri sancti Doctrinam, si quà invadendi pateret aditus: Sicque ponit os suum in Cœlum, & loquitur iniquitatem adversùs Altissimum. Nam cum sanctus Alexander Filium confiteretur honore Patri æqualem, ac ejusdem essentiæ, ex adverso insanus Arius Filium nugari cœpit Creaturam ac Facturam, & fuisse quando non erat: & quæ magis sunt impia. Digna profectò, quæ oblivioni mandentur ac æterno silentio.* Quod Prælationis ambitio, ac indè nata invidia pepererint, ac insuper foverint Arianam hæresim, in trigesima octava super sancti Joannis Evangelium Homilia disertè affirmat S. Joannes Chrysostomus. Eandem Arii ambitiosam invidiam notat sanctus Patriarcha Alexander in Literis ad sanctum Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum: *Honoris & pecuniæ cupida improborum hominum voluntas majoribus Parœciis insidiari semper solet, ac per varias occasiones Ecclesiasticam pietatem oppugnare. Impulsi enim à Diabolo, in ipsis operante, ad propositam sibi libidinem feruntur, abjectaque omni verecundia timorem Divini judicii conculcant. De quibus mihi, qui hos patior necessarium fuit Reverentiæ vestræ significare.* Quod Arius Alexandrini Patriarchatus ambitu fuerit semper tumidissimus, ac ideò & sub S. Petro & sub Magno Achilla pœnitentiam simulaverit, est abundè ostensum. In sexagesima quinta super S. Joannis Evangelium Homilia rectè scribit S. Joannes Chrysostomus: *Prava doctrina nihil est aliud, quàm inanis gloriæ filia.* Et in Commentario Apostolicæ ad Galatas Epistolæ: *Hæreseon mater est Principatus cupiditas.* Ex Apostolo Cap. 5. demonstrat etiam Galatarum hæresim hinc processisse. Quod ipsum scribunt, & antiquis ac novis exemplis demonstrant alii passim Patres. Ipsorum testimonia adduxi in Scholiis ad Prescriptiones Septimii Tertulliani. Et quidem Arium etiam avaritia laborasse, jam audivimus à S. Patriarcha Alexandro. Quod ipsum in laudata trigesima octava Homilia insinuat sanctus Joannes Chrysostomus. Etenim Alexandriæ Patriarchatus erat insigniter opulentus. Ex istis ergò fontibus prodiit Judaica Arii blasphemia.

Et quidem sanctum Alexandrum sua Cathedra extrudere erat impossibile. Qua arte, quo fuco istud fieret? Hinc Arius fecit quod in laudata Epistola scribit sanctus Patriarcha Alexander: *Arius & Achillas, conjuratione nuper facta, Colluthi ambitionem, multò quam ille deteriùs æmulati sunt. Nam hic quidem hos ipsos culpans pessimi sui consilii prætextum invenit. Isti verò illum quæstui habere Christum cernentes, non amplius Ecclesiæ se subjici passi sunt, sed speluncas latronum sibi construentes, adsiduos in his Conventus agunt, noctes diesque Christo & nobis maledicè obtrectantes.* Arius ergo, omnem Alexandrinæ Cathedræ aditum videns sibi obseratum, cum Achilla Presbytero adversus Patriarcham Alexandrum conjuravit, & ambo in suis Basilicis cæperunt Colluthum tunc negantem & cauponantem æmulari. Achillas enim erat etiam alicujus Basilicæ Rector Presbyter. Et Colluthus tunc omninò cœperat. Et nota sancti Alexandri verba: *Illum quæstui habere Christum cernentes.* Edicunt Colluthi ambitum ex quæstus avaritia fuisse exortum. Prætextum, quem Collutho fuisse agnoscit Alexander, usque huc ignoro. Supra exposui meas conjecturas. Quidquid sit, Arius & Achillas, quò Patriarchalem Alexandri dignitatem invidi truncarent, ac tandem plenè everterent, suas Basilicas lacerarunt ab ejus Communione, ostentarunt se ipsarum Episcopos, ac se ad publicam pararunt prædicationem novi Dogmatis. Hoc sperarunt persuadere omni Alexandrino Populo, ac ita Alexandrum extrudere. Proinde Shisma priùs patrarunt, quàm Hæresim. Hinc non soli Christo Domino, sed & Patriarchæ Alexandro assiduè obtrectabant.

Confirmat hæc sanctus Epiphanius: *Arium* Hæres. 68. c. 4. *Meletius ad Alexandrum detulit, cum eum accepisset à rectæ fidei scopo in Scripturis apud Populum interpretandis aberrare. Arius enim Baucalæ cujusdam apud Alexandriam Ecclesiæ Presbyter erat.* Et in alio loco plures Alexandrinæ civitatis Basilicas enumerat, ac pergit: *Harum unam Colluthus administrabat, aliam Carponas, aliam Sarmatas, sed & Arius unam ex illis Ecclesiam regebat. Cum autem singuli commissum sibi Populum per statos, & solemnes Conventus publicè docerent, dissensiones in vulgus*

gus sparserunt. Itaque alii ad Arium adhæserant, alii ad Colluthum, alii Carponæ, alii Sarmatæ partes tuebantur. Et cum in sua quisque Ecclesia alius aliud interpretando proponeret, pro ut in unumquemque favore & laudatione propensiores erant alii Colluthianos, Arianos alii se nominabant. Longè plures Parochiales Basilicas, ac ipsarum Cardinales Presbyteros tunc Alexandria omninò habuit. Cur igitur istos dumtaxat quatuor expressit Epiphanius? Quia hi soli suas Basilicas substraxerant Alexandro Patriarchæ, & in illis semetipsos ostentabant uti novos Episcopos, uti Idola novæ inobedientiæ. Hinc Epiphanius dicit, quod priùs dissensiones sparserint in Populum, quàm hæresim. Nempè dissensiones, ex quibus alter Alexandri, alter Colluthi, alter Arii, alter Sarmatæ, alter dicebat se esse Carponæ. Omnes prætendebant esse pares. At verò post prædicatam Hæresim non amplius quatuor, sed duæ dumtaxat fuerunt Factiones: Nempe Ariani & Colluthiani. Quia Sarmatas & Carponas admiserunt Arianam blasphemiam, atque ita coaluerunt in unam belluam; at verò Colluthus istam impietatem constanter aversatus est, atque ita de suo nomine fecit Colluthianos. An Meletius Arium primus accusaverit, est supra discussum.

Lib. 1. cap. 2. Eadem confirmat in Ecclesiastica Historia Theodoretus: *Hoc tempore Alexandrinus Alexander, cum Arium videret dominandi cupiditate incensum, eorum quos blasphemiæ laqueis irretiverat, privatos Conventus agere, impiam ejus blasphemiam Ecclesiarum Præsidibus per Epistolas significavit.* Omninò affirmat ex Arii ambitu ac dominandi libidine privatos Conventus, ex his natam esse blasphemam prædicationem. In alio etiam Capite exponit Arii ambitum, ac indè ortas Populi dissensiones, atque prosequitur: *Persuasit Ario Diabolus, ut Apostolicæ Alexandri doctrinæ apertè resisteret. Itaque cum Alexander, Divinis Scripturis insistens, Filium Patri honore parem, & eandem cum Genitore Deo Substantiam habere doceret, Arius veritatem palàm impugnans, creatum & factum affirmabat. Et addebat: Erat quando non erat. Neque hæc ille in Ecclesia solùm dicere non cessabat, sed foris etiam in circulis ac hominum congressibus. Quin & domos circumiens, quotquot poterat, in laqueos inducebat.* Imitatus est Hæreticorum Patriarcham & exemplar, Jeroboam Regem Israel, qui priùs fecit Regni Schisma, & hoc superinducta Idololatria stabilivit. Non Schisma propter Idololatriam, sed hanc induxit propter istud. Ita & Arius & omnes passim Hæretici non Pseudo-Episcopatum, aut quamvis aliam rebellionem propter hæresim, sed hanc inducunt ad istum stabiliendum. Et hinc Arius grandem statim Populi partem, & de Sacris Virginibus septingentas seduxit in suam hæresim: Quia nempè istos omnes jam priùs ab Alexandri Communione ac obedientia circumscripserat in suum Schisma.

Dum Alexandriæ, ac in omni Ægypto, imò & in Syria, post jam damnatum à S. Alexandro Arium arderent & fumarent omnia, Imperator Constantinus Alexandriam legavit Hosium Cordubensem Episcopum, pacificaturum hos motus, & adjunxit solemnes ad Alexandrum Patriarcham ac Hæresiarcham Arium literas, querimoniarum de istis temerariis ac inconditis Disceptationibus plenas, & habentes inter cætera: *Inde præsentis Controversiæ fundamentum intelligo jactum, quod tu Alexander à Presbyteris de loco quodam in Sacris Literis scripto quærebas, imò verò de inani quadam Quæstionis particula sciscitabaris, quid quisque illorum sentiret; & tu Arii istud, quod neque initio complecti animo, aut cum fuisses complexus, silentio præteriisse debebas, inconsideratè effutivisti. Undè discordia inter vos concitata, tum Conventus, qui in Ecclesia fieri solet, impeditus, tum Populus sanctissimus variè in utramque partem distractus, ex totius corporis Ecclesię compage divulsus est.* Constanter affirmat hoscè & Ecclesiæ & Reipublicę perniciosissimos motus ex inconsiderata Alexandri interrogatione, ac ex incondita & præcipitata Arii responsione fuisse exortos. Hasce Literas integras suis de Magni Costantini vita Libris indidit Eusebius Cæsareęnsis Episcopus, atque adjunxit: *Constantinus Literas ad seditionis Auctores dat.* Earumdem Literarum partem Ecclesiasticæ suæ historiæ inseruit Socrates, atque addidit: *Alexander, animo securo & tranquillo vitam degens, Ecclesiam in Unum convocat. Et quodam tempore præsentibus Presbyteris, qui sub ipso erant, reliquoque Clero, curiosiùs aliquantò disserit & subtiliùs de Sancta Trinitate, Unitatemque esse in Trinitate divinitùs philosophatur. Arius autem, unus ex Presbyterorum numero, vir Dialecticarum argutiarum minimè ignarus, quoniam Episcopum suspicabatur errorem Sabellii Afri voluisse de integro in Ecclesiam introducere, contentionis studio incensus, in Opinionem, quæ Afri opinioni erat penitùs contraria, deflectit, acerbè & asperè, ut videbatur, illis quæ ab Episcopo dicta erant, occurrit, affirmatque, Si Pater genuit Filium, eum qui genitus erat, suæ essentiæ principium habuisse, ac inde perspicuum esse, tempus fuisse quando non erat Filius, ac necessariè sequi, eum ex nihilo habuisse essentiam. Cum istud nova quadam & inaudita ratione conclusisset, complures ad quærendum de iisdem incitavit. Et ex per-exigua scintilla est ingens flamma accensa.* Et Constantinus, & Eusebius, & Socrates affirmant non Arium, sed Alexandrum fuisse harum quæstionum motorem atque auctorem. Affirmant non has quæstiones ad firmandum Schisma, sed Schisma ex his quæstionibus emanasse.

Lib. 2. cap. 61.

Lib. 1. cap. 3.

Respondet Dominus Cardinalis Cæsar Baronius: *Hic accuratè Lector attendat alterum de duobus evenisse, vel quod Eusebius, Arianus homo, parum fideliter eandem Epistolam Constantini descripserit, attexueritque vitæ ipsius, quam in gratiam Constantini Augusti pariter Ariani descripsit, ac proinde ea minùs digna tanto Pontifice ab eo jactata confinxerit; aut si revera sic se habebat germanum exemplar, quod non credimus, ejusdem Epistolæ Constantini, illud necessariò affirmandum est, argumentum ejus scribendæ Epistolæ suppeditatum esse tunc, cum Nicomediæ ageret, ab Eusebio ejusdem civitatis Episcopo, omnium Arianorum facilè principe, à quo complura fuerunt coagmentata mendacia, ut cum in-primis potior culpa rejicitur in Alexandrum, quod importunè nimis de re difficillima sciscitatus sit Presbyteros Alexandriæ, ex quo totius discordiæ fomes emerserit.* Hoc posterius est omninò verum. Qua enim fronte Cæsaræensis Eusebius Augustam Epistolam vitiasset? Fuisset crimen, quod occultari non potuisset, læsæ Majestatis. Et hanc Epistolæ partem eo tenore retulit etiam Socrates. Quod nempe Anno 318.

pe nulla exemplaria aliter texerentur. Porrò Epistola post damnatum ab Alexandro Arium est omninò scripta, ideoque variè excedit.

Primò, quod harum Quæstionum originem refundat in Alexandrum, ipsumque Ario æqualem in crimine faciat. Secundò, quod utrique injungat, ut sibi donent mutuas injurias, ac pacem ineant. Arguit Alexandrum, quod Arium sine fundamento damnasset, ac damnationem ducit frivolam. Alioquin non utrumque ad donandas ultrò citroque injurias, sed Arium, ad Episcopo obediendum, ad errorem recantandum, ad profitendam pœnitentiam, ad indulgentiam supplicandam fuisset adhortatus. Tertiò Epistola excedit in hisce verbis: *De rebus ejusmodi nec omninò rogetis, nec ad rogatum respondeatis. Tales enim Quæstiones, quales nulla Lex aut Ecclesiasticus Canon necessariò præscribit, sed inanis certatio dissoluti otii proponit, licet ad ingenii acumen exercendum instituantur, tamen interiori mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos Populi Conventus temerè efferre, neque vulgi auribus inconsultò concredere.* Affirmat hascè Quæstiones non ad necessarium Dogma, sed ad Theologicas curiositates spectare, unumquemque circa ipsas posse abundare in suo sensu, ideoque Presbyterum, quod diversum senserit, ab Episcopo non potuisse damnari. Est horrendus lapsus. Quid enim Consubstantiali Dei Verbi Divinitate sit in Christiana fide substantialiùs? Eandem fœditatem continent hæc verba: *Non de summo in Sacris Literis Præcepto vobis ad digladiandum oblata est ansa, neque novus quispiam de Divina Religione introductus error, sed unam eamdemque tenetis de fide sententiam, ita ut facilè possitis ad ipsum Communionis consensum venire. Nam non est consentaneum, ut propter vestram imprudentiam, de adeò parvis ac exiguis rebus mutuò concertationem, tanta Populi multitudo ad dissensionem rapiatur. Imò verò non modò non est consentaneum, sed omninò nefas esse existimatur.* Suprema Evangelici Dogmatis Capita appellat res parvas & exiguas. Affirmat Alexandrum & Arium, licet de istis discordent, esse in substantiali Fide concordes. Vult ipsos, hac inutili & modica discordia non obstante, redire in mutuam Communionem: Inflictam Ario damnationem circumduci ac exsufflari. Hic est unicus scopus universæ Epistolæ.

Notanda sunt hæc ejusdem verba: *Non ita pridem ad Nicomediensium civitatem adventans, extemplò iter versus Orientem maturè facere constituebam. Ac me quidem ad vos citato gradu properantem, cum majorem itineris partem confecissem, ut propè jam vobiscum esse viderer, Literarum istarum Nuntius in contrariam cogitationem compulit, nè oculis ea videre cogerer, quæ nè auribus quidem tolerare me posse, planè existimabam.* Edicunt sequentia. Primò, quod Constantinus iverit ad Orientem, visitaturus Imperium. Secundò, quod pervenerit usque Nicomediam. Tertiò, quod istic Literas acceperit de Arianis tumultibus. Quartò, quod hos videre non posset, ideoque illic mutarit mentem, ac iter stiterit. Quintò, quod ad hos sedandos motus legaverit Hosium Cordubensem Episcopum. Existimo quod Nicomediensium Antistes Eusebius optimo Principi persuaserit omnia hæc de Alexandro & Ario mendacia, quod veritatem detegi metuens dissuaserit Ægyptium iter, quod has fœdas literas ipse composuerit. Omnia sua pro Ario contra Alexandrum Acta per eas confirmavit. Erat Regii sanguinis ac eminentis Doctrinæ Episcopus: Quomodo igitur Laicus & Catechumenus Princeps illi de Dogmaticis quæstionibus non credidisset? Verum redux ex Ægypto Hosius Principem veriora docuit. Hinc & longè alias illi persuasit scribere literas. Encyclicas contra Arium ad omne Romanum Imperium literas, de quibus Sanctus Epiphanius: *Imperator Divinæ Fidei ardore commotus Epistolam bene longam, & Encyclicam ad omnes Romano Imperio subditos adversùs Arium ac ejus Dogma scripsit, omni sapientia ac veritate confertam, quæ in hodiernum usque diem Eruditorum manibus teritur.* Ejus quædam verba superius adduxi, suo loco adducam plura. Hanc solam, non priorem Principis Epistolam laudat Epiphanius; Quod hanc solam sciret esse Opus Constantini. Aliam sprevit, & alto silentio obruit, uti figmenta Nicomediensis Eusebii. Istius autoritate præter Cæsaræensem Eusebium nemo Antiquorum usus est, nisi unicus Socrates. Eandem epistolam à prudentia malè laudat Nicephorus Callixtus. Per Franciscum Combefis vulgata quædam Nicænorum Actorum Portio laudat Hosii ad Alexandrinos Legationem, atque adjungit: *Constantinus Hosio tradit etiam literas, cùm ad Dei Pontificem Alexandrum, tùm ad impietatis Parentem Arium, qua petens ut Alexander clementia in Arium uteretur, qua jubens ut is à furore desisteret, ac sensum teneret Ecclesiæ. Sed & id hortabatur, ut à mutua lite & contentione discederent, quæ in multis plurium malorum causa extitisset.* Iste Auctor conatur purgare Epistolam. At conatur. Et ejus sensa non plenè attigit.

Lib. 8. cap. 14.

Quæstio est, quò tempore Arius palàm cæperit adversùs sanctum Alexandrum, ac Deum Verbum insanire ac blasphemare? Respondeo illum cæpisse, antequam S. Athanasius in Alexandrinæ Ecclesiæ Clerum adscriberetur. Lucet hoc ex Synodali sancti Patriarchæ Alexandri de damnato à se Ario ad sanctum Sylvestrum Pontificem Relatione, quam in Literis ad Imperatorem Constantium laudat S. Pontifex Liberius: *Manent Literæ Alexandri Episcopi olim ad Sylvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significavit ante Ordinationem Athanasii undecim tam Presbyteros, quàm etiam Diaconos, quod Arii hæresim sequerentur, de Ecclesia ejecisse.* Extat Epistola inter Fragmenta sancti Hilarii Pictaviensis. Agit adversùm technas Eusebianæ Factionis, quæ in Mediolanensi Synodo Athanasium, ut harum turbarum Autorem, tentavit damnare, atque ita tandem ad Nicænæ etiam Fidei esufflationem pertingere. Respondet Athanasium, dum Arius cum asseclis damnaretur, necdum fuisse Clericum, ideoque primis hujus blasphemiæ exordiis nullatenus potuisse misceri. Nec enim de Episcopali consecratione loquitur: Affirmat hascè turbas adeò non processisse ex Athanasio, ut ipsarum Autores etiam ante hujus Clericatum fuerint Synodaliter damnati per S. Alexandrum, & ad Apostolicam Sedem relati. At verò Athanasius fuit in Clerum assumptus quarti Christiani sæculi anno duodecino, aut ad summum decimo-tertio. Etenim undecimo istius sæculi anno Puer egit Episcopum in Maris littore, & baptizavit Catechumenos, ipsum ad se assumpsit Alexander,

xander, erudiri jussit in Clerum, & haud ita diu post totondit, ac adscripsit in suam familiam. Eodem undecimo anno Alexander est factus Episcopus. Ergò Arius statim in ipso hujus Episcopatus exordio cœpit insanire.

Sanctum Athanasium, dùm in maris littore Episcopum ageret, fuisse adhuc puerum disertè scribit Hermias Zozomenus. Est intelligendum cùm moderamine. Per Puerum est intelligendus Adolescens. Etenim Athanasius tunc habebat ad minùs annos sedecim. Factum id fuit istius sæculi undecimo, primo anno Alexandri Patriarchæ. At verò ejusdem sæculi anno vigesimo sexto defunctus est Alexander, & statim successit Athanasius, ideoque tunc expleverat annum trigesimum. Etenim Athanasium, adversus cujus Episcopatum venata est quasvis ansas, Eusebiana Factio numquam accusavit de ætatis insufficientia. Hermias Zozomenus adjungit: *Alexander haud ita diu post Athanasium & Convictorem & Scribam suum constituit.* Et Theodoretus scribit: *Athanasius à puero Divinis & sacris Literis institutus, & singulis Ordinum Ecclesiasticorum muneribus, cum summa omnium admiratione perfunctus est.* Addit tandem fuisse Alexandri Archi-Diaconum, & in ista Dignitate profectum cum illo ad Nicenum Concilium. Et in Præfatione ad S. Antonii vitam scribit ipse Athanasius: *Quæ & ipse de Antonio novi, sæpè enim illum vidi, quæque ex eo agnoscere potui, qui intervallum haud modicum illi servivi, lavantique manus aquam affudi, Pietati vestræ studui scribere.* Hæc omninò facta sunt ante Clericatum. Nec enim laicus Antonius permisisset sibi lavanti aquam fundi à Clerico. An ante puerilem Episcopatum à parentibus, an post ipsum à S. Alexandro fuerit traditus in S. Antonii ministerium ac Disciplinam, non possim certus affirmare. Postremum est verosimiliùs. Quod enim Clero applicandi Juvenes aliquo tempore erudirentur, ac mortificarentur in Monasterio, est antiquissima & congrua Ecclesiæ Disciplina. Quidquid sit, adolescentem Athanasium statim erudiri, & Clero parari jussit, ac eruditum & paratum statim Clero adscripsit sanctus Alexander, atque ita statim adversùm ejus Episcopalia exordia cœpit Arius machinari.

(Lib. 2. cap. 16.)

Et hæc omnia in Magni Constantini vita lucidè confirmat Cæsaræensis Eusebius, scribens Arianos motus statim à reddita Ecclesiis per laudatum Principem pace, & circumductis cunctis in Christianos Edictis, per Diaboli indignantis invidiam ebuliisse. Et in Ecclesiastica historia scribit Theodoretus: *Sublatis de medio nefariis illis & impiis Tyrannis, Maxentio scilicet, Maximino, ac Licinio, sedata est Ecclesiæ procella, quam furiæ illæ, velut turbines quidam, concitarant, violentisque flatibus compressis, firma deinceps, tranquilitate Ecclesia fruebatur.* Clausa per Magnum Constantinum Fana Deorum, damnata sacrilega Sacrificia, & data Ecclesiis privilegia extollit, atque prosequitur: *Verùm pessimus atque invidus Dæmon, humani generis pernicies, cum Ecclesiam secundo ac prospero cursu ferri cerneret, pati non potuit, sed pestifera consilia excogitavit, quibus illam, quę ab Universorum Conditore ac Domino gubernabatur, evertere niteretur. Videbat enim Gentilium errorem patefactum, & varias Dæmonum fraudes perspicuè deprehensas, nec ampliùs à plurimis adorari creaturam, sed pro ipsa Creatorem laudibus celebrari. Idcircò non apertè contra Deum & salutarem mortem ciere bellum, sed homines nactus, nomine quidem Christianos, reipsa verò ambitionis ac inanis gloriæ servos, his tamquam idoneis conatuum suorum Instrumentis uti cæpit, atque horum opera complures in pristinum errorem induxit. Non id quidem agens ut creaturam denuò colerent, sed efficiens ut Creator & Mundi Opifex eodem, quo creaturæ, ordine censeretur.* Utique per Arii blasphemias. Eandem Ecclesiæ pacem laudat Hermias Zozomenus, & adjungit: *Jam verò quamquam Religio Christiana in cæteris omnibus rebus floreret, tamen Disputationes quædam litigiosæ Ecclesias vehementer perturbarunt.* Imperator Maxentius duodecimo, Maximinus decimo quarto, Licinius primùm extinctus fuit anno istius sæculi vigesimo-tertio: Quare non de omnium Personis, sed de omnium contrà Christianos Edictis extinctis debet Theodoretus intelligi. Hæc autem partim ob immissas Maximino plagas, partim ob magni Constantini metum extincta fuerunt anno undecimo, aut certè duodecimo, quem Dominus Cardinalis Cæsar Baronius affirmat fuisse Ecclesiis felicissimum, quod tunc Maxentii Persona in Occidente, in Oriente crudelia Maximini Edicta fuerint ablata. Proinde isto omninò anno cœpit Arius blaterare. Et superius adducta Magni Constantini ad Alexandrum & Arium Epistola affirmat similes Donatistarum in Africà motus fuisse suppressos nuperrimè, ac damnatos: Nempè per Romanam sancti Papæ Melchiadis Synodum, factam istius sæculi anno decimo tertio. At verò ista Epistola est post Arii ab Alexandro damnationem scripta: Et quod Alexander in damnando Ario fuerit tardior, affirmat Hermias Zozomenus. Ergò Arius ante istum decimum tertium annum omninò cœpit delirare. Porrò quod primus Arii apud Alexandrum accusator non fuerit Meletius, est suprà demonstratum. Et confirmant in exhibitis Magno Imperatori Theodosio precibus Romani Presbyteri Faustinus ac Marcellinus: *Alexander, qui fuit Divinæ Fidei Episcopus in Alexandria, qui & plenus sapientia, & Spiritu Sancto fervens, Arium primus & detexit, & expulit, & in perpetuum damnavit.* Affirmant Alexandrum fuisse Arii non dumtaxat Damnatorem, sed & Detectorem. Non in angulo aut secreto cubiculo, sed in Baucaliensi Basilica Arius publicè evomuit suas blasphemias: Hinc accusatore opus Alexander non habuit, sed in ipsum processit ex Officio.

(Lib. 2. cap. 60. — Lib. 1. cap. 1. — Lib. 1. cap. 14.)

CAPUT XIII.

De variis Arii in Errore Sociis.

NIcephorus Callixtus scribit: *Sunt qui dicunt contentionis hujus alium autorem ante Arium fuisse Alexandrum, secundo loco ab Ario Presbyterum, Baucalim cognomine, qui nomen id adeptus fuerit ex supercrescentis carnis pondere, collecto in dorso ejus, testacei vasis forma, quod Alexandrini vernaculo sermone, Baucalem, nominare solent. Hunc, inquam, secundas in Sacro Ministerio Offerentem, dissensionis causam extitisse putant, unde postea inter Alexandrum & Arium contentio commota, & CONSUBSTANTIALIS* Lib. 8. cap. 5.

pro-

promulgatio exorta sit. Quod namque Baucalis prælatum sibi honore Arium ægrè ferret, novationem Dogmatis istius illi adscripsit. Alexander verò Episcopus, utrumque à contentione volens abducere, ad Disputationem & Sermonum Collationes eos invitavit: Persuasione potiùs, quàm violenta jussione controversiam sopire ducens conducibilius. Et cum multoties disputando congressi essent, sicut fieri adsuevit contentione inter quospiam mota, Episcopus nunc huic, nunc illi benevolè & commodè adhæsit, postremò autem & ipse Æternum & Consubstantialem Patri Filium, uti antea semper senserat, disertis verbis pronuntiavit, Ariumque idem sentire jussit. Quod ubi ille, ut faceret, in animum inducere non potuit, Sacris Ædibus est ab eo ejectus. Quæ Nicephorus unde hauserit ignoro. Certùm est Arium esse primum fontem istius blasphemiæ. Etenim de ipso scribit in carmine de sua vita etiam S. Gregorius Nazianzenus: (Cap. 40.) *Primus colendam Trinitatem qui negans, gradus honoris ausus est præscribere substantiæ Uni, simplicem haud æquè sentiens.* Item certum est, quod vocem, *Consubstantiale*, non S. Alexander induxerit, sed Nicæna Synodus. Interim iste Alexander Baucala possit fundasse aut dotasse Baucaliensem Ecclesiam, ac ita suum ipsi nomen indidisse.

De Arii Asseclis hæc generatim scribit S. Epiphanius: (Hæres. 68. c. 4.) *Alexander Arium ex Ecclesia deturbavit, & cum eo ingens Virginum & cæterorum Clericorum, quos ille depravaverat, vis ejicitur.* Et in alio loco: *Arius brevi septingentas ferè Deo consecratas Virgines ab Ecclesia abstractas in unum coegit. Addunt & Presbyteros ab eo septem, ac duodecim Diaconos fuisse abductos. Quin etiam subinde pestiferum illius virus ad Episcopos usque pervenit. Nam Secundum Pentapolitanum Episcopum cum aliis nonnullis in partes suas pertraxit.* Epiphanius ibidem habet Dogmaticas Arii ad S. Alexandrum literas, quibus subscribunt: *Arius, Ethales, Achillas, Carponas, Sarmatas, Arius, Presbyteri; Diaconi, Euzojus, Lucius, Julius, Menas, Helladius, Cajus; Episcopi, Secundus Pentapolis, Theonas Africanus, Pistus qui Alexandriæ ab Arianis collocatus est.* Eandem epistolam in suo de Ariminensi ac Seleuciensi Synodis Libro refert S. Athanasius, ac inter seductos ab Ario Alexandrinos Presbyteros affirmat fuisse etiam Georgium. Addit tunc fuisse Antiochiæ. Istam ob causam ipse non subscripsit Epistolæ. Ad Alexandrum scripsit propriam Epistolam. Encyclicas Literas, quibus Arii & ejus Complicum factam à se damnationem Patriarcha Alexander denuntiavit Ecclesiis, suæ Ecclesiasticæ Historiæ inseruit Theodoretus, & adjunxit: (Lib. 1. cap. 3.) *Sunt autem hæretici anathemate damnati, ex Presbyteris Arius, ex Diaconis Achillas, Euzojus, Aithales, Lucius, Sarmatas, Julius, Menas, Arius alter & Helladius.* Inter hos pessimæ blasphemiæ Prædicatores fuisse duos Arios, in Fragmentis disertè scribit etiam sanctus Hilarius Pictaviensis. (Fol. 415) Et ad Imperatorem Constantium scribit Liberius Pontifex: *Manent literæ Alexandri Episcopi, olim ad sanctæ memoriæ Sylvestrum destinatæ, quibus significavit ante Ordinationem Athanasii undecim tam Presbyteros, quàm Diaconos, quod Arii hæresim sequerentur, se Ecclesia ejecisse.* Nec dubitandum quin singulorum nomina sanctus Alexander expresserit. Verum epistola, grandi Ecclesiæ damno, periit aut latet. Franciscus Combesis vulgavit quoddam Nicænorum Actorum Compendium, in quo hæc habes de mali autoribus: *In quorum numero erant olim Episcopi Secundus ac Theonas, inter Diaconos autem ac Presbyteros cùm Arius, principium hæresis, tùm Achillas, & alter Arius, quidamque alii ejusdem honoris & collegii, numero novem.*

Quæ omnia videntur non plenè cohærere. Etenim S. Epiphanius septem Presbyteros, ac duodecim Diaconos affirmat ob Arianam hæresim fuisse à S. Alexandro damnatos, & postmodò enumerat sex tantummodò Presbyteros, ac totidem Diaconos. Et quidem de Presbyteris videtur constare numerus. Etenim illis sex Presbyteris debet adjungi Georgius, quem tempore scriptæ istius Epistolæ jam dixi fuisse apud Antiochiam. At Diaconorum numerus videtur nullatenus constare. Nam & Liberius Pontifex omnes ob Arii susceptam hæresim degradatos ab Alexandro, partim Presbyteros, partim Diaconos, affirmat fuisse solos undecim. Et loquitur ex Synodali Relatione S. Alexandri ad S. Sylvestrum. Proinde in Universum non possint fuisse nisi duodecim: Septem Presbyteri, & quinque Diaconi. Præterea Theodoretus Achillam, secundum Arium, Ethalem, ac Sarmatam inter Diaconos; sanctus Epiphanius numerat inter Presbyteros. Et quidem Achillam fuisse Presbyterum videtur S. Patriarcha Alexander palàm adserere in literis ad S. Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum. Affirmat Arium & Achillam inita conjuratione fuisse æmulatos Colluthum. Quod fieri non potuit, nisi à Presbyteris.

Secundus Arius, Ethales, Sarmatas, Julius, ac Menas sunt nobis noti ex solo isto scelere, quoad cætera manserunt incogniti. Rationes ignoro. Ante famosiora facinora possint esse defuncti. De Georgio hæc scribit sanctus Athanasius in libro de Synodis Ariminensi ac Seleuciensi: *Georgius ab Alexandro ob alia quidem crimina, sed potissimùm tamen ob impietatem rejectus est, cum esset illius Presbyter.* Et in prima contra Arianos Disputatione enumerat varios turbines, ob fervens Arianæ impietatis patrocinium ab Eusebiana Factione promotos ad Episcopatum, ac inter ipsos ponit hunc Georgium, in prima Syria donatum Episcopatu Laodicensi. Et in secunda sua Apologia scribit: *Numquid non de Georgio probatum fuit, eum ab ordine sui Sacerdotii fuisse à beato Alexandro ejectum?* Et ibidem infra scribit de Sardicensi Synodo: *Georgium, per metum huc ab Oriente non audentem venire, sed tamen à beato Alexandro depositum, tum quia sectator est Arianæ rabiei, tum ob reatum criminum, Sacro-sancta Synodus communi calculo exauctoratum omninò ab Officio Episcopatus submovet.* Et in prima Apologia: *Georgius Presbyter à suo Ordine submotus fuit: nec ei profuit quod se Episcopum nominarit, quò minùs Sardicæ in magno Concilio deponeretur.* In ejusdem Apologiæ exordio affirmat Georgium fuisse unum è suæ fugæ accusatoribus. Et in Epistola ad suos Monachos affirmat varios nebulones ab Eusebiana Factione fuisse intrusos in Episcopales Cathedras, *ut eos in sua impietate socios & conjuratos haberent*: Et inter hos ponit etiam Georgium Laodicensem. Georgium fuisse Vertumnum, declinasse ad Semi-Arianos, & cum suo etiam Confratre Euzo-

Hæreſ. 73. c. 23. Euzojo, tunc Antiochiæ Patriarcha, affirmat ſanctus Epiphanius, adjungens & ejus turbas in Selucienſi Synodo. Hanc diviſam fuiſſe in duas Factiones, ac ipſarum Duces fuiſſe hunc Georgium, & Acacium Luſcum, Cæſaræenſem Epiſcopum, Paleſtinæ Metropolitam, ſcribunt Socrates, ac Hermias Zozomenus. Ipſorum iſtic ſceleratas artes exponit in libro de iſta Synodo ſanctus Athanaſius, & adjungit: *Georgius ex terrarum orbe abactus.* Utique ob factam à pluribus Synodis damnationem. Socrates addit fuiſſe virum imperitum ac rudem, ac ſuæ vertumnę Doctrinæ verſatili inſtabilitate dediſſe utrique Apollinario anſas novę Hęreſis. Apollinarius enim Pater, ejus Presbyter & in Epiſcopatu ſucceſſor, filius fuit ejus Lector. Sanctus Athanaſius, dum per Sardicenſem Synodum reparatus rediit Alexandriam tranſiit per Laodicæam, ac ipſum ſummo cum honore excepit Presbyter Apollinarius, vir ſenex, inſigniter eruditus, ac verè adhuc Orthodoxus: Debitam reverentiam detulit Sardicenſi Concilio. Verùm ab eodem Concilio damnatus, & S. Athanaſio inveteratus hoſtis, Epiſcopus Georgius tulit hæc indigniſſimè, & utrumque Apollinarium, uti Antiochenę Synodi & ſui Dogmatis prævaricatores, ejecit ex Eccleſia. Hanc illi injuriam, præſertim quod ab homine imperito paterentur, non valentes ſufferre, in novum Dogma aberrarunt. Ira viri juſtitiam Dei non operatur. Hæc ſuo loco latiùs exponentur.

Lib. 2. cap. 31. 35. 36.

De Carpona ſanctus Papa Julius hæc ſcripſit ad Antiochenam Euſebianę factionis Synodum: *Non igitur à nobis vilipenditur Nicæna Synodus, ſed ab illis, qui quovis modo & temerè Arianos, ab omnibus condemnatos, contrà ſententiam eorum, qui cauſam judicaverunt, recipiunt, quorum plerique ſoluti jam à corpore cum Chriſto vivunt, alii adhuc in vita manentes indignè ferunt ſua judicia à quibuſdam reſcindi. Hæc ita eſſe ex iis, quæ Alexandriæ acta ſunt, deprehendimus. Nam Carponas quidam, ab Alexandro* Patriarcha *ob Arianam hæreſim quibuſdam aliis ejuſdem criminis reis olim ejectus, huc ad nos venit, miſſus à Gregorio.* Antiochena Synodus Tyriæ Synodi de S. Athanaſio inchoatum Judicium expleverat, degradaverat ipſum, ac ejus in locum intruſerat Gregorium Cappadocem. Et ab illis violentiis Romam appellans Athanaſius fuerat repoſitus in Gradum, ac plena cum Communione remiſſus in ſuam Cathedram. Hoc factioni vehementer diſplicuit, & Julio Legatos illa miſit, expoſituros hæc ſequentia. Primò, quod & à Tyria & ab Antiochena Synodo Athanaſius fuiſſet plenè damnatus. Secundò, quod quintus Nicænus Canon ſanxiſſet Synodales Epiſcoporum damnationes eſſe inappellabiles, nec poſſe reſcindi. Tertio, Athanaſii reparationem his adverſari, ideoque nullius eſſe ponderis. Hæc Legati à Julio potenter & confidenter expoſtulabant. Et Alexandrinæ Cathedræ intruſus Gregorius addidit ſuum Legatum, Carponam Presbyterum. Verùm ad hæc & indignatus eſt Julius, & riſit. Romanas appellationes inſigniter defendit, Athanaſium demonſtravit legitimè reparatum, itemque Nicęnos Canones & Provincialium Synodorum auctoritatem non à ſe ſolvi aut ſperni, ſed ab ipſa Euſebiana factione. Et quidem horrendè. Adjunxit Exempla non è longinquo quærenda, ſed eſſe ad manum in ipſis Legatis. Etenim Carponas, à S. Patriarcha Alexandro damnatus ob hæreſim, ac per nullam Synodum reparatus, ſe oſtentabat pro integro Presbytero: Et quidem coram oculis totius Romanæ Eccleſiæ. Quæ audacia non ſoli Synodo S. Alexandri, nec dumtaxat Nicænis, ſed inſuper Apoſtolicis Canonibus patenter adverſabatur. Ex quibus lucet impudentem ac impium Carponam permanſiſſe Arianum, & intruſo Gregorio adversùs Athanaſium adhæſiſſe. Romam venit non ab Antiochena Synodo Legatus, ſed à ſolo Gregorio. Venit huic Apoſtolicam Epiſcopatus Confirmationem impetraturus. Ex quo vides hanc Confirmationem Patriarchis ſemper fuiſſe neceſſariam. Et ipſos etiam Arianos uſque ad Philippopolitanum Conventiculum ita crediſſe atque egiſſe. Quo poſtea evaſerit nequam Carponas, ignoro.

Pontifex Julius hæc omnia confirmavit etiam per audaciam patratam in Piſto: *Id ipſum quoque ex Macario Presbytero, & Martyrio ac Heſychio Diaconis*, Euſebianæ Factionis ac Tyriæ Synodi Legatis, *didicimus, qui, antequam Judicio ſe ſiſterent Athanaſii Presbyteri, auctores nobis fuerunt, ut Alexandriam ſcriberemus cuidam Piſto, quo tempore etiam Athanaſius Epiſcopus Alexandriæ verſabatur. Hunc autem Piſtum Athanaſii Presbyteri ſupervenientes docuerunt eſſe Arianum, ac eo nomine & ab Alexandro & à Nicæna Synodo ejectum, gradumque ſui Ordinis à quodam Secundo, quem magna Synodus ut Arianum rejecerat, accepiſſe. His verò nec Martyrii quidem ſodales contradicebant, neque Piſtum à Secundo fuiſſe conſtitutum negabant. Videtis igitur vel ex hac cauſa, qui potiùs in culpa habendi ſint, noſnè qui perſuaderi non potuimus, ut Ariano Piſto literas ſcriberemus, an illi qui mihi conſilium dederunt, ut contempto magno Concilio, ad impios Hæreticos, veluti ad pios homines, literas darem. Certè Macarius Presbyter, cum Legatus à* Nicomedienſi *Euſebio venerat, ubi audivit Athanaſii Presbyteros Piſto obſiſtere, noſque ejus præſentiam non admittere, unà cum Martyrio & Heſychio, quamvis gravi valetudine, de nocte profectus eſt, ut non inconcinnè divinaremus eum impatientia refutati Piſti fugam arripuiſſe. Impoſſibile enim eſt Secundi Ordinationem, utpote Ariani, vim ullam in Catholica Eccleſia habere. Id enim verè ad Synodi, & ad Epiſcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, ſi quæ illi tanto ſtudio & cura, veluti Deo præſente, egiſſent, à nobis ut vana & futilia abrogarentur.*

Quæſtio eſt, quis fuerit, quid prætenderit, & quo Gradu per Secundum Pentapolitanum Epiſcopum donatus fuerit iſte Piſtus? S. Epiphanius ſupra nobis affirmavit fuiſſe Epiſcopum. Ipſum enim ponit inter Arii ſequaces Epiſcopos. Et affirmat à Secundo Ptolomaidis Epiſcopo, Pentapolitanæ Provinciæ Metropolita, fuiſſe conſtitutum Alexandriæ. Nempè per S. Patriarcham Alexandrum damnata Ariana factio prorupit in tantam audaciam, ut tantùm Patriarcham, licet degradare non auderet, contemneret tamen, excuteret ejus obedientiam, ac adversùs ipſum exaltaret idolum, ſeu alium conſecraret Epiſcopum. Ita nequam Arius ambitioſam ſuam invidiam explevit contra Alexandrum. Et quò ambitionis infamiam evaderet, non ſemetipſum, ſed Piſtum curavit conſecrari. Verùm Piſtus ſedit illic in neſcio

ſcio qua caverna aut angulo: Uti olim apud Carthaginem Fortunatus contra S. Cyprianum, aut Romæ Donatiſtarum Emiſſarius, in monte aliquo aut ſuburbana rupe. Et hinc ipſum expreſſo nomine damnavit Nicæna Synodus. Etenim Julius Pontifex Carponam à ſolo S. Alexandro, hunc verò Piſtum affirmat damnatum ab iſta etiam Synodo. Etiam Sarmatam, Achillam, Euzojum, Lucium, aliosque primos Arii Congerrones nominatim non damnavit laudata Synodus. Cur nominatim damnavit Piſtum? Iſtos ut abundè per S. Alexandrum proſcriptos contempſit; hunc autem, quod Patris ſui Thronum tentaſſet invadere, cenſuit duriùs feriendum.

Et in ſuo antro is latuit uſque ad Tyrium de S. Athanaſio Judicium. Tunc Macarius Presbyter Nicomedienſis Euſebii Legatus, iſtud judicium ſupplicavit admitti, & in executionem adversùs Athanaſium mitti à Julio: Affirmavit Alexandriæ eſſe alium antiquum, ac olim paſſum injurias Epiſcopum Piſtum, ſuaſit illi ſcribendas Apoſtolicas literas, ipſum ab Apoſtolica Sede ſupplicavit reparandum & confirmandum. Hæc omnia altè clamant Piſtum fuiſſe Epiſcopum. Nec enim ad ſimplices Presbyteros, imò nec ad Provinciales, aut quosvis alieni Patriarchatus Metropolitas, ſed ſolos Auto-cephalarum Sedium Epiſcopos Apoſtolica Cathedra iſto ſæculo conſuevit ſcribere Communicatorias literas. Præſertim literas Confirmatorias. Et ad iſta omnia hæſit Julius: Quouſque per S. Athanaſii Legatos vera doceretur. Notanda ſunt Julii verba: *Etiam dum Athanaſius Epiſcopus Alexandriæ verſabatur.* Edicunt quod Nicomedienſis Euſebius etiam ante impetitum ac vexatum à Tyria Synodo Athanaſium fuerit iſtud machinatus. Videtur urſiſſe Athanaſium eſſe Piſto ſuperordinatum, ideoque & extrudendum. Notanda ſunt & hæc Julii verba: *Noſque ejus præſentiam non admittere.* Dominus Cardinalis Baronius ex ipſis affirmat Piſtum fuiſſe evocatum Romam, & non admiſſum ad conſpectum Pontificis. Palàm labitur. Macarius Presbyter videtur obtuliſſe Piſti præſentiam, ac Julius ipſam contempſiſſe: Fuiſſe Piſtum conſtantiſſimè ac pleniſſimè averſatus. Non erat modica cauſa. Erat palmaris pars Euſebianæ legationis. Hinc ipſa fruſtratus Macarius Presbyter, licet ægrotus, de nocte, Pontifice non ſalutato, Roma aufugit. Quæ omnia iterum clamant Piſtum omnino fuiſſe Hiſtrionicum Alexandriæ Epiſcopum. Et hæc eſt ratio, cur Antiochena Synodus non hunc Piſtum, ſed Gregorium Cappadocem intruſerit in Thronum ſancti Athanaſii. Quia noverat hunc Piſtum à ſancto Julio eſſe jam conſtantiſſimè projectum, ideoque nec deinceps admittendum. Quo poſtmodo evaſerit homo improbus, etiam ignoro.

De Euzojo ac Imperatore Conſtantio ſcribit in Libro de Ariminenſi & Seleucienſi Synodis ſanctus Athanaſius: *AnomϾ impietatis Ante-ſignanus Conſtantius hæreticus fuit, qui ad finem uſque permanens in ea impietate, ac deinde moriens, voluit non à piis viris, ſed ab Euzojo, non ſemel, ſed ſæpius ob Arianam Hæreſim, & cum Diaconus eſſet, & cum Antiochiæ reſideret, depoſito rejecto baptizari.* Fol.698 Affirmat Euzojum ex damnato S. Alexandri Diacono tandem profeciſſe in Antiochiæ Patriarcham, fuiſſe tunc Eunomianæ impietatis ſeu puri-puti per Æthium ac Eunomium reſuſcitati Arianiſmi Principem, & Imperatori Conſtantio adeò placuiſſe, ut hic in mortis lecto voluerit per ipſum baptizari. Ejuſdem meminit in Libro contra Luciferianos ſanctus Hieronymus. Affirmat plures Arianos fuiſſe per pœnitentiam receptos à Nicæna Synodo, & Luciferiano eorum nomina poſtulanti reſpondet: *Euſebius Epiſcopus Nicomedienſis, Theogonus Epiſcopus Nicænus, Saras, tunc Libyæ Presbyter, Euſebius Epiſcopus Cæſareæ Paleſtinæ, & reliqui, quos enumerare longum eſt. Ipſe quoque caput horum & cauſa malorum, Arius Presbyter, & Euzojus Diaconus, qui poſt Eudoxium Antiochenus Epiſcopus fuit, & Achillas Lector. Hi quippe tres, Alexandrinæ Eccleſiæ Clerici, Authores hujus Hæreſeos exſtiterunt.* Cap.7. Hìc vides non ſolum Euzojum, ſed etiam Achillam pœnituiſſe, aut forſan pœnitentiam ſimulaſſe, & laica Communione fuiſſe donatos à Nicæno Concilio, & S. Alexandri excommunicatione exſolutos. Et hic Achillas eſt omninò ſupra-memoratus Arii Socius. Eſt enim Alexandrinæ Eccleſiæ Clericus, unus è primis Ariani contagii Auctoribus. Cur verò S. Hieronymus ipſum, quem conſtat fuiſſe Presbyterum, appellet Lectorem, ignoro. Eundem Theodoretus ſupra dixit Diaconum. Si detur conjecturandi facultas, dicam ipſum S. Alexandri dumtaxat Lectorem fuiſſe, à Secundo Pentapolitano ſucceſſivè in Diaconum ac Presbyterum fuiſſe promotum. Hìnc Nicæna Synodus non agnovit, niſi ut Lectorem. Quò poſtea evaſerit, ignoro.

Pergamus ad Euzojum. Subitus ejus poſt Synodum relapſus evincit ejus pœnitentiam fuiſſe ambitioſam ac ſimulatam. Ex Laica Communione ſperavit per Eccleſiæ & Alexandri Clementiam repedare in Diaconatum: Hinc enim mox à Synodo verſutus Nicomedienſium Antiſtes, ac impiæ Factionis ductor Euſebius omnem movit lapidem quò & Arium & Euzojum etiam Gradui redderet. Et ſuo patello tandem reperit aptum cooperculum; Auguſtæ Conſtantiæ, quæ Magni Conſtantini ſoror Auguſto Licinio olim nupſerat, domeſticum Presbyterum, occultum Arianum. Ab hoc circumſcripta Conſtantia Arium commendavit & induci fecit ad Auguſtum Fratrem, & Arius ſecum duxit Euzojum. Hæ duæ nequiſſimæ Viperæ doloſum fidei ſuæ Libellùm obtulerunt optimo Principi, perſuaſerunt ſe firmos Nicæni Symboli Profeſſores, & impetrarunt Sacras ad S. Athanaſium Juſſiones, ut ſuo etiam Gradui redderentur. Et quia S. Athanaſius egit verum Nicænæ Synodi cuſtodem, aperto bello agere cæpit Euſebius, conjurationem iniit cum Meletianis, & ſuas calumnias deduxit ad Synodum Tyriam ac Hieroſolymitanam. Et hæc tandem Arium ac Euzojum reddidit Gradui, & executio S. Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo fuit demandata. Verùm hic erat alter Athanaſius: Ejus ad Deum preces Arium vita, Euzojum omni ſpe privarunt. Hinc ille, ab Alexandria deſperans abiit in Syriam, ac ibi tandem pervenit ad Patriarchatum Antiochenum. Quæ omnia latè habes apud Socratem, ac Hermiam Lib.1.c. Zozomenum: Et nos ſuo loco elucidabimus. 19.21. Ejus ad Patriarchatum promotio eſt facta per An- Lib. 2. tiochenam Synodum, in qua Euſebianæ factio- cap. 26. nis

nis satelles, Augustus Constantius ejecit Patriarcham Meletium, uti Sabellianum. Audiamus rem ab Ecclesiastica Theodoreti historia: *Ariani suadent Constantio ut Meletium Patriis sedibus expelleret. Quod perficiunt, atque ad ejus locum capescendum deligunt Euzojum, egregium Arianæ doctrinæ Patronum. Nam istum ipsum magnus ille Alexander, Episcopus Alexandriæ, unà cum Ario, Diaconatu abdicarat. Populi autem pars, quæ sanam amplexabatur doctrinam, ad Ecclesiam Apostolorum in Palæa sitam frequens confluit.* Sanctus tamen Hieronymus supra dixit Euzojum non Meletio successisse, sed Eudoxio: Quod tunc Arianus Ariano Eudoxio successerit. Meletius enim, licet & ipse eadem lepra laborarit, mutavit tamen mentem, factus insigniter Orthodoxus. Deinde, post Constantii mortem Meletius, à successore Juliano revocatus, Antiochiam rediit, & cum Euxojo Episcopus mansit. Antiochena Ecclesia, licet divisa tunc inter Eustatianos, Meletianos ac Arianos, unicum tamen semper habuerat Episcopum: Euzojus ibi se posuit secundum. Et tunc Meletiani cœperunt dici Campenses: quod nempe nullam ab Euzojo permitterentur habere Basilicam, atque ita in Campensi sanctorum Apostolorum Basilica cogerentur convenire. Lucifer Calaritanus Episcopus, dum Eustatianum ordinavit tertium Episcopum Paulum, lamentabile ac triplex istius Ecclesiæ Schisma complevit. Euzoji promotio facta est Domini post trecentesimum sexagesimo aut sexagesimo primo, vigesimo quarto aut vigesimo quinto Augusti Constantii anno. Et ipsum tanti fecit Constantius, ut adversùs rebellem Cæsarem Julianum abiturus, ideoque mortis periculum subiturus, voluerit ab ipso baptizari. Defuncto S. Athanasio successit Petrus secundus. Verùm non sine obice. Etenim Ariani Lucium, quem sub Juliani Imperio in Pseudo-Episcopi sui Gregorii locum elegerant, ac intrudere non poterant, jam suo Imperatore Valente freti omninò intruserunt. Quomodo Ægypti Præfectus, ac homo gentilis Palladius Petrum ejecerit refert Theodoretus, & adjungit: *Paucis intermissis diebus, Euzojus Antiochia Lucium secum ducens, Alexandriam adventat, eique tradit Ecclesias.* Addit Hermias Zozomenus: *Brevi tempore post Euzojus, sectæ Arianæ apud Antiochiam Antistes, proficiscitur Alexandriam, & cum eo etiam magnus Quæstor ab Imperatore missus; qui duo Petrum comprehensum in carcerem concludunt.* Barbaricam istius Lucii in Alexandrinos Orthodoxos grassationem exponunt dictus Theodoretus, apud ipsum exstans Petri Episcopi Alexandrini Epistola, Presbyter Ruffinus in octava decima Collatione Joannis Cassiani, in Maximi Cynici Encomio S. Gregorius Nazianzenus, ac etiam Socrates, cujus verba habent aliquid singulare: *Ariani magnos animos sumere cœperunt, de Imperatoris religione gloriari, & absque mora Athanasii mortem Imperatori, qui tum Antiochiæ commorabatur, significare. Item Euzojus, qui Arianæ Sectæ apud Antiochiam fuit Episcopus, tum etiam occasionem temporis tam commodè oblatam arripiens, iter Alexandriam parare, ut rectionem ibi Ecclesiarum Lucio Ariano impertiret. Idem quoque Imperatori visum est. Quare Alexandriam cum Imperatoria potestate quàm celerrimè proficisci maturat. Quin etiam magnus Quæstor Imperatoris, illum eò comitatur. Addebatur etiam mandatum, perscriptum ad Palladium Alexandriæ Præfectum, ut militaribus copiis Euzoji Instituto inserviretur. Quocirca & Petrum comprehensum in custodiam tradunt, & aliis Clericis aliò & aliò amandatis, Lucium in Episcopali sede collocant.* Occasionem, qua se de inflicta sibi apud Alexandriam damnatione vindicaret, diù quæsierat sceleratus Euzojus: Et hanc duxit non prætermittendam. In ejusmodi facinoribus traxit vitam usque quintum Valentis & primum secundi Valentiniani Consulatum, id est, usque ad Christi Domini annum trecentesimum septuagesimum sextum. Defunctus est in Antiocheno Episcopatu, ac ipsi successit Dorotheus. Ita scribit Socrates. Euzojus ergo est mortuus admodùm senex. Nam duodecimo istius sæculi anno fuerat Alexandriæ Diaconus, Princeps Ariani dogmatis. Eum in Antiocheno Patriarchatu fuisse, haud dubiè ex Augusti Valentis favore, potentem ac terribilem disces ex Literis Magni Basilii. Etiam ex Panario Epiphanii.

Lib. 2. cap. 31. — Lib. 4. cap. 19. — Lib. 6. cap. 19. — Lib. 4. cap. 16 — Lib. 4. cap. 28. — Ep. 67. Hæres. 73. c. 23 24.

Porrò an iste Pseudo-Patriarcha Lucius sit per S. Patriarcham Alexandrum damnatus olim Diaconus, non possum certò affirmare. Ita innuere videtur S. Epiphanius, adfirmans ipsum fuisse ex factione Ariana. Et in Maximi Cynici Encomio S. Gregorius Nazianzenus ipsum appellat secundum Arium. Quidam existimant ipsum fuisse Pseudo-Patriarchæ, quem Gentiles Alexandrini sub Juliani Imperio trudicarunt, Georgii Presbyterum: Quod nempè illum ab inflicta per S. Alexandrum damnatione absolvisset Georgius, ac in Presbyterum consecrasset. At errant. Diversi sunt hi Lucii. Etenim Lucius Presbyter, ab Euzojo Antiochiæ Patriarcha motus, sub Joviniani Imperio conatus est Palatinum Eunuchum Probatium Alexandrino Throno intrudere, quo tempore Lucius Diaconus jam omninò erat ad istam Sedem electus, & consecratus. Et istius Lucii Presbyteri memoriam non invenio nisi apud Nicephorum Calixtum. Et quotquot de Lucio Patriarcha agunt, omnes vocant quemdam Lucium nullus edicit fuisse Arii collegam, aut degradatum à S. Alexandro Diaconum. Quod tamen disertè exprimunt de Georgio Laodicensi ac Antiocheno Euzojo. Quare hìc Lucius videtur esse omninò alius: Arii collega videtur in obscuro latere. Eadem est ratio Caji Diaconi. Quidam existimant hunc postmodò in Pannonia èvasisse in Episcopum, ac esse famosus illum Germinii, Auxentii, Valentis, ac Ursalii socium: Verùm ex non firmis fundamentis.

Hæres. 68. c. 10 — Orat. 23 — Lib. 10. cap. 41.

Secundum Pentapolitanum fuisse Ptolomaidis Episcopum, Pentapolitanæ Provinciæ Metropolitam, disertè affirmat Nicænæ Synodi Epistola ad Alexandrinam ac omnem Ægyptiacæ Diœceseos Ecclesiam. De ipso scribit in prima contra Arianos Disputatione S. Athanasius: *Cui ignotum est, Secundum Pentapolitam, non semel ex-auctoratum ac depositum, gratia & commendatione Arianæ hæresios ab ipsis, Eusebiana factione, designatum esse seu redditum Episcopatui?* Fuerat non tantùm à S. Patriarcha Alexandro, sed etiam ab ipsa Nicæna Synodo nominatim damnatus ac degradatus. Pergit de eadem Factione S. Athanasius: *Secum habent eos, qui cum Ario rejecti fuere, nimirum Secundum Pentapolitam, & Clericos Alexandriæ* repu-

repudiatos. Istis Alexandriæ scribunt, & operam dedere, ut nos persecutionibus divexaremur. Et in Fol. 160 Epistola ad suos Monachos: *Secundus Pentapolitanus, nominetenus Episcopus, homo omnium mortalium teterrimus, ejusque in conjuratione Socius Stephanus, non ignari se de quavis injuria ob hæresis gratiam excusari posse, Barcæ quemdam Presbyterum nacti, nomine quidem Secundo similem, fide dissimillimum, ipsis non obtemperantem, calcibus obtritum interfecerunt.* Barca est Aridæ Libyæ famosa civitas. Et in libro de Seleuciensi ac Ariminensi Synodo scribit idem Athanasius de Acacianæ Factionis apud Seleuciam Actis: *Rem callidam instituunt. Formidantes enim probationes suorum Accusatorum, alios homines hæreticæ Factionis sibi veluti mercenarios ad impietatem addictos, & à Secundo per Synodum Maximam exauctorato ad Ordinem Ecclesiasticum promotos, in societatem adjunxere, inter quos fuerunt Libyci homines, Stephanus, Siras, & Pollux, de diversis criminibus accusati. Istis addidere Pancratium, Ptolomeum, & Meletianum quemdam.* Quibus ex verbis discimus duo. Primò, quod Secundi hujus in conjuratione, ac Secundi Barcensis orthodoxi Presbyteri trucidatione Socius Stephanus fuerit, non Pseudo-Patriarcha Antiochenus, sed nescio cui in Libya Civitati per ipsum Secundum intrusus Episcopus. Secundò, quod Secundus hic noster fuerit non tantùm Arianus, sed etiam Meletianus. Etenim etiam post Nicænam Synodum aut cœpit, aut perrexit per omnem suam Provinciam tanquam Metropolita consecrare Episcopos, atque ita & prævaricari sextum istius Synodi Canonem, & suæ Patriarchalis Cathedræ authoritatem sine fronte violare. Eadem audacia tentavit Pistum in Alexandrinam Cathedram intrudere. Fuit Arii defensor adeo pertinax, ut ipse cum suo Collega Theona Marmaricensi in sicca Libya Episcopo, solus manserit pertinax in Nicæna Synodo, & errorem noluerit damnare. Et quidem istius Theonæ Acta alia latent in obscuro. Hæc breviter dicenda duxit ut noscas maculosos fontes blasphemi erroris.

CAPUT XIV.

Ariana Impietas generatim exponitur.

Contentas in Arii Thaleja blasphemias exponit in secunda adversùs Arianos Disputatione S. Athanasius, ac prosequitur: *Quis ad istas* Fol. 139 *blasphemias præ stupore non sensibus alienaretur? Cœlum, ut Propheta loquitur, obstupuit, terra autem inhorruit super prævaricatione legis: Sol autem magis indignabundus, & non ferens illas contra communem omnium Dominum corporales injurias, quas spontè pro nobis patiebatur, aversus est, radios suos contraxit, & istum diem illucem exhibuit. At super Arii blasphemiis qui fieri potest, ut non omne hominum genus lingua præ stupore hæreat? Aut non aures obstruat? Et oculos claudat, nè talia Loquentes audire, aut Scribentes intueri cogatur? Et cur non potiùs Dominus ipse summo jure contra homines impios, vel quod veriùs est, ingratos vociferetur ea, quę per Oseam prælocutus est? Væ illis, quia resilierunt à me: Miseri sunt, quia impiè adversùs me egerunt. Ego autem redemi eos, ipsi verò contrà me locuti sunt mendacia. Fingentes sibi eum, qui non est, ad id, quod nihil est, reciderunt. Ideo quoque Universalis totius Orbis Synodus loquentem ista Arium ejecit ab Ecclesia & Anathemate execrata est, non ferens blasphemias, ex quo in reliquum tempus Arii error pro hæresi existimatus, quæ plus mali in se haberet, quam cæteræ hæreses; eò quod & perduellis Christi, & Anti-Christi præambulatrix sit cognominata. Jam tametsi imprimis tanta contra impiam Heresim Censura suffecerit ad omnibus persuadendum, ut ejus contactum refugiant, attamen quia non nulli, qui Christiani dicuntur, per ignorantiam aut per dissimulationem Hæresim istam, quantùm ad veritatem attinet, indifferentem arbitrantur, eosque qui ejus sensum retinent, Christianos vocant, agite sciscitemur ab illis, &c.* Hæc fuit Eusebii Nicodemiensis vafrities, adserens hanc Controversiam non ad immobile Dogma, sed ad liberas Quæstiones spectare, & circa ipsam posse unumquemque abundare in suo sensu; ideoque Arium & ab Alexandro Patriarcha, & à Synodo Nicæna fuisse sine causa damnatum. Sanctus Athanasius adfirmat esse manifestam hæresim, omnium Hæreseon nequissimam, patrato per Judæos Deicidio horrendiorem, ad quam omnes debeant & oculos & aures obstruere, & quæ ob sui enormitatem passim appellatur perduellis in Christum Dominum, & Anti-Christo præcursatrix. Et certè ad ipsam auditam omnes in Nicæna Synodo Episcopi aures obstruxerunt.

Hanc hæresim esse omnium maximam docet etiam in Paschali Concione S. Gregorius Nazian- Orat. 42 zenus. Dominicæ Carni illatas à Judæis Passiones exaggerat, & prosequitur: *Pro! qualia Verbum nunc quoque patitur! ab aliis*, utique à Sabellianis, *ut Deus honoratur, & connectitur*, seu cum Patre & Spiritu Sancto in unam confunditur personam, *ab aliis ut Caro contemnitur, ac separatur* à Paterna Substantia. *Utris amplius irascetur? Vel potiùs utris ampliùs condonabit? Eis-nè qui malè contrahunt, an qui scindunt? Nam & illos dividere, & hos connectere oportebat: illos, inquam, numero, hos Deitate. Impingis ad Carnem? Et Judæi quoque ad eam impegerunt. Num Samaritanum etiam vocabis? Nam quod sequitur tacebo. Deitati fidem abrogas? Hoc nè Dæmones quidem ipsi fecerunt. Ita & judicii perversitate Judæos, & incredulitate Dæmones superas. Illi enim Filii vocabulum, esse æqualitatis vocem censuerunt; hi autem eum, à quo fugabantur, Deum agnoverunt: Doloribus nimirùm, quos sentiebant, fidem ipsis facientibus. At tu nec æqualitatem admittis, nec Deitatem confiteris.* Deî Verbi in adsumpto homine consubstantialem Divinitatem Dæmones & agnoverunt, & venerati sunt, aut certè timuerunt offendere. Edocti & compulsi supremo istius hominis in se Imperio. Eandem à Domino JESU prædicari agnoverunt impii Judæi. Hinc enim illum, quod arrogantissimè blasphemum censerent, damnarunt ad mortem. Arianos, qui horum nihil intelligunt aut sentiunt, Nazianzenus Gregorius rectè affirmat nequiori, quàm istos ambos, mentis cæcitate & blasphemia laborare. Orthodoxam de Deo Verbo Fidem ex Divinis, Angelicis, Propheticis, Evangelicis, ac Apostolicis testimoniis lucere affirmat in prima adversus Arianos Disputatione sanctus Athanasius, ac prosequitur: *Ariani con-*

ni contra, quibus mens impura est, cum nihil tale ex Divinis Theologicisque Viris audire queant, relegandi mihi videntur ad Caco-Dæmones, quibuscum similitudine congruunt, ut saltem ex eorum clamoribus audiant non plures esse Filios Dei, sed hunc solum & unicum esse Filium Dei. Ut saltem ex Dœmonum in Evangelio ad Christum Dominum clamoribus erudiantur.

Arianam blasphemiam exponit ibidem Athanasius, ac adjungit: *Impietas enim istiusmodi opinionibus introducitur, vel potiùs præter Scripturas Judaismus, trahens secum inter cæteros comites Gentilitatem, adeò ut qui ita sentiat, Christianus non debeat appellari.* Etiam in Apologetica de suis apud Constantinopolim Actis oratione S. Gregorius Nazianzenus Arii blasphemiam appellat *novum Judaismum.* Et addit causam: *quod solo Ingenito Divinitatem circumscribat.* Quod idem ex eodem principio adserit in oratione de Episcoporum Constitutione, & adjungit Arianismum esse Sabellianismo longè nequiorem. Est Judaismus ob duas causas. Primò, quia Dei Verbi cum Patre Consubstantialitatē Judaicè negat & blasphemat. Secundò, quia veram Divinitatem solo Ingenito circumscribit, veram Divinitatem affirmat esse in unica dumtaxat Persona, atque ita est etiam Sabellianismus, ac Sabellianismo nequior. Nam Sabellius profitetur eandem omnium trium Personarum, aut potiùs nominum Substantiam, ideoque Arius ejus impietati superaddit Judaicas in Dei Verbi Consubstantialitatem blasphemias. Arianos esse Judæorum imitatores scribit ac demonstrat etiam in Apologeticis pro S. Athanasio Libris Lucifer Calaritanus Episcopus. Puri-puti Arianismi resuscitatores Eunomianos ac Judæis esse cognatos scribit in primo adversum Judæos Sermone etiam S. Joannes Chrysostomus, & dat causam: *Nam quod Judæi CHRISTO DOMINO crimen objiciebant; idem intentant quoque Anomæi. Quid crimini dabant illi? Quod Christus Deum Patrem diceret; ac seipsum Deo æqualem faceret. Id in crimen etiam hi trahunt: Quin potiùs non trahunt; sed Dictum, quæque ei sub-est, Sententiam delent, licet non manu, sed cogitatione & animo.* Istiusmodi Evangelica testimonia omninò voluissent ablata & rasa. Adeo illa oderant, ut non erubuerint garrire quod Dominus in ipsis non suam cùm Patre Consubstantialitatem prædicasset; sed à cæcis Judæis fuisset malè intellectus. Ita hæresis cogit homines cæcutire, imò & insanire. Hanc ipsam cæcam insaniam nobis refert, ac revincit in Homiliis suprà Joannis Evangelium S. Joannes Chrysostomus. Arium fuisse errore Judęum alii etiam Patres passim adfirmant.

Orat. 25 Orat. 29 Lib. 1. Homil. 38.

Sanctus Athanasius addit non solummodò Judaismum, sed etiam Gentilismum ab Ario resuscitatum. Hinc pergit: *Et Apostolus quidem increpat Ethnicos, quod res conditas venerentur, dicens:* Servierunt Creaturæ potiùs quàm Creatori: *Isti autem, cum Christum esse Creaturam pronuntient, & illi tamen tanquam Creaturæ Religionis cultu ceremoniisque inserviant. Quid quæso ab Ethnicis differunt? Qui fieri potest, si ita sentiunt, ut non verba jam è Paulo recitata, ejusque incusatio ad ipsos pertineat?* Et infrà affirmat Arianos esse Judaicos caupones, qui purum Evangelici Dogmatis vinum fœculenta blasphemarum opinionum aquâ misceant & corrumpant, ac pergit: *Nos quidem paucula ista ad vituperationem illorum scripsimus. Quod si quis latiori Refutatione uti velit, reperiet istam hæresim non longè ab Ethnicis disjunctam, reliquarum tamen Hæreseon postremam ac fæcem. Siquidem cæterę hæreses aut circa Corpus Domini ejusque humanitatem; hæ quidem ad istum modum, aliæ rursus ad illum modum mendaces aberrant: Aut eum in Corpus descendisse Judaica existimatione penitùs pernegant. Hæc autem omnium sola in ipsam Deitatem impingit, cum Verbum nec semel quidem esse permittat, aut Deum Patrem existere.* Et in tertiæ Orationis exordio scribit: *Ostendamus* Arianæ vecordiæ histriones *nequaquam Christianismum scire. Si enim scivissent, non se ipsos inclusissent intra Judæorum infidelitatem.* Et infrà: *Talia de Dei Verbo dicere non est Christianorum, sed Ethnicorum.* Orationis istius præcipua intentio est demonstrare, quod Ariani non sint Christiani, sed Judæi & Gentiles, imò ambobus nequiores. Etiam in quarta Oratione exponit ipsorum horrendum Dogma, & concludit: *Fieri non potest, quin plura Numina introducant ob diversitatem in naturarum, quas in Personis Trinitatis constituunt.* Et statim infrà Divini Verbi Consubstantialem Deo Patri naturam exponit, & prosequitur: *Si tale Verbum non est, sed ex non Ente Ens evasit, Creaturaque facta est, & opus quoddam existat; Relinquitur, ut vel non sit verus Deus, cùm sit ex numero Creaturarum; aut si pudore confusioneque Fracti à Sacris Scripturis, Deum illum esse verum confiteantur, necessariò fit ut duo simul Numina agnoscant, alterum Creatorem, alterum creatum, duobusque Dominis inserviant, alteri ingenito, alteri genito & creato. Et ut duas Fides habeant, unam in verum Deum, alteram in conditiitium & fictum ab ipsis, quem ipsi Deum vocant. Necessùm est quoque eos ita obcæcatos, cum adorant increatum, depugnare cùm creato.: Et cum addunt se Creaturæ, aversari Creatorem. Non enim fieri potest, ob eam, quæ in ipsis est, naturarum diversitatem, & dissimiles in age ndo Vires, ut hunc in illo, aut illum in hoc agnoscas & videas. Quapropter, cùm Ariani sint ejusmodi sententiæ, vitari omninò non potest, quin plura Numina consocient: Id enim facinus eorum, qui ab uno Deo desciscunt. Cur igitur Ariani, cum hoc sensu sint, sese non adnumerant Gentilibus? Si quidem ambo, omisso Creatore Deo, Creaturæ inserviant: Sed illi, ad circumveniendos simpliciores, vocabulum Ethnicorum subterfugiunt: Similem tamen cùm illis sententiam fovent. Etenim Sophisma illud, quod soliti sunt dicere (non proferimus duo Ingenita) id deprehenduntur ad simpliciorum imposturam dicere. Nam cùm inquiunt se non duo Ingenita statuere, duo Numina constituunt, eaque diversæ naturæ: Alterum increatum, alterum creatum. Jam si Ethnici uni increato inserviunt, & multis creatis; Isti autem uni Increato, & alteri Creato, nè ita quidem quidpiam discriminis inter ipsos & Ethnicos fuerit, cum is, qui ab ipsis creatus censetur, unus sit ex multitudine Gentilium Deorum; & vicissim Gentiles Dii eandem cùm isto unico naturam possideant, itidemque sint Creaturæ. Miseri, & quàm maximo damno mulctati, dum de Christo malè sentiunt: Exciderunt enim à veritate, & Judæorum proditionem transcendunt, abnegantes Christum, & cum Ethnicis volutantur, Creaturis diversisque Numinibus inservientes.*

Cùm Gentilibus non dumtaxat inducunt diversa Numina, sed insuper Idola sibi fingunt, & pessimam committunt Idololatriam. Quod ipsum in tertia super S. Joannis Evangelium Homilia tradit S. Joannes Chrysostomus, affirmat Deum Verbum esse non inæqualem, sed Consubstantialem Deo Patri vitam ac lucem, & adjungit: *Nolimus, quæso, Creaturam cum Creatore confundere, nè id audiamus, quod servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori.* Operosè exaggerat præcipuum Divinæ Incarnationis scopum fuisse exstinctionem Idololatriæ, & concludit: *Minimè committendum est, ut nullum hæc nobis fructum afferant, & in pristinam rursus impietatem recidamus, imò longè graviorem. Non enim est æquale & par vitium Creaturæ servire, & ipsum Creatorem, quantùm in nobis est, in Creaturæ vilitatem detrahere.* Solum prius fuit factum per Gentiles Idololatras, utrumque autem crimen junctim fit per Arianos, ideoque ipsorum impietas est Pagana Idololatria longè sceleratior. Etiam Tertullianus in libro Scorpiaco (Cap.4.) demonstrat Idololatriæ enormitatem, & pergit adversus duplicis Divinitatis fabulones: *Præscribitur mibi, nè quem alium Deum dicam, nè vel dicendo, non minùs lingua, quàm manu Deum fingam, ne quem alium adorem, aut quoquo modo venerer, præter unicum illum, qui ita mandat.* Et in (Cap.18.) Libro adversùs Praxeam: *Sicut Nationes manibus, ita Hæretici verbis Idola fabricantur, id est, alium Deum, & alium Christum.* Et in præscriptionum (Cap.40.) Libro: *Et ideò, neque à Diabolo immissa esse Spiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet, neque ab Idololatria distare hæreses, cùm & Authoris & operis ejusdem sint, cujus est Idololatria. Deum aut fingunt alium adversùs Creatorem; aut si unicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in vero est. Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodò genus est Idololatriæ.* At verò Ariani & Deum Patrem aliter disserunt quàm sit in vero, & Deum Filium ac Deum Spiritum Sanctum proscribunt ad Creaturas, & tamen omnes tres adorant: Igitur, licet non manibus, tamen mente & lingua sibi Idola conflant, & pessimam committunt Idololatriam. Hinc etiam in Libro de Synodis scribit S. Hilarius Pictaviensis Episcopus: *Absque Episcopo Eleuzio, & paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem Provinciæ, intrà quas consisto, verè Deum nesciunt. Atque utinam eum nescirent: cum proclivio ri enim venia ignorarent, quàm obtrectarent.* Plerique istarum Provinciarum Episcopi erant Ariani: hinc ab ipsis Dominum Deum non dumtaxat ignorari dicit Hilarius, sed insuper obtrectari, ac per cæcatas ipsorum mentes fabricari in Idolum: Hinc ipsos esse Paganis nequiores. Ex eodem principio antiquus Orientalis Ecclesiæ Catechismus non tantùm Sarracenis, sed & ipsorum Deo dixit Anathema. Quia nempè Sarraceni, licet Deum Omnipotentem colant, ipsum tamen cum Sabellio faciunt sterilem, ac Filium & Spiritum Sanctum negant ex ipso procedere, atque ità sua prophana mente ipsum sibi demutant in Idolum: Non verum colunt Deum, sed istud suum Idolum. Et Imperatorem Emanuelem Comnænum, qui istud Anathema improbavit ac rasum voluit, meritò culparunt & cohibuerunt Græcorum Episcopi, ipsorumque judicium & constantiam rectè laudat in dicti Imperatoris vita Nicetas Choniates. Rectè tamen Michaelis Oxitæ, Patriarchæ Constantinopolitani, Synodus damnavit hunc Niphonis Monachi articulum: *Anathema Deo Hebræorum*: Rectè enim de Hebręis scribit ad Romanos Apostolus: *Inimici propter vos,* Cap. 11. *charissimi propter Patres.* Licet carnales hodie & olim Judæi de Divinę Majestatis substantia errent & errarint, ipsorum tamen non erravere Patres & Doctores, de quibus Dominus dixit: *Salus ex Judæis est.* Hinc Hebræorum Deo generatim dictum Anathema est omninò blasphemum & sceleratum. Dici tamen potest per cæcatas carnalium Judæorum mentes conficto Deo. Est enim Idolum. Et hinc etiam Calvinistæ, qui Deum fingunt peccati Authorem, Deum verum non colunt, Idolum fingunt, patrantque plenam Idololatriam. Nam & inter alias rationes, ex quibus dictum Sarracenorum Deo Anathema defendit Eustatius Thessalonicensis Archi-Episcopus, fuit hæc: *Enim verò insanirem, & hoc Episcopali habitu indignus essem, si Deum vivum prædicarem brutum istum Pædiconem, & omnis obscænitatis & sceleris Doctorem.* Sarraceni affirmant suum Deum esse suæ flagitiosę & facinorosę Legis Authorem: Hinc illum non esse verum Deum, sed brutale Idolum dixit Eustatius. Quod ipsum omninò diceret de Deo Calvinistarum. Habes ista apud memoratum Nicætam. Lib. 7. cap. 6. Niphonis errorem & damnationem habes apud Joannem Cumanum. Et integram Michaelis Patriarchæ Synodum suis de Occidentalis & Lib. 2. Orientalis Ecclesiarum concordia Libris inseruit cap. 12. Leo Allatius. Hoc in omni circa Divinam Naturam errante hęresi inclusum crimen exposui latiùs Cap. 40. in Scholiis ad Præscriptiones Tertulliani.

Aliud Arianę blasphemię virus exponit in tertia adversùs ipsam Oratione S. Athanasius: *Ariani in periculum veniunt, nè amittant integritatem Mysterii: loquor autem de Baptismate. Si enim in nomine Patris, & Filii datur perfectio ac plena Initiatio, Patrem autem verum illi non pronuntiant, eò quod negent aliquid ex ipso existere, & simile esse illius Substantiæ, negant quoque verum Filium, aliumque ex non Entibus conditum sibi comminiscentes in Baptismate proferunt: Qui igitur, quæso, non planè vanum ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cùm id non nisi species sit & inane simulacrum, ipsique ea re nihil solidæ opis adferant ad pietatem? Non enim in Patre & Filio Baptisma tribuunt Ariani, sed in Creatore & Creatura, in Factore & Factura. Sicuti igitur Creatura diversum quiddam est à Filio, ità diversum quiddam à vero Baptismate est quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen Patris & Filii, quia illa in Scripturis vident, simulent sese nominare. Non enim, qui simpliciter ait, Domine, is est qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit, & Fidem rectam habet Ideoque Salvator non quovis modo baptizandum præcepit, sed primùm dixit: Docete. Ac deinde: Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ut ex Doctrina recta Fides orietur, & cùm Fide Baptismatis integra initiatio perficeretur. Certè, aliæ etiam hæreses, eæque numero non exiguæ, nomine tenùs Ritum istum pronuntiant, sed non rectè sentientes, neque sanam Fidem retinentes, inutilem possident aquam, quam impertiunt, nimirum Numine & Religione destitutam, adeò ut qui ab illis aspergantur, sordescant potiùs prava Religione,*

quàm

quàm redimantur. Affirmat non solam Evangelicam Fidem, sed & ipsam Christianam Regenerationem, adeoque omnia Christianitatis fundamenta esse per Arium eversa, datum per Arianos Baptisma esse irritum ac nullum. Et videtur id fundare in fidei defectu, atque ita dare fomenta errori S. Cypriani. Verùm non de qualibet hæresi loquitur, sed de versante circa articulos comprehensos in verbo Sacramenti. Istius Baptismi invaliditatem fundat in duobus: Quod Ariani nequè in Patris nomine baptizent, neque in nomine Filii. Filius namque illis Creatura, Pater autem est sterilis; ideoque nec Patrem nec Filium norunt, sed à se conficta ipsorum blasphema Idola. Et in horum nomine baptizant. Hæc suo loco latiùs exponentur.

Quocirca, ob clausa per Magnum Constantinum Idolorum templa offensus Diabolus excitavit Arium & Arianam hæresim. Quia nempe per ipsam norat Idololatriam reparari, & quidem cùm fænore: Et omnia Christianitatis fundamenta evelli Idololatriam induci in ipsam Ecclesiam, & Christianismum in Gentilismum demutari. Eadem de causa Imperator Constantinus adversus Arium & Arianos edidit hanc Legem: *Cum Arius scelestorum & impiorum hominum Consuetudinem imitetur, eandem cum illis ignominiæ & turpitudinis notam meritò subire debet. Quemadmodum Porphyrius, capitalis pietatis hostis, qui nefarios Libros contra Religionem Christianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & ejusmodi quidem, ut apud posteriora Sæcula non ipse solùm maximis probris vexatus fuerit, & turpissima infamiæ labe adspersus; verùm etiam impia ejus Scripta deleta penitùs & extincta; sic etiam visum est Arium & ejus Sectatores Porphyrianos nuncupare, ut quorum secuti sunt mores, eorum etiam nomen habeant.* Etiam quosvis Arii libros damnavit ad ignem. Et hanc Legem in suo adversùs Nestorium Hæresiarcham Edicto laudat Imperator Theodosius secundus: *Quemadmodum Ariani, Lege Divi memoriæ Constantini, ob similitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur, sic ubique participes nefariæ sectæ Nestorii vocentur Simoniani.* Nestorianos Theodosius jussit appellari Simonianos ob similitudinem pravi Dogmatis. Ambo enim garriverunt Christum Dominum esse purum hominem. Eodem modo quidam existimant Arianos esse jussos dici Porphyrianos. Labuntur. Etenim Porphyrius, utpote Platonicus, Trinitatem non negavit. Notanda sunt Constantini verba: *Quorum secuti sunt mores, etiam nomen habeant.* Affirmant Arium non Porphyrii dogmata fuisse secutum, sed mores.
Lib. 6. De Porphyrio scribit in Ecclesiastica Historia Eu-
cap. 13. sebius Cæsaræensis: *Porphyrius, nostra jam memoria in Sicilia degens, Libros contra nos, quibus Divinas Scripturas calumniis insectari conatus est, edidit. Quique cùm eorum Commentariis sedulò evolvendis, qui eos interpretati fuissent, nihil reperiret, quod Religionis nostræ doctrinæ vitio dare posset, tanquam dicendi facultate destitutus, se ad Interpretes ipsos conviciis lacerandos convertit, ipsumque Originem imprimìs, quem se, dum adhuc adolescens erat, cognovisse dicit.* Et ejus aliqua, quibus in Sacras antiqui ac novi Testamenti Literas, ac etiam in Originem invehitur loca, Eusebius adducit. Istis in locis habentur hæc verba: *Cùm origine mihi, dum adhuc admodùm adolescens essem, aliqua intercedebat familiaritas.* Ipsum de Origine, ac de ejus Præceptore Ammonio horrendè mentiri ostendit Eusebius. Ejusdem meminit etiam in quarto Libro de Evangelica præparatione, ac ex ejus præsertim testimoniis evertit antiqua Dæmoniorum Oracula: *Cùm* Cap.4.
innumerabiles sint & Philosophi & Historici, illum meo proposito magis idoneum judico, qui & Dæmonibus maximè amicus fuit; & multa nostris temporibus adversùm nos mendacissimè conscripsit. Hic enim Gentilium pœnè omnium Deorum ac Dæmonum naturam maximè investigasse, & summoperè falsitatem defendisse videtur. Et in quinto Libro: *Ex Porphyrio* Cap.5.
nonnulla colligamus. Jure namque testimonio ipsius crebriùs utemur, qui & nostræ Religionis maximè hostis fuit, & exactissimè Theologiam Gentilium scivisse putatur. Et in quinto Divinarum Institutionum Libro Cælius Lactantius: *Ego cum in Bithynia Ora-* Cap. 2.
torias Literas accitus docerem, contigissetque eodem tempore ut Dei Templum everteretur, duo exstiterunt ibidem, qui jacenti & abjectæ Veritati, nescio utrùm superbiùs, an importuniùs insultarent, quorum alter Antistitem se Philosophiæ profitebatur; verùm ita vitiosus, ut continentiæ Magister non minùs avaritia, quàm libidinibus arderet. In victu tam sumptuosus, ut in Schola virtutis adsertor, parcimoniæ paupertatisque laudator, in Palatio pejus cœnaret quàm Domi. Hic fuit omninò Porphyrius. Nam hunc & ejus Magistrum Plotinum, & Discipulum Jamblycum, fuisse Platonicæ Philosophiæ successivè principes, testatur in octavo Libro de Civitate Dei etiam S. Augustinus. Porphyrii hypocrisim, Cap.12.
facinora & flagitia exponit Lactantius, ac pergit: *Eodem tempore, quo justus Populus* per Imperatoris Diocletiani persecutiones *lacerabatur, tres Libros evomuit contra Religionem nomenque Christianum: Professus ante omnia, Philosophi officium esse, erroribus hominum subvenire, atque illos ad veram viam revocare, id est, ad cultum Deorum, quorum Numine & Majestate, ut ille docebat, Mundus gubernetur, nec pati homines imperitos quorumdam fraudibus illici, nè simplicitas eorum prædæ ac pabulo sit hominibus astutis. Itaque se suscepisse hoc munus Philosophia dignum, ut præferret non videntibus lumen sapientiæ, non solùm ut susceptis Deorum cultibus resanescant, sed etiam ut pertinaci obstinatione deposita corporis Cruciamenta devitent, nec sævas membrorum lacerationes frustrà perpeti velint.* Facta sunt hæc Christi Domini trecentesimo secundo, Imperatoris Diocletiani anno decimo nono: Tunc enim hic feralem carnificinam in Christianos exercuit, & omnes ipsorum Basilicas jussit everti, præserrim Nicomediæ, ubi eximium Palatium extruxerat, & passim habitabat. Hic degebat etiam Porphyrius; agebat Palatii Soricem, ac suarum libidinum expletionem venabatur. Hìnc belluinis Diocletiani in nos Edictis adulatus est, & ipsa justificaturus evomuit tres Libros blasphemiarum in nomen Christianum. Evomuit Christianam Religionem esse *impiam & anilem superstitionem.* Suidas affirmat non tres, sed decem & septem hujusmodi Libros evomitos. Et Cæsaræensis Eusebius nobis supradixit ipsum non apud Bithyniæ Metropolim Nicomediam, sed in Sicilia evomuisse. Et ex hac quasi discordantia scripsit forsan in secundo Retractationum Libro sanctus Augustinus Cap.31.
de quibusdam à Porphyrio propositis adversus Evan-

Evangelicam Fidem quæſtionibus: *Non eum eſſe arbitror Porphyrium, Siculum illum, cujus celeberrima eſt fama.* Porphyrium, quia in Sicilia ſcripſit, videtur cenſere Siculum, ac à Tyrio diſtinguere. Verùm fuit omninò unus & idem. Tres priores Libros apud Nicomediam, reliquos in Sicilia evomuit. Eiſdem de Libris S. Cyrillus, Alexandriæ Patriarcha, ſcribit in primo Libro adversùs Imperatorem ac Apoſtatam Julianum: *Porphyrius amarulentis Sermonibus nos inſectatus, Chriſtianæ Religioni tantùm non ſaltando illuſit.* Et infra: *Audax adverſum nos Porphyrius.* Eundem iſtic appellat *Patrem calumniarum.* Facinoroſæ blaſphemiæ
Lib. 3. cap. 19. radicem aperit Socrates: Porphyrius *Cæſareæ Paleſtinæ à quibuſdam Chriſtianis reprehenſus cum præ gravi, qua ardebat iracundia iſtud fere non poſſet, Religionem Chriſtianam deſeruit, & præ odio illorum, qui ipſum coarguerant, ad Libros conſcribendos, quibus Chriſtianos maledicè & contumelioſè perſtringeret, præceps ruit.* Addit ipſum in malè-dicendi impetu fuiſſe Præcurſorem Apoſtatæ Juliani, & hunc illius veſtigia tenuiſſe. Et meritò notat ejus iracundiam. Etenim in Magiſtri ſui Plotini vita ipſe de ſemetipſo ſcribit ſe adeò fuiſſe ſubjectum iræ, & ex ira præcipitem, ut aliquoties ſeipſum ſuſpendere pararit, ſed à Plotino fuerit impeditus. Hoccè igitur Monſtrum Chriſtiana Religio meritò evomuit. Nec ſinè fundamento S. Cyrillus ipſum appellavit *Patrem calumniarum.* Et de ipſo addit Lactantius: *Verùm hic*, utique Porphyrius, *pro ſua inanitate contemptus eſt, qui & gratiam, quam ſperavit, non eſt adeptus, & gloria, quam captavit, in culpam reprehenſionemque converſa eſt.* Dicto Baſilicarum everſarum anno Magni Conſtantini Pater Conſtantius Chlorus erat Cæſar, & biennio poſt factus eſt Auguſtus, & cum Galerio Maximino diviſit Imperium. Et Chriſtianam Religionem, licet amplexus non fuerit, fovit tamen & dilexit. Hinc cum ſuis calumniis Porphyrium opinor ab illo fuiſſe ſpretum & compreſſum. Quod ejus Judicium Filius Conſtantinus, iſtius Sæculi anno ſexto factus in Imperio Succeſſor, firmavit & ſtabilivit. Et hìnc in rabiem actus audax Apoſtata ſcripſit etiam in Juvenem Principem, & notavit de Tyrannide; & pro ſuo fundamento adduxit ejus Patriam Britanniam, antiquam Matrem Tyrannorum. Et hìnc patet Conſtantinum fuiſſe non Bithynium aut Drepanenſem, ſed Britannum. Aſt in eum, qui proſcribere poteſt, periculoſum eſt ſcribere. Etenim & Divinæ & humanæ Majeſtatis effrontem Calumniatorem Conſtantinus proſcripſit & deportavit. Et gloriam, quam ille captavit, convertit in culpam & reprehenſionem. Omnes ejus Libros damnavit ad ignem. Non igitur ſanctiſſimam Trinitatem, ſed Chriſtianam Religionem Porphyrius ſtuduit evertere: Debachari etiam auſus in ipſum Principem. Eadem omnia attentavit Arius. Nam quod & in Magni Conſtantini Majeſtatem vomuerit contumelias, eſt ſuprà monſtratum. Et addidit blaſphemum bellum in ſanctiſſimam Trinitatem. Conatus eſt Gentiliſmum fucare Chriſtiano nomine, & reducere. Hìnc & ipſum, & ejus ſequaces Magnus Conſtantinus rectè juſſit appellari Porphyrianos, & eoſdem per omnia pœnis mulctavit.

Notanda ſunt Conſtantini de Porphyrio verba: *Nefarios libros nuper edebat.* Conſtantinus hæc ſcripſit Chriſti Domini anno trecenteſimo vigeſimo quinto. Quo præcisè anno deportavit, ignoro. Hinc interim noſci poteſt ætas Porphyrii. Ipſum fuiſſe Tyrium, genere nobilem, & Longini Philoſophi diſcipulum affirmat Eunapius Sardianus, & adjungit: *Porphyrio nomen initio fuerat Malotius, quod Syrorum lingua Regem ſonat, ſed det orta appellatione ad Purpuram, Regium in veſtimento inſigne, Porphyrium veluti purpureum nominavit Longinus.* Addit juvenem bis Romæ fuiſſe, Plotini auditorem. De decimo Imperatoris Galieni, ſuæ ætatis trigeſimo, adeoque Chriſti Domini ducenteſimo ſexageſimo quarto anno veniſſe Romam ſcribit ipſe Porphyrius in vita Plotini. Proinde Chriſti Domini anno trecenteſimo vigeſimo quinto, ſi vixerit, habuit annos nonaginta & unum. Ad extremam ſenectutem veniſſe teſtatur Eunapius. Et ad Chriſti Domini annum trecenteſimum trigeſimum ſcribit in Euſebiani Chronici Supplemento S. Hieronymus: *Porphyrius, miſſo ad Conſtantinum inſigni Volumine, exilio liberatur.* Quod ſi ſit idem Porphyrius, habuit tunc annos nonaginta ſex. At videtur fuiſſe alius. Etenim in D. Cardinalis Cæſaris Baronii Compendio ſcribit Henricus Spondanus, Apameenſis in Gallia Epiſcopus: *Fuit Publius Aptatianus Porphyrius Poeta, cujus exſtat ad Conſtantinum Imperatorem Carmen Panegyricum de laudibus ejus ac Criſpi Filii, ejuſque beneficio revocatus eſt ab exilio, quo multatus fuerat, ut habetur in Chronico Hieronymi. Egit quoque de illo Baronius in Tomo tertio poſterioris editionis, retractans quod priori eum confuderat cum Porphyrio Platonico, de quo hìc agitur. Nam & alioquin hunc impium Philoſophum non ultra Diocletiani tempora vitam extendiſſe, auctor eſt Suidas.* Quidquid ſit, etiam Apoſtata Porphyrius fuit ab exilio liberatus. Lucet ex Eunapio: *Porphyrius videtur extremam ſenuctutem attigiſſe, quo factum, ut multas reliquerit obſervationes Libris priùs à ſe editis repugnantes, de quibus non poſſum aliter exiſtimare, quàm quod ætatis progreſſu ſententiam mutarit. Romæ vitam cum morte commutaſſe dicitur.* Ab exilio liberatus. Ejus tædio mutavit ſententiam: Omnia, quæ in Chriſtianam Religionem & Imperatorem Conſtantinum vomuerat, circumduxit & exufflavit. Et iſtud Opus periit. Quidquid Suidas ſcribat, vixit ille ultra Diocletiani Imperium. Quomodò enim Diocletianus tantæ ſuæ tyrannidis purgatorem deportaſſet? Et in laudato, quod vigeſimo Imperii anno Conſtantinus emiſit, adversùs Arium Edicto palàm aſſerit Porphyrium fuiſſe à ſe caſtigatum. Fol 302.

Iſtam ſui Dogmatis enormitatem Arius omninò norat, ideoque & de ipſo & de ejus Aſſeclis ſcribit in ſecunda Diſputatione ſanctus Athanaſius: *Et hoc ipſum*, horrenda dogmatis impietas, *illos nequaquam latitat, ac proinde vafriter occultant, & ſuppreſſis iſtiuſmodi ſententiis alia ac diverſiſſima vocibus ſonant. Nam ſi mentem eam verbis proderent, damnarentur: Si eam ſententiam foverent, ſuſpicione laborarent lapidandi ab hominibus, ſacrarum Literarum argumentis. Ideoque, ut filii ſæculi hujus, callidè ſuam lucernam accendentes ex oleaſtro, veritique nè celeriter extinguatur, abſconſam tenent ſub modio hypocriſis, longè alia ſonantes. Præſidia amicorum & Conſtan-*

tii

tii Terrorem deprædicant, adeo ut qui ad eos ingrediuntur, præ simulatione & illa Præsidiorum jactantia non videant Arii sordulentiam. Et in prima Disputatione: *Nè sustinueritis eos, qui contrà* Nicænam fidem *novis rebus student, etiamsi Dictiones ex sacris Literis scribant; nè sustinueritis hoc genus Scriptorum. Etiamsi voces Orthodoxæ Fidei loquantur, nè ita quidem loquentibus attendite. Non enim recto animo loquuntur, sed veluti indumentum Ovium hæc verba proferunt, intùs verò, quæ Arii sunt, sapiunt, quemadmodùm Hæreseon Princeps Diabolus; nam & ille loquebatur ex sacris Literis, & tamen æquè illis os obturatum est à Salvatore.* Pluribus istis ostendit quod blasphemas Arii voces omnis fidelis populus horresceret, & ad Lapides damnaret; ideoque Eusebiana præsertim Factio easdem etiam aversaretur, usitaret Orthodoxas sanctorum Patrum, immò & sacrarum Literarum voces, ipsas æquivocè acciperet, sub ipsis Arianorum virus, ut sub ovinis lanis lupum, nequiter occuleret, ac sic semet-ipsam damnaret. Eandem Arianam vafritiem notavit & damnavit sanctus Basilius, sanctus Hieronymus, ac sanctus Joannes Chrysostomus. Et de plena ipsorum Seleuciensi Synodo, ac ejus de Deo Verbo vocibus scribit in Magni Athanasii Encomio sanctus Gregorius Nazianzenus: *Hæc verba simplicioribus hominibus illecebra erant impietatis hamo circumjecta, Statua ad omnes trans-euntes se obvertens, communis utriusque pedis Cothurnus, Cribratio ad omnem ventum.* Hìnc istum Conventum adfirmat fuisse Caiphæ Concilium, in quo Deus Verbum fuit condemnatus. Istius Arianæ vafritiei scopum & radicem aperit in secunda Disputatione sanctus Athanasius: *Ista omnium Hæreseon ultima, & nunc recens egressa Ante-Ambulo & præcursatrix Anti-Christo, cui nomen est ab Ario, dolosa & vafra, cùm videret sorores suas, cæteras Hæreses ætate grandiores, publicè & palam probrosas haberi, speciem suam dissimulat, & sacrarum Literarum vocibus, quasi honesto cultu, induitur, ut Pater ejus Diabolus, ac denuò satagit intrare in Paradisum Ecclesiæ, quò sub specie Christianismi nonnullos seducat, ut credibilitate falsarum rationum persuasi contra Christum sentiant.* Hanc artem, licet Eusebiana præsertim factio usitaret, usitavit tamen & ipse impudens Arius. Suo loco lucebit ex ejus Actis in Nicæna Synodo, ac item post ipsam. Est antiqua Gnosticorum ars, quos fuisse dolosissimos Orthodoxarum vocum Usitatores adfirmat sanctus Iræneus. (Lib. 3. cap. 15.) Et in Libro de Carnis Resurrectione demonstrat Tertullianus. Quod artem hanc ab Arianis etiam didicerint Nestoriani, testatur publicatus per Jacobum Gretserum Anastasius Sinaita. Ejus callentissimi fuerunt omnes Hæretici, præsertim Origenistæ & Pelagiani. Nec dubitandum, quin ipsam ex Origene Arius hauserit. De cunctis generatim Hæreticis scribit ad Romanos Apostolus: (Cap. 16.) *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Utì insidiantes lupi ovinas Lanas sibi adsuunt, & utì Venefici sua toxica melle & sacaro obvoluunt, ità Hæretici scelerata sua Dogmata orthodoxis fucant vocibus, atque ita capiunt simplicem Populum, & illius, quem capere non possunt, evadunt lapides. Fidelis enim Populus horret ad omnem blaspemiam, ad omnem vocum novitatem.

Et harum blasphemiarum Arius non fuit primus auctor. Etenim quod sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi tempore *Trinitatis Divinitatem* quidam scinderent, quidam contraherent, testatur in ejus Encomio sanctus Gregorius Nazianzenus. (Orat. 18) Immò in tertia contra Arianos Oratione Magnus Athanasius adfirmat ipsos delirare cùm Marcione, Basilide & aliis Gnosticis, & esse horum æmulatores, ob duas caussas. Primò, quia cùm istis variam Divinitatem fabulentur, & falsos Deos. Secundò, quia Deum Verbum garriunt creatum, & simul per ipsum creata reliqua omnia, atque ita creandi virtutem, quæ soli Supremæ Majestati competit, impiè derivant in creaturam. Nam & hæc est fabula Gnostica. Eadem in Oratione Athanasius adfirmat, quod Ariani se Manichæis æmulos præbeant, & dat caussam: *Ita per omnia in tenebris volutantur, dum & veram Sapientiam abnegatam volunt, & eam, quæ non est, indagant, alium, sicut Manichæi, Deum sibi comminiscentes, & verum Deum inficiantes.* Quia nempè etiam cum Manichæis fabulantur duos Deos. Etiam in Libro de Ariminensi ac Seleuciensi Synodo scribit: *Quasi nescirent Ariani hæresim istam etiam antè Nicænum Concilium fuisse abominabilem, quo tempore Artemas ejus fundamenta faciebat, & ante Artemam ęquè abominabilem sub Caipha & Pharisæorum Concilio fuisse.* Rursùs adfirmat Arianam blasphemiam esse Judaicam perfidiam. Artemæ seu Artemonis hæresim exponit in Ecclesiastica historia Cæsaræensis Eusebius, & demonstrat ipsum non circà Sacro-sanctæ Trinitatis Consubstantialitatem, sed circà Divinæ Incarnationis veritatem errasse: Fuisse præcursorem Nestorii, ac Dominicę Personæ divisorem. Quod tamen etiam priorem veritatem tentarit, magno Athanasio, cujus auctoritas irrefragabilis, est omninò credendum. Et in secundo Hæreticarum Fabularum Libro consonat Theodoretus: *Artemas Dominum nostrum JESUM CHRISTUM dixit nudum hominem esse natum ex Virgine, Prophetis virtute præstantiorem.* Hoc posterius videtur Arium sapere. Arium etiam cum Paulo Samosatensi sentire dicit sanctus Athanasius, eadem ratione. Etenim Paulus resuscitavit Artemam, Dominicam Personam dividens, & circà Sanctissimæ Trinitatis Consubstantialitatem est secutus Sabellium, ita tamen ut quid Arianismi admiscuerit. Suo loco exponetur. Attamen hoscè Errones Nazianzenus Gregorius, ubi Arii Præcursores scripsit sancti Cypriani tempore grassatos, non respexit. Omninò respexit Origenem. Hic enim fuit isto tempore, & est verus fons Arianæ perfidiæ, verus dux & seductor Arii. Etiam Macedonii. Lucet ex sancti Athanasii ad Serapionem Episcopum Literis, demonstrantibus Spiritum Sanctum non esse creaturam. Ist-hæc Macedoniana Factio adfirmat Spiritum Sanctum non Deum esse, sed primum Angelorum. Et hęc sunt commenta Origenis. Ipse est fons plurium Hæreseon.

His nostris Adsertionibus obstare videtur sancti Augustini Auctoritas, affirmans ipsos etiam ante Domini Resurrectionem Apostolos, & Mariam Magdalenam post ipsum resuscitatum laborasse quasi simili errore. At verò omnes isti tunc justi erant, atque ita iste error non evertit Justitiam: Videtur esse quæstio, circà quam possit quisque in suo sensu abundare. Assertionem suam S. Augustinus

stinus probat ex sancti Philippi ad Dominum verbis: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Scribit enim ad illa in Sancti Joannis Evangelistæ Commentario: *Putantes adhuc Discipuli, quia Pater aliquid majus est quàm Filius, videntes carnem, & non intelligentes Divinitatem, dixerunt ei, Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: Et hinc respondit Dominus: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Respondit se Patri per omnia æqualem. Etiam in alio Tractatu scribit de eisdem verbis: *Ideo Discipulum Magister arguebat, quoniam cor postulantis videbat: Tanquam enim melior esset Pater quàm Filius, ita Philippus Patrem nosse cupiebat, & ideo nec Filium sciebat, quo melius aliquid esse credebat.* Ibidem tamen demonstrat non omnes Apostolos, sed solum cum quibusdam Philippum errore isto laborasse. Eundem errorem notat in Maria Magdalena, & quidem post Dominicam Resurrectionem, ac probat ex his resuscitati Domini ad ipsam verbis: *Noli me tangere, necdum adscendi ad Patrem meum.* Hæc ita commentatur: *Aut ergo sic dictum est, noli me tangere, nondum enim adscendi ad Patrem meum, ut in illa fœmina figuraretur Ecclesia de Gentibus, quæ in Christum non credidit, nisi cum adscendisset ad Patrem: Aut sic in se credi voluit JESUS, hoc est, sic se spiritualiter tangi, quod ipse & Pater unum sint. Is quippe intimis sensibus quodammodo adscendit ad Patrem, qui sic in eo profecerit, ut Patri agnoscat æqualem: Aliter non rectè tangitur, id est, aliter non rectè in eum creditur. Poterat autem sic credere Maria, ut eum putaret imparem Patri, quod utiquè prohibetur, cum ei dicitur, Noli me tangere. Hoc est, noli in me sic credere, quemadmodum adhuc sapis. Noli tuum sensum huc usque pertendere quod pro te factus sum, nè non transire valeas ad id, per quod facta es. Quomodò enim non carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat? Nondum enim adscendi, inquit, ad Patrem meum. Ibi me tanges, quando me credideris Patri non imparem Deum.* Respondeo istum errorem omnibus Apostolis non fuisse communem. Etenim sanctus Petrus, dum Dominum & Magistrum suum professus est Filium Dei vivi, non ex opinione Carnis aut Sanguinis, sed ex Divina Patris revelatione locutus est, & posuit fundamentalem Petram, suprà quam Dominus ædificavit Ecclesiam. Quin & istam professionem omnes Apostoli comprobarint. Nam & in Dominum, dum apud Canam Galilææ fecit ex aqua vinum, omnes crediderant, atque ita plenam ejus Divinitatem agnoverant. At quis nesciat ipsos usque ad Spiritus Sancti adventum fuisse minùs peritos? Hinc in quibusdam Error, aut cespitatio in errorem. At aliud est Hæresis, aliud etiam circa palmare Dogma error: Et hic, licet non sit plenè innoxius, non tamen evertit omnem justitiam, quæ tunc in Apostolis consistebat plùs in peccatorum remissione, quàm in perfectione virtutum. Porrò Arius non ex imperitia aut simplicitate, sed ex obstinatissima contumacia, ac inde nata mentis cæcitate lapsus est, atque ita fuit sceleratissimus Hæresiarcha.

Tract. 14.

Tract. 121.

CAPUT XV.

Arii circa Sanctissimam Trinitatem Errores Enumerantur.

HOscè errores enumerat in prima adversus Arianos Disputatione sanctus Athanasius: *Beatissimus Episcopus Alexander Arium hæc sententem, & pariter verbis profitentem, ab Ecclesia ejecit: Non semper Deus erat Pater, non semper Filius. Nam cùm omnia sint ex nihilo, etiam Dei Filius ex nihilo emersit. Et cum omnia sint condita, ipse quoque conditum quiddam & opus haberi debet. Et cùm omnia priùs non essent, sed postea exstiterint, fuit profectò cum Verbum non erat. Et quia non erat, antequam fieret, principium existendi habuit: Tum enim exstitit, cùm Deus eum conditum voluit. Nam inter omnia ejus, ipse quoque connumerandus est, qui natura mutabilis fuit, sed libero arbitrio bonus remansit. Et quia pro voluntate sua verti & mutari potuit, ut reliqua omnia; ideò Deus, cum præcognosceret illum bonum fore, maturavit ut illi hanc gloriam daret, quam postea ex virtute meriturus fuisset, ut qui de opere suo, quale futurum esset, præscientiam haberet. Id quoque dicunt; Non Deum verum esse Christum, sed Deitatis participatu Deum factum, eadem ratione qua cæteri quoque Dii appellantur. Etiam id quoque addunt; Eum non natura in Patre existere, nec esse proprium ejus substantiæ Verbum, nec propriam Sapientiam, in qua Mundum istum creavit; sed in Patre esse aliud proprium & peculiare Verbum, aliamque item propriam Sapientiam, in qua Sapientia istud Verbum fecit. Atque adeo ipsum Dominum Christum respectu Rationalium, quæ verbis utuntur, Verbum esse nuncupatum: Et respectu & comparatione Sapientum esse dictum Sapientiam. Quin immò ut omnia aliena ac diversa sunt à Patris substantia, ita ipsum quoque per omnia diversum atque alium esse à Patris substantia, sed ex genitis & conditis ipsum proprium & unicum Patri Filium & Sapientiam esse: Eumque & creaturam esse, & Opus Dei. Rursùs idem ait, Deum non nos propter illum, sed illum propter nos condidisse. Erat enim, inquit, solus Deus, nec erat Verbum cum eo. Deinde cum vellet nos procreare, tunc quoque istum procreavit, quem, postquam genitus est, appellavit & Verbum, & Filium, & Sapientiam, ut nos per eum conderet: Et ut omnia voluntate Filii subsstiterunt, cùm antea non essent, ita quoque ipse voluntate Dei, cum antea non esset, exstitit. Non enim est Patris proprius & naturalis fœtus Verbum, sed & ipsum gratia exstitit. Addit insuper Deum, qui erat, Filium, qui non erat, voluntate fecisse, condidisse, creasse, & existere voluisse. Quin & hoc quoque jactant, Christum non esse naturalem & veram Dei Potentiam; sed sicut Erucæ & Bruchi appellantur Potentiæ Omnipotentis Dei, ita ipsum quoque appellari Potentiam Patris. His adjecerunt Patrem esse Filio ineffabilem & arcanum, neque integrè & exactè posse Patrem conspicere & cognoscere. Dum enim essendi exordium habeat, non potest eum, qui essendi exordio caret, cognoscere, sed quod cognoscit & videt, id juxtà suæ mensuræ & capacitatis proportionem cognoscit & videt.* Quem-

Quemadmodum nos, qui singula pro viribus nostris cognoscimus & videmus. Etiam illud inter cætera adjunxit, Filium non solùm non exactè cognoscere Patrem, sed nè suam quidem ipsius substantiam plenè cognitam habere. Eadem sanctus Athanasius repetit in secunda Disputatione: *Fugienda, & impietatis plena, quæ in* Thalejæ *libro continentur, sunt ista: Non semper Deus erat Pater, sed fuit quando Deus solùm erat, & Pater nondùm erat. Posteriùs autem factus est Pater: Non semper fuit Filius, ipsumque Dei Verbum ex nihilo factum est. Cùm enim omnia ex non Entibus exstiterint, & in universum nihil sint, nisi creaturæ & opera, restat igitur ipsum quoque Dei Verbum ex non Entibus esse factum; Et fuit, quando non erat: Neque erat antequam fieret, sed exordium, ut crearetur, etiam ipsum habuit. Erat enim, inquit, solus Deus, necdum erat Verbum & Sapientia. Deinde cum vellet Deus nos condere, tunc unum aliquem fecit, quem Verbum, Sapientiam, & Filium nominavit, ut per ejus operam nos architectaretur. Minimum certè duas Sapientias statuit: Unam quidem propriam, & coexistentem cum Deo, & Filium verum ex ista Sapientia ortum traxisse, ac tum demum, cum ejus Sapientiæ particeps factus esset, nomine-tenus appellari Sapientiam & Verbum. Sapientia enim illa huic Sapientiæ initium præbuit Dei voluntate; Et ita alterum Verbum esse dicit in Deo præter Filium, & hunc illius participem factum, appellari deinde per gratiam Verbum & Filium. Hæc autem peculiaris istius Hæresis sententia multas esse Potentias, & unam esse Dei propriam naturam, eamque æternam; Christum contrà non esse veram Dei Potentiam, sed unam ex vulgo earum, quæ Potentię appellantur, quales sunt locusta & eruca, eumque non simpliciter potentiam, sed Potentiam magnam appellari: Alias verò multas esse & similes Filio, & Davidem de iis mentionem facere, dum inquit, Dominus Potentiarum; & ut omnes ex natura sua, ita quoque ipsum Verbum mutabilitati obnoxium esse, ac in libero ejus arbitrio fuisse, quamdiu velit, bonum permanere, ejusque voluntatem more nostro mutari potuisse, cum fuerit mutabilis natura. Eaque de caussa, cùm Deus præcognosceret eum bonum futurum, anticipando illi hanc gloriam dedisse, quam homo postmodum ex virtute mereretur, & quasi jam tum exstarent ejus opera, quæ providebantur à Deo, talem eum jam statim voluit fieri. Idem rursùs ausus est dicere Verbum non esse verum Deum. Nam quamvis Deus nominetur, non tamen verum Deum existere, sed gratiæ participatu talem fieri, ut reliquos omnes, sic & ipsum titulo tenùs Deum vocari. Et ut omnia, quæ longè diversa sunt, ac nequaquam Deo similia, quantùm ad naturam attinet; ita quoque & Verbum aliud ac diversum esse, per omnia dissimile Patris substantiæ ac æternitati. Sed tamen inter creata, eorum comparatione, proprium id & unicum Verbum existere. Præter ista autem, veluti successor temeritatis Diaboli, in suis Bacchanalibus posuit Patrem esse Filio abditum, neque eum ab illo aut videri aut cognosci posse ad plenum & exactè, sed quod cognoscit & videt, id intelligere pro mensura & ratione suarum virium, ut nos quoque intelligimus pro modulo nostrarum facultatum. Nam & Filius, inquit, non solùm Patrem non exactè cognoscit, utpote impotens ad comprehendendum, sed nè ipse quidem Filius suam ipsius substantiam cognitam habet. Rursùm divisas & disunitas esse, disjunctas, alienas, ac vicissim incommunicabiles Patris, & Filii, & Spiritus Sancti substantias, & prorsus omnibus modis inter se dissimiles ratione substantiæ & gloriæ usque in infinitum. Certè Verbum, quantùm attinet ad substantiæ & gloriæ similitudinem, dicit esse aliud & omninò diversum ab utroque, & Patre & Spiritu Sancto. Has voces impius ille emittit. Et Filium ex natura sua divisum esse, & Patris minimè participem adseverat. Hæc sunt Capita Fabellarum, quæ in ridiculo Arii Opere invenias.*

Primus itaque Arii blasphemus error est in his verbis: *Non semper Deus erat Pater, sed fuit, quando Deus solùm erat, & Pater nondum erat. Posteriùs autem factus est Pater.* Erroris fundamentum exponit in tertia Theologica Oratione Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Pater vel Essentiæ vel Actionis nomen est. Si Essentiæ nomen esse dixerimus, assentiemur, ut* Ariani *existimant, Filium diversam à Patre habere Essentiam; quandoquidem una sit Dei essentia, quam Pater, ut censent, jam ante occuparit. Sin autem Actionis, creatum esse fatebimur, non genitum. Ubi enim est agens, illic quoque omninò id, quod agitur, esse necessè est.* Arius vocem, *Pater*, censuit esse ejusdem formæ cum voce, *Creator.* Etenim Divina Majestas fuit Deus, antequam Creator esset. Creator esse non cæpit, nisi in exordio creaturæ & temporis. Arius Filium censuit non genitum, sed factum; non generatione, sed creatione productum; esse veram nobis similem creaturam. Hinc adfirmat non semper fuisse Patrem, sed fuisse quando Deus dumtaxat erat, & non Pater. Et contra istum Errorem in solemni ad suum Populum Concione dixit sanctus Alexander Patriarcha Alexandrinus: *Semper Deus, semper Filius. Simul Pater, simul Filius. Cum Deo Ingenito Filius perpetuò existit, semper genitus, ab Ingenito genitus. Neque cogitatione, neque momento ullo Deus Filium antecedit. Semper Deus, semper Filius, ex ipso Deo Filius.* Et hisce Veritatibus adsentiri nolentem Arium degradavit, & Civitate ejecit. Ita ipse Arius queritur in Literis, apud sanctum Epiphanium exstantibus ad Eusebium Episcopum Nicomediensem.

(Orat. 35) (Hæref. 69. c. 6.)

Eundem Errorem notat & damnat in Literis ad sanctum Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum sanctus Alexander Alexandriæ Patriarcha, post expositum, qui Deum Verbum blasphemabat esse ex non Entibus, capitalem Arii errorem adjungens: *Quare cum à pietate alienissima deprehensa sit illa ex non Exstantibus suppositio, necessariò sequitur Patrem semper fuisse Patrem. Pater autem est semper præsente Filio, per quem Pater vocatur. Semper autem illi præsente Filio semper est Pater perfectus, & quem nulla boni pars deficiat, qui non in tempore, neque ex intervallo, neque ex non Exstantibus Unigenitum Filium genuit.* Exstat Epistola apud Ecclesiasticam Theodoreti historiam. Idem Scriptor Synodalibus Sardicensis Concilii Literis hæc subnectit: *Profitemur neque Patrem sine Filio, neque Filium fuisse unquam sine Patre, nec esse posse quod est Verbum sine Spiritu. Absurdissimum namquè est dicere aliquando Patrem non fuisse Patrem. Et Patrem sine Filio neque nominari, neque esse posse, ipse Filius testatur.* Scio Additamentum hoc non esse Synodale: Est tamen Orthodoxum, & nobis edicit Eusebianam factionem usque tunc in isto fædissimæ Blasphemiæ luto per-

(Lib. 1. cap. 3.)

tinaeem constitisse. Postmodò tamen ipsam, quod fidelis Populi aures non tolerarent, etiam anathemate damnarunt. Verùm dolosissimè. Insigniter id demonstrat Vasensis Synodi ad Syrmiensem Conventum Epistola, composita à sancto Phæbadio Episcopo Agennensi.

Secundus, omnium aliorum radix & fundamentum, Arii error est in his verbis: *Et ipsum Dei Verbum ex nihilo factum est. Cum enim omnia ex non Entibus exstiterint, & in Universum nihil sint, nisi Creaturæ & Opera, restat ipsum quoque Dei Verbum ex non entibus factum esse. Et fuit, quando non erat, neque erat antequam fieret, sed exordium, ut crearetur, ipsum etiam habuit. Erat enim solùm Deus, necdum erat Verbum & Sapientia. Deinde Deus, cum vellet nos condere, tunc unum aliquem fecit, quem Verbum, Sapientiam, & Filium nominavit, ut per ejus operam nos architectaretur.* Hæc est sceleratissima blasphemia, ad quam in Nicæna Synodo auditam cuncti Patres obturarunt aures, & adversùs quam posuerunt in Fidei Symbolo: *Eos qui dicunt, erat aliquando quando non erat, & quia ex iis, quæ non sunt, factus est FILIUS DEI, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* Et ipsam etiam post laudatum Concilium Ariani dudum fuerunt pertinaciter tutati. Etenim adversùs Imperatorem Constantium scripsit in primo sancti Athanasii Apologetico Libro Lucifer Calaritanus Episcopus: *Catholicam dicis Fidem illam, quæ dicat Deum non habere verum Filium, quæ dicat fuisse, quando non fuerit, quæ dicat factum ex nihilo.* Et in secundo Libro: *Mutabis, Constanti, vias tuas, si anathema feceris dicentibus: Erat, quando non erat, & factus est ex nihilo.* Et in Libro de Regibus Apostaticis: *Tu, Constanti, cum dicis, Christianus sum, sed non credo Deum habere verum Filium, cum dicis, Filium factum ex nihilo, cum dicis fuisse quando non fuerit, melius tu sacrificas Diabolo, quàm Rex Manasses, quando filios suos omnibus Dæmoniis per ignem consecrabat.* Quod ipsum assiduè repetit in aliis Libris. Est Arii error fundamentalis. Hinc de ipso ad sanctum Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum scripsit sanctus Alexander Patriarcha Alexandrinus: *Animum erexi, ut Arii & Complicum infidelitatem vobis patefacerem, qui dicunt, erat, quando non erat Filius Dei, & postea factus est cùm antea non existeret. Talis factus, quandocumque est factus, qualis quisque homo. Omnia enim ex non exstantibus, inquiunt, fecit Deus, in omnium vel rationalium vel irrationalium creatione Filium etiam Dei comprehendentes.* Addit quod ex isto Principio etiam garrierint Deum Patrem non semper fuisse Patrem: Fuisse quando Deus dumtaxat erat, & non Pater. Et ob has sceleratissimas blasphemias fuisse à se damnatos. Blasphemiis S. Alexander publicè in Ecclesia opposuit has avitas Patrum voces: *Semper Deus, semper Filius. Simul Pater, simul Filius. Co-existit Ingenito Deo Filius. Semper genitus est. Ingenito genitus est, nec cogitatione, nec momento ullo Deus Filium antecedit. Semper Deus, semper Filius, ex ipso Deo est Filius.* Has Alexandri voces damnatus Arius acerbissimè accusavit apud Eusebium Nicomediensem Episcopum, Bithyniæ Metropolitam, & adjunxit: *Et quoniam Eusebius, Cæsareæ apud Palestinas Metropolita Episcopus, frater tuus Theodotus* Laodicensis in Syria Episcopus, proximus Antecessor scelerati Georgii, *Paulinus*, Tyri Episcopus, Metropolita Phæniciæ, *Athanasius*, Anazarbi in Cilicia Episcopus, *Gregorius*, Berytensis in Phænicia Episcopus, *Ætius*, Liddensis Episcopus in Palestina, *& omnes Orientales Deū Patrem affirmant sine Principio ante Filium existere, anathemate damnati sunt, exceptis Philogonio*, Beerhænsi tunc in Syria Episcopo, postea sanctissimo Antiochiæ Patriarcha, *Hellanico*, Tripolitano in Syria Episcopo, *& Macario* Hierosolymæ Episcopo, *Hæreticis hominibus, & Fidei rudimentorum ignaris, quorum est qui Filium Eructationem appellat, alius Protrusionem, alius Co-ingenitum. Quas quidem impias voces, nè auribus quidem admittere possumus, etiamsi mille mortes nobis intentent Hæretici. Nos verò quid dicamus, quid sentiamus, & docuimus & docemus. Quod Filius videlicet non sit Ingenitus, nec Ingeniti Pars ullo modo, neque ex subjecta quaquam materia, sed quod voluntate & consilio ante tempora & ante sæcula substiterit plenus Deus, Unigenitus, Immutabilis, qui antequam gigneretur, seu crearetur, aut decerneretur, seu fundaretur, non erat. Non genitus siquidem non erat. Insectantur nos, quia diximus: Principium habet Filius, Deus autem principio caret. Hac de causa nos vexant, & quia diximus: Ex non Exstantibus, quod idcircò diximus, quia neque Dii pars est, neque ex subjecta ulla materia. Hac de causa nos vexant. Reliqua tu nosti.* Sceleratus homo in sua blasphemia fuit adeò durus, ut non dumtaxat Degradationem, sed & mille mortes sufferre maluerit, quàm isti valedicere. Et sanctissimos istius sæculi Episcopos, ac Eminentissimos Evangelicæ Doctrinæ Gigantes, Philogonium, Macarium, & Hellanicum, blateravit primorum etiam rudimentorum imperitos. Nempe superbus & contumax Hæreticorum spiritus semper spernit ac maledicit.

Eandem blasphemiam contumacissimè defenderunt etiam alii omnes per Arium seducti Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyteri ac Diaconi, nec non & Secundus Ptolomaidis in Pentapoli Metropolita, Theonas Marmaricensis in Sicca Libya Episcopus, ac Pistus, monstrosus ac histrionicus Alexandriæ Patriarcha. Lucet ex eorum ad S. Patriarcham Alexandrum contumeliosa Epistola, exstante apud sanctum Epiphanium, ac apud sanctum Athanasium in Libro de Seleuciensi ac Ariminensi Synodis: Hæres. 69. c. 7. 8 *Fides illa, quam & à Majoribus accepimus, & à te didicimus, Beatissime Papa, ejusmòdi est. Credimus unum Deum, solum Ingenitum, solum Æternum, solum Principio carentem, solum verum, solum Immortalem, solum sapientem, solum bonum, solum Præpotentem, solum Judicem, omnium Moderatorem & Administratorem, immotum & immutabilem, justum, bonum, Legis & Prophetarum, ac Novi Testamenti pariter Deum; qui Unigenitum Filium ante sempiterna tempora genuit, per quem & sæcula & reliqua omnia procreavit. Genuisse porrò dicimus re-ipsa, non specie tenùs, ac subsistentem illum suaptè voluntate condidisse; ejusmodi ut neque converti, neque mutari possit. Perfectam Dei creaturam, sed non tanquam rerum creatarum aliquam. Fœtum itidem, sed non tanquam unum è cæteris. Nec quemadmodum Valentinus adseverabat, Emissionem quamdam esse illum Patris fœtum; aut ut Manichæus eundem illum* Patris *fœtum dixit esse partem Patri Consubstantialem. Neque ut Sabellius, qui* Uni-

Unitatem divisit, & Filium Patrem appellavit. Non item ut Hieracas Lucernam è Lucerna, aut Lampadem in duas partes divisam. Neque verò ejusmodi, ut cum priùs fuisset, postea sit genitus, ac denuò creatus in Filium. Quemadmodum tu ipse, Beatissime Papa, media in Ecclesia & Consessu sæpènumero, qui hæc adsererent, refutasti. Sed, ut diximus, Dei voluntate ante tempora & sæcula omnia creatum, ut viveret atque esset, à Patre accepisse confitemur: Adeò ut eadem illa creatione gloriam ei Pater ac splendorem contulerit. Neque enim existimandum est, Patrem, cùm omnium ei rerum possessionem traderet, sibi ipsi, quod ingenita quadam in se ratione continebat, ademisse. Fons enim ille est omnium. Quam ob rem tres sunt Hypostases: Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Et quidem Deus, cum rerum omnium causa sit, solus ex omnibus est Principii expers. Filius verò sine tempore genitus à Patre, & ante sæcula creatus ac fundatus, priusquam gigneretur non fuit. Sed sine tempore & ante omnia genitus, solus à solo Patre productus est. Non enim æternus aut co-æternus est, nec cum Patre ingenitus. Neque cùm Patre exstitit, ut nonnulli de his, quæ ad aliud referuntur, affirmant, qui Ingenita duo Principia constituunt. Verùm sic tanquam Unitas & Principium omnium ante omnia Deus est. Quare etiam ipso Christo prior est, ut à te didicimus, cum id media in Ecclesia prædicares. Igitur quatenùs à Deo, ut esset, consecutus est: Nec non & vitam & splendorem, cæteraque quæ in ipsum collata sunt. Hac ratione Deus est illius Principium. Est enim illo prior ac Princeps, utpote Deus illius, qui ante ipsum fuerit, à quo etiam ille prodierit. Quod si ejusmodi loquendi rationes: Ex utero, & à Patre exivi, & venio, *quasi Consubstantialis Partem, aut Emissionem cùm nonnullis accipiamus, compositus erit ac divisibilis Pater, & mutabilis, imò illorum opinione corpus, & quò-ad in ipsis est, quæ corpori consentanea sunt, patietur expers corporis Deus.*

Deum Verbum esse ex nihilo seu ex non Entibus creatum, & aliquando fuisse, quando ille non fuerit, defendunt pertinacissimè, & addunt solum Deum esse Ingenitum, æternum, carentem Principio, verum, immortalem, Præpotentem, hujus Mundi Dominum & Rectorem. Quod nempe ista omnia Attributa facto & creato Deo Verbo con competant. Et adseverare non erubescunt hanc esse Majorum Fidem, traditam sibi, & publicè & frequenter in Ecclesia prædicatam ab ipso etiam sancto Alexandro Patriarcha Alexandrino. Adeò impudenter non erubescunt calumniari. Quod nempe Sanctissimus Patriarcha prædicasset Patrem esse Filii Principium, Originem, & Autorem, Filium autem ab ipso genitum, ex ipso processisse, & accepisse sua omnia. Porrò ab istis effrontibus, qui proprium à quo damnati, Patriarcham audent ita criminari, denigratum fuisse etiam Doctorem Orthodoxum ac Martyrem Lucianum. Laudata Attributa non Patri adscribunt, sed Deo. Nempe Deum credidere non semper fuisse Patrem, ideoque Patrem non esse æternum, sed cæpisse cùm creatione Verbi. Etiam vocem, *Consubstantiale*, oderunt, & variè accusarunt. Primò, quod esset Inventum Manichæi. Secundò, quod importaret ejusdem Substantiæ in partes Dissectionem, aut certè partis ex parte Emissionem, adeoque Divinam Essentiam faceret compositam, divisibilem, mutabilem, atque corpoream. Quibus argumentis eandem Vocem pertinacissimè impugnavit Factio Eusebiana. Sunt argumenta ab Ario inventa. Et hæc est palmaris ratio, cur istam Vocem suo Symbolo indiderit Nicæna Synodus. Eam ipsa non excogitavit, sed solummodò defendit, ac in Fidei Canonem admisit adversùs primitivam Arii Factionem. Quod ipsa antiquus & venerandus Ecclesiæ Scriptor Theognostus fuerit usus, testatur in Libro de Nicænæ Fidei Decreto, ac in Sermone de non dicenda in Sanctum Spiritum blasphemia sanctus Athanasius. Quo sensu Hieracas dixerit, Filium ex Patre, uti Lucernam ex Lucerna, procedere, non plenè scio. Certè de ipso scribit S. Epiphanius: *De Patre, Filio, & Spiritu Sancto non eadem cùm Origene sentit. Quin potiùs & à Patre Filium revera genitum, & Spiritum Sanctum credit à Patre procedere.* Quidquid sit, dictæ voces: *Lucerna ex Lucerna*, si recto sensu sumantur, sunt admodùm rectæ atque Catholicæ. Nam Nicæna Synodus suo Symbolo inseruit: *Lumen de Lumine.* Haud dubiè adversùm hæc Arii argumenta. Et quod ejus Successores utramque loquendi formulam, *Lumen ex Lumine*, *Lucernam ex Lucerna*, in Deo Verbo admiserint, lucet ex quinquagesima nona Oratione sancti Gregorii Nanzianzeni, suo loco latiùs exponenda. Admiserunt dolosè, ac in pravum sensum.

Ex adducta sceleratæ Factionis Epistola addidiscimus istarum Blasphemiarum fundamenta. Primum est, quod solus Deus Pater sit ingenitus ac æternus, solus Principii expers, adeoque Filius, non possit ipsi esse co-æternus, nec cùm ipso Ingenitus, sed creatus & fundatus in perfectam ac omnium aliarum primatem Creaturam. Esse æternum ac Principii expertem est Patri adeò proprium, ut istas perfectiones, nisi sibi ipsi adimat, nequeat communicare alteri. Secundum fundamentum est, quod Filius nequeat esse Patri Co-æternus, nisi sit Ingenitus seu improductus, adeoque sint duo Ingenita ac Improducta, hoc est, duo Principia, seu duo Dii. Tertium fundamentum est, quod Deus Pater è sua Substantia nihil emittere possit aut germinare; Nisi probare velimus carnalia phantasmata Hieracæ, Manichæi, ac Valentini. Radicale fundamentum est, quod inter Generationem & Creationem, inter Genitum & Creatum nulla sit differentia. Et quidem hæc vocabula, *Ingenitum*, *Genitum*, *Procedens*, esse noviter in Ecclesiam producta affirmat in habita ad Constantinopolitanam Synodum Oratione S. Gregorius Nazianzenus. Orat. 32 Esse ab Ario ad suum, *erat, quando non erat*, confirmandum inducta affirmat in Literis ad Cæsaræensem Ecclesiam Magnus Basilius. Epist. 23 Hinc eisdem Catholica etiam Ecclesia fuit compulsa uti. Et hinc distinxit inter Genitum & Factum seu Creatum, ac in Nicæno Symbolo posuit: *Genitum, non factum.* Et certè quod inter ista vocabula etiam Plato discretionem fecerit ac viderit, testatur in Libro de anima Tertullianus.

Istæ blasphemiæ sunt adeò horrendæ, ut posteriores Ariani ipsas, licet dolosè erubuerint, circumscripserint, ac aboleverint, non ipsarum blasphemiarum Sententiam, sed ejus jam dictas voces aboleverint & circumscripserint. Testatur hoc in disputatione cùm Pascentio comite Ariano S. Augustinus: *Audio eos jam emendasse, an fortè falsum est eos hoc aliquando dixisse, quod fuerit aliquando*

Pater

Pater sine Filio, tanquam fuerit Lux æterna sine candore quem genuit. Et in Libris de Sanctissima Trinitate: *Arius dixisse fertur, si Filius est, natus est; si natus est, erat tempus quando non erat Filius. Posteriores Ariani abjecerunt istam Sententiam, fassique sunt non ex tempore cœpisse Filium Dei.* Et ex totius Vasensis Synodi nomine ad Syrmiense Concilium scripsit Sanctus Phæbadus Episcopus Agennensis: *Mortuis autoribus hujus veneni, scelera tamen eorum & venena non sunt mortua. Illis, inquam, autoribus in tantùm à Patre separantibus Filium, ut ore sacrilego protulerint, Filium Dei ante sæcula quidem creatum & fundatum, sed vivere & esse à Patre suscepisse, & fuisse antequam nasceretur, & Deum quidem esse, sed non esse Deum verum. Successoribus igitur hujus perfidiæ, non fidei, per quos malorum serpit hæreditas, meritò una Substantia displicet, quam tolli velut scandalum ac Unitatis divortium postulant, ignorantes illos tantùm Catholicos esse dicendos, qui in hujus Professionis communione concordant.* Notat Syrmiensem Synodum, quæ istas Arii sceleratas voces circumscripsit, & tamen vocem, *Consubstantiale*, admittere noluit: Eam notat, quod à suo dumtaxat ore ipsas syllabas, non earum sententiam ex suo corde circumscripsisset. Syrmiense Symbolum exstat apud sancti Hilarii de Synodis Librum, & hæc habet: *Credimus & in unicum Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, qui ante omnia sæcula ex Patre natus est, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine. Eos autem qui dicunt, de nullis exstantibus est Filius, vel de alia substantia, & non ex Deo, & quod erat tempus vel sæculum, quando non erat, alienos scit sancta & Catholica Ecclesia.*

Lib. 6. cap. 1.

Illud Symbolum fuit à Marco Arethusæ apud Syros Episcopo compositum Græcè, & ab ipso aliud ibidem Latinè à Germinio, Ursacio, ac Valente, Arianis Episcopis conscriptum non discordavit. Nec item Ariminense Symbolum, nec Seleuciense. Syrmiensis Synodus de istis blasphemis vocibus non cœpit prima erubescere Nam & Symbolum, quod Nicæno Concilio obtulit Eusebius Cæsaræensis in Palestina Episcopus, utitur eisdem vocibus. Easdem in ista Synodo admisit cùm omni sua Factione Eusebius Nicomediensis Episcopus. Omnes solam vocem, *Consubstantiale*, abhorruerunt. Quod nempe omnes alias possent, hanc solam non possent in pravum dolosæ suæ mentis sensum detorquere. Et hinc de omni istius Eusebii post Nicænam Synodum Factione scribit in prima adversùs Arianos Disputatione S. Athanasius: *Quid opus multis verbis? Cùm isti ipsi præjudicium & damnationem inferre videantur Arianorum hæresi, quippe qui eam ore profiteri non audeant. Et quia abdunt & occultant blasphemias illius Sectæ, ea re ostendunt se agnoscere hæresim istam esse peregrinam & alienam à veritate Fidei. Cæterùm, quoniam in abstruso habent, nec audent suorum Gregalium verba proferre, necessarium est, ut nos istis hujus impietatis tectoria detrahamus, ac ipsam hæresim traducamus in publicum.* Adducit Arii verba omnia, quorum palmaria sunt: *Ex non Entibus, erat, quando non erat*, & alia id genus. Quod ipsum Athanasius scribit etiam in aliis locis. Affirmat similes blasphemias fideli Populo fuisse adeò exosas, ut Ariani, nisi sacrilega frænassent ora, fuissent in lapidationis periculo. Et quod ex isto metu ora frænarint.

Tertius Arii error est in his verbis: *Deinde cùm vellet Deus nos condere, tunc unum aliquem fecit, quem Verbum, Sapientiam, & Filium nominavit, ut per ejus operam nos architectaretur.* Et in his verbis: *Rursum Arius ait, Deum non nos propter illum, sed illum propter nos condidisse. Erat enim, inquit, solus Deus, nec erat Verbum cùm eo. Deinde cùm vellet nos procreare, tunc quoque istum procreavit, quem, postquam genitus est, appellavit & Verbum, & Filium, & Sapientiam, ut nos per eam conderet.* Errorem latiùs exponit sanctus Athanasius in tertia contra Arianos Oratione: *Ariani destituuntur quidem omni ratione, sed tamen ista in medium adferunt disputando de Filio. Deum volentem producere creatitiam Naturam, cùm vidisset eam puritatis suæ & architectationis non posse esse participem, condidit primus & fecit unus unum, eumque appellavit suum Filium & Verbum, ut illo condito reliqua deinde per eum condi possent. Hæc non solùm dixerunt, sed & scribere ausi sunt Eusebius & Arius, & qui Idolis sacrificavit Asterius.* Et in Nicæni Symboli Expositione ac Apologetica Epistola: *Sed hìc convicti & confutati fortassis dicent, quod jam sæpe per summam impudentiam dixerunt, se ad istum modum putare Filium præ aliis habere prærogativam, ac Unigenitum appellari, eò quod unus ille à solo Deo conditus sit, cætera verò omnia à Deo per ipsum creata sint. Quis, quæso, vestris animis novam istam & stultam cogitationem subjecit, ut adfirmetis Patrem sua-met opera Filium solum dumtaxat condidisse, cætera autem non item? Impium est talia de Deo cogitare.* Ex antiqui & novi Testamenti testimoniis errorem refutat insigniter, atque prosequitur: *Sin autem ideo Filius Dei dumtaxat creatus est, quia cætera indomitam vim manus Dei in fingendo perferre nequiverant, ut ea à Filio, quasi succenturiato & subministro, crearentur, id enim Idolorum sacrificator Asterius scripsit, & Trans-scriptum Arius suis tradidit, quam Sententiolam deinde cæteri quoque, quasi calamum confractum, usurpant, non agnoscentes stulti, quam ea sit frivola, & nullius momenti. Si enim impossibile erat ut res creandæ manum Dei Ingeniti perferrent, Filiusque ejus pro eorum opinione est ejus creatura, quomodò ille tandem solus potuit vim Divinæ manus, dum ipse crearetur, perferre? Cùm si, ut creaturæ existerent, opus fuit Mediatore, & creatura quoque est filius, secundum eorum Sententiam oportuit etiam ante ipsum Filium intercessisse aliquem Mediatorem, ut Filius in rerum naturam venire posset. Huic rursùm Mediatori, utpote Creaturæ, alius Mediator adhibendus fuit, ut ipse quoque procrearetur. Quod si hunc etiam Mediatorem adhibeas, necessùm erit ut etiam illi Mediatorem excogites, adeò ut Mediatorum series abeat in infinitum. Atque ita, dum semper requiritur Mediator, non poterit rerum Natura in essentiam produci, eò quod nulla creaturarum, ut vos dicitis, indomitam Ingeniti Dei manum queat perferre. Sed hìc intelligentes, quàm hoc absurdum sit, illud novum Sermonis initium desumitis, Filium, tametsi creaturam, idoneum tamen fuisse, qui ab Ingenito crearetur.* Huc etiam spectat Nicomediensis Eusebii Commentum & Sophisma, de quo ibidem sanctus Athanasius: *Eusebiani olim aliquando dixerunt ideò Christum prærogativas præ aliis habere, Deique Filium & Unigenitum appellari, eò quod ipse solus sit particeps Patris, cætera verò de ipso participent. Mirè igitur se fatigant sua ver-*

versipellitate, dum verba sua non aliter, quàm colores mutant, sed proficiunt nihil.

Erroris fundamenta fuerunt hæc: Primum est Evangelii auctoritas: *Omnia per ipsum facta sunt.* Arius noluit Deum Verbum esse unum cum Deo Patre Principium, sed nobilissimam Creaturam. Hinc ut reliqua omnia creare posset, fuisse ante illa omnia à solo Deo creatam. Secundum fundamentum est authoritas variarum Scripturarum asserentium Deum Verbum esse Dei Patris Unigenitum, hoc nequaquam de Consubstantiali generatione, sed creatione intelligendum voluit Arius, ideoque blateravit ipsum solum esse à Deo ante omnia creatum. Variæ item Scripturæ affirmant Dei Sapientiam esse genitam, constitutam, fundatam, immo, & creatam: Et omnia creata per ipsam. Arius voluit à cunctis hisce testimoniis laudari veram ex non Entibus creationem. Fundamentum tertium est omnis Creaturæ infirmitas, quæ indomitam Dei manum in creatione non potuerit sufferre. Dei Verbum garrivit inter omnes potentissimam, quæ proinde istam manum valuerit sustinere. Est nugax fundamentum, dignum autore suo, Idololatra Asterio. Quartum fundamentum est necessitas Mediatoris. Omnes enim Scripturas, quæ humano Generi redimendo ac reparando Mediatorem prædicant necessarium, Arius atque Asterius ineptissimè detorserunt ad omnium creaturarum Condituram. Eisdem Scripturis, quæ Dei Verbi humilitatem prædicant propter assumptum hominem; ad ejus Divinam Majestatem proscindendam & blasphemandam sunt nequissimè ac stupendissimè abusi. Etiam illas Scripturas, quæ Deum affirmant propter nos esse humanatum, natum ex Virgine, & Crucifixum, indignissimè depravarunt. Ex ipsis garriunt non nos propter ipsum, sed ipsum propter nos esse creatum. Et adversùs hanc impiissimam blasphemiam Nicæna Synodus posuit in suo Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus.* Profitetur ipsum propter nos non creatum, sed descendisse & esse incarnatum. Et verbis: *Propter nos homines*, adjungit, *& propter nostram salutem*, ut doceat ipsum non propter nos creandos, sed propter redimendos & reparandos descendisse. Propter hunc ipsum Arii errorem sunt indita etiam hæc verba: *Omnium Visibilium & Invisibilium Factorem.* Et Constantinopolitana Synodus magis expressit: *Factorem cœli & terræ, visibilium omnium ac invisibilium.* Profitetur non unam aliquam, sed omnem generatim Creaturam immediatè ab ipso Deo Patre promanasse.

Quartus Arii error est in his verbis: *Etiam id quoque addunt, Filium non natura in Patre existere, nec proprium esse ejus Substantiæ Verbum, nec propriam Sapientiam, in qua Mundum istum creavit, sed aliud esse in Patre proprium & peculiare Verbum, aliamque item propriam Sapientiam, in qua Sapientia illud Verbum fecit. Atque adeò ipsum Dominum Christum respectu rationalium, quæ verbis utuntur, Verbum esse nuncupatum, & respectu & comparatione Sapientum esse dictum Sapientiam. Quin immò, ut omnia aliena ac diversa sunt à Patris Substantia, ita ipsum quoque per omnia diversum ac alium esse à Patris Substantia, sed ex genitis & conditis ipsum proprium & unicum Patri Filium & Sapientiam esse: Eum & creaturam esse & opus Dei.* Et in his verbis: *Minimum certè duas Sapientias Arius statuit, unam quidem propriam, & coexistentem cùm Deo, & Filium verum ex ista Sapientia ortum traxisse, ac tùm demùm, cùm ejus Sapientiæ particeps esset factus, nomine tenùs appellari Sapientiam & Verbum. Sapientia enim illa huic Sapientiæ initium præbuit Dei voluntate. Et ita alterum esse Verbum dicit in Deo præter Filium, & hunc illius participem factum, deinde per gratiam appellari Verbum & Filium.*

Ejusdem erroris meminit sanctus Athanasius in Libro de sancti sui Antecessoris Dionysii Sententia: *Ad cætera mala sua & hanc quoque sententiolam Arius velut è sterquilinio depromptam adjecit, Verbum non esse Patri suum ac proprium, sed alterum esse Verbum in Deo; hunc autem Dominum nostrum esse alienum à Patris Substantia, dici Verbum imaginarium, neque esse naturaliter verum Dei Filium, sed adoptione hoc nomen obtinuisse, utpote creaturam.* Dicit hanc Sententiolam ab Ario fuisse è sterquilinio depromptam, & adjectam suo blasphemo Dogmati. Quia nempe ipsam non invenit Arius, sed ex stercoreis Asterii Libris didicit, atque ita accepit in consortium & adjutorium suæ blasphemiæ. Testatur hoc in Libro de Seleuciensi & Ariminensi Synodis sanctus Athanasius: *Quin & Asterius Cappadox, Sopista multiceps, unus ex sociis Eusebianis, quoniam Idolis in priore persecutione, quæ fuit sub avo Constantii, immolaverat, & propterea nequiret in Clerum coaptari, de Sententia* Nicomediensis *Eusebii Opusculum fecit, quale & ipse volebat, & quod immolationis sceleri magnitudine responderet, in quo locustam & erucam cùm Christo comparat, immò Christo anteponit aliamque quàm Christum in Deo Sapientiam collocat, Christi & Mundi conditricem.* In scelerato Libro hæc habebantur: *Non enim beatus Paulus dixit se prædicare Christum propriam Dei Virtutem aut Sapientiam, sed sine ullo additamento, Virtutem Dei, ac Sapientiam Dei. Esse enim alteram propriam Dei Virtutem, insitam Deo, & coexistentem sine generatione, eandemque & Christi Genitricem, & Creatricem totius Mundi esse, de qua in Epistola ad Romanos ita locutus est: Invisibilia enim ipsius ex Mundi creatione per opera ipsa animadversa perspiciuntur, nec non & æterna ejus Potentia ac Divinitas. Quemadmodum enim Divinitatem istam, de qua hìc mentio est, nemo dixerit Christum esse, sed eam esse ipsum Patrem, ita arbitror ejus propriam Virtutem non cogentium Deum, sed Genitorem esse, aliamque Paulum eo in loco docere Sapientiam Dei, nimirum eam, quæ per Christum declaratur, & per ejus opera & ministeria innotescit.* Etiam hæc habentur: *Atqui æterna ejus Potestas & Sapientia, quam nullo Principio inchoatam, & ingenitam rationes veritatis ostendunt, una eademque haud dubiè fuerit. Sed tamen singulatim ab eo plures conditæ sunt Potestates & Sapientiæ, quarum Primogenitus & Unigenitus est Christus, quæ quidem omnes similiter à Conditore pendent, ejusque qui ipsas creavit & usurpat, jure & merito dicuntur esse. Quale est quod Propheta locustam, pro pœna humanorum scelerum illatam, non virtutem tantummodò, sed & Magnam Dei Virtutem nuncupet. Quin beatus David in multis Psalmis non ab*

Angelis dumtaxat, sed à Virtutibus Deum laudari jubet, & omnibus ad hymnos invitatis magnam ad id multitudinem convocat, quos & Ministros Dei appellat, & ejus voluntatem facere demonstrat. Sanctus Athanasius ibi recitat plures istius scelerati Asterii horrendas blasphemias, quarum omnium fundamentum erat istud Arii solemne: *Est ex non Entibus: Erat, quando non erat.*

Asterius ergò atque Arius Deo Patri adscripserunt duplex Verbum, duplicem Sapientiam, duplicem Filium: Propriam & alienam, intrinsecam & extrinsecam, æternam & factam, increatam & creatam Sapientiam. Quidquid Sapiens homo artifex facit, facit per intrinsecam artem seu sapientiam: & ipsum ejus arte-factum opus etiam appellatur ejus Ars atque Sapientia. Præsertim si sit arte-factum, in quo ille exercuit omnes vires & nervos suæ Artis ac Sapientiæ. At ista intrinseca Ars, licet sit ejus mentale Verbum, non est genita per ipsum Persona, sed quod ejus accidens aut Attributum. Eodem modo Asterius & Arius argumentati sunt de Deo Patre, Artifice & Creatore totius Mundi. Omnem ille Mundum fecit per Artem & sapientiam. Isti scelerati volunt quod per duplicem. Ejus intrinsecam & propriam Sapientiam & artem volunt esse ejus essentialem, & naturaliter & personaliter indistinctam, adeoque & increatam intellectionem, qua condidit quampiam eminentissimam intellectualem Creaturam, tantis instructam Virtutibus, ut Dei Filius, Verbum, Virtus, Imago, Potentia, ac Sapientia meruerit appellari, ac ipsa creatrix totius reliqui Mundi, omnium Visibilium atque Invisibilium.

Etiam Catholica Ecclesia distinguit essentialem ac ingenitam, ac genitam & notionalem Dei Patris Sapientiam, & inter ipsas ponit tantum discrimen, ut hanc Propositionem, *Deus Pater est Sapiens Sapientia genita*, credat erroneam & falsam. Eam, quod certo in sensu quandoque usitasset, malè sonare sanctus Augustinus postmodò docuit, ac in Retractationum Libris reduxit. Hæc genita & notionalis Sapientia nobis Orthodoxis est sola Deus Verbum, Dei Patris Filius, Imago, Character. Imago genita, non facta; naturalis, non adoptiva; genita ex Patris Substantia, & per omnia consubstantialis. Essentialis Sapientia, neque Verbum est Patris, neque Filius, neque Imago. Hæc omnia Asterius & Arius inverterunt: Essentialem Sapientiam dixerunt intrinsecum Patris Verbum; Genitam autem Sapientiam esse non genitam, sed factam & creatam atque extrinsecam: Esse non natura, sed solo nomine, gratia & adoptione Filium, Imaginem ac Verbum. Est Verbum Verbi: Ab increato Verbo Verbum creatum. Quem errorem Ario attribuit, ac insigniter refutat sanctus Augustinus in primo Tractatu super Evangelium S. Joannis. Errones isti eodem modo fuerunt abusi distinctione, qua Ecclesia Catholica distinguit in Deo duplicem Potentiam ac Virtutem: Essentialem ac Ingenitam, & genitam ac notionalem. Nam Deus Filius, uti Patris est Verbum, ita & Virtus. Isti scelerati dixerunt esse Virtutem factam, creatam, extrinsecam, ministerialem, quæ aliquando non fuerit. Erat, enim quando non erat. Et quidem Asterius est prolapsus in tantam audaciam, ut blasphemarit Deum Verbum non alia ratione dici Dei Potentiam, quàm erucas aut locustas, emissas à Moyse in Deo rebelles Ægyptios. Adeo viliter de Deo Verbo non erubuit loqui. Hanc creaturam dicit Dei Verbum, Dei Virtutem, ac Dei Sapientiam appellari ob duas rationes. Primam ipse exponit his, quæ apud Athanasium in laudato de Synodis Libro exstant, verbis: *Christus est Primus rerum conditarum, & unus ex naturis intellectualibus. Et ut Sol inter ea, quæ oculis visuntur, unus est ex Luminibus, cum tamen universo Mundo secundum ordinem & mandatum Conditoris luceat; ita quoque & Filius, unus ex intellectualibus naturis, omnibus qui in Mundo intellectuali sunt, lucet ac splendet.* Dicit Christum Dominum appellari Dei Sapientiam, quia est primaria & Sapientissima, seu Divinæ Sapientiæ participantissima, ac plenissima Creatura. Alteram rationem ex ejus adductis verbis edicit in tertia contra Arianos Oratione S. Athanasius: *Deus Verbum, ut ipsi arbitrantur, non ex eo quod è Patre sit genitus, neque ex eo quod proprium quiddam ex ejus Substantia sit, Filius nuncupatur, sed ob rationalia, Ratio, & ob ea quæ erudiuntur, Sapientia, & ob ea quæ fortificantur, fortitudo censetur.* Sceleratus Asterius affirmat Deum Verbum, licet revera non sit, appellari Rationem, Sapientiam, Fortitudinem seu Virtutem, quod inter omnia rationalia, sapientia, ac fortia sit Primus & Primas, ac item alios fortes, sapientes, & rationales creet, & faciat. Primam rationem habes etiam in supra laudatis sancti Athanasii verbis: *Addunt Dominum Christum respectu rationalium, quæ verbis utuntur, Verbum esse nuncupatum, ac respectu & comparatione Sapientum, esse dictum Sapientiam.* Eminentissimè sapientem Virum nos passim dicimus esse adeò sapientem, ut sit vivus sapientiæ Thesaurus; immo ipsa sapientia; Hoc solo modo etiam Deus Verbum est Arianis sapientia. *Arius enim dixit Deum Verbum ex essentiali Dei Sapientia traxisse ortum, ac tunc demùm, cum ejus sapientiæ est factus particeps, nomine tenus appellari Sapientiam & Verbum.* Quia est omnium sapientissima Creatura.

Sanctus Athanasius in secunda contrà Arianos Disputatione discutit hæc Asterii verba: *Esse alteram propriam Dei Virtutem insitam Deo, & coexistentem sine generatione.* Dicit blasphemam fabulam sibi ipsi non cohærere. Etenim ejus fundamentale Principium est, quod in Deo non possint esse duo Ingenita: Et ecce istis in verbis Asterius duo Ingenita disertè profitetur. Sanctus Athanasius id probat hoc modo: *Sed nè ipsos quidem* Arianos *arbitror ea*, utique in Deo non posse dari duo Ingenita, *deinceps velle loqui, si Asterio Sophistæ obtemperent. Ille enim quamvis advocationem præstet Arianæ Sectæ, dicatque unum esse Ingenitum, tamen istis contraria allegat, & Dei Sapientiam increatam, ac nullo Principio dicit esse inchoatam.* Adducit ista ejus verba, & prosequitur: *Hic tametsi, pravè intelligens Apostoli verba, duas arbitratus sit esse Sapientias, attamen Sapientiam in-expertem Principii, unàque existentem esse dixit. Ideoque non jam unum Ingenitum seu Increatum, sed & alterum adhuc ei accumulavit, quod unà cum eo existeret. Quod enim co-existit, non secum co-existit, sed cùm altero.* Etiam in tertia contrà Arianos Oratione errorem, quo Arius In-

Intrinſecum Dei Verbum negabat eſſe ſubſiſtentem Hypoſtaſim, ſtrenuè evertit, atque adjungit: *Atque iſta Diabolica vecordia eſt, & fortaſſe deterior quàm Diabolorum, quoniam eos revera ſubſiſtere volunt; Dei autem Verbo non niſi nomine tenùs eſſentiam tribuunt. An non hæc monſtra & prodigia verborum, Sapientiam cenſere co-exiſtere cùm Patre, nec tamen fateri eam eſſe Chriſtum, ſed multas eſſe creatitias Virtutes, & Sapientias; & ex earum numero unam eſſe Chriſtum, Erucæ & Locuſtæ comparabilem? An non hæc ſumma vafricies, quod cùm ex nobis audiiſſent Verbum ſimul cùm Patre co-exiſtere, ſtatim obmurmurent, ergò duos pariter Ingenitos pronuntiatis? Nec vident, cùm ipſi dicant Ingenitam eſſe Sapientiam, id genus querelæ in ipſos competere? Nam & illa quoque eorum ſententia eſt prorsùs ſtolida, qua dicunt Unigenitam Sapientiam & co-exiſtentem cum Deo eſſe Deum. Quod enim co-exiſtit, non ſecùm, ſed cùm altero co-exiſtit. Niſi compoſitum aliquem Deum introducere velint, in cujus naturam co-inſerta Sapientia fuit, & ad complementum, & integritatem ipſius Subſtantiæ data, eaque ipſa ingenita: Quam ſcilicet & Mundi opificem volunt, ut Mundi opificio filium diſpolient.* Nempe veritas eſt adeò potens, ut ſui profeſſionem etiam invitis Hæreticis quandoque extorqueat. Quod & Pelagianorum Goliat Juliano eveniſſe demonſtrat ſanctus Auguſtinus. Quod circa eandem veritatem ſibi etiam alio modo contradixerit, atque invitus cùm Caipha prophetarit, demonſtrat ibidem ſanctus Athanaſius: *Quin & ipſe Aſterius, veluti eorum oblitus, quæ prius ſcripſerat, in ſequentibus itidem ut Caiphas invitus, dum Gentilibus obluctatur, non multas Sapientias numerat, aut Erucæ mentionem facit, ſed unam Sapientiam agnoſcit.* Demonſtrat his Aſterii verbis: *Unus quidem Deus Verbum, ſive Ratio; multa tamen rationalia; & una quidem Sapientiæ & Bonitatis ſubſtantia & natura, multa tamen ſapientia & bona.* Et ex his: *At quinam ſunt, quos Dei filios appellare non dedignantur? Nam & hos quoque eſſe Verba aſſeverabunt? Aut Sapientias plures introducent? Siquidem impoſſibile eſt, ut cum unum ſit Verbum, unaque Sapientia, filiorum multitudini impartiatur Verbi Subſtantia, aut Sapientiæ nomen indulgeatur.* Ex his verbis ſanctus Athanaſius concludit: *Miri igitur nihil, ſi contra veritatem Ariani pugnent, cùm in ſua quoque offenſantes, alii in alios impingant, interdum multas Sapientias, interdum unam eſſe adſeverantes, ac nunc Erucæ Sapientiam comparent, nunc Patri co-eſſentialem eſſe, & propriam illius ipſius Virtutem, eamque Ingenitam dicant. Et cùm nobiſcum depugnent, eò quod adſeveremus ſemper Dei Verbum fuiſse; ipſi quoque ſuorum obliti, Sapientiam cùm Deo increatam co-exiſtere dicunt. Ita per omnia in tenebris volutantur, dum & veram Sapientiam abnegatam volunt, & eam, quæ non eſt, indagant, ſicut Manichæi, Deum ſibi comminiſcentes, & verum Deum inficiantes.*

Quintus Arii error eſt in his verbis: *Dicunt quoque Ariani Chriſtum non eſſe Deum verum, ſed Deitatis participatu factum Deum, eadem ratione qua cæteri quoque appellantur Deus.* Et in his verbis: *Arius auſus eſt dicere Verbum non eſſe Deum verum: Nam quamvis Deus nominetur, non tamen verum Deum exiſtere, ſed gratiæ participatu talem fieri; ut reliquos omnes, ſic ipſum titulo tenùs Deum vocari. Et ut omnia, quæ longè diverſa ſunt, ac nequaquam Deo ſimilia, quantùm ad naturam attinet, ita quoque & Verbum eſſe aliud, diverſum, ac per omnia diſſimile ſubſtantiæ Patris, ac ejus æternitati, ſed tamen inter cætera, ac eorum comparatione, proprium id & unicum Verbum exiſtere.* Hæc blaſphemia continetur in præcedentibus. Nam Verbum, cùm ex nihilo creatum ſit, non poteſt eſſe Paternæ eſſentiæ Conſubſtantialis, æqualis, aut ſimilis Deus. Eſt ſolo titulo Deus per gratiam, utpotè omnium Juſtorum primus & ſummus: Nam iſtum titulum Sacra, antiqua præſertim, Scriptura tribuit omnibus Juſtis. Eſt nominatus Deus, non verus. Et adversùs iſtam blaſphemiam dixit Nicæna Synodus: *Deum verum de Deo vero.* Eſt ſceleratiſſima blaſphemia. Omninò una earum, quam ipſe Arius coram fideli plebe erubuit effutire, timens lapidari. Nam & in famoſa ad Euſebium Nicomedienſem Epiſtola profitetur Deum Verbum eſſe plenè *Deum ac immutabilem.* Eandem blaſphemiam erubuit Euſebius Cæſaræenſis. Etenim in ſuo, quod Nicæno Concilio obtulit, Symbolo poſuit: *Lumen de Lumine, Vitam de Vita, Deum de Deo.* Quin immò quod ipſe cùm ſua Factione Nicomedienſis Euſebius, eadem in Synodo admiſerit hæc verba: *Deum verum de Deo vero*, adfirmat in Literis ad Afrorum Epiſcopos ſanctus Athanaſius. *Deum de Deo, & genitum ex Patre*, habent etiam Syrmienſe Symbolum, ac Ariminenſe. Et quod in iſtis vocibus, non minùs quàm in voce, *Conſubſtantiale*, Nicæni Patres voluerint per-emptoriam vim ad elidendas Arianorum argutiolas contineri, adfirmat in libro de Nicænis Decretis ſanctus Athanaſiùs. Hinc dictæ Synodi inſuper profitentur Filium eſſe Patri ſimilem, verum dolosè. Hunc adversùs dolum ſcripſit ſanctus Phæbadus Epiſcopus Agennenſis: *Nos quæ audivimus à Patribus noſtris, conſtanter prædicamus; Et vos ergò doctrinam Patrum veſtrorum deſerere nolite. Illi liberè Deum gloriæ cæleſtis non Deum verum eſſe, ſed Creaturam Dei perfectam eſſe dixerunt: Vos autem idem ſentientes, abrupta blaſphemiæ verba vitantes, ambigua ſectamini ad decipiendos ſimplices & incautos.* Eorum dolos exponit in trigeſima quinta Oratione ſanctus Gregorius Nazianzenus: *Ariani Filium quidem fatentur eſſe Deum, cùm hoc ab eis & Ratio ipſa, & Scripturæ teſtimonia extorquent, ſed æquivocè Deum dici, ac Filium nominis contendunt eſſe participem. Et cùm hanc ipſis objectionem ſubjecerimus, quid ergo? Non propriè Deus eſt Filius, quemadmodum nec animal pictum? Quomodò ergo Deus ſi Deus propriè non eſt? Quid enim prohibet, inquiunt, & æquivoca hæc eſſe, & propriè utrumque dici? Ac nobis & terreſtrem & marinum Canem proferunt, qui cùm ſub eodem nomine, diverſam ſignificationem habeant, propriè tamen dicuntur.*

Blaſphemis Arii Sectatoribus ita placet circà Divinam Majeſtatem nugari. Nugarum radicem detegit in prima ſua Epiſtola ſanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: *Ariani in eam amentiam & opinionum vanitatem præcipites abierunt, ut Filium Dei recentem, proindeque à Deo Patre, ut cætera*

cætera omnia, creatum existiment, publicèque adserunt. Nec erubescunt miseri, eum, qui ante omne tempus & ævum exstitit, immò qui omne ævum & tempus condidit, temporum initio circumscribere. Cumque gloria & æqualitate, quam cùm Deo & Patre obtinet, suo Commento illum spolient, & cæteris præstare ægrè admittunt, hinc adiguntur ut mediæ cujusdam inter Deum & homines naturæ esse statuere compellantur, ut qui neque Divinæ Excellentiæ gloriam plenè adsequatur, neque tamen communibus rerum creatarum terminis contineatur. Quod ipsum de Spiritu Sancto garrivisse Macedonianos testatur in sancti Gregorii Nazianzeni vita Gregorius Presbyter. Quod dixerint ipsum nec Deum esse; nec Creaturam, sanctus Cyrillus rectè adfirmat esse prodigiosum errorem. Etenim ejus inter Deum & Creaturam medium est reverà monstrosum & impossibile Portentum. Adjungit quod illud Monstrum appellent Deum, ac Divino honore venerentur: Quod Figmenta pro Divina Majestate adorent, atque ità sint Idololatræ. Rectè sanctus Phæbadus: *Hoc est filium falso Divinitatis nomine illudere, si esse verbo dicitur, quod corde negatur.* Etiam in Homilia de Consubstantiali Trinitate sanctus Joannes Chrysostomus & Arianorum & Macedonianorum quosdam arguit, quod Deum magnum, & Deum parvum, & Deum, creatum fingerent, atque ità Gentilismum sibi reducerent. Deum parvum inter magnum Deum & Deum creatum fingebant medium, quod nempe Deum Verbum dicerent nec Deum esse, nec Creaturam. Huc etiàm respicit in secunda Oratione sanctus Gregorius Nazianzenus, adfirmans Arianos esse pravos Divinitatis arbitros ac dimensores. Porrò & Ariminensis, & Seleuciensis, & Syrmiensis Synodi, licet Deum Verbum admiserint esse Patri similem, admiserunt dolosissimè. Lucet ex facta apud Ariminum, & suo loco elucidanda, Valentis Mursiensis & Ursacii Singidunensis adversùs Germinium, Syrmiensem Episcopum contentione. Auctorem, qui omnem Arii Factionem hac propositione, *Deus Filius est ex Deo Patre*, dolosè abuti docuit, fuisse Georgium Laodicensem Episcopum adfirmat in Libro de istis Synodis sanctus Athanasius. Probat ex ejus, adhuc Alexandrini ante Nicænam Synodum Presbyteri, ad suos Congerrones Epistola: *Quid expostulatis cùm Alexandro Papa sermocinante, ex Patre esse Filium? Immò ne vos quidem reformidare debetis Filium dicere ex Deo esse. Nam si Apostolus cuncta scripsit ex Deo esse, & certum est cuncta ex non Entibus ad essentiam producta & facta esse, Filiumque creaturam esse & ex rebus conditis, rectè ad eum modum dici potest Filius ex Deo esse, quemadmodum omnia esse ex Deo dicuntur.* Pergit Atanasius: *Ex hoc homine didicerunt Ariani simulanter agnoscere hoc Dictum: Ex Deo esse. Et verba quidem pronuntiare, sed tamen ut animo malè sentiant.* Quocirca ex ejus instinctu Eusebius Nicomediensis Episcopus in Nicæna Synodo admisit istam propositionem, & ab omni sua Factione suasit admittendam. Et quidem sceleratus Georgius in hac blasphemia, *Deus Verbum est ex non Entibus*, fuit adeo pertinax, ut jam damnatus, de damnato Ario scripserit Antiochia ad sanctum suum Patriarcham & damnatorem Alexandrum: *Conquereris de Ario, cùm dixit, erat, quando non erat filius. Certè Esaias fuit filius Amos, & Amos priùs fuit quàm gigneretur Esaias. Neque Esaias priùs erat, sed posteà substitit.* Verba Epistolæ refert ibidem Athanasius.

Sexta Arii blasphemia est in his verbis: *Dei Verbum dicunt & Creaturam esse, & Dei opus. Dein non nos propter illum, sed illum propter nos condidisse. Et ut omnia Dei voluntate substiterunt, cum antea non essent, ita quoque ipse, cùm antea non esset, Dei voluntate exstitit. Verbum enim non est proprius & naturalis Patris fœtus, sed & ipsum Dei gratia exstitit. Arius addit insuper Deum qui erat, Filium qui non erat voluntate fecisse, condidisse, creasse, existere voluisse.* Et in his verbis: *Ut omnia, quæ longè diversa sunt, ac nequaquàm Deo similia, quantùm ad naturam attinet, ità quoque & Verbum esse aliud & diversum, & Patris Substantiæ per omnia dissimile, sed tamen inter creata, ac eorum comparatione, proprium existit & unicum Verbum.* Affirmat Arius Deum Verbum esse puram putàm Creaturam, inter omnes tamen nobilissimam. Est adeò horrenda blasphemia, ut non posteriores dumtaxat Ariani, sed & ipse cùm suis Congerronibus Arius de ipsa erubuerit, ideoque varia pallia, fucos, temperamenta addiderit, nè à fideli Populo lapidaretur. Insigniter hoc demonstrat in tertia adversùm Arianos Oratione sanctus Athanasius. Omnia eorum fucamenta ac temperamenta demonstrat nugatoria & futilia, & prosequitur: *Sed ante omnia inspiciamus illa, quæ per id temporis, cùm ista Hæresis ab eis fingeretur, apud beatum Alexandrum suis Scriptis ediderunt. Scripserunt enim in hæc verba: Creatura est, sed non ut ulla ex rebus creatis; Opus est, sed non ut ullum ex Operibus: Res condita est, sed non ut ulla ex Rebus conditis. Jam scilicet videtis vafriciem & dolos istius Hæresis, quæ non ignara quàm amarulenta sit ista sua malitia, fucos quærit, & lenocinium sibi mutuat ex verborum disertitudine; ut cum dicat; quod sentit Filium esse Creaturam, lateat tamen ob hunc Prætextum verborum: Quod tametsi creatus sit, non tamen, esse eum, qualis est ulla ex Creaturis. Atqui cùm ad istum modum scribunt, multò magis ea ratione suam impietatem produnt. Si enim omninò nostro more Opus existit, cur à vobis ad dissimulationem additur; Sed non ut ullum ex Operibus? Nam si omninò Opus est, quì, quæso, non fuerit unum ex Operibus? In qua parte venenum istius Hæresis intueri licet. Nam cùm dicunt eum esse Creaturam, sed non ita ut unum ex Creaturis seu rebus genitis, cum eo multos ejusdem ordinis Filios constituunt, & Dominum unum ex ista Filiorum classe censent, ut jam non sit censendus Unigenitus, cum multos habeat Fratres: Interim pro blandimento eum nominantes Filium & Germen, sed frustrà. Quorsum igitur ista hypocrisis, ut eum Creaturam appelletis? Nam si pro appendice à vobis addatur; Sed tamen non ut ulla Creatura, ex eo ipso statim apparebit delirium vestri Sophismatis, cùm eum etiam ita creaturam pronunciętis, neque alia, quàm quæ de aliis Creaturis quisquam dixerit, de Dei Filio sentiatis, ut prorsùs simul & cæci & deliri.* Etenim esse Creaturam, sed non ut unam ex Creaturis, est omni creaturæ proprium: Quævis creatura est alia à quavis alia. Insigniter hoc demonstrat sanctus Athanasius, ideoque Arianos, errorem suum isto fuco

fuco sperantes purgare, affirmat esse & cæcos & deliros.

Eundem fucum nervosè subvertit & abstergit in quadragesima nona Oratione sanctus Gregorius Nazianzenus. Evertit blasphemiam, qua Arius dixerat Deum Verbum esse perfectam Creaturam. Demonstrat fabulam sibi ipsi non cohærere; eò quod Arius addiderit: *Non nos propter Verbum, sed Verbum esse creatum propter nos.* Egregiè hoc demonstrat in tertia decima Oratione: *An te illud fugit, cùm Deum, Filii & Spiritus, velut creaturarum, Principium statuis, nec Principium à te honorari, & quæ ex eo manant, ignominia affici? Illud, quia vilium & exiguorum, ac Deitate indignorum Principium constituis; Hæc, quia parva, nec creata tantùm, sed omnium etiam quæ creata sunt, contemptissima & abjectissima facis. Siquidem horum caussa, & aliquando condita sunt, non secùs ac instrumenta ab Artifice, quæ ante Artifices non erant, nec aliàs exstitissent, nisi quod eorum opera Deus creare voluisset, perinde videlicet ac Voluntas ipsa nequaquam sufficeret. Quidquid enim alius rei caussa factum est, abjectiùs est eo propter quod factum est.* Et in trigesima secunda Oratione: *Ergo nec quidquam horum trium Creatura est, nec, quod est deterius, propter me creatum est. Alioquin non modò Creatura esset, sed etiam nobis abjectior atque contemptior: Nam si ego ad gloriam Dei conditus sum, hoc autem propter me, Forceps enim propter carrum, aut Sera proper januam efficitur, sequitur profectò, ut caussæ respectu sim superior. Quantò enim Deus rebus creatis est sublimior, tantò id quod mea caussa creatum est, me, qui propter Deum effectus sum, vilius est atque ignobilius.*

Aliam insuper sceleratæ Fabulæ non cohærentiam notat in tertia adversùm Arianos Oratione sanctus Athanasius. Blasphemiam, quæ Dei Verbum ad creanda omnia adserit creatum, exponit, eique opponit Domini in sancti Joannis Evangelio verbum: Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit, atque prosequitur: *Si autem quæ Pater operatur, eadem & Filius operatur, & quæ Filius creat, ea sunt Patris creaturæ, & tamen Filium vis censeri Patris Opus & Creaturam, sequitur ut aut ipse se-ipsum operetur & creet, quandoquidem quæ Pater operatur, ea sunt & Filii opera, quod absurdum fuerit atque impossibile: Aut ut dum creat & operatur opera Patris, ipse non fuerit Opus aut Creatura, nè ipse rerum auctor & causa effectrix in rebus creandis reperiatur id efficere quod effectum est, aut potiùs non posse efficere? Quomodò enim, si secundùm vos ex non Entibus exstitit, potens est non Entia, ut Entia sint, condere atque architectari? Quod si, quamvis Creatura sit, creaturas tamen eum condere velis, idem in omnibus rebus creatis intelligendum erit, ut & ipsæ se creare possint. Quod si id à vobis admittatur, qui usus erit Verbi, cùm possint Inferiora à Superioribus procreari. Aut quomodo singula, cum fierent in initio rerum, audire potuissent vocem Dei, Esto & Efficiare, si eo modo conderentur? Sed neque scriptum est, neque est possibile. Eorum enim, quæ creantur, nullum est sui causa efficiens. Omnia siquidem per Verbum effecta sunt. Neque illud fuisset operatum omnia, si ipsum ex Operum aut conditarum rerum numero fuisset. Neque enim vel Angeli quidquam creare possunt, cum & ipsi sint creaturæ; quamvis in diversam sententiam Valentinus, Marcion, & Basilides eant, & vos unà cum eis, ut Adseclas decet & Æmulatores.* Arius docuit tria. Primò, Deum Verbum esse Crearuram, conditam à Patre. Deinde omnes reliquas creaturas esse conditas à Deo Verbo. Tertiò, omnia Patris Opera fieri etiam à Filio. Sanctus verò Athanasius affirmat hæc sibi mutuò non cohærere. Primò, quod inde sequatur Deum Verbum esse à semetipso factum; quod est impossibile. Quod ipsum in primo super sancti Joannis Evangelio Tractatu affirmat sanctus Augustinus. Athanasius item affirmat creandi virtutem esse omni omnis creaturæ potentia superiorem, ideoque Deum Verbum, si creatum sit, non posse esse aliorum omnium Creatorem: Arium labi in errorem Basilidis, Valentini, ac Marcionis, garrientium corporeum Mundum esse creatum ab Angelis.

Eodem argumento sanctus Arhanasius utitur in Epistola ad Africanos Antistites: *Cum Patres Nicææ docuissent Dei Verbum nec esse Creaturam, nec Facturam; isti contra, Ariani potius quàm Christiani, in suis Synodis ausi sunt illum dicere Facturam, & esse unum è creaturis, quarum ipsum Verbum est Opifex & Conditor. Atqui si Verbum, per quod facta sunt omnia, & ipsum quoque fuerit creatura, sequitur ut illud seipsum creaverit. Sed qui, quæso, id, quod creatur, creare, aut quod conditur, condere poterit? Verùm nè vel sic quidem pudore deterrentur, quò minùs ea dicant, ob quæ ubiquè apud omnes mortales sunt in odio?* Hæc omnia eædem Literæ etiam infra urgent, latiùs & exponunt. Quod ex nihilo creandi Virtus sit proprius Omnipotentiæ Character, adeoque singularis Divinæ Majestati, est unanimis & certa Doctrina Ecclesiæ. Unicus refragari videtur in Libro de Carne Christi Septimius Tertullianus. Assumptam à Spiritu Sancto Columbam, & quandoque à sanctis Angelis assumpta corpora affirmat fuisse veraciter & solidè carnea; atque prosequitur: *Sed quæris, corpus Columbæ ubi sit, resumpto Spiritu in Cœlum? Æquè & Angelorum? Eadem ratione interceptum est, qua & editum fuerat. Si vidisses cum de nihilo proferebatur, scisses cum in nihilum subducebatur.* Affirmat fuisse producta ex nihilo, ac expleto Officio in nihilum rediisse: Creata ab ipsis etiam assumentibus Angelis. Hinc pergit: *Constat Angelos carnem non propriam gestasse, utpote Naturas Substantiæ spiritalis. Igitur cùm relatum non sit, undè sumpserint carnem, relinquitur intellectui nostro non dubitare, hoc esse proprium Angelicæ Potestatis ex nulla materia corpus sibi sumere.* Et post quædam: *Cæterum qui valent facere semetipsos quod natura non sunt, cur non valeant etiam ex nulla substantia facere? Si fiunt quod non sunt, cur non ex eo fiant quod non est? Quod autem non est, cum fit, ex nihilo est. Propterea nec requiritur, nec ostenditur, quid postea factum sit corporibus illorum. Quod de Nihilo fuit, Nihilum factum est. Possunt Nihil ipsum convertere in carnem, qui semetipsos potuerunt convertere in carnem. Plus est naturam demutare, quàm facere materiam.* Est singularis & paradoxa, uti & plu-

Cap. 3.

Cap. 6.

Cap. 23.

& plures aliæ, Tertulliani opinio. Nam & in eodem Libro docet Sacratissimam Virginem in partu nupsisse, fuisse apertam, spoliatam Virginali integritate. Et iterùm scribit: *Fratres Domini non crediderant in illum. Mater æquè non demonstratur adhæsisse illi, cum Marthæ & Mariæ aliæ in commercio ejus frequententur.* Sunt paradoxa, alienissima à Doctrina aliorum Patrum, ac jam pridem ad Hæreses proscripta. Cap. 7.

Septima Arii blasphemia est in his verbis: *His adjecerunt Filio Patrem ineffabilem, arcanumque esse, neque conspicere, neque cognoscere integrè & exactè Patrem posse. Cum enim essendi exordium habeat, non potest Eum, qui essendi exordio caret, procognoscere, sed quod cognoscit & videt, id juxtà proportionem suæ mensuræ suæque capacitatis cognoscit & videt. Quemadmodum nos, qui singuli pro viribus nostris & cognoscimus & videmus. Etiam illud inter cætera Arius adjunxit, Filium non solummodò non exactè cognoscere Patrem, sed nè suam quidem ipsius substantiam plenè cognitam habere.* Et in his verbis: *Præter ista Arius, veluti successor temeritatis Diaboli, posuit in suis Bacchanalibus Patrem Filio abditum esse, neque illum ab eo aut videri aut cognosci posse ad plenum & exactè, sed quod cognoscit & videt, id intelligit pro mensura & ratione suarum virium, ut nos quoque intelligimus pro modulo nostrarum Facultatum. Nam & Filius, inquit, non solummodò Patrem exactè non cognoscit, utpote impotens ad comprehendendum, sed nè ipse quidem Filius suam ipsius substantiam cognitam habet.* Arii formalia de hoc puncto verba sanctus Athanasius adducit in Libro de Ariminensi & Seleuciensi Synodis: *Evidens quoque res, Deum omnibus, quæ per Filium sunt, invisibilem esse, atque adeò & ipsi Filio esse invisibilem. Disertè autem loquar: Quomodo à Filio videri posset, qui est invisibilis? Sed tamen pro potestate ea, qua Deus potest videri, & pro suis modulis, quatenùs fas est, Filius suffert Patris conspectum. Igitur Trinitas est, sed Majestate non pari, impermixtibilesque sibi invicem eorum substantiæ. Altera enim altera gloriosior gloria, idque in immensum.* Arius garrivit Deum Verbum esse Creaturam, ideoque inter ipsum ac Deum Patrem esse infinitam distantiam. Hinc Divinam essentiam ab illo quidem videri juxtà creaturæ Indultum, at nullatenus comprehendi. Addidit à Deo Verbo nec propriam sui ipsius comprehendi Substantiam. Ex Origene garrivit Deum Verbum esse unam istarum ante corpora conditarum Mentium, ex quibus & nos habemus nostras animas, quæ semetipsas admodum dilutè norunt, longè nimis comprehendunt.

Arius garrivit contrà Doctrinam Sanctorum Apostolorum, immò & ipsius Christi Domini. Etenim Deus Verbum est ipsa Patris Sapientia atque Doctrina, ac in ipso sunt omnes Thesauri Paternæ Sapientiæ atque Scientiæ. Morosa Divinorum testimoniorum enunciatione nolo Lectorem desatigare. Est blasphemia adeò fœda, ut non dumtaxat Eusebiana ac omnis alia illius moderatrix & correctrix Factio, sed etiam ipse puri-puti Arianismi reparator Eunomius videatur de ipsa erubuisse. Etenim in sancti Evangelistæ Matthæi Commentario S. Hieronymus laudat hæc Domini verba: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et commentatur: *Erubescat Eunomius, tantam sibi notitiam Patris & Filii, quantam alterutrum inter se habeant, jactitans.* Mutuam Patris & Filii notitiam Eunomius videtur asseruisse per omnia æqualem, Dico videtur; etenim simulavit, non asseruit. Quò semetipsum exaltaret ad plenam Divinæ Majestatis comprehensionem, ejus lingua, non mens ab Arii impietate recessit. Cùm Ario garrivit etiam extremum Judicii diem ignorari à Deo Verbo; ideoque longè magis ignorari, aut certè non comprehendi Majestatem Divinæ essentiæ. Porrò istam Arii blasphemiam resorbuit etiam Maximinus Episcopus, & ipsam in tribus contra ipsum Libris amplissimè revicit S. Augustinus.

Quod verò blasphemus Arius extremi etiam diei ignorantiam Verbo Dei adscripserit, disertè affirmat S. Athanasius. In quarta contrà Arianos Oratione adducit Domini Verbum: *De illa die aut hora nemo scit, nec Angeli, nec Filius,* & prosequitur; *Ex istis verbis Ariani hanc sententiam inferunt: Si pro vestra Sententia ut æternus Filius apud Patrem existebat, neutiquam illi ignorantia fuisset de illa die, sed eam cognitam habuisset, utpote Verbum & Ratio Patris. Neque quidquam illum celasset Pater: Utpote, qui cùm Patre co-existeret. Istiusmodi sunt Sermones, quos impii inter loquendum eructant.* Et in Libris de Filii Divinitate ad Serapionem Episcopum: *Loquor de illa die & hora, quam nemo cognitam habet, neque Angeli, neque Filius. Ariani enim arbitrantur, eò quod additum sit,* neque Filius, *ignorare Filium, ac proinde esse creaturam.* Hoc ipsum de Arianis testantur in Literis ad sanctum Amphilochium Iconiensem Episcopum Magnus Basilius, sanctus Amphilochius in Excerptis; In quarta Theologica Oratione sanctus Gregorius Nazianzenus; In Libro contra Antro-pomorphitas sanctus Cyrillus Alexandrinus; Sanctus Eustatius Patriarcha Antiochenus; In Literis ex Vasensis Synodi judicio & comprobatione Scriptis sanctus Phæbadus Agennensis Episcopus; Et in Libro de Fide sanctus Ambrosius; Tertia Toletana Synodus; In Francorum historia sanctus Turonensium Antistes Gregorius, & alii plures. Magnus Basilius in laudatis Literis affirmat istum Evangelii locum fuisse palmare fundamentum Anomæorum. Quam à laudatis Patribus reprobatam & omni olim Ecclesia damnatissimam Hæresim postmodò resorbuerunt Theodosiani, hinc dicti Agnoitæ, de quibus in Magni Gregorii Festo scribit Romanum Breviarium: Gregorius *Agnoitas Alexandria ejecit.* Exstat ejus ad sanctum Eulogium Patriarcham Alexandrinum eruditissima Epistola, qua sceleratam Hæresim plenissimè evertit. Eutychiana Hæresis fuit plurimorum Capitum hydra. Ex ipsa eruperunt Severiani, Julianistæ, Jainanitæ, Theodosiani, & plures alii. Porrò Theodosius fuit Pseudo-Patriarcha Alexandrinus, ac de ejus Theodosianis scribit ad Apionis Consulatum Victor Tonnonensis Episcopus: *A Theodosianis duæ aliæ Hæreses exierunt, una Agnoitarum, altera Tritheitarum. Agnoitæ siquidem perversitati, à qua exierunt, id adjiciunt, quod Christi Divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora*

Epist. 391.

Lib. 8. Epist. 42.

ra novissima. Tritheitæ verò sicut tres Personas in Trinitate, ita quoque tres adstruunt Deos esse. At verò in Literis ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus Tritheitarum auctores affirmat fuisse Joannem Philoponum, Eugenium & Cononem; atque adjungit: *Themistius, Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, fuit ignorantiæ Pater & genitor, atque seminator nefandissimus, qui Christum verum Deum nostrum delirabat nescisse diem judicii, nesciens quæ ipse, jam à Deo projectus, assereret, & non recognoscens quæ ignorando loquebatur. Nisi enim ignorasset verborum suorum virtutem, non utique lætiferam ignorantiam peperisset, & ignorantiæ fœditatem ferventer defenderet, ignorare Christum non secundùm id quod Deus erat sempiternus, sed secundùm quod veraciter homo factus, diem consummationis atque judicii, ex insipientia mentis eructans, & purum eum efficiens hominem, & hoc monstruositatem sibi defamans acephalam, & naturam unam ejusdem Christi Salvatoris nostri compositam imaginans.* Affirmat quod Themistius, non ipsi Deo Verbo, sed assumpto homini adscripserit ignorantiam, atque ita se-ipsum fecerit acephalum ex Nestorio & Eutichete conflatum Monstrum. Etenim quisquis assumpto homini ignorantiam adscribit, non potest non esse Nestorianus. Proinde Themistius Euticheti, quem non deposuit, admiscuit Nestorium, atque ita nobis protulit chymericum monstrum. Et hìnc non solus sanctus Sophronius, sed etiam Tonnonensis Victor, licet contraria scribant, scribunt de Themistio vera. Suo loco hæc elucidabuntur. Interim vide Liberati Carthaginensis Diaconi Breviarium, ac Leontii Scholastici Librum de Sectis. Istiusmodi Monstra ex Arianismo prodierunt. Adducta sancti Sophronii Epistola exstat in undecima Actione sexti Concilii.

Blasphemus Arius Deo Verbo non solius extremi diei, sed & aliorum plurium adscripsit ignorantiam. Hoc disertè affirmat in quarta contra Arianos Oratione Magnus Athanasius. Malitiosi Hæretici ajunt: *si vera Sapientia & propria Sapientia erat Patris, cur quæso scriptum est, JESUS proficiebat sapientia & proceritate & gratia apud Deum & homines? Et progressus in fines Cæsareæ Philippi, percunctatus est ex Discipulis, quemnam ipsum homines dicerent? Progressus item in Bethaniam interrogavit, ubi Lazarus situs esset. Quæsivit itidem ex Discipulis, quotnam panes haberent. Quomodò igitur, ajunt, hic Sapientia fuerit, qui in Sapientia crescit & progressus facit?* Sceleratus Arius Deum Verbum intrà communem Mentium seu animarum sortem circumscripsit, ideoque & ipsi nihil adscripsit supra humanum. Et quidem Magnus Athanasius, Magnus Basilius, Gregorius Nazianzenus, aliique tum Græcorum Patres responderunt cuncta ista ignorantiæ elogia esse ad humanam referenda naturam, non ad Divinam. Compendio Arium exsufflarunt. Verùm postmodò exurgens Nestorius est abusus isto compendio. Garrivit omnem istam ignorantiam assumptæ in Deum Verbum naturæ adscribi à tantis Patribus, ideoque Filium dignitatis & societatis, non autem veræ Hypostaseos fuisse ab ipsis creditam & prædicatam Unionem. Insigniter hac de re scribit Facundus Hermianensis Episcopus: *Beatus Eustachius Antiochenus Episcopus, qui primus in Nicæno Concilio fuit, sexto adevrsum Arianos Libro de eo quod ait Dominus, nemo scit diem illum, dicamus, inquit, cujus rei gratia Filius hominis diem proprii adventus ignorat. Neque enim dubium est, quia & hoc caussa utilitatis hominum providens adinvenit omnium Creator & generis Opifex Deus. Sicut enim hominem caussa salutis hominum Verbo co-aptavit & Deo: sic & insignem Judicii diem caussa Divini beneficii homini competenter abscondit, nè fortè ineffabilia mysteria similis generis hominibus homo indicans, & diem secundi adventus ostenderet.* Facundus rectè advertit esse verba duriora. Ex ipsis ergo & similibus aliorum tunc Patrum aliis, erroris sui fomenta venatus est Nestorius: Immò & Themistius Eutychianista, Pater Agnoitarum. At certum est non solummodò Magnum Athanasium, sed etiam sanctum Eusthathium, ac cunctos Arii expugnatores Patres recta sensisse. Artemonistis & Paulianistis plenè tunc suppressis, & Nestorianis necdum litigantibus, securiùs & liberius sunt locuti. Eorum Verba & sensa suo loco exponentur. Lib. 11. cap. 1.

Quæstio est an Evangelica verba: *diem illum nec Filius novit*, necessariò sint de assumpto homine intelligenda, nec intelligi possint de Deo Verbo? Respondeo intelligi posse etiam de Deo Verbo. Ipsa sic intellexit sanctus Irenæus, adversùm Gnosticorum præsumptionem & vani nominis scientiam scribens: Vos *irrationabiliter inflati, audaciter in-enarrabilia Dei mysteria scire vos dicitis, quandoquidem & Dominus ipse Filius Dei ipsum judicii diem & horam concessit scire solum Patrem, manifestè dicens*, de die autem illa & hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus. *Si igitur scientiam diei illius, Filius non erubuit referre ad patrem, sed dixit quod verum est; neque nos erubescimus quæ sunt in quæstionibus majora secundum nos, reservare Deo.* Nequaquam de assumpto homine agit, sed omninò de Deo Verbo. Nec ipsi adscribit istius diei ignorantiam, sed affirmat hujus scientiam fuisse ab illo relatam ad Patrem, ac Patri reservatam. Elucidat se-ipsum in sequenti capite: *Etenim si quis exquirat caussam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire & horam & diem à Domino manifestatus est, neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram, quam hanc inveniat in præsenti, quoniam cùm solus verax Magister est Dominus, ut discamus per ipsum, supra omnia esse Patrem. Etenim ait: Pater Major me est, & secundùm agnitionem itaque præpositus esse Pater annunciatus est à Domino nostro, ad hoc ut & nos, in quantum in figura hujus Mundi sumus, perfectam scientiam, & tales quæstiones concedamus Deo.* Dominus dixit in Evangelio: *Doctrina mea non est mea. Et tamen ipse est ipsa doctrina.* Et S. Augustinus interrogat: *Si tua, quomodo non tua? Si non tua, quomodo tua? Est ejus, & non est, quia est Patris & à Patre.* Uti Filius est Patris Verbum, ideoque & Patris doctrina; Hinc & sua, & non sua: Quia non est à se, sed à Patre. Eodem modo ipse extremum diem scit, & non scit, quia non scit à se, sed à Patre. Licet Patri in omni scientia communicet, Lib. 2. cap. 48.

nicet, omnem illam tamen refert ad Patrem, ac Patri reservat. Eodem modo istum locum Evangelii exponit in Literis ad sanctum Amphilochium magnus Basilius: *Illud*, nemo novit diem, *non aliud subindicat, quàm rerum cùm præsentium tum futurarum, scientiam Patri imprimìs adscribendam, primamque omnium caussam Patrem esse, hoc ipso arbitramur designari.* Et in suis Excerptis laudatus Amphilochius: *Cùm* Dominus *dicit*, de die illa *neque Filius* novit, *nisi Pater, non Filii ignorantiam ementitur, sed exponit caussam scientiæ. Nam quia omnia quæcumque habet Pater, palàm Filii sunt, neque Filius, nisi Patre habente, eorum notitiam haberet: At quia Pater habet: Confessum ergo est, habere etiam Filium.* Demonstrat vocem, *nisi*, non semper excludere, sed quandoque edicere caussam, & pergit: *Sic itaque etiam hoc loco, neque Filius novit, nisi Pater. Quia ergo novit Pater, confessum est, quòd & Filius. Dixit ergo caussam scientiæ, non falsò adfinxit ignorantiam.* Eodem ferè modo locum exponit sanctus Epiphanius, tam in Panario Libro, quàm in Libro Ancorato. Et adjungit istius Evangelici loci pravum intellectum fuisse è pertinacibus argumentis Arii. Hoc ipsum in nono de sanctissima Trinitate Libro scribit sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus: Ariani *tanquam indissolubili abnegatæ Divinitatis professione subvertisse se fidem Ecclesiæ gloriantur, cùm relegunt, de die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli in cœlis, neque Filius, nisi Pater solus, non enim videtur exequabilis per nativitatem esse natura, quæ ignorationis sit necessitate diversa, & Pater sciendo ac Filius nesciendo manifestent dissimilitudinem Divinitatis, quia & ignorare Deus nihil debeat, & ignorans non comparandus sit ad scientem.* Evangelii locum variè versat, Græco more exponit, ac tandem in decimo Libro concludit: *Respondentes stultissimis eorum professionibus, usque ad ignoratæ horæ descendimus demonstrationem; quæ etiamsi secundùm illos à Filio apprehensa non esset, tamen id ad contumeliam Divinitatis Unigenitæ non pertineret, quia natura non ferret, ut eum nativitas retro-ageret ad innascibilitatis inimitabilem substitutionem, potestati suæ Patre momentum definiendi adhuc diei ad demonstrationem auctoritatis innascibilis reservante.* Unicus ferè è Latinis Hilarius Evangelicum locum ita exposuit. Alii passim referunt ad assumptam humanitatem. Quod ipsum magis probat laudatus Hilarius. A Constantio proscriptus, dudum vixit apud Græcos, & cum ipsis in Seleucienſi Synodo, ac item apud Constantinopolim varia egit: Hinc & istum illorum Commenrarium probavit, ac detulit ad Latinos. Quo sensu locus verificetur de assumpta humanitate, suo loco exponetur.

Epist. 391. | Hæref. 69. c. 43. 44. 47. cap. 20. 21. 22. | Fol. 147 | Fol. 90. & 91.

CAPUT XVI.

Quidam alii Errores Arii recensentur.

QUod cunctis ante sua tempora Hæreticis Dominicæ Incarnationis Sacramentum fuerit Lapis offensionis & Petra scandali, & quod omnes, etiam Ariani fuerint circà ipsum lapsi, rectè adfirmat ad Trasamundum Wandalorum in Africa Regem, ac insigniter demonstrat sanctus Fulgentius. De eisdem scribit in Libro de Hæresibus sanctus Augustinus: *Ariani in eo quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minùs noti sunt. Nec adversùm eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibusdam Scriptis & Collocutionibus certissimè comperi.* Istarum Collocutionum una fuit habita Disputatio cum Feliciano, qui dixit inter cætera: *Quoniam de Mysterio Mediatoris perspicua ratione, & ad credendum cuivis sufficienter tractasti, idcircò quæso, ut mihi quid etiam de anima Christi sentiendum sit, jubeas explicari. Ita enim à majoribus nostris semper est traditum, quod Corpus Christi, ad vicem animæ communis, ipsius Filii Dei habitus animarit: Nec accessione Virtutis Spiritus indigens fuerit, cum inhabitans fons vitæ potuit conferre quod vixit.* Hæc in Panario sunt Epiphanii verba: Ariani *hoc* circa Dei Verbi Substantiam *errore non contenti, negant insuper illum humana anima præditum fuisse. Quod certo consilio ita præstruunt, ut veram ex Maria Virgine carnem, & reliqua quæ sunt hominis propria, illum accepisse fateantur, si unam animam excipias. Nimirùm ut cùm famem, aut sitim, aut labores, itinera, sudorem, somnum, indignationem audieris, ac dixeris, propter humanam, quam adsumpserat naturam opus illis habuisse, statim objicere possint per sese hæc præstare carnem, nisi anima prædita sit, non posse. Et quidem verè hoc ab illis dicitur. Quid est igitur, inquiunt, aliud quàm quod his omnibus illius Divinitas indigebat? Ut cùm indigere Divinitatem illius dixerint, velut peregrinum eundem pronuncient, & à Patris essentia ac natura penitùs alienum.* Illud ipsum repetit in Libro Ancorato. *Lucianus, ac Lucianistæ omnes Filium Dei animam assumpsisse negant, eundemque solam carnem induisse, ut Divino Verbo humanas affectiones tribuant, famem, sitim, fatigationem, fletum, mærorem, perturbationem: Quidquid denique in suscepta ab illo natura reperitur.* Et in utroque loco errorem nervosè refutat. Et in Libro adversùm Apollinarium Laodicensem Episcopum de salutari Domini adventu scribit S. Athanasius: *Arius carnem solam ad occultationem Deitatis confitetur, & pro nostro interiori homine, hoc est anima, Verbum dicit in carne fuisse, Passionisque sensum & ab inferis Resurrectionem Divinitati audet adscribere.* Et infra pergit: *Necessùm est vobis Apollinaristis aut negotium Passionis, Mortis & Resurrectionis, opinionem ac apparitionem meram dicere, idque secundum Marcionem & cæteros Hæreticos, aut Divinitatem Verbi patibilem nominare, prout Arius ac ejus Gregales voluerunt.* Apollinarii, ipsum Deum Verbum fuisse passum garrientis, errorem strenuè expugnat, & prosequitur: *Congrua vox, & quæ vos optimè deceat, & quæ cum Arianis optimè convenerit. Idem enim ipsi in suis Dogmatibus statuunt.* Et iterum infrà: *Rursùm alii Hæretici, qui cùm Deitate carnem recipiunt, negant eum habuisse animæ naturam, similesque efficiuntur furiosis Arianis, qui connectunt flexuosas & obliquas propositiones, quò simpliciores capiant istiusmodi tricis, ipsi interim hæsitabundi in fide.* Eundem errorem Ario & Arianis adscribit in sancti Matthæi Commentario sanctus

Lib. 4. cap. 1. | Hæref. 69. c. 19. | Cap. 33.

ctus Hilarius Pictaviensis Episcopus: *Sed eorum*
Cap. 3. *omnis hic sensus est, ut opinentur metum mortis in Dei Filium incidisse, qui adserunt non de æternitate esse prolatum, neque de infinitate Paternæ Substantiæ exstitisse, sed ex nihilo per eum, qui eum creavit, effectum; ut assumptus ex nihilo sit, & cæptus ex opere, & confirmatus ex tempore. Et ideo in eo doloris anxietas, ideo Spiritus Passio cùm Corporis Passione. Ideo metus mortis, ut qui mortem timere potuit, & mori posset.* Dixerunt Verbum in carne passum, & perfunctum omnibus animæ usibus quod ejus vires in carne expleffet. Hæc omnia confirmat in Libro de Fide Presbyter Ruffinus: *Si JESUS CHRISTUS animam non habuisset, sicut nefarii æstimant Ariani.* Et iterum: *Nè quis audiens beatum Paulum dicentem, quod humiliavit se Dominus usque ad mortem, Passionem Crucis Deo adnectat, sicut nefarii faciunt Ariani.* Et in quinto Hæreticarum Fabularum
Cap. 10. Libro Theodoretus: *Arius & Eunomius Dominum dicunt quidem Corpus assumpsisse, sed Divinitatem exercuisse usum animæ.* Quare sanctus Augustinus, dum hunc Arii errorem scripsit esse paucis notum, ac à nullo impugnatum, locutus est de Africana Ecclesia, non de Gallicana aut Orientali.

Hæres. 69. cap. 49. cap. 50. Sanctus Epiphanius in Panario congessit varia, Dominicam animam Laudantia Divina Testimonia, atque prosequitur: Ariani *pergunt in aucupandis vocibus, quæ rectè ac præclarè in unoquoque Scripturæ loco conceptæ sunt. In quo Piratas imitantur, qui Sana corpora mutilant. Ita illi Testimonio quodam abutuntur, ac loquendi consuetudine, quàm tropicè sæpiùs usurpare Scriptura consuevit. Et quidem quod ad eum modum tropicè dictum est, tanquam verè & propriè dictum adferre solent; quod autem verè & infinitè pronunciatum est, aliam ad Personam per allegoriam trahunt. Hìc enim accurrunt statim, & ex Esaia sententiam hujusmodi proferunt, in qua Pater sic loquens introducitur: Eccè intelligit Puer meus dilectus, in quo mihi placui, quem diligit anima mea.* Uti hìc Deo Patri, ita ab aliis Sacrarum Literarum locis animam Christo Domino adscribi Ariani dicunt
Cap. 38. per tropum. Quod ipsum Epiphanius repetit in Libro Ancorato. Videntur isti dixisse quod Deus Verbum non esset vera anima, nec aliquod ejus individuum, ideoque nec per istam vocem propriè significaretur. Esse possit quod isto tempore quidam garrierint talia. Etenim Arianam hæresim fuisse à variis factam variam, & dissectam in plurima frusta, est omnibus compertum. Ista interim nullatenus fuit sententia ipsius Arii. Porrò Lucianus Martyr apud sanctum Epiphanium malè oluit. Istius caussam supra exposui atque expurgavi.

Hæres. 60. c. 2. Origenem esse Arii Patrem rectè scripsit ad Joannem Hierosolymæ Episcopum laudatus Epiphanius. Quod enim Filium ac Spiritum Sanctum à Deo Patre diviserit, quod nec à Filio Patrem, nec à Spiritu Sancto Filium plenè cognosci garriverit, quod omnes alias circà Sacro-Sanctam Trinitatem blasphemias Ario præformarit, docent ejus Libri de Principiis. Et hinc suum Patriarcham Dioscorum, quod Origenis
3. Dogmata sectaretur, adeoque & Sacro-Sanctam Trinitatem blasphemaret, apud Chalcedonensem Synodum constanter accusavit Theodorus Diaconus, ac Sophronius civis Alexandrinus. Origenem ab hiscè erroribus purgari non posse constanter affirmat in Libro de Sectis Leontius Act. 10.
Byzantinus, atque prosequitur: *Origenes de præexistentia tradebat antè sæcula mentes fuisse, ac puras quidem omnes, tum Dæmones, tum animas, tum Angelos, ministeria Divina obeuntes, & Dei mandatis obtemperantes. Diabolum verò de his unum, quod arbitrii libertate præditus esset, Deo voluisse resistere, ideoque rejectum à Deo; simul universas alias copias cùm ipso defecisse. Qui graviter deliquissent, Dæmonas factos, qui minùs, Angelos: Qui adhuc minùs, Archangelos. Eodem deinceps modo quemlibet pro delicto suo pœnas tulisse. Reliquas fuisse animas, quæ neque tam gravi scelere semet obstrinxissent, ut Dæmones evaderent, nec rursum adeò levi, ut Angeli fierent.* Quod ipsum de Origene tradunt Laudatus Epiphanius, sanctus Hieronymus, sanctus Augustinus, Quinta Synodus, sanctus Sophronius, & alii plures. Et lucet ex Libris de Principiis. Proinde apud Origenem omnes Mentes sunt ejusdem naturæ ac speciei, atque ita Angelus, Dæmon, Anima, sunt diversi dumtaxat Meriti ac Officii nomina, non diversæ naturæ. Leontius loquitur ex Imperatoris Justiniani ad Quintam Synodum Literis: *Origenistæ dicunt Mentes fuisse prorsùs & numeri & nominis expertes, omniaque rationalia unum esse identitate substantiæ & operationis, & virtute apud Deum Verbum per unitionem & cognitionem. Has verò mentes, ubi susceperint juxta uniuscujusque captum satietatem Divinæ Dilectionis & contemplationis, per mutationem ipsarum in deterius, vel crassiora vel tenuiora corpora induere, & nomina sortiri, ac inde Cæleſtes & Administras subsistitise Virtutes. Immò & Solem & Lunam, & Stellas, utpotè quæ & ipsa in rationabilium unitate sint, ex mutatione in deterius facta, hoc esse cæpisse quod sunt. Ea verò rationabilia, in quibus magis Dei amor refrixerit, animas nuncupari, & crassioribus, qualia nostra sunt, corporibus immitti. Quæ autem ad extremum perversitatis venerint, ea frigidis & caliginosis inseri Corporibus, & Dæmones fieri & nuncupari. Ac proindè ex Angelico quidem statu fieri animalem, ex animali Dæmoniacum & humanum. Unam autem dumtaxat Mentem, ex tota Unitate rationalium imperturbatam perstitisse, & immotam à dilectione Divina & contemplatione, eamque fuisse Christum, Regem, Deum, & hominem.* Unicam illam tam beatam Mentem affirmat suà spontè ad reliquas redimendas ac reparandas descendisse in carnem, factam esse animam, & hominem constituisse. Eam à nostris animabus non differre specie, ac esse Deum Verbum: Hoc vice animæ, immò ipsam animam fuisse, & sic ipsum Verbum esse passum, ac per mortem à corpore solutum.

Hinc Arius fuit etiam Samosatensis Pauli atque Artemonis Discipulus, ac Magister Nestorii: Docuit Christum Dominum esse vulgarem ac purum hominem. Disertè hoc scribit in quarta contra Arianos Oratione sanctus Athanasius: *Verbum homo factum est, & non in hominem, qui jam erat, supervenit. Nam & hoc quoque cognitu necessarium est, nè quando qui hìc ruinam passi sunt impii, etiam alios secum eodem præcipitent. Quippe*

qui

qui existimant eum, quemadmodum priscis temporibus in unumquemque è Sanctis descendit, ita tum quoque in Mariæ Filium descendisse, ut eum Sanctificaret, & in eo se ostenderet, ut in cæteris Sanctioribus hominibus fecit. Hoc ipsum scribit in Literis ad Adelphium Episcopum, in Literis ad Maximum Philosophum, in Literis ad Serapionem Episcopum, in Literis ad Antiochenam Ecclesiam, in Literis ad Epictetum Corinthiorum Episcopum, in Libro de incarnatione Verbi contra Paulum Samosatensem, & in Libro de suscepta per Unigenitum humana natura contra Arianos, in Libro de Domini Incarnatione contra Apollinarium, ac in aliis locis. Istis omnibus in locis nervosissimè demonstrat Deum Verbum fuisse veraciter incarnatum in unam cùm nostra plena natura Hypostasim ac Personam, non contrà Paulum Samosatensem dumtaxat, sed insuper, & quidem principaliter contra Arium.

Eundem errorem Ario adscribit in Literis ad Archibium Presbyterum sanctus Isidorus Pelusiotes: *Quod si* Christus, *ut ajunt* Ariani, *nudus fuit homo, divina gratia decoratus, quare judæi cum olim multos viros Sanctos sustulerint, nihil tamen ejusmodi unquam sunt ob id perpessi?* Et in carmine de sua vita sanctus Gregorius Nazianzenus inter varios ex Ario natos errores ponit & hunc: *Est qui secundum Filium, nempè inferum, inducat.* Et in Sermonum suorum Fragmetis scribit sanctus Augustinus: *Procedat Arianus, priùs procedat Photinianus, Hæretici qui Dominum Jesum nisi hominem omninò non noverunt. Homuncionistæ dicuntur isti Hæretici. Homuncionistæ, qnia non noverunt Christum, nisi hominem.* Et in decimo de Sactissima Trinitate Libro scribit sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus: Hæretici *volentes Unigenitum Deum, qui in Principio apud Deum erat Deus Verbum, non substantivum Deum esse, sed Sermonem vocis emissæ, ut quod loquentibus est suum verbum, hoc sit Patri Deo Filius, argutè subrepere volunt, ne subsistens Verbum Deus, & manens in forma Dei, Christus homo natus sit: ut cùm hominem illum humanæ potiùs originis caussa, quàm Spiritualis conceptionis Sacramentum animaverit; non Deus Verbum hominem se ex partu Virginis efficiens exstiterit, sed ut in Prophetis Spiritus Prophetiæ, ita in Jesu Verbum Dei fuerit.* Omninò notat Arianos, hi enim duos Dei Filios, & duplex distinxerunt Deum Verbum: Intrinsecum & Consubstantiale, atque Extrinsecum ac substantia diversum. Et hoc est illa Suprema ac immota Mens. Hanc solam Arius dixit Dominicæ Personæ constitutivam. Extrinsecum, quod dumtaxat prolatitium, Dei Verbum dixit in ipso, ut in Prophetis, dumtaxat habitasse, ideoque illum non fuisse, nisi purum hominem. Eundem errorem largè discutit infra, & adfirmat ex ipso dogmatizari varia. Primò, quod Christus Dominus ante Mariam non fuerit. Deinde, quod non Propria suæ animæ, sed aliena inhabitantis Verbi virtute patrarit miracula. Tertiò, quod ab isto Verbo in Passione fuerit desertus, atque ita deficiens clamavit: *Deus! Deus meus! quare me dereliquisti?* Est antiqua Cerinthi ac Ebionis, qui primi Dominicæ Inhumanationis Sacramentum præsumpserunt arietare, Judaica blasphemia, resumpta ab Ario, ac etiam à Photino. Utì hos ambos sanctus Augustinus conjunxit, ita & in ambos, licet non exprimat, scribit sanctus Hilarius.

Lib. 4. Ep. 166

Quod quidam Ariani plenè cùm Photino senserint, disertè tradit sanctus Athanasius in Libro seu Epistola de Actis Nicænæ Synodi: *Eusebius ex Cæsaræa Palestinæ miser prorsùs in eo fuit, quod ut se apud Nicænam Synodum purgaret, coactus fit Arianos accusare, quod illi Scriptum reliquissent non fuisse Filium, antequam gigneretur, ac inde ratiocinari vellent eum nec ante carnis quidem nativitatem exstitisse. Et hoc ipsum scit* Eusebii in Cæsaræensem Cathedram proximus Successor *Acacius, nisi & ille quoque nunc metu temporum dissimulandum putet, & veritatem velit inficiari*: Blaterare quod Christus Dominus ante Mariam Matrem non fuerit, est Purus-putus Pauli Samosatensis ac Photini error, & Arii blesphemiis nullatenus consonat. Etenim generosam illam Mentem, quæ pro reparandis allis semetipsam dimisit ut esset anima, Arius dixit dudum fuisse ante Virginem Matrem. Et neque Paulo neque Photino placuerunt ista Platonica Origenis somnia. Uterque dixit Christum Dominum esse purum hominem, & in corpore & in anima ortum ex Matre. Quare Photinus non ipsum Arium sectatus est, sed nescio quos Arianos. Et hinc vides Arianos circà hunc articulum fuisse varios, & quosdam à suo Coryphæo discessisse. Nam & tunc Origenis Figmenta pessimè fætebant apud omnes Ecclesias.

Istorum Arianorum sensum sanctus Athanasius exponit in Oratione, qua demonstrat Christum Dominum esse unum: *Isti progressi sunt ad incredulitatem, & Inhabitationem pro Incarnatione Fabricati sunt, & pro unitione & compositione Dei cum homine Indolem ac Industriam humanam, & pro una Subsistentia Domini nostri Jesu Christi, duas Subsistentias & duas Personas, & pro Sancta Trinitate quaternitatem, ineptè simul ac impiè sentientes. Ineptè, quod Deo hominem co-æquant, & quæ servi sunt, cum Domino in eodem gradu & numero collocant; & conditam personam cum inconditis personis construunt; Impiè verò, quod unam Subsistentiam peregrinam omninò & alienigenam, & ex omnibus rationalibus creaturis ultimam & minimam, Trinitati admiscent. Quod si denuò exactè animadvertas, & rebus ipsis oculos intendere velis, deprehendes eos extra Trinitatem summoperè Dominum nostium Jesum Christum, ut mancipium, ut hominem inadorabilem, ac potius adorantem, & unà cum cæteris omnibus inservientem, & subjectum Sanctæ Trinitati, ut Marcellus & Paulus Samosatensis, Apostolica scripta ad suam detorquentes sententiam, interpretentur.* Quod hanc Orationem post Julii Pontificis de se Judicium, immò & post Sardicensem Synodum sanctus Athanasius scripserit, evincit Marcelli Ancyrani Episcopi accusatio. Quod enim ipsum & in ista & post istam Synodum aliquo tempore sanctus Athanasius Marcellum pro plenè Orthodoxo coluerit, est omnibus exploratum. Et isti Errones, licet Sanctam Trinitatem profiterentur, & Christi Domini animam à Divini Verbi natura ac Persona plurimùm distinguerent, erant tamen Ariani, fucati tamen & mitigati. Variarum factionum fucos & dolos suus Locus exponet. Adversùs Dominicæ Incarnationis Sacramentum isti utebantur

istis

istis ipsis argumentis, quæ postmodò resorbuit Nestorius. Ita vides in laudata Oratione sancti Athanasii.

Erroris originem sanctus Athanasius exponit in Literis ad Adelphium Episcopum: *Unde enim in illos*, Arianos, *hoc* abnegatæ Dominicæ Incarnationis, *malum subiit? Aut quomodo omninò ausi sunt hanc novam ignominiam contra Salvatorèm imaginari? Cæterùm, ut apparet, mala omninò res, Impius; & is qui circa fidem improbus invenitur. Antea enim, dum abnegarent Deitatem Unigenti Filii Dei, simulabant sese quidem vel saltem ejus in carne adventum agnoscere; nunc autem pauxillatim subsidentes, & sese substrahentes, ut homines prorsus impii, ab ista opinione deficiunt, adeo ut jam ulteriùs neque Deum cognoscant, neque hominem factum eum credant. Si enim credidissent, nunquam talia locuti fuissent, qualia tua Religiositas adversùm eos Scripto prodidit.* Proinde fucata Arianismi non correctio, sed obvelatio induxit purum-putum Nestorianismum. Primò dixerunt in Christo Domino nihil fuisse, nisi humanam carnem & ex suprema Mente voluntariam animam, atque ita Divini Filii Incarnationem profitebantur. Postmodò Nicænæ Synodi anathema veriti, Divinum Filium magis exaltarunt, atque ita ejus pro nobis humilitatem exufflarunt, garrientes adeò sublimem Naturam carni non posse uniri. Nam & hoc fuisse Ario Principium, disertè scribit sanctus Epiphanius: Ariani dicunt,
Hæres. 69. c. 15 *si* Filius *ex Patre est, quomodo descendit in carnem? Aut quæ nulla re capi & contineri natura potest, carnem induit, si naturaliter à Patre Processit?* Hinc ergò illorum quidam, dum Filii veram Divinitatem profiteri simulant, Incarnationem ejus amiserunt. Quod simularint, jam dixit sanctus Athanasius. Et est omnibus exploratum. Porrò inter articulos, quos sancto Athanasio retulit Adelphius, fuit & hic: *Deus est crucifixus, mortuus, sepultus.* Hunc dixit ab istis Arianis everti & abnegari. Et quidem isti loquebantur consonè ad sua principia. Etenim si Deus Verbum non sit incarnatus, nec est crucifixus, aut mortuus. Unde ista omnia docuit & Nestorius. At ipsa potentissimè evertit, ac istam Propositionem esse verissimam demonstrat sanctus Athanasius in laudata Epistola, in Literis ad Antiochenam Ecclesiam, in Literis ad Epictetum Corinthi Episcopum, ac in Libro de Dominica Incarnatione contrà Apollinarium.

Alium insuper aliorum Arianorum de Dominica Incarnatione errorem adducit sanctus Phæbadus Episcopus Agennensis: *O duces cæci, o sæculi ambitione decepti, non distinguentes Dominicæ Potentiæ duplicem statum, in sua unumquemque proprietate distantem, & quidquid de homine ejus dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus hominis imbecillitate societur. Et idcircò duplicem hunc statum non conjunctum, sed confusum vultis videri, ut etiam unus vestrum, id est, Epistola Potamii, quæ ab Oriente & Occidente transmissa est, qua adserit Carne & Spritu Christi coagulatis per Sanguinem Mariæ, & in unum corpus redactis, passibilem Deum factum. Hoc ideò, nè quis illum ex eo crederet, quem impassibilem satis constat. Fecistis igitur de Spiritu Dei & Carne hominis nescio quid tertium: Quia nec verè etiam Deus est, si Verbum esse desivit (caro enim factus est) neque verè homo, quia non propriè caro. Fuit enim Verbum, ac sic ex utroque jam neutrum.* Potamius fuit Ulyssiponensis Episcopus, & ipsum unà cum Hosio Cordubensi Episcopo fuisse lapsum in Syrmiensi Syuodo, ac ab illis fuisse compositum Syrmiense Symbolum, affirmat in Libro de Synodis sanctus Hilarius. Illum fuisse Ulyssiponensem Episcopum disertè affirmant in exhibitis Magno Theodosio Imperatori precibus Presbyteri Romani Faustinus & Marcellinus: *Potamius Ulyssiponæ Civitatis Episcopus, primùm quidem Fidem Catholicam vindicans, postea verò præmio fundi Fiscalis, quem habere concupierat, fidem prævaricatus est. Hunc Hosius de Corduba apud Ecclesias Hispaniarum & detexit & repulit ut impium Hæreticum. Sed & ipse Hosius, Potamii querela accersitus ad Constantium Regem, minisque perterritus, & metuens nè senex exilium proscriptionemque pateretur, dat manus impietati, & post tot annos prævaricatur in fidem.* Apud Syrmium, unà cum ipso Potamio, quem antea damnaverat. Et infra pergunt: *Sed & Potamio non fuit inulta sacræ Fidei prævaricatio. Denique dum ad fundum properat, quem pro impia fidei subscriptione ab Imperatore meruerat impetrare: dans novas pœnas linguæ, per quam blasphemarat, in via moritur, nullos fructus fundi vel visione percipiens. Non fuit Avari hoc tormentum leve. Moritur qui propter concupiscentiam fundi Fiscalis Fidem Sacram violaverat, & cum ad fundum properat, pœnali morte prævenitur, nè vel visionis solatio potiretur.* Hic Apostata Potamius Deum Verbum, cùm Arianis blaterans Creaturam, humanæ naturæ non solummodò adunatum credidit, sed etiam commixtum & confusum, atque ita Apollinario & Euticheti præbuit exordia & fomenta. Lucidè hoc affirmat sanctus Phæbadus: *Non ergo fit Spiritus caro, nec caro spiritus, quod isti volunt egregii Doctores, ut factus sit scilicet Dominus & Deus noster ex hac substantiarum permixtione passibilis. Ideo autem passibilem volunt dici, nè ex impassibili credatur.* Ariani igitur hoc in puncto erant Cadmæi Fratres. Alii cum Paulo Samosatensi ac Nestorio, alii sentiebant cum Apollinario ac Eutichete.

Hac de caussa datus in reprobum sensum Nestorius Orthodoxam Dominicæ Incarnationis fidem, ac præsertim sancti Cyrilli Alexandrini Patriarchæ famosa Capitula non duntaxat de Apollinario accusavit, sed etiam de Ario. Prima ejus ad sanctum Pontificem Celestinum Relatio habet: *Est ægritudo non parva, sed affinis putredini Apollinarii & Arii. Dominicam enim in homine unionem ad cujusdam contemperationis confusionem passim commiscent, adeò ut quidam apud nos Clerici tanquam hæretici ægrotent, & apertè blasphement Deum Verbum, Patri Homousion, tanquam Originis initium de Christicola Virgine sumpsisse.* Eos accusat, quod Carnem in Deitatem, Deitatem dicant transiisse in carnem, atque ita utrumque corrumpant. Quod dicant non solam carnem, sed & ipsam illi commixtam Deitatem natam ex Virgine, passam, mortuam, è mortuis suscitatam. Exstat Epistola in prima parte Concilii Ephesini. Et in suis contra Arianos Disputationibus idem Nestorius etiam vocem, *Deipara*, blateravit esse ab

ab Ario, ideoque ejus resumptores Orthodoxos esse Arianis nequiores. Blateravit ab ista voce importari ipsius Deitatis maternitatem, ideoque & confusionem. Habes hæc in primo sancti Cyrilli Libro contra Nestorium. Et Ephesinum Joannis Patriarchæ Antiocheni Conciliabulum in Sententia, qua sanctum Cyrillum Alexandrinum & Memnonem Ephesinum Episcopum damnavit, edixit de laudatis istius Capitulis: *Maxima illorum pars Arii, & Apollinarii, & Eunomii impietati est consentanea.* In ejusdem Conciliabuli Actis exstat Epistola Orientalium Episcoporum ad Venerabilem Rufum, Thessalonicensem Antistitem, Apostolicæ Sedis in omni Illyriciana Diœcesi Vicarium, quæ magno impetu demonstrare nititur ab istis Capitulis importari confusionem naturarum, ideoque sentiri cum Ario & Eunomio, atque adjungit: *Norit Pietas tua, Arianorum Doctores nihil aliud in Ecclesiis suis hoc tempore docere, quàm quod Consubstantialitatis Assertores jam demùm cum Ario sentiant, quodquè veritas, quæ diu latuerat, nunc tandem in lucem prodeat.* Affirmat sancti Cyrilli Capitula ab Arianis fuisse probata, laudata, admissa. Addit ab illis Capitulis adscribi Deo Verbo etiam has voces, *Deus! Deus meus! quare me dereliquisti? Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et pergit: *Quæ perspicuè cum Arii & Eunomii impietate congruere quis facilè viderit. Isti enim cum Heterousion, & naturarum diversitatem adstruere non valerent, perpessiones & humiles illas voces Divinitati Christi adscribunt.* Quæ omnia Orientales Episcopi, ac præsertim Theodoretus Cyrensis, ad nauseam repetiverunt in suis Scriptis adversùm laudata Capitula. Et quidem hi omnes, licet rectè ad Potamium, Eunomium, ac alios istiusmodi Arianos proclamarunt, videntur non rectè ad Arium proclamasse. Arius videtur confusionem non docuisse. Etenim Deum Verbum docuit aliud non esse, quàm humanam ex Mente animam, adeoque docuit cum Paulo Samosatensi ac Nestorio purum hominem. Attamen verba sua, dum fœdam blasphemiam timet nudam exponere, sic fucavit & torsit, ut isti errori præbuerit ansam, exordia, fomenta.

Et quidem quod Arius vocem, *Deipara*, dilexerit, atque ex ipsa suam blasphemiam studuerit stabilire, est omninò verum. Sanctus Cyrillus in suo adversùm Orientales Episcopos pro suis Capitulis Responso istud admittit de Nestorio, immò & profitetur. 4. Istud ipsum admittit de Apollinario atque Eunomio. Verum nullatenùs admittit ipsos esse istius Vocis auctores, ideoque nec Vocem repudiandam. Vox ista est à Spiritu Sancto per sanctam Elisabeth: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ex hoc fonte ipsam acceperunt Apostoli, Patres antiquissimi, omnis Ecclesia. Omittere nolim scelerati Nestorii extremum de ista voce sensum: *Dixi jam sæpius, si quis inter vos simplicior, sivè inter quoscumque alios, voce hac; DEI GENITRIX, gaudet, nulla est apud me de Voce invidia. Tantùm nè Virginem faciat Deam.* Et sanctus Cyrillus in primo adversùs Hæresiarcham Libro respondit: Cap. 10. *Rursùm nobis conviciaris, & amarulentum os infigis, exprobras etiam Ecclesiæ Domini, ut scriptum est. Verùm nos, o vir egregie, qui illam Dei Genitricem dicimus, neminem unquam, qui inter creaturas censeretur, Deum fecimus, atque hunc morem tenemus, ut Deum sciamus illum unum & natura & verè Deum. Scimus etiam beatam illam Virginem fuisse hominem, nostri similem.* Nestorius nequaquam effutiit, quod nostri simpliciores Deiparam dicerent Deam: Dumtaxat monuit id non dici. Suspicatus est ex sublimi Deiparæ elogio id posse subsequi. Et sanctus Cyrillus id accepit ut commentum, contumeliam, & criminationem in totam Ecclesiam, & meritò; Etenim superbus & contumax Hæreticorum Spiritus semper accusat Ecclesiam, & præliatur in inferiorum membrorum simplicitatem: & hujus simplicitatis fidem constat esse rectam & firmam. Quæ omnia omninò quadrant in fœdam hodie Chartam, quæ dicitur, *Monita Salutaria*; Sublimes, quæ Complementa appellat, Sacro-sanctæ Virginis Titulos improbat, nè à nostris simplicioribus credatur Dea. Convitiatur, accusat, calumniatur non dumtaxat fidelem plebem, sed omnem Ecclesiam. Nulla Titulorum sublimitas est tantæ Virgini sufficiens. Est adeò eminens Divinæ Electionis Vas, ut in Libris advesùs Marcionem Septimius Tertullianus, hinc indè in Sacram Virginem non satis venerabundus, constanter adserat propter ipsam esse creatum Universum fæminei sexus humanum genus: *Sciebat* Dominus Adamo *Sexum Mariæ*, Lib. 2. cap. 4. *ac deinceps Ecclesiæ profuturum.* Hanc affirmat esse istius creationis caussam. Apagè fædam Chartam, indignam refutari.

Arius non dumtaxat Apollinario & Euticheti, cæterisque Confundentibus, sed etiam Monothelitis præformavit hæresim. Hinc in sua Lateranensi Synodo sanctus Martinus Pontifex anathematizat Sabellium, Arium, Eunomium, Apollinarium, Eutichetem, & omnes Confundentes hæreticos, atque subjungit: *Et eos qui similia cum his usque in finem obstinatè sapuerunt, aut* 10. *sapiunt, aut sapere sperantur, hoc est Theodorum quendam Pharanitarum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, vel ejus Successores Pyrrhum & Paulum.* Palàm adfirmat Monothelitas cùm Ario & Eunomio sensisse. Et per Jacobum Gretzerum, vulgatum sancti Anastasii Sinaitæ Opus adfirmat, Arianam hæresim fuisse excitatam à Diabolo tragædiam, & adjungit illius Sectatores esse Apollinarium, ac Cap. 4. *Eunomium, qui Dei Verbum creaturam diceret, atque unam Divinitatis ac humanitatis ejus naturam, voluntatem, & actionem.* Quod ipsum scribunt & alii Patres. Et res est evidens. Etenim Arius garrivit in Christo Domino nihil esse, nisi carnem & humanam ex Mente animam, atque ita non potuit non dicere & unicam voluntatem. Et hinc in Florentina Synodo Eugenius Quartus ab admittendis in Catholicam Communionem Jacobitis exegit hanc professionem: *Ecclesia Catholica anathematizat etiam Arium, qui asserens corpus è Virgine adsumptum anima caruisse, voluit loco animæ fuisse Deitatem.* Et Deitatem hanc non fuisse nisi humanam ex Mente animam. Ista Professio meritò fuit exacta à Jacobitis. Hi enim præluxerunt Monothelitis.

Arius etiam Pelagiana laboravit Hæresi. Lucet ex Literis sancti Alexandri Patriarchæ Alexandrini ad sanctum Alexandrum Episcopum Constantinopoli-

politanum: *Ariani addunt Deum Verbum mutabilis esse naturæ, virtutisque & vitii capacem, & hac, ex non exstantibus, voce inducta, Divinas Literas, quod semper fuerit, labefactant, quæ Verbi immutabilitatem ac Sapientiæ Verbi Divinitatem docent, quod est Christus. Quare possumus & nos, ut istæ furiæ dicunt, Filii Dei fieri, sicut & ille. Scriptum est enim: Filios genui, & exaltavi. At cum illis objicitur, ipsi autem spreverunt me, quod Servatoris naturæ non convenit, qui natura est immutabilis, pudorem omnem exuentes, Deum ajunt, cum præscientia & præsensione sua nosset aspernaturum non esse, ipsum ex omnibus eligisse. Non enim quod natura, & præ aliis filiis præcipuum quiddam haberet; natura quippe, ut dicunt, Dei Filius nullus est, nec ullam ad eum habet proprietatem; sed quia cum mutabilis esset naturæ, propter singularem morum curam & diligentiam ad deteriora mutatus non est, ipsum elegit. Adeo ut si Paulus & Petrus in hoc elaborarint, nihilo bis præstantior foret illius Filiatio. Quam isti vesanam Doctrinam ut adstruant, Scripturis quoque illudentes, illud adjiciunt quod in Psalmis de Christo dictum est: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Arius cum Origene garrivit ex omnibus ab exordio creatis Mentibus omnes apostatasse præter unicam: Apostatasse per liberum arbitrium, ideoque & perseverare potuisse. An istas in recta voluntate conditas, & plenis illius custodiendæ viribus instructas crediderint, ignoro: Si crediderint, eo usque non pelagianizarunt. Interim variè errarunt. Primò, quod istarum Mentium æqualitatem somniarint. Deindè, quod omnes præter unam apostatasse dixerint. Tertiò, quod Mentem perseverantem ob istius perseverantiæ meritum dixerint adsumptam ad Divinam Unionem ac filiationem. Quartò, quod dixerint etiam sanctam Petri ac Pauli Mentem perseverare, atque ita Christum fieri. Hi duo posteriores sunt Pelagianæ ac item Nestorianæ hæresis articuli, quos insigniter expugnat sanctus Augustinus in Libro de Prædestinatione Sanctorum, ac in Libro de dono perseverantiæ. Ex istis item vides Arium fuisse abusum media Divinæ Majestatis Scientia.

Arius laboravit etiam Iconoclastica Hæresi, & est primus fons & Auctor illius. Ita testatur ac demonstrat septima Synodus. Etenim profana Constantini Caballini in Hieriæ Palatio Synodus in nos Orthodoxos vomuit hoc convitium: *Væ illis, quia cùm Ario, & Dioscoro, & Eutychete, atque cùm Acephalorum hæresi erraverunt.* Blateravit, quod Christi Domini Divinitatem cùm Ario circumscripserimus loco, aut cum Dioscoro & Eutichete miserimus in carnem, atque ita crederemus posse depingi. At verò in Eruditissimo, per septimam Synodum probato, ac in sexta ejus Actione per Epiphanium Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconum lecto Opere respondit sanctus Srephanus Martyr, ac Abbas apud Bythinios in Monte sancti Auxentii: *Quis eos non execrabitur cum Ario, & Dioscoro, & Eutychete dicentes, atque cùm Acephalorum hæresi errare* Ecclesiam, *ipsis hos habentibus Præceptores, & Tutores suæ ipsius nova eligentis hæresios?* Etenim *in subsequentibus Eusebius Pamphili ab eis in testimonium ducitur, qui ab omni Ecclesia Catholica noscitur Patronus esse Arii hæresios, quemadmodum in omnibus conscriptis suis Expositionibus continetur, secundum adorabile Deum Verbum dicens, & Ministrum Patris, & secunda Dignitatis habentem, ab Homousii differens Majestate, & commutationem sanctæ Carnis Domini in Divinitatis naturam; ac per hoc confusionem dogmatizans, nec Iconam recipit, sed neque omnis Arianorum scelerata Collectio. Prædicant enim sine anima rationali hominem factum fuisse Dominum nostrum, & pro anima Divinitatem habere, ut Passionem in eam efferant, sicuti testatur Gregorius Dei-loquus. Et utpotè Deitatem passam fatentes, non admittunt Imaginem.* Porrò Eusebii per sceleratam istam Synodum adducta ac laudata auctoritas, est ejus ad Imperatricem Constantiam Magni Constantini Germanam Sororem, quæ Christi Domini Imaginem postulaverat sibi transmitti, hoc Rescriptum: *Quia verò de quadam Imagine quasi Christi scripsisti, hanc volens tibi à nobis mitti; quam dicis, & qualem hanc quam perhibes, Christi Imaginem? Utrùm veram & morum mutabilium, & natura characteres suos portantem, an istam quam propter nos suscepit, servi formę schemate circum-amictus? Sed de forma quidem Dei nec ipse arbitror te quærere, semel ab ipso edoctam, quoniam neque Patrem quis novit, nisi Filius, neque Filium novit quis aliquando dignè, nisi solus Pater, qui eum genuit. Sed utique servi formæ Imaginem quæris, & corpusculi quo amictus est propter nos. Sed & id gloria Divinitatis temperatum didicimus, & absorptum mortale à vita. Quis ergò hujusmodi dignitatis & gloriæ vibrantes & præfulgentes splendores exarare potuisset mortuis & inanibus coloribus & scripturis umbraticis?* Addit transfiguratum Domini Corpus in Monte Thabor ab Apostolis non potuisse conspici, atque adeo longè minus posse depingi. Et laudatus Martyr Stephanus denuò affirmat, ac lucidè demonstrat Eusebium fuisse Arianum, atque prosequitur: *Cùm hac Apostatica sua Hæresi Arianæ insaniæ Inventores & unam naturam dogmatizant in unitione, quæ est per subsistentiam, & prædicant carnem sine anima suscepisse Dominum nostrum in salutari dispensatione sua, dicentes Divinitatem adimplesse animæ voluntatem & motum, ut Passionem, sicut ait Gregorius Theologus, Divinitati adscribant. Et qui Passionem Divinitati applicant, constat eos Theopassitas esse. Et qui hujus hæresios sunt participes, Imagines non admittunt. Quemadmodum nec impius Severus, & Petrus Cnaphæus, & Philoxenus Hierapolitanus, & omnis qui circa eos est Polycephalos & sine Capite Hydra. Hujus ergò factionis etiam Eusebius existens Imaginem Christi tanquam Theo-passianus abjicit, & hac pro caussa Constantiæ, Licinii Uxori, scribit non aliquando apud se inveniendam Imaginem.*

De eadem scelerata Constantini Synodo, ac de eadem Cæsaræensis Eusebii ad Constantiam Imperatricem Epistola dixit in quinta laudatæ Synodi Actione sanctus Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus: *Eusebium attulerunt in testimonium, qui adversùm venerandas Imagines garriverunt, in Epistola ejus quam ad Constantiam Licinii Uxorem scripsit.* Et Episcopi responderunt Eusebium fuisse Arianum, ideoque istiusmodi Dogma in ipso non admirandum. Quod nempe & Arius & Ariani omnes essent famosi de Ico-

Iconoclastia. Ita responderunt Apostolica Legatio, Basilius Ancyræ Metropolita, Christophorus sanctæ Cyrianæ Episcopus, ac universa Synodus; & demonstrarunt ex octavo istius Eusebii ad Euphrationem Libro, ac ex Scriptis Antipatri Archi-Episcopi Bostrensis. Ejusdem rei meminit in primo adversùs Iconoclastas Libro sanctus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, & inde concludit ipsos delinquere etiam in Synodum Nicænam; quod nempe laudent & in testem adducant Eusebium damnatum in ista Synodo, & ejus profanas Literas ad Augustam Constantiam. Et de Imaginibus quas in Xerolopho, seu foro Theodosiano habuit olim Constantinopolis, scribit in Libro de ejus Originibus Georgius Codinus: *Imagines Metrophanis, Alexandri & Pauli, sanctorum istic Episcoporum, à Constantino Magno tabulis ligneis incisæ erant, & collocatæ supra magnam columnam Porphyreticam ad Orientem, quas Ariani rerum potiti in Milliario aureo combusserunt unà cum Imagine sanctæ Deiparæ, & ipsius JESU CHRISTI infantis.* Et istud probat ex decimo Libro Ancyrani Chronographi, & Anastasio. Attamen omnes istæ Imagines nequeunt istic fuisse positæ per Magnum Constantinum: Etenim sanctus Alexander illi supervixit, & sanctus Paulus non nisi post ejus mortem est factus illic Episcopus. Porrò tam in antiqua quàm in nova Roma Aureum Milliarium erat in Fori medio deaurata Columna, incisas sibi habens omnes principales vias, & à qua ipsarum Milliaria numerabantur. Quare dum quis locus legitur tot vel passuum millibus distasse à Roma, non Romanas Portas debes accipere, sed illud Aureum Milliarium. Istum in finem fuerit isthìc fixum, suo loco latiùs exponetur. Hinc interim vides Sacras Imagines non dumtaxat fuisse improbatas ab Arianis, sed & dejectas.

Ab eisdem prodiit contemptus sacrarum Reliquiarum. Etenim in sanctorum Martyrum Encomio sanctus Asterius Amasænus Episcopus, Helenoponti Metropolita, istorum Heroum Dignitatem & merita insigniter prædicat, atque adjungit: *Plures ipsorum subterraneas memorias spernunt, eorum elevantes ac vilipendentes dignitatem. Nonne, inquiunt, ille homo est? Nonne corpus assumptum est? Nonne eorum memoria in pauculis Reliquiis, eisque sepultis est posita? Hæc planè Gentiles abjiciunt, ac Eunomiani.* Et infra ad Eunomianos declamat: *Novæ Factionis Judæi, quid mirum ut Martyres inhonoretis, qui Christum spernitis, vestrisque ipsum Sermonibus à Paterna æqualitate separatis, quique loca, quibus requieverunt sacra Corpora, velut profana & immunda caveatis? Enim verò qui non cogitatis, quod operæ pretium est, timere Christiani appellationem, qui cùm Gentilibus Martyres odio habeatis.* Et iterum: *Eunomiani Deum blasphemant, Dei hominem probro afficiunt, magisque loca aversantur, quibus Sancti requiescunt, quàm sobrii homines Altaria, ac profana & Dæmonum Sacris polluta loca.* Quod ipsum de Eunomio affirmat in Libro contra Vigilantium sanctus Hieronymus; affirmat Vigilantium ab Eunomio hausisse istas blasphemias. Eunomius resumpsit purum-putum Arianismum, quo alii Ariani tunc passim erubescebant. Et hunc errorem an ex Ario biberit, ignoro. Nihil possum affirmare. Quod Alexandrini Novatienses etiam spreverint Reliquias, affirmat in Photii Bibliotheca sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus. Et addit istum errorem forsan fuisse solius istius Frusti, non totius Hæresis. Et ita omnino fuit. Hoc ipsum esse possit in præsenti puncto: Error iste videtur fuisse solius factionis Eunomianæ. Eadem audacià Evangelicos ac Apostolicos Baptismi ritus demutavit Eunomius: Quam alii omnes, licet plerique rebaptizent, Ariani improbarunt ac damnarunt. Lib. 182. 280.

Ex Arianis prodiit etiam lamentabile Græcorum Schisma, inchoatum ab Eunucho Photio, ac resumptum à Michaele Cerulario, & usque huc durans sub Turcica captivitate. Etenim magni Athanasii, sancti Pauli Constantinopolitani, Marcelli Ancyrani, Asclepæ Gazensis, ac aliorum Orientalium Episcoporum, quos ab Eusebiana Arianorum factione latrocinaliter damnatos Romana Ecclesia ad suam Apostolicam Cathedram appellantes susceperat, à sancto Julio Pontifice factam reparationem decoquere aut eructare non valens ista factio, cœpit adversùs Divina sancti Petri Apostoli Privilegia erigere cristas, blaterare palàm, ac insanire. Blaterarunt Ecclesiæ Hierarchiam ex Christi Domini Instituto non esse Monarchicam, sed Aristocraticam, æquali jure distributam in tres Patriarchatus ac tres Patriarchas, quorum nullus valeat in alterius Diœcesi quidquam disponere. Blaterarunt hoc Divinum Jus esse firmatum à sexto Canone Nicæno. Hìnc laudatos Episcopos esse malè ac vanè reparatos; Julium prævaricatoriè attentasse contra quintum Nicænum, Apostolicum, atque Evangelicum Canonem, ideoque & maculatum contagio istius, quam perperàm attentarat solvere, damnationis. Et ipsum in suo Philippopolitano Conventiculo impudoratè damnavit scelerata Factio. Factio vidit se impingere in Unitatem Ecclesiæ. Etenim unius Corporis nequeunt esse plura Suprema Capita. Hìnc sordes addidit sordibus. Edixit Augustum Principem esse Ecclesiæ caput, atque ita Imperatorem Constantium, hominem Catechumenum, esse Episcopum Episcoporum. Hæc omnia suis locis latiùs exponam. Interim Anglicum Schisma hic videt sua fœda exordia ac fundamenta. Plures insuper errores ebullierunt ex Arianis. Et ipsa fabula sibi non cohæsit. Etenim si omnes ab Exordio ante tempora creatæ Mentes fuerint ejusdem nominis & naturæ, quomodò una creavit omnes alias? Quomodò una sola fuit Deus Verbum? Creatrix caussa non potest non esse æquivoca, ideoque & diversæ naturæ esse à suis Creaturis.

PRIMA SYNODUS

Sancti Petri Alexandrini Episcopi & Martyris.

CANON I.

Quoniam autem quartum Pascha persecutionem jam apprehendit,

hendit, satis est iis qui delati quidem sunt, in custodiamque conjecti, tormentaque non sufferenda, & intolerabilia flagella, & multas alias graves necessitates sustinuerunt, postea autem sunt à carnis imbecillitate proditi: Etiamsi non ab initio suscepti sunt propter gravem lapsum consecutum: Tamen, quia multùm decertarunt & diu restiterunt: Non enim spontè ad ea devenerunt, sed à carnis imbecillitate proditi: Nam & stigmata JESU in suis corporibus ostentant, & nonnulli anno jam tertio deflent: Eis ab adventu per revocationem in memoriam alii quadraginta dies injungantur, quos cùm jejunasset Dominus & Servator noster JESUS CHRISTUS, postquam baptizatus fuerat, tentatus est à Diabolo: In quibus & ipsi cùm valde exercitati fuerint, & constantiùs jejunaverint: deinceps in Orationibus vigilabunt: Meditantes quod dicitur à Domino ad eum qui illum tentat, ut ipsum adoret: abi ponè Satana: scriptum est enim, Dominum tuum adorabis, & illi soli servies.

SCHOLION.

DE sanctissimo Martyre ac Patriarcha Petro scribit in suo Martyrologio sanctus Ado Archi-Episcopus Viennensis: *Sanctus Petrus duodecim annos in Alexandrinæ Urbis Episcopatu exegit, quorum tres ante persecutionem, reliquos verò novem sub diversis tentationum generibus duxit. Cumque se semper in omni agone persecutionum positus Arctioribus vinculis continentiæ distringeret, & ad utilitatem, atque instructionem Ecclesiæ in Dei Verbo nobiliter insisteret, satisque vigilanter ergà omnem Sacerdotii curam diebus sudaret & noctibus, nono persecutionis anno, Episcopatus verò sui duodecimo, Martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit.* Sanctus Petrus ad Imperatoris Diocletiani decimum septimum, ad Christi Domini trecentesimum quartum annum est factus Episcopus. Ita scribit Eusebius in Chronico: *Alexandrinæ Ecclesiæ sextus-decimus post Theonam Episcopus ordinatur Petrus, qui postea nono persecutionis anno gloriosè Martyrium perpetravit.* Pergit Eusebius ad sextum ejusdem Sæculi annum: *Decimo nono Diocletiani anno, mense Martio, in diebus Paschæ, Ecclesiæ subversæ sunt. Persecutio Christiana.* Etenim tunc prodiit crudele Edictum, quo Imperator Diocletianus jussit dirui omnes nostras Ecclesias, Sacra Vasa abripi, exuri Libros omnes & Bibliothecas. Pergit Eusebius ad septimum istius Sæculi annum: *Secundo anno persecutionis Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani, Purpuram deposuerunt.* Interim non cessavit Persecutio. Eam Galerius Maximianus ac Galerius Maximinus pertinaciter & crudeliter continuarunt.

Ita habet antiqua Editio Eusebiani Chronici. Verùm Josephus Scaliger immutat omnia. Etenim sancti Petri Episcopatum ad tertium, crudelia Edicta ad quartum, Diocletiani ac Maximiani cessionem ponit ad quintum istius Christiani Sæculi annum: Et hos annos vult concurrere cùm vigesimo, decimo nono, ac decimo octavo Diocletiani: Et hanc correctionem probat Dionysius Petavius, & adjungit crudelia Edicta secundo istius Sæculi anno emanasse. Et firmat ex quibusdam sancti Augustini, aut intrà Augustini Opera exstantibus publicorum Actorum testimoniis. Compendio hæc habes in secunda parte Rationarii temporum. Est longa & intricata quæstio, ac nostro scopo non necessaria. Persecutionis occasionem exponit Romanum Martyrologium: *Nicomediæ, sancti Eleutherii militis & Martyris, cum aliis innumeris; Qui, cùm Diocletiani Regia incendio conflagrasset, falso hujus criminis accusati, jubente eodem sævissimo Imperatore acervatim necati sunt: Quorum alii gladiis obtruncabantur, alii ignibus cremabantur, alii in mare præcipitabantur.* 2. Oct. Et sancti Adonis Martyrologium: *Apud Nicomediam Natalis sancti Eleutherii Martyris, sub Diocletiano. Cujus tempore contigit aliquam partem Palatii incendio conflagrari. Hoc Imperator à Christianis factum falsa suspicione præsumpsit. Ex quo inæstimabili furore succensus, jubet omnes Christianos acervatim collectos, alios quidem gladio obtruncari, alios ignibus conflagrari.* Uti Nero Romanæ Urbis, ita Diocletianus Nicomediensis Palatii incendium Christianis imposuit, ideoque omnes voluit ablatos. Aliam insuper persecutionis caussam præbuit sanctus Anthimus Nicomediensis Episcopus, summæ Virtutis Exorcista. Quod isto charismate Dæmoniacos Gentium Deos, ideoque & Diocletianum offenderit, ac ipsi persecutionis bilem moverit, testatur Nicephorus Calixtus. Lib. 7. cap. 6.

Quæ omnia amplè confirmat Ecclesiastica Historia Eusebii Cæsaræensis Episcopi: *Per idem tempus Anthimus, qui tunc Ecclesiæ Nicomediensi præfuit, capite propter Christi testimonium cervicibus abscisso moritur. Huic ingens & frequens Martyrum turba adjuncta fuit. Idque quod eisdem ferè diebus, nescio quo pacto, Regia Nicomediensis incendio conflagrarat, & ex suspicione quadam rumor esset dissipatus, illud facinus à nostris admissum. Unde Imperatoris jussu ex piis, qui ibi versabantur, acervatim & quasi cumulo, alii gladio trucidati sunt, alii ardore flammarum corporibus circumjectaram obierunt. Quo tempore fama est, viros & mulieres etiam Divina & inexplicabili alacritate, sua spontè in rogum insiliisse. Reliqua autem multitudo vinculis colligata, & à Lictoribus in Scaphas imposita, in vastum maris Gurgitem ac fluctus præceps projecta fuit.* Lib. 8. cap. 6. Quod idem scribit sancti Adonis Martyrologium, ac etiam Romanum. Et ista ferina tempestas horrendè grassata est per omne Romanum Imperium,

rium, & uti plurimos ac gloriosos Martyres, ità nobis peperit plurima naufragia, plurimos Lapsos. Hujus Persecutionis exordium atque decursum propriis oculis vidit Lactantius Firmianus. Audiamus ejus in quinto Divinarum Institutionum Libro verba :
Cap. 2. *Ego cùm in Bithynia Oratorias Literas accitus docerem, contigissetque eodem tempore, ut Dei Templum everteretur, duo exstiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectæ veritati, nescio utrùm superbius, an importuniùs insultarent.* Augustum Diocletiani Edictum mandabat dejici omnes Christianorum Ecclesias: Et primam executionem fieri Lactantius vidit in Ecclesia Nicomediensi. Isthìc enim habitabat crudelis Imperator. Duo illi qui feralia Edicta editis adversùs Christianam Religionem Libris promoverunt, erant sceleratus Porphyrius, & Hierocles apud Ægyptios Præfectus Augustalis. *Hic composuit Libellos duos, non contrà Christianos, nè inimicè insectari videretur, sed ad Christianos, ut humanè & benignè consulere putaretur. In quibus ita falsitatem Scripturæ Sacræ arguere conatus est, tanquam sibi esset tota contraria. Nam quædam Capita, quæ repugnare sibi videbantur, exposuit, adeo multa, adeo intima enumerans, ut aliquando ex eadem Disciplina fuisse videatur.* Utique nostræ Apostata. Forsan, & istum sceleratum Librum appellavit *Philalethem.* Adeo antiquus est hic men-
Cap. 4. dacii fucus. Lactantius addit de Hierocle : *Erat tunc de numero Judicum, & Auctor imprimìs faciendæ persecutionis fuit. Quo scelere non contentus, etiàm Scriptis eos, quos afflixerat, insecutus est.* Fuit adeò blasphemus, ut Christum Dominum blasphemarit fuisse publicum latronem, & magum similem Apollonio Tyannæo. Erat tunc Præfectus Augustalis. Et hæc est caussa cur apud Ægyptum fuerit durissima Persecutio. Jacobus Gotofredus existimat esse illum ipsum ad quem Cælesyriæ Consularem exstant in Codice Theodosiano duæ Leges Imperatoris Constantii : Altera sub titulo de Jure Fisci, altera sub titulo quo-
6. 7. rum Appellationes non recipiantur. Est incertum. Mendacissimum Philalethem eruditè revicit Cæsaræensis Eusebius.

Lactantius affirmat Christiani Nominis Persecutores fuisse crudelissimas in humana forma belluas, immò omni bellua truculentiores, ac pergit istius Persecutionis barbariem exponere : *Quis*
Cap. 11. *Caucasus, quæ India, quæ Hircania tam immanes, tam sanguinarias unquam bestias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata protinùs conquiescit. Illa est vera bestia, cujus una jussione funditur ater ubique cruor, crudelis ubique luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago. Nemo hujus tantæ Belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum Orbem dentibus ferreis sævit, & non tantùm artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit, nè quis exstet sepulturæ locus. Quasi verò id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum Sepulchra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est lucem vivis, terram mortuis denegasse? Dico igitur nihil esse miseriùs iis hominibus, quos Ministros furoris alieni, quos Satellites impiæ jussionis necessitas aut invenit aut fecit. Non enim honor ille, aut provectio Dignitatis fuit, sed hominis damnatio ad carnificinam, Dei verò ad pœnam sempiternam. Quæ autem per totum Orbem singuli gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim Potestate, pro suis moribus quisque sevit. Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt, quàm jubebatur. Alii suo proprio adversùm Justos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli ut placerent, & hoc officio viam sibi ad altiora invenirent. Aliqui ad occidendum præcipites exstiterunt. Sicut unus in Phrygia, qui universum populum cùm ipso pariter Conventiculo concremavit. Sed hic quantò sævior, tantò clementior invenitur. Illud verò pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur. Ille sævior, ille gravior est Carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non potest, hujusmodi Judices quanta & quàm gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum Propositi sui pervenirent. Hæc autem non tantùm ideo faciunt, ut gloriari possint nullum innocentem se peremisse. Nam & ipse audivi quosdam gloriantes, quia Administratio sua in hac parte fuerit incruenta. Sed & invidiæ caussa, nè aut ipsi vincantur, aut illi virtutis suæ gloriam consequantur. Itaquè in excogitandis pœnarum generibus, nihil aliud, quàm victoriam excogitant. Sciunt enim certamen illud esse & pugnam. Vidi ego in Bithynia Præsidem, gaudio mirabiliter elatum, tanquam Barbarorum Gentem aliquam subegisset, quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremò cedere visus est. Contendunt igitur ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittant, & nihil aliud evitant, quàm ut nè torti moriantur. Quasi verò mors tantummodò beatos faciat, ac non etiam tormenta, quæ quantò fuerint graviora; tantò Majorem virtutis gloriam pariunt. Illi autem pertinaci stultitia jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus Sanguis ad pœnam. Hæc est Deorum,* Dæmoniorum *Disciplina.*

Hìnc discimus varia. Primò, quod Imperator Diocletiauus fuerat uno loco, utique in Nicomediensi Civitate recubans bellua, quod totum Mundum impleverit sanguine: Crudelissima persecutione. Secundò, quod non in solam Christianorum vitam sævierit, sed etiam in ipsorum ossa & cineres: Eos privarit sepultura. Credebat ab illis affectari, ut ad eorum Sepulchra à venerantibus Populis venerentur, ac non ut ipsi pervenirent ad Deum. De ipsis & pessimè opinabatur, ac insuper invidebat gloriam Martyrum. Qua invidia laborasse & alios Tyrannos, testantur gravissimi Scriptores. Etiam hìnc discimus Sanctorum Martyrum invocationem, ac Sacrarum Reliquiarum cultum esse antiquissima, ab ipsis inducta Apostolis. Tertiò discimus quod Romanarum tunc Provinciarum Pręfectura fuerit Officium miserabilissimum; etenim hominem adigebat ad crudelissimam Innocentiæ Carnificinam. Quartò discimus, quod variò Præsides, ut Diocletiano placerent, excesserint Edictorum limites, & varia excogitaverint nova genera tormentorum. Et nescio quis Phrygię Pręses omnes in unam Basilicam adunatos Christianos simul & semel exussit. Quintò discimus, quod quidam Præsides clementiam simularint, & neminem occiderint, sed diutius crudelissimè torserint: Et quidem per plures an-

nos

nos. Immò & ex tortura graviter læsos curari faciebant diligentissimè, atque ita parabant ad novas torturas. Quidam credebant nos non per tormenta, sed per solam mortem consecrari in Martyres, ideoque nihil studebant attentiùs, quàm tortos non occidere. Tanta fuit ista invidia, Deorum potius, seu Dæmoniorum, quàm ipsorum Tyrannorum. Et hac via Diabolus omnem Ecclesiam implevit multis Lapsis.

Et ad hos reparandos sanctus Petrus indixit præsentem Synodum. Porrò hic uti longè sanctissimus, ita fuit eximiè doctus. Etenim ejus de Deitate Librum laudavit Ephesina Synodus: adduxit magna ejus verba, ac ex ipsis revicit Nestorium. Quæ omnia firmavit, ac in sua Acta retulit Synodus Chalcedonensis. Et Imperator Justinianus in suo Tractatu seu Edicto, adversùs Origenis errores scripto ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, laudat duo alia ejusdem Opera. *Primum Sermonem, quod non præ-exstitit anima, nec cùm peccasset, propterea in corpus missa est. Et ejusdem Mystagogiam, quam fecit ad Ecclesiam, cum Martyrii coronam suscepturus esset.* Et adducit quædam istorum Operum verba, plena eruditionis. Et istam Mystagogiam sine Libris omninò scripsit in carcere. Et præsentes ejus Canones laudavit ac firmavit Synodus Trullana. Synodi tempus lucet ex primi Canonis exordio: *Quoniam quartum Pascha persecutionem jam apprehendit.* Persecutionis Edictum prodiit quinta aut sexta sancta Feria, atque ita hæc circà quartum Pascha facta Synodus, fuit facta ad elabentem tertium persecutionis annum, ante tertii anni quadragesimam. Isto enim tempore, utique juxtà antiquam Consuetudinem, fieri Provinciarum Synodos jussit quintus Canon Nicænus. Proinde si persecutio sexto istius sæculi anno cœperit, hæc Synodus fuit celebrata anno ejusdem nono: & omninò fuit Synodus. Etenim solemnia adeò Edicta tunc non fiebant, nisi per Synodos.

Hujus Synodi occasionem edicunt hæc Canonis verba: *Etiamsi non initio suscepti sunt propter gravem lapsum consecutum.* Et hæc verba: *Anno jam tertio deflent.* Hinc discimus plura. Primò quod Lapsi illi statim ad mentem redierint. Erant enim similes sancto Petro Apostolo, quem ex metu lapsum statim respexit Dominus, atque ita ut ille est lapsus, loco mox egressus flevit amarè. Hac de re scribit in nono Sermone de Dominica Passione sanctus Papa Leo: *Felices, sancte*
Cap.4. *Apostole, lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. Adfuit enim Dextera Domini JESU CHRISTI, quæ labentem te, priusquàm dejicereris, exciperet, & firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus: Et fons charitatis lavit verba formidinis. Nec tardatum est remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis.* Petrus fuit dumtaxat lapsus, non dejectus aut plenè mortuus. Ejus casta in Dominum dilectio non fuit aversa, sed turbata dumtaxat, ac per fortiorem Mundi formidinem superata. Pius in Dominum affectus, Charitatis fons, bonæ voluntatis judicium in Petro omninò permanserunt. Et ita fieri solet cunctis ex violento metu peccantibus. Uti qui ex naufragii metu sua in mare proiicit, non desinit ipsa diligere; ità qui Dominum ex tormentorum timore negarunt, ejus castam charitatem non amiserunt. Quod ipsum frequenter docuit S.Cyprianus. Hinc illos dixit, non plenè Deo mortuos, sed dumtaxat semineces & sauciatos, dumtaxat lapsos, non fractos. Et sanè aliud longè est labi, aliud pedem frangere. Lapsus potest, fractus non potest resurgere. Et uti in corpore, ita & in anima lapsus retinet surgendi voluntatem atque virtutem. Et hinc est cùm in anima lapsi, solent statim surgere, currere ad Matrem Ecclesiam, ejus fores pulsare, isthìc gemere & lachrymari, & offensorum ex lapsu gressuum postulare medicinam: Pœnitentiæ actionem, & suo tempore gratiam reconciliationis & pacis.

Non plenam, & integram charitatem,

sed tenuem tantum eamque sopitam in Petro Christum negante permansisse, satis intelligis.

De his scribit sanctus Cyprianus in Sermone de lapsis: *Deprecabantur non lachrymarum miseratione, sed vulnerum; nec sola lamentabili voce, sed laceratione corporis & dolore. Manabat pro fletibus Sanguis, & pro lachrymis cruor semi-ustulatis visceribus defluebat.* Et in Literis ad Fortunatum, ac alios quosdam Episcopos: *Scripsistis* Epist.53 *mihi, Fratres Charissimi, quod cùm in Capsensi civitate propter Ordinationem Episcopi essetis, pertulerit ad vos Superior Frater & Collega noster, Ninum, Clementianum, Florum, Fratres nostros, qui in persecutione apprehensi priùs fuerant, & Nomen Domini confessi, violentiam Magistratus ac Populi frementis impetum vicerant, postmodùm cùm apud Pro-Consulem pœnis gravibus excruciarentur, vi tormentorum subactos esse, & de gradu gloriæ, ad quam plena fidei virtute tendebant, diutinis cruciatibus excidisse. Nec tamen post hunc gravem lapsum, non voluntate, sed necessitate susceptum, à pœnitentia agenda per hoc triennium destitisse. De quibus consulendum putastis, an eos ad Communicationem jam fas esset admittere. Et quidem quod ad mei animi sententiam pertinet puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos constat stetisse in acie, Nomen Domini confessos esse, violentiam Magistratuum ac Populi furentis incursum immobilis fidei obstinatione vicisse, passos esse carcerem, diu inter minas Pro-Consulis & fremitum Populi circumstantis, tormentis lanitantibus, ac longa iteratione cruciantibus repugnasse. Ut quod in novissima infirmitate carnis subactum videtur, meritorum præcedentium defensione relevetur. Et sit satis talibus gloriam perdidisse, non tamen debere nos eis & veniæ locum claudere, atque eos à Paterna pietate & nostra Communicatione privare, quibus existimamus ad deprecandam Clementiam Domini posse sufficere, quod triennio jugiter ac dolenter, ut scribitis cum summa pœnitentiæ lamentatione planxerunt. Certè non puto incautè & temere his pacem committi, quos videmus militiæ suæ fortitudine nec priùs pugnæ defuisse, & si acies etiam denuò venerit, gloriam suam posse reparare.* Hìc suum Judicium nervosè confirmat, & prosequitur: *Quoniam tamen scripsistis, ut cùm pluribus Collegis de hoc ipso plenissimè tractem, & res tanta exigat majus & impensius de multorum Collatione consilium, & nunc omnes ferè inter Paschæ prima solemnia apud se cùm fratribus demorantur, quando solemnitati celebrandæ apud suos satis-fecerint, & ad me venire*

nire cæperint, tractabo cùm singulis pleniùs, ut de eo quod consuluistis, figatur apud nos, & rescribatur vobis firma Sententia, multorum Sacerdotum consilio ponderata.

Hac de re Synodum omninò fecit promisso tempore sanctus Cyprianus, & jam dati Suffragii Prærogativam probavit illa omnis, & stabilivit. Lucet ex sequenti ad sanctum Papam Cornelium Epistola: *Statueramus quidem jam pridem, frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, & qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario, & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diù pænitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat Paterna Pietas & Divina Clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus Spei salutaris subsidium denegari, ut sæculo recedentes sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur, quandò permiserit ille, qui Legem dedit, ut ligata in terris etiam in cælis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur. Sed enim cùm videamus diem rursùs alterius Infestationis appropinquare cæpisse, crebris & assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati & parati simus, plebem etiam nobis de Divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus, & omnes omninò milites Christi, qui arma desiderant, & prælium flagitant, intrà Domini Castra colligamus, necessitate cogente censuimus eis, qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pænitentiam agere, & lamentari, & Dominum deprecari à primo Lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium, quod imminet, armari & instrui oportere.* Hæc Synodus decrevit tria. Primò, innovavit primum hujus novæ & clementioris Disciplinæ Decretum, quod omnibus pœnitentibus, licet pœnitentiæ suæ formam ac tempus non explanxissent, pacis Viaticum daretur in exitu, sub ictu mortis. Secundò decrevit, ut generatim cunctis, qui statim à primo sui Lapsus die dolentes ac lachrymosi pulsassent pietatem ac fores Catholicæ Matris, & in Pœnitentiæ diligentia hucusque perseverassent, impartirentur ejusdem pacis Divino beneficio. Immò & perfecto Sacro-Sanctæ Eucharistiæ dono; Idque ob instantem novam persecutionem. Istis armis Synodus censuit omnes istos Pœnitentes, qui de novo se præliaturos spondent, esse muniendos. Tertiò decrevit triennii pœnitentiam ad hæc sufficere. Hujus rei mentio non est expressa, sed omninò includitur in secundo Decreto. Hoc enim generatim statuit de cunctis, etiam in novissima persecutione Lapsis, quæ necdum cessaverat à Triennio. Etenim sanctus Cornelius, qui in medio Decianæ Persecutionis æstu est impositus Apostolicæ Cathedræ, tres annos in Pontificatu non explevit. Et Ipse hæc omnia tria Decreta omninò comprobavit. Quare ipsa tunc profecerunt in Disciplinam totius Latinæ Ecclesiæ. Et Ægyptiaca, licet Orientalis, semper adhæsit moribus Romanorum. Hinc igitur & sanctus Patriarcha Petrus in hac Synodo hujusmodi triennales Pœnitentes admisit ad gratiam Communionis.

Epist. 54.

Notanda sunt Synodi verba: *Et tertio jam anno deflent.* Antiqua Pœnitentiæ Disciplina habuit quosdam Gradus & Classes Pœnitentium: Fletum, Audientiam, Substrationem, & Consistentiam: Flentes, Audientes, Substratos, Consistentes. Ea exponam in Scholiis ad Nicænos Canones. Eodem ferè modo S. Cyprianus suprà scripsit de Nino, Clementiano, ac Floro Lapsis: *Cum summa pœnitentiæ lamentatione planxerunt.* Omninò videtur solum fletum describere. Et hinc oritur quæstio an hujusmodi Lapsos pœnitentes immediatè à fletu ad Perfectionem, aut certè ad Consistentiam trans-mitendos sanctus Cyprianus censuerit, & sanctus Petrus transmiserit? Respondeo negativè. Etenim istud non ferebat Disciplina istiùs temporis. Jubebat decurri omnes quatuor Gradus. Cuique assignabat suum tempus & modum. Attamen hunc & istud quandoque ex caussis insigniter breviabat. Et hæc erat donatio Indulgentiæ. Et istud hìc fecit sanctus Petrus. Sanxit ejusmodi Lapsis statim à ruinæ exordio ad simplicem, & toto triennio continuatum fletum apud Divinam Clementiam sufficere, ideoque ipsos per brevem Auditionem & Substrationem transmittendos ad Consistentiam. Ita statuunt hæc verba: *Eis ab adventu per revocationem in memoriam alii quadraginta dies adjungantur, &c.* Quo adventu? Quæ revocatio in memoriam? Existimo intelligi adventum, quo post fletum triennii expletum cœperunt denuò advenire ad piam Matrem, ejus clementissimas fores pulsare, suum fletum illi reducere in memoriam, & misericordiam implorare. Sanctus Petrus sanxit ipsis injungendos, qui ab isto adventu numerentur, alios quadraginta pœnitentiæ dies, quibus Auditionem & Substrationem expungant, atque ita admittantur ad Consistentiam. Istius temporis, quò sufficere persuadeat, meritum ac dignitatem commendat ex Jejunata per Dominum Quadragesima. Affirmat Dominum per ipsam fuisse confortatum ad securè præliandum contra Dæmonem, & omnes ejus tentationes elidendas. Hinc concludit eandem firmitatem à Quadragesima donandam Lapsis. Præsertim firmitatem, qua Diabolo per Romanos Tyrannos & inflicta ab illis tormenta, ad Idololatriam cogenti constanter deinceps dicunt: *Abi retrò Satana. Scriptum est enim: Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et eadem haud dubiè via incessit sanctus Cyprianus. In Sacrorum Canonum Epitome Constantinus Harmenopulus præsenti Canoni dedit hoc compendium: *Qui post multos cruciatus tormentis victi Christum negaverint, ac deinde mutata sententia luxerint, cum jam quatuor anni persecutionis præterierint, etiam alios quadraginta dies puniuntur.* Affirmat quartum persecutionis annum non cæptum, sed præteritum atque expletum.

Ex his quædam addiscimus. Primò, quod Catholica Mater vario tempore habuerit variam Pœnitentiæ agendæ Disciplinam. Etenim omnem Idololatriæ Lapsum non absolvit olim, nec in articulo mortis. Lapsos cogebat ad perpetuam totius vitæ pœnitentiam, ac ipsa perfunctos non donabat pacis Viatico, sed ad supremum in Paternæ gloriæ dextera Episcopum transmittebat solvendum aut ligandum. Ita fuit usque sancti Cypriani tempora, cujus mitiora consilia probarunt Romanæ per sancti Fabiani mortem vacantis Cathedræ Clerus, Fabiani successor sanctus Cornelius,

lius, omnis Romana Ecclesia, omnis Africa, Nicæna Synodus, atque ita omnis sub Cęlo vera Christianitas. Et sequentia tempora adhuc magis mitigarunt. Nec unum Ecclesiæ Sæculum potuit damnare aliud, nec posterioris Sæculi Doctores ad priùs provocare. Etenim uti idem corpus diverso tempore diversas vestes, ita eadem ejusdem Ecclesiæ Fides diversis temporibus exquirit & sibi aptat diversos mores, diversos Ritus, diversam Disciplinam. Quod notent illi, qui hoc tempore nostram, certè non hesternam, Pœnitentiæ Disciplinam volunt & student ad avitum rigorem reducere. Laudo tamen abusus, qui graves nobis non desunt, corrigi, proscribi, emendari. Secundò discimus, quod quis statim à lapsu, & quidem idololatrico, possit statim redire ad semetipsum, lamentari ex animo, ac veraciter contrito corde suam fœditatem detestari. Quia nempè quorumdam Lapsorum casta in Deum dilectio non fuit exstincta; sed dumtaxat victa, & suppressa, ideoque semoto hoste statim resurgit in suum Opus. Quod notent & illi zelosi. Ab omni, qui statim à Lapsu currit ad Pœnitentialem Presbyterum, ne credant fingi pœnitentiam.

Juxtà præcedentis notæ sensum.

CANON II.

IIS autem qui postquam in custodiam traditi sunt, & in carcere, tanquam in obsidione, afflictiones gravesque fætores passi sunt; postea autem sine bello tormentorum captivi facti sunt, nimia virium inopia & quadam cæcitate confracti, Annus ad aliud tempus injunctus sufficiet: nam ipsi quoque se omninò pro Nomine Christi affligendos dedere: Si etiam à fratribus in carcere multam consolationem assecuti sunt. Quæ quidem multiplicata reddent, liberari cupientes ab acerbissima captivitate Diaboli, ejus maximè recordantes qui dicit, Spiritus Domini super me, quam ob causam unxit me: ut pauperibus evangelizarem misit me, & annuntiarem captivis liberationem, & cæcis visus recuperationem, & mitterem fractos in remissionem, prædicarem annum Domini acceptabilem, & diem retributionis.

SCHOLION.

COnstantinus Harmenopulus præsenti Canoni dat hoc compendium: *Qui Lapsi sunt, poste aquam dumtaxat carcerati fuissent, altero etiam anno puniuntor.* Hæc est alia Lapsorum species. Quidam ob Christum Dominum conjecti in carceres, & multis illic squalloribus affecti & calamitatibus, acceperant Candidam Martyrii, necdum Martyres, attamen gloriosi Confessores. Verùm tædio carceris ac instantium tormentorum metu fracti, renuntiarant Christo Domino, atque ita fuerant liberati ac dimissi. Et tunc statim dolentes, ac suam infirmitatem ac Lapsum detestantes, redierant ad Matrem Ecclesiam, pœnitentiam ac veniam postularant, & spontaneè se dederant in Fletum. Ac etiam triennio constanter fleverant. Eorum caussa erat deterior, quod sine tormentis cecidissent. Tolerati in carcere erant squallores consideratione digni; attamen & his non defecerat humana compensatio: *A fratribus in carcere multa consolatio.* Hanc consolationem exponit in Libro Apologetico Ter- Cap. 39 tullianus, dicens in quavis Basilica esse Gazophylacium, seu arcam, in quam quisque Fidelis confert suam Eleemosynam, atque adjungens: *Hæc quasi Deposita pietatis sunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis Voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, & si qui in metallis, & si qui in Insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex caussa Dei Sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* Et in Libro ad Cap. 1. Martyres scribit: *Inter Carnis alimenta, Benedicti Martyres designati, quæ vobis & Domina Mater Ecclesia de uberibus suis, & singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant.* Et in sequenti ejusdem Libri capite: *Et si aliqua amisistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere, ut majora lucreris. Nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus Martyres invitat. Ipsam interim conversationem sæculi & carceris comparemus, si non plùs in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit. Immò & quæ justa sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ, Agapen Fratrum.* Affirmat quosdam lautius in carcere, quàm in propria domo fuisse tractatos, ideoque ipsis carcerem fuisse speciem negotiationis. Pergit in Libro Scorpiaco: Domi- Cap. 11. nus *cùm in carcere fratrem vult visitari, Confessoris imperat curam.* Et in secundo ad Uxorem Cap. 4. Libro: *Quis* infidelis Maritus fidelem Uxorem *in carcerem ad osculanda Martyris vincula reptare patietur?* Et ad illi portanda victus solatia. Et Libro de pudicitia carceratos Martyres appellat *Denariis supplices*. Quod nempè illi non solum vi- Cap. 22 ctum, sed & nummos acciperent, immò & suis necessitatibus postularent. Et in Libro de Jejuniis affirmat Martyres in carceribus sobriè alendos, immò & macerandos; atque prosequitur: Cap. 12 *Planè vestrum est, in carceribus popinas exhibere Martyribus incertis, ne consuetudinem quærant, ne tædeat vitæ, ne nova abstinentiæ disciplina scandalizentur, quam nec ille Pristinus vester non Christianus Martyr attigerat, quem & facultate custodiæ liberæ aliquamdiu factum omnibus balneis, quasi Baptismate melioribus, & omnibus luxuriæ secessibus quasi Ecclesiæ secretioribus, & omnibus vitæ istius, illecebris, quasi æternæ dignioribus, hoc puto obligatum ne mori vellet, postremo ipso tribunalis die, luce summa, condito mero tanquam antidoto prædicatum, ita enervastis, ut paucis ungulis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat, quem Dominum confiteretur, interroganti Præsidi respondere*

dere non potuerit amplius. Atque ita de hoc jam extortus, cum singultus & ructus solos haberet, in ipsa negatione digessit. Homo Montanista loquitur, & improperat Catholicæ Ecclesiæ. Possit tamen istius Civitatis Ecclesia excessisse, atque ita ille vera esse locutus. Et hinc magis patet fidelis Populi in carceratos Martyres profusa liberalitas. Quod glomeratim omnes concurrerint ad carceratos Confessores, lucet ex quinta sancti Cypriani
Epist. 37. Epistola. Et nihilominus ipse exul scribit ad suum Clerum: *Quamquam sciam vos, fratres Charissimi, Literis meis frequenter admonitos esse, ut gloriosa Dominum Voce confessis, & in carcere Constitutis, omnis diligentia præbeatur, tamen itentidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit eis, quibus ad gloriam nihil de-est.* Et inter articulos, ob quos Secundi Tigisitani Episcopi factiosa Synodus damnavit Cæcilianum Carthaginensem Archi-Episcopum, fuit & hic: *Quia Cęcilianus, cum esset Diaconus, victum adferri Martyribus in custodia constitu-*
Coll. 3. cap. 14. *tis probibuisse dicebatur.* Ita habes apud sanctum Augustinum in Breviculo Carthaginensis Collationis. Et ibidem adjungitur de quadam Epistola Mensurii Carthaginensis Episcopi, scripta circa
Cap. 13 hanc præsentem Diocletiani persecutionem: *Quidam in eadem Epistola facinorosi arguebantur, & Fisci debitores, qui occasione persecutionis, vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent, & quasi abluere facinora sua, vel certè acquirere pecuniam, & in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum.* Tanta erat Fidelium liberalitas in carceratos Martyres. Ipsam, uti & Martyralis carceris Disciplinam alibi fusiùs exposui. Hanc liberalitatem præsens Canon affirmat esse solatia, quæ carceris squallorem ac tædia non levarent solummodò, sed & compensarent. Quod subinde fuit omninò verum. Hinc Canon concludit ista tædia & squallores in Lapsis istis vix esse ad leniendam pœnitentiam attendenda. Sancti tamen Petri Paterna Clementia attendit, & leniit. Eis ultra decursi fletus triennium adjunxit unicum dumtaxat annum, distribuendum in Auditionem & Substrationem. Et hanc suam clementiam sanctus Petrus fundavit in Esaia Propheta, prædicante annum Domini placabilem. Est sensus accommodatitius.

Quæstionem faciunt hæc verba: *Quæ quidem multiplicata reddent, &c.* Utique intra carcerem accepta à fidelibus dona & solatia. Videtur sanctus Petrus obligasse ipsos ad illorum restitutionem. Et sanè potuerat. Istæ enim Eleemosynæ, præsertim factæ ex Ecclesiæ Gazophylacio, videntur habuisse adnexam, non dumtaxat admonitionem, *persevera*, sed insuper conditionem, *si perseveraveris.* Ita & apud hanc Universitatem Lovaniensem Præstimoniæ, quæ dantur pauperibus sacræ Theologiæ Studiosis, habent simile vinculum: Si in Ecclesiastico statu permanserint. Non permanentes obligantur restituere. Respondeo tamen & hunc posse esse sensum: Lapsi illi hæc solatia & dona abundè restituent, si jam semetipsos, uti malè liberarunt è captivitate hominum, benè jam liberent è captivitate Dæmonum. Et hic omninò videtur fuisse sensus sancti Petri. Et sanè quibus in statum pristinum reparatis Divina gratia donat omnia delicta, quomodo nos illis datas Eleemosynas non confirmemus? Porrò quod hi Lapsi triennio flevissent, res ipsa clamat. Etenim à judicatis per priorem Canonem Lapsis non differebant, nisi quod sine tormentis ex humana infirmitate ac metu cecidissent. Si triennio non fleverant, prioris Canonis Lapsi fuerunt his duriùs castigati, quod justitia non patitur. Hoc ipsum enim ajunt sequentis Canonis verba: *Nunc autem veniunt ad pœnitentiam.* Hoc est, qui necdum flere ac palàm pœnitere cæperunt. Hi Canones procedunt à minori crimine ad majus, à majori pœnitentia ad minorem aut nullam. At verò Tertius de illis, qui necdum cæperunt: adeoque non solummodò primus, sed etiam secundus agit de illis, qui jam triennio fleverunt. Porrò quale crimen hi omnes Lapsi commiserunt? An Thurificationis, an sacrilegæ Manducationis, an Libelli? Non exprimitur. Existimo quosdam hujus, quosdam illius fuisse reos, aut istius.

CANON III.

IS autem qui nihil ejusmodi passi sunt, nec fidei fructum ostenderunt, sed ad vitium ultrò transfugerunt, à metu & timiditate proditi; nunc autem veniunt ad pœnitentiam, necessè est & conveniens infrugiferæ ficus parabolam proponere, ut Dominus dicit: habebat quis ficum plantatam in suo vineto; & venit quærens in ea fructum, & non invenit. Dixit autem vinitori: ecce tres annos, ex quo ego venio quærens fructum in hac ficu, & non invenio, exscinde eam; cur terram inaniter occupat? Ille verò respondens dicit illi: Domine dimitte illam hoc quoque anno, donec circà eam fodero, & lætamen injecero, si quidem fructum fecerit: sin minùs eam in futurum exscinde: qua ante oculos accepta, & ostenso digno fructu pœnitentiæ, in tanto temporis intervallo magis juvabuntur.

SCHOLION.

CONstantinus Harmenopulus præsenti Canoni dat hoc compendium: *Qui ad interitum absque necessitate perrexerint sua spontè, ac deinde pœnituerint, ad triennium puniuntor.* Canon agit de istis qui nec carcerem sustinuerant, immò nec fugerant, sed ad primas Romani Præsidis quæstiones & minas consenserant, abnegarant Christi Domini nomen, & admiserant Thus, Idolo-

Idolotytha, aut Libellum. Et hoscè ad plenam & longam pœnitentiam compulerunt, qui Lapsis primi aperuerunt Ecclesiasticæ ac Divinæ pacis Januam sanctus Cornelius ac S. Cyprianus. Hæc in Literis ad Antonianum Episcopum vox est sancto Cypriano frequentissima: *De eo tamen quod statuendum esset circà caussam Lapsorum distuli: ut cum quies & tranquillitas data esset, & Episcopis in unum convenire Indulgentia Divina permitteret; tunc communicato & librato de omnium Collatione consilio statueremus, quid fieri oporteret.* Et ipse sanctus Cyprianus & sanctus Cornelius nulli istorum Lapso permiserunt dari pacem, nisi moribundis, ac paucis aliis, quibus Martyres indulsissent. Sub mortis articulo comprehende & novam persecutionem. Item excipe Libellatos. Et ambo in medio persecutionis æstu sunt nobis ablati per Martyrium, atque ita nihil firmè statuerunt. Eorum successores videntur cunctos extra violentiam Lapsos ad perpetuam totius vitæ pœnitentiam compulisse, & non nisi morientibus impartivisse pacis viaticum. Istiusmodi Lapsos insigniter in proprio de ipsis Sermone describit sanctus Cyprianus: *Exciderunt quibusdam, pro nefas! Omnia Divina Mandata atque Promissa, & de memoria recesserunt. Non exspectaverunt saltem, ut interrogati negarent ut Thus accenderent apprehensi. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare Idolis viderentur inviti: Ultrò ad forum currere, ad mortem spontè properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. Quid illi qui à Magistratibus vespera urgente dilati sunt? Quod nè eorum differretur interitus, etiam rogaverunt? Quam vim potest talis obtendere, qua crimen suum purget, cùm vim magis ipse fecerit ut periret? Nonne quando ad Capitolium spontè ventum est, quando ultrò ad obsequium diri facinoris accessum est, labavit gressus, caligavit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt? Ac multis proprius interitus satis non fuit: Hortamentis mutuis in exitium suum Populus impulsus est, mors invicem læthali poculo propinata est.* Hæc omnia processerunt à primis persecutionis Edictis: Ab incusso per ipsa metu mortis, carceris, privationis bonorum, deportationis. Et de danda istiusmodi Lapsis pace, Nicæna Synodus & sancto Petro & Ancyranis Patribus fuit sæverior: *De his, qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum vel aliquid hujusmodi (quod factum est sub Tyrannide Licinii) placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergò veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter Audientes habeantur; & sex annis omni se contritione dejiciant, duobus autem annis sine oblatione Populo in oratione communicent.* Ancyrana Synodus fuit clementior. Etenim per tormenta aut similem violentiam Lapsos coegit ad unius anni Auditionem, & ad Substrationem per tres annos. Fletus tempora, licet non expresserit, omninò supposuit aut exegit. Quo tempore cæperit ista Clementia, ignoro. Sanctus interim Petrus fuit adhuc clementior. Pergit Ancyrana Synodus: *De his qui minis tantùm pœnarum, aut privationis facultatum, aut deportationis cesserunt, & immolaverunt, & ad præsens usque tempus pœnitentiam non egerunt, nec conversi sunt, nunc autem circà tempus Synodi se obtulerunt, & Conversionis cogitationem induerunt, placuit ad Magnum usque diem eos inter Audientes admitti, & post Magnum Diem triennio substerni, & postmodùm duobus annis sine oblatione communicare. Et sic demùm sex annis per-actis ad Perfectionem venire.* Denuò non exprimit Fletus tempora. Ratio suo loco adducetur. Est ipsissimus Lapsus præsentis nostri Canonis. Et eadem ferè decisio: Nam & sanctus Petrus istos Lapsos cogit ad luctuosam Auditionis & Substrationis pœnitentiam per quatuor annos. Omninò loquitur de istis Gradibus. Etenim infructuosa ficulnea per transmissionem ad Consistentiam curata est, ac recepit fructificandi virtutem, ideoque deinceps, ut liberetur ab excisionis periculo, non indiget stercoribus. Ista pœnitentiæ Lætamina apud Antiquos Ecclesiæ Doctores omninò sunt Fletus, Auditio, atque Substratio. Attamen non est ambigendum, quin sanctus Petrus istos, & quosvis alios Lapsos ad certum tempus in simplici Consistentia cohibuerit, abstentos à Perfectione: Et quia tempus non expressit, videtur ipsum permisisse Judicio Episcoporum. Quod ipsum existimo de luctuosi quadriennii distributione in Auditionem & Substrationem. Nam & ipse non distribuit. Sanctus Cyprianus nec audire sustinuit. Et non dubitem quin successores istud ipsum censuerint.

Epist. 52

Can. 11

Cap. 4. 5

Cap. 6.

CANON IV.

IIS enim qui sunt omninò desperati, & pœnitentiam non agunt, & pellem Æthiopis immutabilem possident, & pardi varietates, dicetur, quod alii ficui dictum est. Nequaquam ex te fructus fiat in æternum, & ideo statim quoque exarescit. In iis enim impletur quod ab Ecclesiaste dictum est, quod perversum est non poterit exornari, & defectus numerari non poterit. Nisi enim quod perversum est priùs rectum fuerit, fieri non potest ut id exornetur, & nisi prior defectus expletus fuerit, fieri non potest ut is numeretur: unde & in fine eis eveniet quod à Propheta Esaia dicitur: & videbuntur, inquit, membra eorum qui transgressi sunt in me. Vermis enim ipsorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt in aspectum omnis carnis. Quandoquidem ut & ab ipso prædictum est: injusti autem sic

sic fluctuabunt, & requiescere non poterunt. Non est gaudere impiis, dicit Deus.

SCHOLION.

PRæsens Canon à Constantino Harmenopulo accepit hoc Compendium: *Qui postquam lapsi sunt, non pœnituerint, sunt rejiciendi.* Licet sanctus Cornelius & sanctus Cyprianus Spontaneè Lapsorum Pacem censuerint non præcipitandam, ideoque suum de illa Judicium voluerint pendere usque ad persecutionis expunctionem, ad plenam Synodum; cunctis tamen morientibus voluerunt de Viatico provideri. Hoc Decretum laudat & firmat sanctus Cyprianus in multis Epistolis, & in Epistola ad Antonianum Episcopum adjungit:

Epist. 52 *Additum est etiam Novatiano tunc scribente, & quod scripserat sua voce recitante, & Presbytero Moyse, tunc adhuc Confessore, nunc jam Martyre subscribente, ut Lapsis infirmis, & in exitu constitutis Pax daretur. Quæ Literæ per totum Mundum missæ sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus & universis fratribus perlatæ.* Adeò solemne fuit illud Decretum. Est factum ante sancti Cornelii promotionem, à Clero Romanæ Ecclesiæ, vacantis per mortem sancti Fabiani. Ab omni penitus Clero. Nam & ipse Novatianus tunc orthodoxus Presbyter, ipsi non solummodò subscripsit, sed & propria manuscripsit. Ex quo vides Novatianum fuisse tunc non modicæ auctoritatis. Decretum tamen habuit adjunctam clausulam & exceptionem, de qua Martyr Cyprianus in laudatis ad Antonianum Literis: *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omninò censuimus à spe Communicationis & Pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari. Quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit. Nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* Qui ante infirmitatem non pulsavit fores Ecclesiæ, non flevit ad ejus vestibula, nec se dedit inter pœnitentes. Et Cyprianus & Cornelius, & omnis Ecclesia tunc probavit paræmiam: *Pœnitentia sera est rarò vera.* Istiusmodi seros in mortis lecto pœnitentes permiserunt antiquo rigori. Eos non donarunt extremæ Pacis & reconciliationis Viatico, sed judicandos transmiserunt ad summum in Dei Patris dextera Sacerdotem. Et istam exceptionem hìc sequitur omninò, & firmat etiam sanctus Petrus. Quin & istos seros pœnitentes quasi habuit pro desperatis, utique ad terrorem. Et istud clemens de reconciliandis lapsis, uti est sancti Zephyrini pro Mœchis, Decretum, alii etiam Episcopi variè sunt moderati. Lucet ex Elibernia Synodo, quę duplicata aut accumulata diversa istiusmodi speciei delicta reservavit antiquæ Disciplinæ. Etiam homicidium. At Nicæna Synodus omnes has exceptiones circumscripsit ac abolevit. Cunctis, quibuscumque & qualibuscumque, in fine pœnitentibus jussit dari Viaticum Sacramentalis Reconciliationis.

CANON V.

IIS autem qui simularunt sicut & David, qui se epilepticum fingebat, ne moreretur, quamvis reverà epilepticus non esset, & non nudè negationem inscripserunt, sed in multis angustiis, tanquam pueri consilio & prudentia præditi inter pueros insipientes, inimicorum insidias ludificati sunt, vel ut qui Altaria pervaserint, vel tanquam qui Chirographum dederint, vel ut qui pro se Ethnicos immiserint, etiamsi nonnulli eorum qui confessi sunt, ut audivi, aliquibus eorum ignoverunt, quoniam maxima cautione vitarunt, nè ipsi suis manibus ignem facerent, & dæmonas impuros suffirent: licet verò, ex agentis ignorantia eos latuit; semestris tamen pœnitentiæ pœna illis imponetur: sic enim ipsi quoque magis juvabuntur, Prophetæ dictum meditantes, & dicentes: Puellus genitus est nobis, filius & datus est nobis, cujus Principatus est in humero suo, & vocatur nomen ejus, Magni Consilii Angelus. Qui, ut scitis, in sexto mense conceptionis, cùm alius infans prædicasset, ante adventum ejus, pœnitentiam in remissionem peccatorum, conceptus est & ipse ad prædicandam pœnitentiam. Etenim utrosque audimus imprimìs prædicantes non solùm de pœnitentia, sed & de Regno Cœlorum: quod quidem, ut didicimus, intra nos est, quod propè nos sit Verbum quod credimus in ore nostro, & corde nostro, quod JESUS est CHRISTUS: credentes in corde nostro, quod Deus ipsum suscitavit ex mortuis: ut qui audiant quòd corde quidem creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

SCHOLION.

Constantinus Harmenopulus præsenti Canoni dedit hoc Compendium : *Qui dissimulationem adhibuerint, & irriserint eos, à quibus cogebantur, atque ita, quo-minùs sacrificarunt, effugerunt, sex mensibus castigantor.* At non percepit mentem Canonis. Quod S. Petrus hìc appellat *Chyrographum dare*, S. Cyprianus appellat *dare aut facere Libellum, aut esse Libellatum.* In Literis ad Romanæ Ecclesiæ Clerum distinguit duas lapsorum species : *Eos qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis Libellis, nihilominùs conscientiam polluissent.* Solam conscientiam, non manus aut ora. Et in Literis ad Episcopum Antonianum scribit : *Explorasse Collegas nostros scias,*
Ep. 52. *& verissimè comperisse nulla* Cornelium Papam *Libelli, ut quidam jactant, labe maculatum esse.* Et infra : *Nec tu existimes, frater charissime, sicut quibusdam videtur, Libellaticos cum Sacrificatis æquari oportere, quando inter ipsos etiam qui sacrificaverint, & conditio frequenter & caussa diversa sit. Neque enim æquandi sunt, ille qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosilivit, & qui reluctatus & congressus diù ad hoc funestum opus necessitate pervenit. Cùm ergò inter ipsos qui sacrificarunt, sit multa diversitas, quæ inclementia est, & quàm acerba duritia, Libellaticos cum iis qui sacrificaverunt jungere, Quando is, cui Libellus acceptus est, dicat : Ego priùs legeram, & Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum Idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere ; & idcircò nè hoc facerem, quod non licebat, cum occasio Libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio, ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi ; Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non posse, & ob hoc me dare præmium, nè quod non licet, faciam. Nunc tamen etiam iste, qui Libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse, etsi manus pura sit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam ; flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit nunc admonetur, & non tam crimine, quàm errore deceptus, quod jam de cætero instructus, ac paratus sit, contestatur.* Et rursùs in eadem Epistola : *Multò & gravior, & pejor est Mæchi quàm Libellatici caussa, cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit.* Et de Basilide Le-
Ep. 68. gionensi & Martiale Arturicensi Episcopis scribit ad istas Ecclesias : *Significantes Basilidem & Martialem Idololatriæ Libellis maculatos.* Hinc infert ipsos ab Apostolico Canone degradatos, ideoque nullo pacto posse permanere in Ministerio. Pergit in Sermone de Lapsis : *Nec sibi, quo-minùs agant pœnitentiam, blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, Libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa Professio denegantis ; contestatio est Christiani, quod fuerat abnuentis : fecisse se dixit, quidquid alius faciendo commisit. Viderit an minore vel dedecore, vel crimine apud homines publicaverit, quod admisit. Deum tamen Judicem subterfugere & vitare non poterit. Perspicit ille abdita, & secreta atque occulta considerat. Nec Dei oculos potest aliquis evadere. Videt ille corda & pectora singulorum, & judicaturus est non tantùm de factis, sed & de verbis & cogitationibus nostris.* Nicolaus Rigaltius legit : *Quidquid alius fatendo commisit.* Lectio est omninò legitima. Et pro verbis : *Apud homines publicaverit*, videtur legendum : *Apud homines non publicaverit.* Hinc enim sanctus Cyprianus addit, inculcat, & iterat, quod Divinæ Scientiæ oculus non possit evadi.

Notanda sunt verba in Literis ad Antonianum : *Cum Libelli occasio fuisset oblata, &c.* Pagani Romanarum Provinciarum Præfecti Christianos, quos ex Augustis Edictis debebant persequi, quandoque miserabantur. In Libro ad Scapulam Africæ Pro-Consulem Tertullianus adducit hęc exempla : *Quanti aut Præsides & constantiores & crudeliores dissimulaverunt ab hujusmodi caussis ? Ut Cincius Severus, qui Thysdri ipse dedit remedium, quomodò responderent Christiani, ut dimitti possent. Ut Vespronius Candidus, qui Christianum, quasi tumultuosum civibus suis satisfacere, dimisit. Ut Asper, qui, modicè vexatum hominem, & mox dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter Advocatos & Assessores, dolere se incidisse in hanc caussam. Pudens etiam missum ad se Christianum, in elogio concussione ejus intellecta, dimisit, scisso etiam elogio, sine accusatore se negans auditurum hominem, secundum mandatum.* Naturalis quorumdam Gentilium benignitas horrebat sævire in homines, quos videbant probos ac innocentes. Quod ipsum de se profitetur in Literis ad Imperatorem Trajanum Plinius Secundus Pro-Consul Bythyniæ. Istiusmodi igitur Præsides, nè in nos negare & sacrificare detrectantes, cogerentur exercere quæstiones & tormenta, offerebant aut dissimulando permittebant evadi per Libellum. Quod præsertim evenit, dum integræ Civitates ad proposita persecutionis Edicta concurrerent, offerrent se ad tribunal Præsidis, & constantissimè animarent sese mutuò, ac profiterentur. Ejusmodi exempla habes in laudato Septimii Libro, ac in prima Apologia sancti Justini Martyris. Ad similem turmam Arius Antoninus, Asiæ Pro-Consul respondit : *O miseri, si perire cupitis, habetis præcipitia & restes.* Malebat ipsos à semetipsis occidi, quàm se cogi ad tantam Carnificinam. Et ista Libelli occasione infirmi fideles passim gaudebant & utebantur.

Cap. 4.

Aliam Occasionem exprimit sanctus Cyprianus in laudata Epistola : *Ob hoc me dare præmium.* Eadem de re videtur scribere Celerinus Martyr ad Martyrem Lucianum : *Etecusam semper appellavi, quia pro se dona numeravit, nè sacrificaret ; sed tantùm ascendisse videtur usque ad Trianfacta, & inde descendisse.* Jacobus Pamelius commentatur : *Trianfacta videtur locus fuisse, in quo sacrificabatur, vide autem hinc verum usum Libellaticorum, quia nempe pro se dona numerabant, ne sacrificaret.* Et Nicolaus Rigaltius : *Etecusa sacrificandi necessitatem nummis redemerat. Sic plerique solebant, qui suis ad perferenda tormenta viribus diffidebant. Itaque paciscebantur cùm Delatore, vel Milite, vel furunculo aliquo Præside.* Et in Scholio laudatæ ad Antonianum Epistolæ : *Cùm occasio Libelli fuisset oblata, ab avaro scilicet Præside, vel forte an misericordi, ac de melioribus Ethnicis.* An meliores hi & misericordes gratis Libellos fieri obtulerint, aut permiserint, ignoro. Certùm est ipsos à multis fuisse venditos. Nam Syriæ Præses Festus sperabat à sancto Paulo, utpote sua vincula redempturo, pecuniam accipere. Et apud Romanos omnia fuisse venalia testatur

Epist. 21

Epist. 2. statur S. Cyprianus in Epistola ad Donatum. Est res omnibus notissima. Hinc ergò Provinciarum Præfecti permittebant & Martyria à Christianis redimi. Quandoque per Libellum, quandoque aliis modis. Et quia in Etecusæ caussa Celerinus Martyr nullam Libelli memoriam facit, possit ille non intervenisse. Videtur fuisse alia, statim exponenda, redemptionis species.

Quæstio est, Quis, & Qualis fuerit ille Libellus? Respondeo fuisse certam actualis Idololatriæ evasionem, qua quidam simpliciores credebant à se evadi omne istud crimen, non dumtaxat in ore & manu, sed etiam in conscientia. Erat Professionis species: Professio Denegantis, Contestatio Christiani, quod fuerat abnuentis. Erat in Scriptum redacta Professio, qua quis fatebatur se sacrificasse, aut Præsidi atque Principum Edictis per omnem modum satisfecisse. Et ita licet non Os aut Manum, tamen Conscientiam omninò polluebat. Et nota hæc sancti Cypriani in laudatis ad Antonianum Literis verba: *Ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi.* Nempe coram Præside ipso, vel alio Magistratu scribebatur Libellus: Quandoque à præsentibus per propriam manum, quandoque ab absentibus per missum Procuratorem. Quem morem respiciunt & verba in Sermone de Lapsis: *Fecisse se dixit, quidquid alius fatendo commisit.* Hinc vides legendum esse, *fatendo*, potius quàm, *faciendo.* Quæ omnia insigniter & amplè elucidat atque confirmat Romanæ Ecclesiæ Clerus in Literis ad sanctum Cyprianum: Epist. 31. *Vobis sententiam nostram dilucida Expositione protulimus adversùm eos, qui se-ipsos infideles illicita nefariorum Libellorum Professione prodiderant, quasi evasuri irretientes illos Diaboli laqueos viderentur, quò non minùs quàm si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod ipsum contestati fuerant, tenerentur. Sed etiam adversùm eos illos qui Acta fecissent, licet præsentes, cum fierent, non adfuissent, cùm præsentiam suam utique, ut sic scriberentur mandando, fecissent. Non est enim immunis à scelere, qui ut fieret, imperavit, nec est alienus à crimine, cujus consensu, licet non à se commissum crimen, tamen publicè legitur. Et cum totum fidei Sacramentum in Confessione Christi nominis intelligatur esse digestum; qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit. Et qui vult videri propositis adversùs Evangelium vel Edictis vel Legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Proinde hi Libelli fiebant, dabantur & accipiebantur apud Acta.

Porrò Acta erant duplicia: Consistorialia, & Pro-Consularia, seu Præsidialia. Consistorialia erant ipsius Augusti Principis cùm suo Consistorio, seu Sanctiori Concilio Acta, Decreta, Judicata. Et de his sæpè legitur: *Imperator apud Acta dixit.* Dicebat ex majori Suffragiorum numero. Et hinc Neronem, quod non viva voce, sed Scripto audiret sui Consistorii Suffragia, notat Suetonius, atque adjungit: *Conscriptas ab unoquoque Sententias tacitùs & secretò legens, quod ipsi libuisset, perinde ac idem pluribus videretur, pronuntiabat.* Pro-Consulum seu Præsidum Acta erant eorum intrà obductos velo Cancellos Decreta ac Judicata cùm suis Assessoribus, quæ per Ab-Actis, seu Actuarios referebantur in Scriptum. Ab-Actis erant exceptivi seu Sedentarii Scribæ genus; ipsorumque munus insigniter exponit Philo Judæus ad Flaccum, edisserens Lamponis Ab-Actis Scelerata facinora: *Lampo Ab-Actis erat apud Præsides, caussas promovens ex ordine. In harum Commentariis quædam delebat, quædam permittebat data opera. Non nunquam inserebat quæ in Judicio dicta non fuerant. Rursùs alia mutabat, transponebatque pro libito, è singulis Syllabis atque etiam apicibus quæstum faciens Scriba Sedentarius; qui sæpè conclamante Populo Calamos-Phactes appellatus est, quod Scribendo Calamo jugularet multos.* Et infra: *Non erat possibile amplissimæ Provinciæ Præsides meminisse negotiorum omnium, affluentibus aliis super alias caussis privatis atque publicis. Præsertim cùm non Judiciis tantum præessent, sed etiam Rationibus Tributorum & Vectigalium, quibus major anni pars impendebatur. At iste cum ex Officio suscepisset necessariam Juris custodiam, & Sanctissimorum ejus decretorum, venalem habebat oblivionem Judicum; parti quæ vicisse debuerat, adscribens litem perditam, accepta largitione magis quàm mercede, & superiores faciebat, qui jure succubuerant.* Acta igitur erant Secreta Caussarum Commentaria, confecta & Scripta intra secretos atque velatos Præsidis Cancellos. Et hìnc in Sermone de Lapsis dixit sanctus Cyprianus: *Libellatus viderit, an minore vel dedecore vel crimine apud homines non publicaverit, quod admisit.* Quia nempè Libellaticus Lapsus fiebat secretò, & à Fratribus passim ignorabatur. Et hìnc vides voculam, *non*, hic esse omninò supplendam. Ita locus, quod quidam rectè queruntur, non erit deinceps obscurus. Et hìnc quoque vides, quis & qualis fuerit ille Libellus. Involuebat plura. Primò, Professionem de admissis, ac per obedientiam expletis Augusti Principis adversùs Christianos Edictis. Secundò, hujus Professionis relationem in Acta. Tertiò, propria manu factam istius Professionis Subscriptionem. Etenim sanctus Petrus appellat Chyrographum. Quartum erat datum & signatum à Pro-Consule aut Præside testimonium, quo hic aut iste Christianus asserebatur satis-fecisse Edictis, atque ita deinceps nulla persecutione vexandus.

Exponenda sunt & hæc sancti Petri verba: *Vel ut qui Altaria pervaserunt.* Expositio hauriri possit ex his Celerini Martyris ad Martyrem Lucianum verbis: *Etecusam semper appellavi, quia pro se dona numeravit, nè sacrificaret, sed tantùm adscendisse videtur usque ad Trian-facta, & inde descendisse.* Epist. 21. Jacobus Pamelius commentatur: *Trian-facta videtur fuisse locus, in quo sacrificabatur.* Nicolaus Rigaltius: *Etecusam usque ad Trian-facta adscendisse Celerinus ait, sed non sacrificasse.* Nimirum corruptis pretio Militibus dimissionem redimisse. Quid verò significetur hoc vocabulo *Trian-facta*, valdè est ambiguum, cùm ipsius Scripturæ fidem Exemplarium inopia faciat incertam. Absque Exemplaribus autem quis credat conjectanti Locum aliquem in Capitolio significari, per quem esset ad Jovis Simulacrum aditus Sacrificaturo, Cancellis in anfractum ordine triplici dispositis, adeoque Afris Romanensibus neutro genere pronuntiantibus Trian-facta vocitatum? Sunt qui putent satis emendatam fore hanc Scripturam, *usque ad Trium-fata*, ac de loco intelligi velint, ubi gentes victimis Triumphatis vescebantur. Quod sanè probari posse videatur Ovidii versu: *Deque Triumphato viscera tosta bove.* Fast. 21. Infirmi

firmi quidam Fideles patrabant illud doli facinus, quod sancto Eleazaro Machabæo patrandum suadebat ex humana commiseratione Officium Regis Antiochi: Quasi sacrificaturi adscendebant ad Altare, & sine Sacrificio statim descendebant. Istam Gentilium Conniventiam pretio emercabantur. Et de his dixit Sanctus Petrus, quod quasi Altaria pervaderent.

Et Rursùm de iisdem dicit: *Eis qui simularunt, sicut & David, qui se Epilepticum fingebat, ne moreretur, quamvis revera Epilepticus non esset, & non nudè negationem inscripserunt, sed in multis angustiis, tanquam pueri consilio & prudentia præditi, inter pueros insipientes inimicorum insidias ludificati sunt.* Utique Altaria pervadendo, aut dando Chyrographum. Nota verbum, *inscripserunt.* Confirmat Libellatorum apud Acta Professionem fuisse propria signatam manu. Item nota vocem, *non nudè*; Edicit ab illis non Dominici nominis abnegationem, sed solam ad Principum Edicta obedientiam ac satis-factionem fuisse admissam & signatam. Et hinc illi existimabant se cum sancto Davide Sapienter ac prudenter fingere, atque ita esse immaculatos à crimine. Sanctus Cyprianus istum errorem adeò non plenè evulserat. Et hinc sanctus Petrus dicit ipsos puerili consilio & prudentia usos, ideoque procul abesse à sancti Davidis vera prudentia. Et denuò adjungit: *Etiamsi nonnulli eorum, qui confessi sunt, ut audivi, aliquibus eorum cesserint.* Sunt verba obscura. Videntur non ad Gentilium Submissores, sed ad Altarium pervasores & Chyrographorum datores esse referenda. Et facere hunc sensum: Eorum quidam laborant infamia, quod omninò abnegarint, aut in transitu sacrificarint, atque ita Gentilibus cesserint.

Tertiam Fictionis seu evasionis speciem continent hæc verba: *Vel qui pro se Ethnicos immiserunt.* Nempe qui Provinciæ Præfecto apud Acta assererent se esse hunc vel istum Christianum, pro illo negarent aut sacrificarent, atque ita ipsum eximerent omni metu. Et istos Ethnicos forsan pecunia emebant. Dico: *Forsan*; Etenim de hac Diocletiani ac Maximiani persecutione scribit in Literis ad suos Monachos sanctus Athanasius: *Ego à Patribus audivi, & verum arbitror, cum persecutio esset nata sub Maximiano, Constantii Avo, Ethnicos homines, Fratres nostros Christianos, cum quærerentur, latebris abdidisse, eosque sæpè pecunia mulctatos, & carceri mancipatos fuisse, non ob aliud, quàm quod profugientes ad se prodere nollent, eosque eadem fide, qua se ipsos tuendos putarent, non veriti ob id se periculis objicere.* Ista scribit de Gentilibus Alexandrinis. Ita de captivo sancto Cypriano & Gentilibus Carthaginensibus scribit in illius vita Pontius Diaconus: *Sperabatur jam jamque Carnifex veniens, qui devotæ sanctissimæ victimæ colla percuteret. Et sic erant omnes dies illi quotidiana exspectatio moriendi, ut corona singulis posset adscribi. Conveniebant interim plures egregii, & clarissimi ordinis, ac sanguinis, sed & sæculi nobilitate generosi; qui propter amicitiam ejus antiquam, secessum subinde suadebant. Et ne parùm esset nuda suadela, etiam loca, in quæ secederet, offerebant.* Istiusmodi igitur benigni Gentiles gratis & spontaneo motu se pro amicis etiam finxerunt Christianos, negant pro ipsis apud Acta, & in Altari sacrificant.

Quomodò iste per Libellum Lapsus grassari cœperit, ignoro. Certè apud Tertullianum nulla est ipsius memoria. Nec apud alios veteris Ecclesiæ Scriptores. Quare videtur sub Decii persecutione primùm apparuisse. Et hinc multi excusabant illum, & censebant innoxium. Rationes eorum & verba adducit S. Cyprianus in Literis ad Antonianum: *Ego priùs legeram, Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum Idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere: Et idcircò nè hoc facerem quod non licebat, cum occasio Libelli fuisset oblata, ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi: Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet, faciam.* Epist. 52. Eadem de caussa & Romanæ Ecclesiæ Clerus & S. Cyprianus debuerunt disputare in istam opinionem, ac ejus deviationem operosè ostendere. Quod nempè esset nova Facti species. Attamen censuerunt esse patrato Sacrificio, adhibito Thure, aut manducato Idolotytho longè levius; ob duas præsertim caussas. Primò, quod Libellus solam animam, non os aut manum maculasset. Deinde quod processisset ex communi errore, & probabili tunc Sententia. Et hinc sanctus Cyprianus pergit: *Et ideò placuit, Frater Charissime, examinatis caussis singulorum, Libellaticos interim admitti, sacrificatis in exitu subveniri. Quia Exomologesis apud Inferos non est. Nec ad pœnitentiam quis à nobis compelli potest, si fructus pœnitentiæ subtrahatur. Si prælium priùs venerit, corroboratus à nobis invenietur armatus ad prælium. Si verò ante prælium infirmitas urserit, cum solatio Pacis & Communicationis abscedit.* Nova tunc clementis Ecclesię Decreta Libellatis, licet nec mortis nec novi prælii urgeret articulus, certi temporis & modi pœnitentia perfunctis, donabant Pacem. Et ipsorum caussam usque ad Ecclesiæ quietem & pleniores Synodos non reservabant. Qualis & quanta fuerit ista pœnitentia, ignoratur. Fuit interim publica.

CANON VI.

II autem qui servos Christianos pro se submiserunt, servi quidem, ut qui ipsi sub manu essent, & quodammodo ipsi quoque in dominorum custodia essent, minisque ab ipsis territi, & propter eorum metum eo compulsi, & Lapsi, anno opera pœnitentiæ ostendent, & deinceps discentes, ut servi Christi, facere Christi voluntatem, & eum timere: audientes maximè, quod unusquisque, si quid boni fecerit, hoc feret à Domino, sive servus sive liber sit.

C A-

CANON VII.

Liberi autem tribus annis in pœnitentia examinabuntur, tum quod dissimulaverint, tum quod effecerint ut conservi sacrificarent, ut qui Apostolo non obedierint, qui vult Dominos eadem facere quæ servi, remittentes minas. Scientes, inquit, quod noster quoque & ipsorum Dominus est in cœlis, & non est apud eum personarum acceptio. Si unum autem omnes habemus Dominum, apud quem non est personarum acceptio, quoniam, & omnia, & in omnibus est Christus, in Barbaris & Scythis, servis & liberis, debent considerare quod fecerunt, volentes suam ipsorum animam servare; qui conservos nostros traxerunt ad Idololatriam, qui poterant & ipsi effugere, si jus & æqualitatem ipsi præbuissent, ut rursus dicit Apostolus.

SCHOLION.

HÆc fuit alia evadendæ Idololatriæ ars & species. Et denuò nota, ac imitare sancti Petri in Lapsos Clementiam. Servos qui pro Dominis patrarant plenam Idololatriam, punit unici dumtaxat anni pœnitentia. Quod Dominorum minis compulsi deliquissent. Et ipsis Dominis imponit pœnitentiam solius triennii. Per verbum, *examinabuntur*, existimo intelligi omnes pœnitentię Gradus: Præsertim Auditionem & Substrationem. Notandum est verbum, *dissimulaverunt*. Utique Domini per servos. Proinde videntur Domini inter alia jussisse, ut servi suam Personam mentirentur, atque ita ipsam liberarent ab omni deinceps Edictorum periculo. Possint ipsis & suas vestes commodasse. Quod ad circumscribendum sanctum Benedictum fecit etiam Gothorum Rex Totila per suum Spatharium. Canon manifestè agit de servis Christianis. Gentilium Servorum submissio spectavit ad præcedentem Canonem. Constantinus Harmenopulus ambobus his Canonibus dedit hoc compendium: *Qui servos pro se sacrificare coegerint, ipsi quidem triennio, servi verò coacti annuo spatio pœniteant.*

CANON VIII.

IIS autem qui proditi sunt, & exciderunt, qui & ipsi ad certamen accesserunt, se esse Christianos confitentes, & in custodiam cum tormentis conjecti sunt: Æquum est in exultatione cordis vires simul addere, & eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione Corporis, & Sanguinis, & sermonis adhortatione: ut qui constantiùs decertaverint, ipsi quoque supernæ vocationis bravio dignentur. Etenim septies, inquit, cadet justus & resurget; quod quidem si omnes quoque Lapsi fecissent perfectissimam, & toto corde susceptam pœnitentiam ostendissent.

SCHOLION.

AD similem facti speciem statuit Ancyrana Synodus: *Presbyteros qui sacrificarant, deinde contra reluctati sunt, non simulatione quadam, sed ex veritate; nec hoc priùs machinati sunt, nec consultò ac de industria id fecerunt, & persuaserunt, ut tormentis subjici viderentur, cum ea specie & opinione tantùm inferrentur: visum est eos honorem quidem sedis retinere; Offerre autem illis, aut sermonem conferre, aut omninò Sacro aliquo Ministerio fungi non licere.* Præsens S. Petri Canon non de Presbyteris agit, sed de Laicis. Et de seriò & ex animo certamen resumentibus. Et Constantinus Harmenopulus dat ipsi hoc Compendium: *Qui traditi sunt, & propter coactionem illi quidem abnegarunt, verùm postea cessione revocata, fortiter decertarunt, in omnibus cum gratulatione communicent.* Quod resumptum in persecutione certamen priorem Lapsum plenè expurget, habeat virtutem plenæ pœnitentiæ, Divinæ Justitiæ plenè satisfaciat, ac per plenam omnium peccatorum remissionem Divinæ gratiæ reconciliet, variis in locis constanter docet S. Cyprianus. De Lapsis Pacem importunè postulantibus scribit ad suæ Ecclesiæ Majorem Clerum: *Qui si nimiùm properant, habent in sua potestate quod postulant; tempore ipso sibi plùs quam postulant largiente. Acies adhuc geritur, & Agon quotidie celebratur; si commissi verè & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet; qui differri non potest, potest coronari.* De plena peccatorum per novum certamen remissione fuit adeò certus, ut Lapsos propter novæ persecutionis accessum tunc judicaret non donandos Pace, sed dumtaxat de manente certantes & vincentes corona certificandos, atque ita animandos. Et ista hujus suæ Epistolæ verba repetit, laudat & confirmat in Literis ad Antonianum. At verò in Literis ad S. Papam Cornelium mutavit hanc posteriorem Sententiam: *Obtemperandum est namque ostensionibus, atque admonitionibus justis, ut à Pastoribus oves in periculo non deserantur, sed grex omnis in unum congregetur & exercitus Domini ad certamen Militiæ Cœlestis armetur. Meritò enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiù quies & tranquillitas*

Can. 1. Epist. 14. Epist. 54.

quillitas aderat, quæ differre diù plangentium Lachrymas, & subvenire serò morientibus, in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, sed fortibus Pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus Communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus. Hujus novi Decreti æquitatem amplè ac nervosè confirmat, atque prosequitur: *Nec quisquam dicat, qui Martyrium tollit, sanguine suo baptizatur; nec Pax illi ab Episcopo necessaria est, habituro gloriæ suæ Pacem, & accepturo majorem de Domini dignitione Mercedem. Primò idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: Et mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit.* Primum Ecclesiasticæ Clementiæ in Lapsos Decretum solos ex morbo morientes impertiebat Viatico Pacis; ex nova Persecutione periclitantes remittebat ad certamen novum, usurpans hanc Regulam: *Qui differri non potest, potest coronari.* Verùm postmodò res maturiùs discussa est, & visa durior, atque ita Cyprianus extendit, & auxit clementiam. Attamen priori, quę novum certamen censebat esse plenam Satisfactionem, Sententiæ nihil penitùs detraxit, nihil in ipsa mutavit.

Planè hoc lucet ex Caldonii Episcopi ad ipsum
Epist. 19 Literis, ac in ejus ad has Responso. Literæ habent: *Necessitas temporum facit, ut non temerè Pacem demus. Sed oportebat vobis scribere, quoniam ii, qui posteaquam sacrificaverunt, iteratò tentati, extorres sunt facti: Videntur ergò mihi abluisse prius delictum, dum Possessiones & domos dimittunt, & Pœnitentiam agentes Christum sequuntur.* Enumerat istiusmodi eventus à suo lapsu, atque prosequitur: *Cùm ergò universi Pacem peterent, dicentes, recuperavimus Fidem, quam amiseramus, Pœnitentiam agentes, & Christum publicè sumus confessi; quamvis mihi videantur debere Pacem accipere; tamen ad Consultum vestrum eos dimisi, ne videar aliquid temerè præsumere. Si quid ergò ex communi Consilio placuerit, scribite mihi.* Partim supponit, partim exprimit plura. Primò supponit, quod hujusmodi Lapsi per resumptam mentem factam gloriosè Confessionem, desertas Familiam & Facultates, & per Proscriptionem vel ultroneum Exilium non adhuc essent consecuti gratiam remissionis peccatorum. Quod nempe adultam dumtaxat aut robustam, necdum haberent perfectam Dei Charitatem. At verò nisi perfecta adsit charitas, peccatorum remissio non obtinetur, nisi per actu susceptum Sacramentum, aut consummatum Martyrium. Hunc esse avitum atque unanimem antiquæ Ecclesiæ sensum demonstravi in Dissertatione de Christiana Contritione. Caldonius secundò supponit, quod taliter resumpta Confessio sit apud Divinam Justitiam plena prioris infirmitatis Satisfactio, atque ita tales debeant statim citra omnem Pœnitentiam admitti ad Pacem. Tertiò, facere id non præsumpsit nisi facta Relatione ad suum Primatem. Quartò, hanc Relationem facit, & po-
Epist. 20 stulat Rescriptum. Et sanctus Cyprianus rescripsit: *Rectè autem sensisti circà impertiendam Fratribus nostris Pacem, quam sibi ipsi vera Pœnitentia & Dominicæ Confessionis gloria reddiderunt, Sermonibus suis justificati, quibus se antè damnaverant. Cùm ergò abluerint omne delictum, & maculam primam, assistente sibi Domino, posteriore virtute deleverint, jacere ultrà sub Diabolo quasi prostrati non debent; qui extorres facti, & bonis suis omnibus spoliati erexerunt se, & cum Christo stare cœperunt. Atque utinam sic & cæteri post Lapsum pœnitentes in statum pristinum reformentur.* Confirmat istos, licet generosè erectos, adhuc jacere sub Diabolo. Utique per reatum & maculam peccati. Quare macula, quam deletam dicit, est actionis, non animæ macula.

Quæ omnia hoc in Canone confirmat, & optat sanctus Petrus. Nam & ipse addit: *Quod quidem si omnes quoque Lapsi fecissent, perfectissimam, & toto corde susceptam pœnitentiam ostendissent.* Agit non de Extorribus, sed de Datis in tormenta ob resumptam Confessionem, & conjectis post tormenta in carcerem, utique dejiciendos denuò, aut pleno Martyrio consummandos. Et adfirmat hanc esse perfectissimam ex toto corde pœnitentiam, plenam satisfactionem. Et hinc ipsis statim communicandum seu Communionem impertiendam, sine quavis pœnitentia. Notanda sunt verba: *Et in Orationibus, & in participatione Corporis & Sanguinis.* Edicunt Lapsos istos esse admittendos non dumtaxat ad Consistentiam, in qua communicamus solis solemnibus Ecclesiæ Orationibus; sed etiam ad Perfectionem, in qua oblationem facimus, & ex ipsa nobis consecratam Eucharistiam participamus. Hoc est *eis in omnibus communicare.* Et adjungitur scopus tantæ gratiæ: *Ut qui constantiùs decertaverint, ipsi quoque supernæ vocationis Bravio dignentur.* Exponit in Literis ad sanctum Papam Cornelium sanctus Cyprianus: *At* Epist. 54
verò nunc non infirmis, sed fortibus Pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus Communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad Prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus. Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contrà Adversarium volumus, munimento Dominicæ Saturitatis armemus. Nam quo modo docemus aut provocamus eos in Confessione Nominis Domini Sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? Aut quo modo ad Martirii Poculum idoneos facimus, si non eos priùs ad bibendum in Ecclesia Poculum Domini jure Communicationis admittimus? Ecce grandes & reverendos effectus Sacro-Sanctæ Eucharistiæ. Etiam sanctus Petrus supponit istos Lapsos erectos, nec per tormenta, nec per carcerem; sed per solum Ecclesiasticæ Reconciliationis Sacramentum donari remissione peccatorum.

CANON IX.

IIS quoque qui tanquam ex somno ipsi ad certamen parturiens, & trahere differens, prosiliunt, sibi autem pugnæ maritimæ, & multæ fluxuum inundationis tentationem attrahunt, vel potius Fratribus pec-

catorum carbonem accendunt, ipsis quoque communicandum est, ut qui in nomine Christi ad id veniant: Etsi verba ejus non animadvertant, qui docet orare ne ingrediamur in tentationem, & eum rursus in oratione Patri dicere, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Fortè autem etiam ignorant Patrem-familias, & Dominum nostrum, sæpè ab iis, qui illi insidiari volebant, secessisse: Et quod quandoque etiam liberè apud eos non incedebat, & quod etiam quando Passionis tempus appropinquavit, non se-ipsum tradidit, sed exspectavit donec ad eum venirent cum gladiis & fustibus. Dicit ergo eis: Tanquam ad Latronem exiistis cum gladiis & fustibus ad me comprehendendum. Qui etiam tradiderunt ipsum, inquit, Pilato. Ad ejus quoque similitudinem iis accidit, qui ejus scopum sibi proponentes incedunt, Divinorum ejus Verborum recordati, quibus nos confirmans, de persecutionibus dicit, attendite vobis ipsis: tradent enim vos in Concilia, & in suis Synagogis vos flagellabunt. Tradent autem, dixit, non, vos ipsos tradetis: & ad Principes & Reges ducemini propter nomen meum, non, vos ipsos ducetis. Nam nos quoque vult à loco in locum transilire, dum sunt qui nos persequuntur propter nomen ejus. Sicut rursus eum dicentem audimus, & quando vos ab hac Civitate persecuti fuerint, fugite in aliam. Non vult enim nos ad Diaboli stipatores, satellitesque confugere; ne ipsis quoque multifariæ mortis causa simus, ut qui ipsos, & asperiores esse cogamus, & opera mortifera peragere: sed exspectare, & nobis cavere, vigilareque & orare, ne intremus in tentationem. Ita Stephanus primus, ejus vestigiis insistens, Martyrium passus, Hierosolymis ab iniquis correptus, & in Concilium ductus, lapidibus obrutus, in nomine Christi glorificatus est, rogans, & dicens, Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Ita Jacobus secundus ab Herode comprehensus, gladio capite truncatus est. Ita Petrus Apostolorum primus, sæpè comprehensus, & custodiæ traditus, ignominiaque affectus, postremò Romæ crucifixus est. Similiter & inclytus Paulus, sæpè traditus, & ad mortem usque in periculum adductus, multa mala perpessus, & in multis persecutionibus afflictionibusque gloriatus, in eadem Urbe ipse quoque gladio capite multatus est, qui in quibus gloriatus est, ipse in iis vitam finiit; Et quod Damasci in sporta noctu per murum demissus est, & effugit ejus manus qui eum conabatur opprimere. Erat enim eis imprimis propositum Evangelizare, & Verbum Dei docere: Quibus Fratres confirmantes ut manerent in Fide, hoc quoque dicebant, quòd per multas afflictiones oportet in Regnum Dei ingredi. Quærebant enim non quod sibi erat utile, sed quod multis, ut servarentur. Et multa ipsis liceret ad hæc facientia dicere, ut Verbo Dei convenienter facerent, nisi, ut dicit Apostolus, nos tempus narrantes deficeret.

SCHOLION.

SPontaneam sui ad Martyrium oblationem Catholica Ecclesia semper improbavit. Hac de re in quarto Stromaton Libro scribit Sanctus Clemens Alexandrinus: *Quidam ex Hæreticis*, Fol. 481 *cùm malè Dominum intellexerint, impiè simul & timidè vitæ tenentur cupiditate, dicentes verum esse testimonium ejus, qui verè est Deus Cognitionum. Quod quidem nos quoque fatemur. Eum autem esse occisorem, & sibi mortem conscissere, qui per mortem fuerit confessus. Et alia ejusmodi sophismata, callidaque commenta timiditatis in*

medium

medium afferunt. Adversùm quos dicetur, cùm tempus postulaverit. A nobis enim dissident in Principiis. Dicimus autem nos quoque eos, qui de industria mortem quærunt (sunt enim quidam non nostri, sed tantùm nominis participes, qui quidem se-ipsos magno studio contendunt tradere, propter odium in Creatorem miseri mortem cupientes) Eos, inquam, dicimus se ipsos è vita exigere absque ullo Martyrio ac testificatione, etsi publicè puniantur. Fidelis enim testimonii non servant Characterem, qui illum, qui verè est Deus, non cognoverunt. Primus error est fœdissimorum Gnosticorum, qui toti flagitioso libidinum luto infixi, nihil magis horrent quàm carnis mortem, ideoque damnant Martyria. Alter error est quorundam Marcionitarum, Dominum Deum cœli & terræ Creatorem, ac omnia ejus opera, suam etiam propriam Carnem odientium, adeoque quò ab isto mali Principii malo onere eximantur, semetipsos Tyrannis tradentium. Hujusmodi Traditionem, utpote erroris & sceleris plenam, meritò damnat Clemens, & laudatis suis verbis adjungit: *Vanæ morti se-ipsos tradunt, sicut se temerè in ignem conliciunt Indorum Gymnosophistæ.*

Nec istam solam, sed etiam ab Orthodoxis factam sui ipsius Traditionem damnat in eodem
fol.504. Libro. Refert hanc Gentilium quæstionem: *Si Deus vestri curam gerit, cur patimini persecutionem, & morte afficimini? An ipse vos eis tradit?* Et respondet: *Nos autem non sic existimamus, velle Dominum ut in casus incidamus, sed Prophetice prædixisse ea, quæ essent eventura. Fore scilicet, ut propter nomen ejus pateremur Persecutionem, ut occideremur, & ut suspenderemur. Quam ob rem noluit nos pati Persecutionem, sed ea quæ passuri sumus, priùs significavit, per eam prædictionem exercens ad tolerantiam, cui promisit hæreditatem.* Laudat Dominicum in Evangelio verbum: *Quando vos persecuti fuerint in hac Civitate, fugite in aliam*, atque prosequitur: *Dominus non suadet fugere, tanquam malum sit pati Persecutionem, nec ut mortem extimescentes jubet nos eam fuga declinare. Vult autem nos nulli esse auctores, neque alicujus mali caussa adjutores, nec nobis ipsis, nec ei qui persequitur, nec ei qui interimit. Denuntiat enim quodammodò ut caveat. Qui autem non obedit, est audax & temerarius, & inconsultè se in manifesta pericula conjiciens. Si autem qui hominem Dei interimit, in Deum peccat, is quoque ejus cædis reus tenetur, qui se offert Judicio. Talis autem erit, qui non vitat Persecutionem, capiendum se præbens per audaciam. Is est, qui quantùm in se est, adjuvat improbitatem ejus, qui persequitur. Quod si etiam irritet, planè caussa est, ut qui provocat feram.* Et sanè Romani Imperatores ac Provinciarum Præfecti per Spontaneam oblationem sunt in nos non raró facti acerbiores. Proindè sanctus Clemens eam damnat gravis peccati. Etenim affirmat esse datum Tyranno scandalum, & auctoritatem nostræ occisionis. Per incitamentum & cooperationem. Esse quæsitam & procuratam non noxio, sed obnoxio homini cædem, ideoque sceleratiorem. Quod argumentum probat ac insigniter firmat in primo de Dei Civitate Libro etiam sanctus Augustinus. Uti non possumus tradere aut occidere alios, ità longè minùs nosmet-ipsos. Divina Lex, *non occides*, primò comprehendit semet-ipsum, quia diligendi Proximi formam Dilector in semet-ipso accipit.

Ejusdem Sententiæ fuit sanctus Cyprianus. Etenim ejus extrema, quam Passioni ac morti proximus scripsit ad suum Clerum, Epistola habet: *Vos, Fratres Charissimi, pro Disciplina, quam de Mandatis Dominicis à me semper accepistis, & secundùm quod me tractante sæpissimè didicistis, quietem & tranquillitatem tenete. Ne quisquam vestrum aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultrò se Gentilibus offerat: Apprehensus enim &* Epist.83
traditus loqui debet; Si quidem in nobis positus Dominus illa hora loquatur: Qui nos Confiteri magis voluit, quàm Profiteri. Extremam hanc suam vocem Cyprianus ex animo commendat, & adjungit rationem: *Quodcumque sub illo Confessionis momento Confessor Episcopus loquitur, adspirante Deo, ore omnium loquitur.* Et à Paterno Africæ Pro-Consule comprehensus, atque interrogatus, *jussum est etiam ut Presbyteros requiram, volo ergo scire per te, qui sint Presbyteri, qui in hac Civitate consistunt.* Et respondet: *Legibus vestris benè atque utiliter censuistis nos delatores non esse. Itaque eos exhibere non possumus. Sed neque ipsi se ultrò offerunt, cum hoc Scriptura sancta prohibeat. A te enim quæsiti invenientur.* Ita habent antiqua atque Authentica sancti Cypriani Acta. Et alia Acta habent: *Cùm Disciplina prohibeat, ut quis se ultrò offerat, & tuæ quoque Censuræ hoc displiceat, nec offerre se ipsi possunt, sed à te exquisiti invenientur.* Et in funebri Fratris sui Cæsarii Encomio scribit sanctus Gregorius Nazianzenus: *Lex nostra sancit, ut urgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus, nec Pietatem per ignaviam prodamus: Quamdiu* Orat.10
autem licet, pericula ipsa ne provocemus; sivè animarum nostrarum metu, sivè ut iis consulatur, qui periculum nobis inferunt. Qui enim semet-ipsum offert & obtrudit, suò corpori injuriam facit, & scandalum Persecutori. Cæsarium laudat quod sub Juliani Imperio istam Legem observarit. Etenim Magni Basilii Parentes, quod in præsenti Diocletiani & Maximiani Persecutione istam Legem custodierint, laudat in funebri illius Encomio, atque subjungit: *Lex Martyrii hæc* Orat.20
est, ut nec nos ultrò ad certamen accedamus, hac nimirum ratione tum Persecutoribus, tum imbecillioribus Athletis consuluistis; nec cùm præsentes sumus, certamen detrectemus. Illud quippe temerarii ac præcipitis est animi, hoc timidi & ignavi. Quod ipsum in Moralium Libro docet, & Divinis testimoniis demonstrat Magnus Basilius. Et apud Reg.61.
Eusebii Cæsaræensis Ecclesiasticam Historiam exstat insignis Epistola Smyrnensis Ecclesiæ ad Philomilii in Ponto, ac omnes sub cęlo Ecclesias, quæ omne sancti Polycarpi sui Episcopi Martyrium amplè exponit, & addit quendam Phrygem Quintum, visis feris, ac aliis tormentis, statim trepidasse in fędissimæ abnegationis Lapsum, & Eusebius suis verbis edicit caussam: *Declarat eadem Epistola, illum non pru-* Lib.4.
denti animi provisione & consilio adductum, sed cap.14.
temerè & quasi rèpentino vento incitatum, cùm aliis ad tribunal Judicis ruisse: Qui simul-atque deprehensus tenebatur, illustre & evidens omnibus exemplum proposuisse, ne inconsideratè & imprudenter istiusmodi rebus se aliquando objicerent.

Hæc enim Objectio passim fit ex humanæ laudis ambitu, aut ex præsumptu de propriis viribus, adeoque non est firmæ Petræ infixum ædificium, sed super-ædificatum fluxæ arenæ. Istiusmodi habent vana Martyrii desideria, non fidem Martyre dignam. Et qui hanc fidem habuerint, imitari debent sanctum Antonium, de quo in ejus vita scribit Magnus Athanasius: *Post hæc persecutio illa, quæ Maximinum habebat auctorem, Ecclesiam invasit. Antonius itaque sanctos Martyres in Alexandriam ductos, relicto Monasterio & ipse comitabatur, dicens, abeamus & nos, ut vocati vel in certamen descendamus, vel alios decertare videamus. Ac Martyrii quidem desiderio flagravit, ipse autem se nolens tradere, Confessoribus tam in metallis, quàm in carceribus reservavit.* Quò ipsis opitularetur ac deserviret. Et de Mensurii, qui in ista eadem persecutione rexit Carthaginensem ac omnem Africanam Ecclesiam, ad Secundum Tigisitanum Episcopum ac Numidiæ Primatem Literis scribit sanctus Augustinus in Carthaginensis Collationis Breviculo: *In eisdem etiam Literis lectum est, eos qui se offerrent Persecutoribus, non comprehensi, sed ultro dicerent se habere Scripturas, quas non traderent, à quibus hoc nemo quæsierat; displicuisse Mensurio, & ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos.* Istos Mensurius canonizare noluit: Immò declaravit non esse veros Martyres, ideoque nec honorandos. Etistius Mensurii judicium omninò probat S. Augustinus. Et est omninò probandum.

Coll. 3. cap. 13.

Eisdem Principiis nititur sancti Cypriani ad Rogatianum Presbyterum ac alios Confessores Rescriptum. Confessores ad omnibus dandum bonæ vitæ exemplum nervosè hortatur & adjungit: *Cùm quanto enim nominis vestri pudore delinquitur, quando alius aliquis temulentus & lasciviens demoratur; alius in eam Patriam, unde extorris factus est, regreditur, ut deprehensus non jam quasi Christianus, sed quasi nocens pereat?* Licet ista Relegationis Sententia esset iniquissima, ipsi tamen omnes parere sanctus Cyprianus voluit ob duas caussas. Primò, quod iste reditus esset Pagani Judicis exacerbatio. Deinde, quod esset Oblatio atque Traditio. Attamen sancti Cypriani Assertum debet accipi de Relegatione singulari. Etenim de sancto Antonio, qui sui ipsius Oblationem penitus improbavit, scribit in ejus vita Magnus Athanasius: *Maximæ quoque Antonio curæ fuit, in judicio ad certamina vocatos exhortari, & alacriores reddere, Martyriumque passuros excipere, deducere ac prosequi, donec consummati suo sanguine Deo consecrarentur. Judex itaque viso tam illius, quàm eorum qui unà aderant, animo intrepido, & ad quævis toleranda parato, interdixit ne quis Monachorum in Judicio conspectus fieret, neque in Urbe ullus eis commorandi locus esset. Aliis ergò omnibus placuit illo die abscondi. At Antonium adeò non movit Interdictum, ut vestem, Scapulare magis etiam laverit, & sequenti die in loco edito anterior steterit, nec Judicis aspectum effugerit. Quod admirabantur omnes, ipse quoque Dux ac Præfectus cum suo Satellitio in transitu videbat. Verùm ille absque omni timore stabat ut Christianorum alacritatem animi ostenderet. Martyr enim & is fieri exoptabat. Cujus voti non factus compos in maximo dolore fuit. Verùm Dominus in nostram & aliorum utilitatem voluit ipsum servatum, ut in Ascetica, quam ex Sacris Literis didicerat, multis Magister foret.* Quò Cœnobiticum Monachismum fundaret, suo tempore diffundendum sub omni sole, ac futurum è firmioribus Ecclesiæ fundamentis. Generalem Proscriptionem sanctus Athanasius censuit non curandam. Interim an istam sancti Antonii generositatem sanctus Cyprianus fuisset generatim probaturus, ignoro. Existimo in Antonio fuisse Charismatis opus, ideoque probatum à Magno Athanasio. Contra sancti Cypriani doctrinam egisse quibusdam videtur etiam sanctus Ambrosius illa sua constantia, quam describit in Sermone de non Tradendis sanctus Basilius: *Miror quid hoc sit, nisi fortè quia per Tribunos me vidistis aut audistis Imperiali Mandato esse conventum, ut quò vellem, abirem hinc, & si qui vellent, sequendi potestatem haberent. Metuistis quidem ne Ecclesiam desererem, & dum saluti meæ timeo, vos relinquerem. Sed quid & ipse mandaverim, potuistis advertere: Deserendæ Ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse, quia plùs Dominum mundi, quàm sæculi hujus Imperatorem timerem. Sanè si me vis aliqua abduceret ab Ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mentem. Paratum me esse, ut si ille faceret quod solet esse Regiæ Potestatis, ego subirem quod Sacerdotis esse consuevit. Quid ergò turbamini? Volens nunquam vos deseram: Coactus repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere; Adversùs arma, Milites, Gothos quoque lachrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. Fugere autem, & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis gravioris pœnæ metu factum interpretetur.* Ambrosius, inquam, non egit adversùs doctrinam sancti Cypriani. Egit enim & scripsit non adversùs Pagani, sed adversùs Christiani Principis tyrannica Edicta, quibus Episcopus deferre non debet, nisi vi adactus. Istiusmodi Edicta damnare debet & exufflare, & ejus Judicio debet Princeps obedire. Et hinc etiam releganti Imperatori Constantio, Orthodoxi Episcopi non cesserunt, nisi executione compulsi. Sancti Patres eodem passim modo egerunt circa istiusmodi Decreta aliorum Regum Hæreticorum.

Epist. 7.

Quidam sancti Martyres olim semetipsos obtulerunt Tyrannis, & de hoc Spiritus fervore laudantur à sanctis Patribus. Etenim sanctum Gordium Militem ac Martyrem Cæsareensem in Cappadocia, quod semet-ipsum obtulerit, prædicat in Festivali ejus Homilia Magnus Basilius: *Adeò intrepido atque excelso animo fuit, ut cùm in eminentiori Theatri parte staret, ingenti voce, quam qui audierunt exstant adhuc aliqui, exclamaverit & dixerit: Inventus sum ab his qui me non quærebant, his qui me non interrogabant, palàm apparui. Quibus sanè verbis se in eum venisse locum significavit minimè coactum, sed ultrò se ad certamen exhibuisse.* Sanctus Basilius affirmat ab ipso expletam Sapientis paræmiam: *Justus confidit ut Leo*: Et imitationis expletum exemplum Domini, qui Judæis processit obviàm, semet ipsum offerens & dicens: *Quem quæritis? Ego sum.* Et ad nonas Decembres Romanum Martyrologium habet: *Sancti Anastasii Martyris, qui ardore Martyrii spontè se persecutoribus obtulit.* Et de sancto Albano, famosissimo

Cap. 7. mosissimo Britanniæ Martyre scribit in primo Anglicanæ Historiæ Libro Venerabilis Beda: *Albanus Paganus adhuc, cùm perfidorum Principum mandata adversùm Christianos sævirent, Clericum quendam persecutores fugientem hospitio recepit. Quem dum orationibus continuis ac vigiliis diù nocluque studere conspiceret, subitò Divina gratia repletus, exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari, ac salutaribus ejus exhortationibus paulatim edoctus, relictis Idololatriæ tenebris, Christianus ex integro corde factus est. Cumque præfatus Clericus aliquot diebus apud eum hospitaretur, pervenit ad aures nefandi Principis, Confessorem Christi penès Albanum latere. Unde statim jussit milites eum diligentiùs inquirere. Qui cùm ad tugurium Martyris pervenissent, mox se sanctus Albanus pro hospite ac Magistro suo ipsius habitu, id est, caracalla, qua vestiebatur, indutus, militibus exhibuit, atque ad Judicem vinctus perductus est.* Et istud ejus Factum probat ac
22. Jun. laudat in suis sanctorum Martyrum tabulis Romana Ecclesia: *Verulamii in Britannia, sancti Albani Martyris, qui tempore Diocletiani pro Clerico hospite, quem susceperat, se ipsum tradens, post verbera & acerba tormenta capite plexus est.* Passus est in præsenti, de qua nunc agimus persecutione. Et in Libro ad Scapulam, Africæ Pro-Con-
Cap. 1. sulem, scribit Tertullianus: *Cum omni sævitia vestra concertamus, etiam ultrò erumpentes:* Et in-
Cap. 4. frà: *Arius Antoninus in Asia cùm persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia ejus se manu facta obtulerunt.* Et ille territus paucos dumtaxat duci jussit, alios dimittens ac dicens: *Si vobis mori libeat, habetis laqueos.* Quod ipsum ab Urbicio Præfecto fuisse semetipsos offerentibus dictum scribit in prima Apologia sanctus Martyr Justinus. Et Tertullianus pergit ad scapulam: *Hoc si placuerit & hìc fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi?* Habemus multa istiusmodi exempla ac testimonia. Et ad omnia ipsa rectè respondet in suæ fugæ Apologia Magnus Athanasius: *Hæc Dominica de fugiendo Mandata, & Beati Martyres temporibus Persecutionum observaverunt, iidemque quàmdiù in latebris erant, sese obdurabant. Ubi autem inventi essent, Martyrium obibant. Quod si quidam ex eis se Persecutoribus dedidere, non temeritate eò rapiebantur, sed passim apud omnes profitebantur, à Spiritu Sancto hanc promptitudinem, suique oblationem esse profectam.* Unus hic Divinæ gratiæ impulsus potuit istam Oblationem purgare.

Et omnem hanc Doctrinam probat hìc, & confirmat multis sanctus Petrus. Prima ejus ratio est, quod Martyrium sit multa consideratione parturiendum, ideoque non invadendum temerè, sed maturo consilio differendum. Hinc infert sui ipsius oblatores esse similes illis, qui ex interrupto somno evigilantes sine firmo judicio proruunt in pugnam. Affirmat quod se temerè projiciant in pugnam maritimam, obnoxiam fluctuum periculis ac submersionis. Quod istos fluctus sibi attrahant. Secunda ratio est, quod tales etiam suis Fratribus accendant carbones peccatorum. Etenim exacerbant Tyrannum, atque ita instigant ad magis urgenda sua crudelia Edicta, quæ revera sunt peccatorum carbones. Per ea enim infirmi Fideles non raro adinstar paleæ exuruntur. Tertia ratio est, quod tales non intelligant, aut non attendant ad Orationem, qua sumus orare jussi: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Jussi sumus tentationem non accersere. Quarta ratio est, quod tales non imitentur Christum Dominum, qui Persecutores frequenter fugit, & ab ipsis se abscondit, & non nisi ab armata manu invasus & circum-cinctus processit illis obviàm, & capi se permisit. Ex quo vides quod Magnus Basilius asserens ab offerente se sancto Gordio fuisse imitatum Dominum, hìc à S. Petro corrigatur. Et rectè. Quinta ratio est, quod tales non intelligant hoc Domini verbum: *Tradent enim vos in Conciliis & Synagogis suis.* Hoc verbum mandat te non à temet-ipso oportere tradi, sed ab aliis. Nec à temet-ipso, sed ab aliis ducendum ad tribunalia. Sexta ratio est, quod tales nec hoc Domini verbum intelligant: *Cùm vos persecuti fuerint in Civitate ista, fugite in aliam.* Septima ratio est, quod sui oblatores dent Tyrannis scandalum, & ipsos incitent ad se occidendos, ideoque sint caussa proprii homicidii. Eos enim faciunt asperiores. Octava ratio est, quod sanctus Stephanus, sanctus Jacobus Zebedæi, S. Petrus, S. Paulus aliique omnes Apostoli atque Discipuli persecutionem fugerint, & non nisi comprehensi venerint ad Martyrium, atque ita exemplo docuerint sui ipsius Oblationem non licere. Et adverte quod sanctus Petrus dicat sanctum *Petrum* fuisse *Apostolorum primum*, & Romæ non dumtaxat vixisse, sed ibi etiam esse crucifixum. Hujus rei veritatem latiùs demonstravi in Scholiis ad Præscriptionem Septimii Tertulliani.

Interim de his sui Oblatoribus sancit sanctus Petrus: *Ipsis quoque communicandum est, ut qui in nomine Christi ad id veniant, etsi ejus verba non animadvertebant.* Constantinus Harmenopulus postquam de illis, qui suum Lapsum novo certamine purgassent, dixerat, *in omnibus cùm gratulatione communicent*, pergit ad præsentem Canonem, & illi dat hoc Compendium & Scholion: *Similiter & qui spontè ad obeunda certamina perrexerint.* Utique in omnibus cum gratulatione communicent. *Nam pro Christo id faciunt, tametsi non secundùm Christum, qui persecutionem Patientes fugère jussit.* Proinde Canon agit de illis, qui ex sui Oblatione evaserunt sine Lapsu. Et ipsos sancit tractari eo modo, quo anterior Canon tractandos jussit illos, qui Lapsi certamen resumpserant. Mandat ipsis statim impendi plenam Communionem, seu Perfectionem, ac perfectissimam Reconciliationem. Quia nempè licèt ex indiscreto, & non secundùm scientiam, tamen ex Dei zelo deliquerunt, ideoque merebantur misericordiam. Interim omninò peccarant. Et quidem mortaliter. Alioquin Communionis redditione ac reconciliatione non indiguissent. Et hinc vides quod avita Ecclesiæ Disciplina quibusdam mortalibus, & quidem externis atque notoriis, peccatis nullam imposuerit Satisfactionem, sed sola statim, & quidem perfectissima, Reconciliatione donaverit.

CA-

CANON X.

UNde non eſt æquum, ut vel Clerici, qui ſuâ ſponte auſugerunt, Lapſi autem, & reluctati ſunt, amplius in ſacro Miniſterio maneant, ut qui Domini gregem reliquerint, & ſeipſos vituperaverint: Quod nullus fecit ex Apoſtolis. Etenim cùm multas perſecutiones obiiſſet, & multa certaminum præmia oſtendiſſet beatus Apoſtolus Paulus, ſciens eſſe longè melius diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, infert & dicit; in carne autem manere, magis neceſſarium propter vos. Conſiderans enim non ſuam, ſed multorum utilitatem, ut ſerventur, magis quàm ſuam quietem, neceſſarium exiſtimavit, apud fratres manere, & eorum curam gerere. Qui etiam vult eum qui docet, eſſe in doctrina exemplum Fidelibus. Unde qui in carcere contendentes, à miniſterio exciderunt, & reluctati ſunt, ſenſus planè ſunt expertes. Quomodo enim petunt quod reliquerunt, cùm in ea tempeſtate eſſe poſſent Fratribus ſuis utiles? Quamdiu itaque firmi ſtabileſque manſerunt, ejus, quod præter rationem fecerant, eis venia dabatur. Quando autem lapſi ſunt, ut qui perperàm ſe geſſerunt, & ſeipſos vituperaverunt, non poſſunt amplius Sacra Miniſteria obire. Et ideo magis curam gerant, quomodo in humilitate vitam peragant à vana gloria ceſſantes. Eis enim ſufficit Communio, quæ diligenter & accuratè fit duabus de cauſis, tum ne videantur moleſtia affici, hinc diſſolutionem vi arripientes: Tum ne lapſi aliqui cauſentur ſe propter pœnæ occaſionem fuiſſe remiſſos: Qui quidem pluſquam omnes probrum & ignominiam habebunt: Sicut ille qui fundamentum poſuit, & non potuit perficere: Incipient enim, inquit, omnes qui præter-gredientur, eum illudere, dicentes: Hic homo poſuit fundamentum, & non potuit perficere.

SCHOLION.

COnſtantinus Harmenopulus Canoni dat hoc Scholion atque Compendium: *Clerici verò, qui ſpontè ad obeunda certamina ſe contulerunt, Miniſterium Sacrum ne peragant, quandoquidem Ovile ſuum reliquerunt, quod Apoſtolorum nemo fecit.* Præcedens de Laicis, præſens Canon agit de ſui Oblatoribus Clericis. Et ipſos non ſolummodò ſuſpendit, ſed perpetuò, licet non deponat, ceſſare jubet ab omni Clericali Miniſterio. Eſt Depoſitioni fermè par ſupplicium, atque ita omninò ſupponit peccatum mortale. Et ſanctus Petrus edicit varias hujus peccati radices. Prima eſt, quod per iſtam Oblationem ſpontaneè deſererent ſuum Gregem. Secunda eſt, quod non ſolummodò in exemplum, ſed etiam impingerent in Apoſtolicum Canonem, mandantem nihil à nobis agi, ex quo vituperaretur noſtrum Miniſterium. Iſtorum Clericorum quidam videntur allegaſſe ſe eſſe in Charitate non ſolummodò robuſtos, ſed & Perfectos; ideoque nullum eſſe ſibi ex Oblatione periculum Lapſus, & perfectæ, quæ Divini Regni adventum in Dominica Oratione ex pectore poſtulat, Charitatis vocem hanc, *cupio diſſolvi ac eſſe cum Chriſto*, ab Apoſtolo laudari. Et S. Petrus reſpondit ab illis non attendi ſubnexa Apoſtoli verba: *In carne autem permanere magis neceſſarium propter vos.* Etenim verè perfecta Charitas non dumtaxat delectabiliter moritur, ſed etiam patienter vivit, & cùm ſancto Martino dicit: *Domine, ſi Populo tuo adhuc ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Perfecta Charitas facit virum ineffabilem, qui nec mori timeat, nec inter quaſvis etiam calamitates recuſet pro Domino vivere. Ambas has qualitates eſſe perfectæ Charitati eſſentiales demonſtravi pluribus in Diſſertatione de Motu Chriſtianæ Contritionis. Quare S. Petrus rectè hìc ſcribit illos, qui ſibi perfectam Charitatem ineſſe autumant, ideoque ſe Perſecutoribus offerunt, falli & præſumere. Et deviare à Doctrina & Factis ſancti Pauli.

Hæc verba, *unde qui in carcere contendentes, à Miniſterio exciderunt, &c.* diriguntur in illos, qui in carcere exiſtentes, induxerant ſibi inflictam perpetuam à Miniſterio ceſſationem, contendebantque atque renitebantur. Canon affirmat ipſos eſſe ſenſus expertes, utpote qui petant ſibi manere & reddi, quod ſpontè contrà Proximi utilitatem depoſuerunt atquè abjecerunt. Hæc verba: *Quamdiu itaque firmi ſtabileſque manſerunt*, reſpiciunt leviora in Officio delicta, & permittunt illis Indulgentiam. Et Canon addit iſtam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem. Et pergit: *Quando autem Lapſi ſunt, &c.* Affirmat iſtam ſui Oblationem & officii Deſertionem eſſe damnabilem Lapſum, ideoque non dumtaxat perpetua ceſſatione, ſed etiam ſolemni

solemni Pœnitentia dignum. Et Ministerii repetitionem esse ambitum vanæ gloriæ. Etiam hinc asserit istos non esse in Charitate perfectos. Rursus Canon. *Eis autem sufficit Communio.* Sensus est: Præter perpetuam cessationem possit illis infligi & publica Pœnitentia. Verùm indulgemus & volumus ipsos mox donari plena Communione, ac perfectissima Reconciliatione, ob duas caussas: Prima est, ne duplex pœna videatur durior, ideoque ipsos affligat nimium, & det ansam præcipitandi in dissolutam vitam. Altera istius Clementiæ caussa est, ne quis ex duplici pœna acciperet occasionem querendi & lamentandi se remitti, seu abjici extrà Ecclesiam, & quasi cogi ad apostatandum. Proinde hæc Indulgentia fuit dispensatoria. Et hinc Canon adjungit: *Qui quidem omnes probrum & ignominiam habuerunt, &c.* Sensus est: Ista Apostasia nullum habet fundamentum; fit ex infirmitate Christiani Ædificii, & altè clamat istiusmodi Clericos à perfecta, de qua se jactant, Charitate plurimùm abesse. Proinde nostra Indulgentia est mera gratia. Et hinc iterum discimus varia. Primò, quod sui Oblatio fuerit longè gravius peccatum in Clerico, quàm in Laico. Deinde, quod antiqua Disciplina nullam illi imposuerit Pœnitentiam, sed mox plenè absolverit. Tertiò, quod ista forma obtinuerit in pluribus mortalibus peccatis. Eorum Satisfactionem Ecclesia permittebat proprio Pœnitentis arbitrio explendam post Absolutionem. Quartò discimus, quod Ecclesia id fecerit ex commiseratione ergà pœnitentium, etiam Clericorum, infirmas vires. Quintò discimus, quod in Reconciliandis non exquisierit tantas correcti animi & justitiæ vires, quæ postea valerent omne peccatum mortale vincere. Quinimmò infirmis viribus adeò cavebat, ut nec per Satisfactionis duritiam præberet illis quid occasionis.

CANON XI.

QUI enim primùm in persecutionis fervore prosilierunt judicium circumstantes, & sanctos Martyres, qui ad bravium supernæ vocationis festinabant, aspicientes, honesta æmulatione incitati, se ipsos ad hoc tradiderunt, magna libertate utentes, maximè videntes eos qui subtrahebantur labi, propter quos interiùs excitati, & quodam veluti sono impulsi ad debellandum se efferentem, & adversarium, ad id contedebant, ne apud se prudens esse videretur, ob ea in quibus ejus calliditate inferiores esse visi sunt, etiamsi seipsum vinci ab iis, qui scuticarum flagellorumque tormenta, & gladii aciem, & ignis ustulationem, & aquarum immersiones constanter tulerunt, eum latuit: Iis quoque qui, ut ex fide preces & orationes fiant, persequuntur, vel pro iis qui in custodia puniti sunt, & à fame & siti traditi sunt, vel pro iis qui extra custodiam scuticis & flagellis in judicio torti sunt, postea autem à carnis imbecillitate victi fuere, æquum est annuere. Cum iis enim qui lugent, & mœrent, pro iis qui in certamine victi sunt à magnis maligni Diaboli viribus, sive pro parentibus, vel fratribus, vel liberis, unà dolere, & tristitia affici neminem quicquam penitus lædit. Scimus enim etiam propter aliorum fidem, quosdam esse Dei bonitatem assecutos, & in peccatorum remissione, & corporis sanitate, & mortuorum resurrectione. Memores itaque multorum laborum, & miseriarum, quas pro Christi nomine sustinuerunt, cum ipsi etiam pœnitentiam egerint, & quod à se factum est per proditionem in corporis languore & mortificatione defleverint, & se præterea testentur, in vita sua fuisse à civitate alienos, simul oremus, & postulemus pro eorum reconciliatione cum aliis quæ decet per eum qui est nobis Advocatus apud Patrem, se nostris peccatis propitium exhibentem. Et si quis, inquit, peccaverit, habemus Advocatum apud Patrem JESUM CHRISTUM justum: & is est propitiatio pro peccatis nostris.

SCHOLION.

SAnctus Petrus edicit caussam ex qua olim aliqui semet-ipsos Tyrannis obtulerunt. Quia nempè circumstabant Tyranni tribunal aut supplicii locum, & quosdam illic Martyres videbant constantissimos, quosdam in Lapsum cespitare. Hinc quidam ad illos imitandos, & se ipsorum gloriæ sociandos, quidam ad hoscè confirmandos sese offerebant. In his infirmis videbant valere tentatorem Diabolum; ne prevaleret adjunxerunt se istis infirmis, atque ita sperarunt firmandos.

Spera-

Sperarunt non solummodò in semet-ipsis, sed etiam in suis Proximis Diabolum vincere. Ejus prudentiam, seu astutiam vincere, qui à Fortiorum corde exclusus, ideoque & indignatus, omnes nequitiæ suæ vires effundebat in istos infirmiores. Et illorum semet-ipsos efferentium aliqui aliorum pro se preces postularunt ex fide, conjecti fuerant in vincula & cruciati tormentis. Et quidam erant Lapsi. Et jam postulabant Ecclesiæ gratiam, & Divinæ Majestatis Pacem. Proinde decimus & nonus Canon agunt de integris seu citrà secutum Lapsum Oblatoribus; hic Canon agit de Oblatoribus lapsis. Et Constantinus Harmenopulus dat illi hoc compendium: *Eis, qui spontè quidem certamen obierunt, verùm propter varios cruciatus abnegarunt, ac deinde rursum pœnituerunt, factumque suum deplorarunt, æquum est annuere, & pro eis tum preces fundere, tum Numen placare.* Eos sanctus Petrus ad plenam Pacem admittit sine omni Pœnitentia. Et adjungit caussam: *Memores itaque multorum laborum, & miseriarum, quas pro Christi nomine sustinuerunt, cum ipsi etiam pœnitentiam egerint, & quod à se factum est per proditionem, in corporis afflictione & mortificatione defleverunt, & se præterea testentur in vita sua fuisse à civitate alienos, simul oremus & postulemus pro eorum Reconciliatione.* Per spontaneos sui Oblatores Tyranni passim erant crudeliores: Hinc isti Lapsi fuerant passi exilia, tormenta, multos labores atque miserias. Et ex Tyrannorum manibus liberati, semet-ipsos in fletum dederant, atque fleverunt ex animo. Hæc omnia sanctus Petrus consideravit, & judicavit ad plenam Satisfactionem sufficere. Locum hìc habet
Cap. 11. illud sancti Pauli in prima ad Corinthios Epistola: *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Sanctus tamen Petrus isti voluntariæ Satisfactioni adjunxit duo adjutoria. Primum est in his verbis: *Simul oremus & postulemus pro eorum Reconciliatione.* Adjunxit suas preces. Ita & de sancto Ambrosio scribit in ejus vita sanctus Presbyter Paulinus: *Ambrosius erat flens cùm flentibus. Siquidem quoties-cumque illi aliquis ad percipiendam Pœnitentiam Lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur enim sibi cum jacente jacere.* Et in secundo de Pœnitentia Libro ipse Ambrosius semet-ipsum non dumtaxat suorum peccatorum plena remissione donatum, sed etiam ex Catechumeno & Palatino creatum Epi-
Cap. 8. scopum, inducit Christo Domino supplicantem in hæc verba: *Serva Domine Munus tuum, custodi Donum quod contulisti etiam refugienti. Ego sciebam, quod non eram dignus vocari Episcopus, quoniam dederam me sæculo huic, sed gratia tua sum quod sum. Et sum quidem minimus omnium Episcoporum, & infimus merito. Tamen quia & ego laborem aliquem pro sancta Ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere, ne quem perditum vocasti ad Sacerdotium, eum Sacerdotem perire patiaris: Ac primùm ut condolere norim Peccantibus affectu intimo. Hæc enim summa virtus. Quia scriptum est: Et non gaudebis super Filiis Juda in die perditionis eorum. Et ne magna loquaris in die tribulationis eorum. Sed quotiescumque peccatum alicujus Lapsi exponitur, compatiar, nec superbè increpem, sed lugeam & defleam, ut dum alium fleo, me ipsum defleam, dicens: Justificata est magis Thamar, quàm Ego. Fortassè Adolescentula lapsa sit Occasionibus, quæ delictorum fomites sunt, decepta, ac præcipitata sit: Peccamus & Seniores.* Hanc commiserationem cunctis Pœnitentiæ Administris commendat ex pectore, & demonstrat isti Officio quàm maximè necessariam. Id ipsum demonstrat in Sermone de tempore sanctus Augustinus: *Ideo beatum Petrum paululùm Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere nihil se sine Dei gratia prævalere, & ut Ecclesiæ Rectori futuro ignoscendi peccantibus quædam Regula poneretur. Credendæ enim erant Petro Apostolo Claves Ecclesiæ: Immò creditæ sunt ei Claves Regni Cœlorum. Credenda quoque ei erat Populorum innumera multitudo, quæ esset pro suæ naturæ vitiis, passionibus, culpis involuta atque peccatis. Denique sic ad eum Salvator dicit: TIBI, inquit, DEDI CLAVES REGNI CÆLORUM. Denique sequitur dicens: QUÆCUMQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM, ERUNT LIGATA ET IN CÆLO: Videlicet ut in Clavibus Fidelis janitor, in Sententiis esses clementissimus Dispensator. Erat enim revera hic Petrus paulò durior & severus, sicut ejus austeritatem truncata ob Christi injuriam servi Principis Sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus tamque severus, si donum non peccandi à Domino fuisset adeptus, quæ venia commissis Populis donaretur? Sed idcirco Divinæ Providentiæ Secretum ita temperavit atque permisit, ut primus ipse laberetur ac rueret in peccatum, quò ergà peccantes duriorem Sententiam proprii casus intuitu temperaret . . . . . . Ut Populorum Doctoribus & Magistris esset exemplum . . . Cùm fortè quis fuerit in Ecclesia delicto præventus, non statim Abjiciat, condemnet; sed Compatiatur ac Lugeat, Consoletur ac Revocet; Commodet jacenti affectum, porrigat manum; erigat Lapsum, spem ei Divinæ Clementiæ repromittens.* Et in alio Sermone de tempore: *Melior est Peccator humilis, quàm Justus superbus.* Sanctus Thomas à Villa-Nova, optimus Valentinorum Archi-Episcopus non solum Lapsorum Confessionem lachrymis animabat, sed proprii corporis flagellis ipsorum infirmam Satisfactionem adjuvabat & fulciebat. A quo spiritu plurimum distant, quotquot hodie sibi confitentes Lapsos durè increpant, confundunt, sine Absolutionibus dimittunt. Certè hoc citra ipsius Pœnitentis necessitatem aut utilitatem non est faciendum. Et ob solam utilitatem fieri non possit in invitum. Loquor juxta jam plurium sæculorum S. Patribus probatam & exercitatam, Catholicæ Ecclesiæ Disciplinam.

124.
49.

Sanctus Petrus dicit: *Simul oremus & postulemus.* Loquitur ad omnem suam Ecclesiam. Non solis propriis adjuvit, sed & junctis totius suæ Ecclesiæ precibus jussit Lapsos adjuvandos: Adjuvandam Satisfactionis infirmitatem, & ita Reconciliationem impetrandam. Quod ipsum in Libris de Pœnitentia amplè & variè docuit sanctus Ambrosius. Laudat Apostoli de Lapso in nefandam Mœchiam Corinthio ad istam Ecclesiam verba: Lib. 1. cap. 15.
Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, atque commentatur: *Apostolus benè ait: expurgate. Velut enim operibus quibusdam totius Popul' purgatur, & plebis lachrymis abluitur, qui orationibus & fletibus plebis redimitur à peccato, & in homine mundatur interiore.*

riore. Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, quæ Domini JESU meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur. Hic sensus Pauli est, quem verba obscuriorem faciunt. Consideremus ipsum Apostoli Sermonem: Expurgate, inquit, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Quod tota Ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore est: Et quasi fermento ejus se totam conspergat, ut per universos ea, quæ sunt superflua in aliquo pœnitentiam agente, viritim misericordiæ aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur. Pergit in secundo Libro ad Pœnitentem lapsum: *Si te* per Confessionem *detuleris ipse, etsi mortuus fueris, reviviſces. Veniat ad monumentum tuum Christus, & si viderit flere pro te Martham, boni fœminam Ministerii, flere Mariam, quę attentè audiebat Verbum Dei, sicut sancta Ecclesia, quæ optimam partem sibi elegit; movebitur misericordia, cum viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet: ubi posuistis eum? Hoc est, in quo Reorum statu est, in quo Pœnitentium Ordine? Videam quem fletis, si lachrymis suis ipse se moveat. Videam si jam peccato ei, cujus venia poscitur, defunctus est. Dicet plebs: Veni, & vide. Quid est, veni? hoc est, veniat peccatorum remissio, veniat defunctorum vita, mortuorum resurrectio, veniat & in hunc peccatorem Regnum tuum. Veniet itaque, & levari lapidem jubebit, quem cervicibus peccatoris Lapsus imposuit.* Et in alio ejusdem Libri capite: *Fleat pro te Mater Ecclesia, & culpam tuam lachrymis lavet: Videat te Christus mærentem, ut dicat, beati tristes, quia gaudebitis. Amat, ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus resuscitavit. Ideo citiùs exaudivit JESUS Petrum ut Dorcas resurgeret, quia Pauperes mortem mulieris ingemiscebant.* Eadem de caussa Flentes omnibus Dei Charis adgeniculabantur, ut hi suis precibus ipsorum pœnitentiam adjuvarent. Quod ipsum in hoc posteriori loco etiam notavit sanctus Ambrosius. Proinde uti Cathedrales & Parochiales, ita & Regulares, quæ Fidelium Confessiones audiunt, Ecclesiæ obligantur pro istis Consistentibus quotidianas & ferventes preces fundere, atque ita ipsorum infirmas Satisfactiones supplere, adjuvare, explere. Est non modicum adjutorium. Et novissimis his temporibus, quæ Populum ad plenas Satisfactiones non permittunt compelli, singulariter necessarium.

Cap. 7.

Cap. 10.

Aliud subsidium, quod infirmis Lapsorum Satisfactionibus adjecit sanctus Petrus, est in his verbis: *Cum iis, qui lugent & mœrent pro iis, qui in certamine victi sunt à maligni Diaboli viribus, sive pro Parentibus, vel Fratribus, vel Liberis, unà dolore & tristitia affici, neminem quidquam penitùs lædit. Scimus enim etiam propter aliorum fidem quosdam esse Dei bonitatem assecutos, & in peccatorum remissione, & corporis sanitate, & mortuorum resurrectione.* Stantium & integrorum Fidelium pro Parentibus, Filiis, Fratribus, ac aliis amicis Lapsis intercessiones affirmat ab Ecclesia non spernendas. Hanc spretionem adversari Divinæ Clementiæ, quæ variis propter similes intercessiones reddit sanitatem corporis, novam è morte vitam, ac item ipsorum Peccatorum remissionem, Exempla in Evangelio, Apostolicis Literis, ac aliis authenticis Scriptis sunt obvia. Et Dominicum consilium atque mandatum est: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna Tabernacula.* Hanc Clementiam nos imitari mandat sanctus Petrus, & permittere, ut Lapsorum Pœnitentia per talia etiam intercessionum Subsidia adjuvetur. Non de humana, sed de Divina intercessione loquitur: De fusis ad Deum pro Lapsorum amicorum Reconciliatione precibus.

CANON XII.

IIS enim, qui pecuniam dederunt, ut ipsi omni ex parte ab omni malitia imperturbati essent, crimen intendi non potest. Damnum enim, & jacturam pecuniarum sustinuerunt, nè ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent, quod alii propter turpe lucrum non fecerunt: Quamvis Dominus dicat; quid enim hominem juvabit, si universum Mundum lucratus fuerit, animæ autem detrimento fuerit affectus, vel eam etiam perdiderit? Et rursus, non potestis Deo servire & Mammonæ: In illis enim apparuerunt qui Deo servirent, exosis, conculcatis, contemptisque pecuniis, & in eo compleverunt, quod scriptum est: Pretium redemptionis animæ hominis, propriæ divitiæ. Nam & in Actibus quoque Apostolorum legimus, eos qui pro Paulo & Sila Thessalonicæ ad Magistratus trahebantur, cum multis pecuniis fuisse dimissos. Postquam enim ipsos propter nomen multùm onerassent, & multitudinem Magistratusque perturbassent, ab Jasone, inquit, & reliquis Satis-datione accepta, eos dimiserunt. Fratrem autem noctu protinùs Paulum & Silam miserunt in Berræam.

SCHOLION.

CONstantinus Harmenopulus dat Canoni hoc Compendium: *Qui pecunias dederunt, ut tormentis eriperentur, culpa carent; cùm pecuniarum,*

rum, quàm animæ detrimentum subire maluerint. Notanda sunt verba sancti Petri: *Ut ab omnis improbitatis molestia omni ex parte remoti essent.* Notanda est repetitio, *omnis improbitatis, omni ex parte.* Etenim etiam quidam illorum, qui per Libellos, aut Altaris transitum evaserant, dederant pecunias, & graviter peccarant: Quia nempe omnem ex omni parte improbitatem non evaserant. Canon loquitur de illis, qui omnem & plenam à Sacrificii etiam fuco libertatem, ac plenè immaculatam sui custodiam emerant. Et affirmat ipsos non peccasse, ideoque nec egere pœnitentia. Et probat hoc ex authoritate sancti Pauli Apostoli, qui suas Thessalonicæ persecutiones permisit per Jasonem ac alios Cives pecunia redimi, atque ita se liberari à necessitate prævaricandi aut moriendi. Hæc sancti Lucæ verba, *& accepta Satisfactione à Jasone & cæteris, dimiserunt eos*, intelligit de Satisfactione per datas pecunias. Quæ expositio est omnino bona, & benè notanda.

Canon sancit contrà Septimium Tertullianum, qui ad Montanum delapsus, istas pecuniarias Redemptiones durissimè damnavit, & asseruit prævaricatorias. De fuga in Persecutione scripsit singularem Librum, omnem hìc fugam rigidissimè damnat, & post plenè probatam, aut potiùs probari tentatam istam Thesim, pergit ad Quæstionem de persecutionis ac tormentorum redemptione. *Qui quærit, an persecutio fugienda sit, sequentem quoque quæstionem jam prospiciat necesse est; An si fugienda non est, redimenda certè sit? Ultrò igitur & de hoc tibi suggeram, definiens persecutionem, quam constat non esse fugiendam, proinde nec redimendam. Pretium inter-est... Cæterùm, sicut Fuga redemptio gratuita est, ita Redemptio nummaria, fuga est. Certè & hujus, timiditatis consilium est. Quod times, redimis: Ergò fugis. Pedibus stetisti, cucurristi nummis. Hoc ipsum quod stetisti ex redemptione, fugisti.* Hoc est primum pro errore argumentum. Eruditum, & falso nixum principio. Quod enim fuga in persecutionibus liceat, immò quibusdam sit in Præcepto, semper docuit Catholica Ecclesia. Et suo loco statim demonstrabitur. Pergit Tertullianus ad secundum argumentum: *Ut autem redimas hominem tuum nummis, quem sanguine suo redemit Christus, quàm indignum Deo & dispositione ejus, qui Filio suo non pepercit pro te, ut fieret Maledictum pro nobis?* Infamem Passionem & mortem quam Deus Verbum pro nobis à Diaboli potestate redimendis dedit in pretium Deo Patri suo, omni conatu exaggerat, atque prosequitur: *Quis est nunc qui adversùs illum reluctatur, immò depretiat, & mercedem ejus tam magno comparatam, pretiosissimo scilicet Sanguine, commaculat? Jam ergo, meliùs fugere, quàm fieri viliorem, si non tantò sibi constabit homo, quanti constitit Domino. Et Dominus quidem illum redemit ab Angelis, Mundi-Tenentibus Potestatibus, à Spiritalibus nequitiæ, à tenebris hujus ævi, à judicio æterno, à morte perpetua: Tu autem pro eo pacisceris cum Delatore, vel milite, vel furunculo aliquo Præside, sub tunica & sinu, quod ajunt, ut furtivo, quem coram toto mundo Christus emit, immò & manu-misit. Hunc ergo liberum pretio æstimabis, & pretio possidebis, nisi eodem, quantò, ut diximus, Domino constitit, Sanguine suo scilicet?* Affirmat

Cap. 12.

hanc Redemptionem esse omni fuga fœdiorem ac turpiorem, & ipsam damnat ex vario capite. Primò, quod indignum sit, hominem Domini Sanguine redemptum, denuò nummis redimere. Affirmat esse injuriam & in ipsum hominem, & in istud ineffabile Pretium. Esse injuriam in hominem, quoniam quem Dominus Deus redemit infinito, tu æstimas vilissimo pretio. Esse injuriam & in istud Pretium, quia ipsum censes vile, dum ejus mercem censes vilem. Affirmat istud infinitum Pretium à te commaculari, depretiari, & adverrùs ejus dignitatem depugnari: Et ipsum etiam hominem censeri viliorem; quia tibi non constat aut æstimatur tanti, quanti constitit Christo Domino. Secunda ratio est, quod indignum sit à Diabolo, omnium Tyrannorum ac iniquorum Principe, ac omni ejus potestate redemptum hominem, denuò redimere à Delatore, Milite, Præside. Notanda sunt verba: *Furunculo aliquo Præside.* Asserunt Romanorum Præsidum fœdissimas sordes, qui ab opulentis Christianis, sub tunica & sinu, id-est, clandestinè, furunculorum more, accipiebant nummos, atque ita suorum Principum Edicta prævaricati dissimulabant ab istorum persecutione. Septimius affirmat redemptum à Diaboli potestate hominis esse liberrimum corpus, ideoque non posse vendi: Hinc neque possideri pretio, nec pretio redimi, præsertim à Delatore, Milite, furunculo Præside, vilissimis personis. Hos enim omnes infirmi & opulenti Fideles corrumpebant. Hinc affirmat Septimius, quod semet-ipsos ab illis emerent, adeoque & permitterent vendi; Et quidem sub sinu & tunica; Hominem à Christo Domino coràm toto mundo redemptum ac manu-missum: Et hoc vilissimo pretio.

Tertium Tertulliani argumentum est in sequentibus verbis: *Ut quid ergò de homine Christum redimis in homine, in quo Christus est? Non aliter & Simon facere tentavit, cum pecuniam Apostolis obtulit pro Spiritu Christi. Audiet ergò & iste, qui se redimens, Christi spiritum redemit: Pecunia tua tecum sit in interitum, quoniam gratiam Dei pretio consequendam putasti.* Affirmat istam redemptionem esse Simoniam, quia nempè Christum Dominum, ejusque in te habitantem Spiritum, aut sanè liberam istorum in te habitationem Paganus tibi pecunia vendit, adeoque tu emis. Pergit ad quartum argumentum: *Quis talem abnegatorem non spernat? Quid enim dicit ille Concussor? Da mihi pecuniam. Certè nè eum tradat; siquidem non aliud venditat, quàm quod præstaturus est præmio tuo. Cùm das, utique nè traderis voluisti. Non traditus autem, traduci habebas? Ergò dum nolendo tradi, non vis traduci, nolendo negasti, quod te esse traduci noluisti. Immò, inquis, dum nolo traduci quod sum, sum confessus id esse, id est Christianum. Potes itaque te Martyrem vindicare, constanter ostendisse Christum? Redimens, non ostendisti. Apud unum, si fortè confessus es; Ergò & apud plures, nolendo confiteri, negasti. Ipsa salus judicabit hominem excidisse, dum evadit. Excidit ergò, qui maluit evasisse. Negatio est etiam Martyrii recusatio. Christianus pecunia salvus est: Et in hoc nummos habet, nè patiatur, dùm adversùs Deum erit dives. At enim Christus suo Sanguine fuit dives pro illo. Felices itaque pauperes; Quia illorum est, inquit,*

Regnum

Regnum Cœlorum, qui animam solam in confiscato habent. Si non possumus Deo servire & Mammonæ, possumus à Deo redimi & à Mammona? Quis enim magis serviet Mammonæ, quàm quem Mammonas redemit? Verba, *Pauperes solam animam in confiscato habent*, demonstrant caussam ex qua divites se pecunia redimerent, fuisse non solius mortis metum, sed etiam metum Confiscationis. Ex quo lucet Redemptionem hanc, dum apud ipsum Provinciæ Præsidem fieret, fuisse non modicam. Tertullianus ergò istam redemptionem affirmat esse veram negationis speciem ob duas caussas. Primò, quod talis redimens semet-ipsum coram unico dumtaxat Delatore, Milite, aut furunculo Præside se fateatur Christianum, apud alios autem omnes abneget. Etenim apud suæ Christianitatis ignorantes non vult traduci seu aperiri, quod illam scientes evadit impunè, ideoque creditur abnegasse. Secunda ratio est, quod semet-ipsum per Mammonam redimere, involuat damnatam Mammonæ servitutem.

Pergamus ad quintum argumentum: *Postremò, quo exemplo uteris in redemptionem Traditionis? Apostoli persecutionibus agitati, quando se pecunia tractantes liberaverunt? Quæ illis utique non deerat ex prædiorum pretiis ad pedes eorum depositis. Certè multis locupletibus credentibus, viris ac fœminis, qui his etiam refrigeria ministrabant. Quando aut Aquila, aut Stephanus hoc modo eis in persecutione succurrerunt? Paulus quidem cum Felix Præses pecunias se pro eo accepturum à Discipulis sperasset, de quo & ipse in secreto tractavit cum ipso, neque ipse pro se, neque Discipuli pro eo numerarunt. Illi utique Discipuli, qui flentes quod Hierosolymam tendere perseveraret, & persecutiones prædicatas illic non præcaveret, postremò inquiunt: Fiat voluntas Dei. Quæ ista voluntas? Utique ut pateretur pro nomine Domini, non ut redimeretur. Oportet enim, quomodo Christus animam suam posuit pro nobis, ita fieri pro eo & à nobis. Nec tantùm pro ipso, immò etiam pro fratribus propter ipsum. Quod Joannes docens, non & fratribus numerandum, sed moriendùm potius pronuntiavit. Nihil interest, si quem Christianum redimere non debeas aut emere. Et adeò voluntas Dei sic est.* Affirmat huic Redemptioni nullum suffragari Apostolicum exemplum aut testimonium, immò utrumque refragari. Etenim sanctus Paulus Felici Præsidi, istiusmodi redemptionem exspectanti noluit assentiri. Et sanctus Joannes Apostolus, qui in prima sua Epistola pro fratre moriendum jussit, non jussit numerandum. Deinde Christianum hominem non licet emere: Ergò nec redimere. Et hìnc vides Canonem, qui Christianum Mancipium vetat à Christianis distrahi, esse antiquissimum, Apostolicum.

En sextum argumentum: *Adspice Regnorum & Imperiorum, utique à Deo dispositum statum, in cujus manu est cor Regis. Tanta quotidie ærario Regio augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum: Nec unquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemptionem Capitis & Sectæ redigendis, cùm tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingens meti posset. Sanguine empti, sanguine numerati nullum nummum pro Capite debemus; quia caput nostrum Christus est. Non decet Christum pecunia constare. Quomodo & Martyria fieri possent in gloriam Dei, si tributo licentiam Sectæ compensaverimus? Itaque qui eam præmio paciscitur, dispositioni Divinæ adversatur. Cum igitur nihil nobis Cæsar indixerit in hunc modum stipendiariæ Sectæ, sed nec indici tale unquam quid possit, Anti-Christo jam instante, & in sanguinem, non in pecunias hiante Christianorum, quomodo mihi proponere potest scriptum esse: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari? Miles me, vel delator, vel inimicus concutit, nihil Cæsari exigens, immò contra faciens; cum Christianum Legibus humanis reum, mercede dimittit. Alius est denarius, quem Cæsari debeo, qui ad eum pertinet, de quo tunc agebatur, tributarius, à tributariis scilicet, non à liberis debitus. Aut quomodo reddam quæ sunt Dei Deo? Utique proinde imaginem & monetam ipsius, inscriptam nomini ejus, id est, hominem Christianum? Quid autem Deo debeo, sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem quem pro me fudit Filius ipsius. Quod si Deo quidem hominem & sanguinem meum debeo; nunc vero in eo sum tempore, ut quod Deo debeo, expostuler, utique fraudem facio, id agens, nè quod debeo, solvam. Bene observavi præceptum, Cæsari reddens, quæ sunt Cæsaris, Deo verò quæ sunt Dei abnegans.* Affirmat à Romanis, augendi ærarii etiam per sordes Studiosissimis, Imperatoribus usque tunc nullum fuisse Christianis impositum censum aut tributum. Christianam Religionem usque tunc non fuisse stipendiariam. Addit Romanæ Reipublicæ formam esse Divinam dispositionem. Hìnc infert neminem Christianum etiam à semet-ipso posse pecunia redimi. Adjungit cunctos usque tunc Persecutores non in Christianorum pecunias hiasse, sed in solum sanguinem. Affirmat Domini verbum, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, nihil facere ad præsentem quæstionem. Et rectè. Etenim hæc Redemptio non apud Cæsarem fiebat, sed apud militem, delatorem, inimicum, aut furunculum Præsidem: Et quidem contra Cæsaris Edicta. Erant Acta furtiva, & prævaricatoria. Hinc interim discimus Christianam Sectam usque tunc Romanis non fuisse stipendiariam. Septimius vocem, *Secta*, accepit in bonum. Est phrasis illi familiarissima.

Quasdam item alias, à nescio quibus pro istius Redemptionis Justitia adductas, Scripturas, Septimius rectè exponit, ac prosequitur: *Parùm denique est, si unus aut alius ita eruitur. Massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt. Nescio dolendum an erubescendum sit, cum in Matricibus Beneficiariorum & Curiosorum, inter Tabernarios, & Lanios, & fures Balnearum, & Aleones, & Lenones, Christiani quoque Vectigales continentur. Hanc Episcopatui formam Apostoli providentiùs condiderunt, ut Regno suo securi frui possent sub obtentu procurandi. Scilicet enim talem pacem Christus ad Patrem regrediens, mandavit à Militibus per Saturnalicia redimendam.* Cap. 13. Sanctus Optatus Millevitanus Episcopus de primitivis Donatistarum in Africanam Ecclesiam facinoribus scribit: *Et tamen has plebes coegistis flectere & inclinare cervices, & serie capitum juncta Massam pœnitentium facere.* Optatus Lib. 2. ac etiam sanctus Augustinus grandem quemdam Martyrum numerum appellant *Massam candidam*. Ita hìc etiam Septimius dicit, quod quædam Ecclesiæ se *Massaliter* redimerent. Quid fuerint Beneficiarii, quid Curiosi, rectè exponit in Septimii

mii Scholiis Nicolaus Rigaltius: *Beneficiarii dicebantur, Milites beneficio Principis assumpti ad Officia, seu certa Ministeria. Itaque apparebant Principi, mandatis exequendis. Ex eorum Schola seu corpore erant Curiosi, cursus publici curæ præpositi, qui & Stationarii dicebantur, per stationes dispositi. Eis autem inter cætera injungit Lex prima de Curiosis, ut crimina Judicibus nuntianda meminerint. Ergò Reorum nomina requirebant ac deferebant, ipsos Reos sistebant Tribunalibus ac Judicio. Vetus historia Fructuosi Episcopi: Direxerunt Beneficiarii in domum ejus.* Et paulo post: *Cui Milites dixerunt, veni, Præses te accersit. Hujusmodi autem Officia tandem in prævaricationes, & rapinas, & concussiones degeneravere, conniventibus plerumque hominum pessimorum improbitati Beneficiariis & Curiosis. Nam & ipsi pensionibus annuis aut menstruis corrupti, Tabernariorum, Ganeonum, Furum, Lenonum scelera dissimulabant: Ita ut domi servarent Matriculas turpium hujusmodi Pactionum. Cum igitur & in Christianos mandata Principum, sive Pro-Consulum, aut Præsidum, tanquam in facinorosos atrocia exequerentur, tandem & istis Christiani quoque pecunias pactis pensionibus numerare cæperunt. Hoc Septimius nomini Christiano turpe ac pudendum esse ait, in Matricibus Beneficiariorum & Curiosorum inter Ganeones & Fures, & Tabernarios & Lenones, Christianos quoque Vectigales censeri.* Hæc Septimii verba: *Inter Tabernarios & Lanios*, quidam censent vitiata: Eò quod Lanii fuerint olim, ac etiamnum sint Tabernariorum species. At sine caussa. Etenim & Curiosi erant species Beneficiariorum, & tamen eos quoque distinxit Septimius. Hoc sensu: Etiam in Matricibus Curiosorum. Quod hi essent fœdior species. Eadem de caussa hìc expressit Lanios. Verba, *per Saturnalitia redimendum*, rectè exponit Nicolaus Rigaltius: *Aut scribendum Saturnalia, aut dicendum Saturnalitia munera significari, quæ Saturnalitiæ celebritatis occasione militibus sive officialibus Pro-Consulis aut Præsidis Christiani mittebant, ut eos haberent æquiores & clementiores. Saturnalia munerum & Strenarum dies fuere.* Hæc verba, *ut Regno suo securi frui possent*, demonstrant etiam tunc Episcopos, licet ex spontaneis Fidelium oblationibus viverent, fuisse insigniter opulentos. Episcopatum fuisse Regno similem. Et firmari hoc possit authenticis testimoniis. Hinc nostros Episcopos Montanista Septimius notat, quod istius Regni pacificè possidendi ergò permitterent suas Ecclesias Massaliter redimi. Et addit: *Sub obtentu procurandi*. Romanæ Leges laudant varios Procuratores: Cursus publici, Diffassionum, Curiarum, Domus Augustæ, Rei domesticæ, Rei privatæ, Annonæ militaris. Et ista Procuratio erat Officium. Hinc igitur Septimius culpat Episcopos, quod non solummodò istas Massales redemptiones facerent, sed insuper obtenderent ipsas pertinere ad suam Procurationem, seu Episcopale officium. Eadem Phrasi utitur in Sermone de Lapsis sanctus Cyprianus, dicens de nescio quibus pravis Episcopis: *Divina Procuratione contempta, Procuratores rerum sæcularium fieri.* Istas igitur Redemptiones Septimius singulariter odit.

Cap. 14. Pergit & in sequenti istius Libri capite: *Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo Dominica solemnia celebrabimus? Utique quomodo & Apostoli, fide, non pecunia tuti. Quæ fides si montem transferre potest, multò magis militem. Esto sapientia, non præmio cautus.* Ex his discimus fuisse duas istarum Redemptionum caussas. Nempe non dumtaxat ad persecutionem evitandam, sed etiam ad obtinendam Synaxeon libertatem. Quod ipsum hodie Catholici faciunt in pluribus Hæreticorum Provinciis. At Septimius damnat omnia. Et pergit: *Neque enim statim & à Populo eris tutus, si officia militaria redemeris. Una ergo tibi & fides & sapientia ad tutelam opus est; quibus non adhibitis, & redemptionem tuam potes perdere: Adhibitis, haud Redemptionem desiderare.* Ex quibus vides, quod non soli milites aut Præsidum Officiales, sed & ipse Paganus Populus nostros Conventus quandoque invaderent. Quod ipsum hodie faciunt & hæretici Populi. Pergit Septimius: *Postremò si colligere interdiù non potes, habes noctem, luce Christi luminosa adversùs eam.* Quod nocturni seu antelucani Conventus fuerint antiquis Christianis familiares, docet Plinii Secundi famosa Relatio ad Imperatorem Trajanum. Christiani Populi numerositas, & major hinc inde libertas videntur induxisse Conventus diurnos. Hi soli videntur Septimii tempore viguisse. Pergit Doctor: *Non potes discurrere per singulos, sit tibi & in tribus Ecclesia. Meliùs est ut turbas tuas aliquando non videas, quàm addicas.* Utique Militi aut Præsidi per pactas pensiones. Verba, *sit tibi & in tribus Ecclesia*, continet errorem, latiùs expositum in Libro ad castitatem exhortatorio. Eum suo loco elucidavi. Cap. 7. Post plura Septimius concludit: *Qui* Paracletum *receperunt, neque fugere persecutionem, neque redimere noverunt, habentes ipsum qui pro nobis erit, sicut locuturus in interrogatione, ita juvaturus in Passione.* Profitetur dogma hoc non fuisse ab initio, sed esse novum Montanistici Paracleti Institutum. Et ita Apostolicam & irrefragabilem, quam Orthodoxus toties laudavit & firmavit de posterioritate Præscriptionem, fœdè ac miserè prævaricatur.

Septimius Tertullianus in eodem Libro scribit de sancto Martyre Rutilio: Cap. 5. *Rutilius sanctissimus Martyr cùm toties fugisset Persecutionem de loco in locum, etiam periculum, ut putabat, nummis redemisset, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, & Præsidi oblatus, tormentis dissipatus, credo pro fugæ castigatione; dehinc ignibus datus, Passionem quam vitarat, misericordiæ Dei retulit.* Nequaquam ex fugæ castigatione id factum est, sed ex Divina dignatione. Ita censet Romana Ecclesia in suis Sanctorum Tabulis: *Sanctus Rutilius Martyr,* 2. Aug. *cum sæpius de loco in locum persecutionem fugisset, & periculum interdum etiam pecunia redemisset, ex inopinatò aliquando deprehensus, & Præsidi oblatus, tormentis plurimis cruciatur. Demùm ignibus traditus, egregio Martyrio coronatur.* Hæc verba sunt manifestè desumpta ex Septimio. Verùm Apostolica Sedes ejus Montanisticam censuram expunxit, ideoque & improbavit. Dominus Cæsar Cardinalis Baronius suis ad Sacras istas Tabulas Scholiis affirmat istum redimendi modum tunc fuisse *noviter inventum*, ideoque à Montanista Tertulliano damnatum. Ego credo fuisse vetustum. Certè si novus fuisset, Tertullianus ipsum sibi familiarissima Posterioritatis Præscriptione invasisset. 18. April.

vasisset. Et ipse palàm affirmat eum tunc apud Orthodoxos fuisse usitatissimum. Et probatum ab omni ipsorum Ecclesia. Et hoc ipsum firmat sanctus Rutilius. Hic enim erat & Orthodoxis & Montanistis communis Martyr, ideoque passus ante ortum istius Hæresis. Et gloriosus noster Patriarcha Petrus in præsenti Synodo & Canone affirmat ipsum fundari in Apostolico exemplo. Ita evertit palmare Tertulliani argumentum.

Alia Septimii argumenta sunt modici ponderis. Eorum unica basis est, quod Persecutionis fuga non liceat, ideoque nec nummaria Redemptio, utique fugæ species. Est hæretica basis, non dumtaxat ab Apostolis, sed & ab ipso Domino per verbum & exemplum damnata. Ista Redemptio nequaquam est abnegationis species. Est manifesta abnegationis evasio. Per ipsam & Manus, & Lingua, & Mens servantur integræ, sola Crumena vacuatur. Exequitur Dominicam Regulam: *Quid proderit homini, si universum Mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Adeò non servivit Mammonæ. Ejus partem expendit, ut sibi & suis dives Fidelis servet necessaria. Porrò quod liberatum à Christo Domino Corpus per ipsam vili-pendatur, est frivolum. Respondeat Lactantius Firmianus: Plato & Diogenes servi non fuerunt. *His servitus evenit. Sunt enim capti.* Lib. 3. cap. 25. *Platonem quidem redemisse Aniceris quidam traditur sestertiis octo. Itaque insectatus est convitiis redemptorem Seneca, quod parvo Platonem æstimaverit. Furiosus, ut mihi quidem videtur, qui homini fuerit iratus, quod non multùm pecuniæ perdidit. Scilicet aurum appendere debuit, tanquam pro mortuo Hectore, aut tantùm ingerere nummorum, quantùm venditor non poposcit.* Uti aurum, ita etiam, immò longè magis, fatuum est proprium corpus sine necessitate prodere ac expendere. Quod ipsum verbo & exemplo docuerunt semper ac docent Fideles omnes, qui sub Saracenis, Turcis, ac variis Hæreticis vixerunt, & vivunt. Attamen antiquorum Patrum nullus istum Tertulliani errorem Scripto retudit. Miror, & ignoro caussam. Existimo quod refutatu indignum judicarint. Quidquid sit, præsens Sancti Petri Canon est Synodalis, ideoque æquivalet multis Scriptoribus. Quidam censent etiam Eliberinam Synodum erCan. 3. rasse cùm Septimio. Damnat Flamines, qui non immolaverint, sed munus tantùm dederint. Ferdinandus Mendoza per Munus intelligit pretium Libellorum. Alii redemptionis nummos. Gabriel Alba-Spinæus intelligit Gentilia spectacula. Et rectè. Hæc enim erant munus, quandoque ex debito, quandoque ex gratuita mente, à Flaminibus datum Populo. Proinde hic Canon ad præsentem rem non faciens, est suo loco exponendus.

CANON XIII.

UNDE nec eos qui omnia reliquerunt propter salutem animæ, & secesserunt, licet accusare tanquam aliis propter ipsos detentis. Nam & Ephesi pro Paulo Gajum & Aristarchum in theatro comprehenderunt, unà cum Paulo peregrinantes, qui volebat ad populum adire: Quoniam propter ipsum qui persuaserat, & multam turbam ad Dei cultum traduxerat, seditio facta fuerat. Non siverunt eum, inquit, Discipuli. Quin etiam nonnulli, ex Asiaticis Magistratibus, qui ei erant amici, miserunt ad eum & suaserunt, nè se theatro daret. Si qui autem cum iis contendere perrexerint, qui animum sincerum ei adhibent, qui dicit: Diligenter serva animam tuam, & nè retrò aspexeris: Petrus quoque Apostolorum Princeps eis in mentem revocetur, qui jam in custodiam erat conjectus, & traditus quatuor quaternionibus militum ad eum servandum: Qui cum noctu fugisset, & ex Judæorum manu servatus esset, jussu Angeli Domini, facto, inquit, die erat non parvus tumultus inter Milites quidnam factum esset Petro. Herodes autem cùm eum quæsivisset, & non invenisset, interrogatos custodes jussit suffocari, propter quos nulla culpa in Petrum confertur: Licebat enim eis illo viso quod factum fuerat effugere, sicut & omnes infantes qui erant in Bethleem, & in omnibus ejus finibus; si scivissent eorum Parentes quod erat futurum: qui à crudeli homicida Herode sublati sunt, ut unus qui ab eo quærebatur infans periret, qui & ipse jussu Angeli Dei effugit, qui celeriter jam cœperat spolia accipere, & acriter præpascere, secundum appellationem nominis, quemadmodum scriptum est, voca nomen ejus, celeriter spolia, velociter depopulare, eo quod priusquam infans sciat vocare Patrem & Matrem, capiet Potestatem Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum. Magi ergò ut jam spoliati, & prædationibus infestati Infantem

fantem humiliter & suppliciter adorant, thesauros suos aperientes, & ei offerentes maximè opportuna, & magnifica dona, Aurum, & Thus, & Myrrham, ut Regi, & Deo, & Homini: Unde ad Regem Assyrium non amplius reverti voluerunt, à Providentia vetiti. Divinitùs enim admoniti, inquit, in somnio nè reverterentur ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam. Unde cùm vidisset sanguinolentus Herodes se à Magis illusum, valde fuit commotus: Et mitens, inquit, interfecit omnes infantes qui erant in Bethleem, & in omni ejus confinio, à bimatu, & infra, juxta tempus quod à Magis diligenter didicerat. Cum quibus, & alium priùs natum Infantem, cùm interfecturus quæsivisset, & non invenisset, Patrem ejus Zachariam interfecit inter Templum & Altare, cum effugisset Filius cum Matre Elisabeth. Unde nec ullo modo reprehenduntur.

SCHOLION.

Hic Canon à sui per nummos Redemptoribus pergit ad fugientes persecutionem; in campum, desertum, aliam regionem, aut quodvis voluntarium exilium abeuntes, quos Primitiva Ecclesia vocavit Extorres. Ita in Literis ad sanctum Cyprianum Caldonius Episcopus laudat Felicem & ejus conjugem Victoriam, atque adjungit: *Extorres facti reliquerunt possessiones, quas nunc Fiscus tenet.* Hæc igitur fuga Domum, Possessiones, omnem substantiam deserebat, ac exponebat Fisco, atque ita fuit non exigui meriti ac virtutis. Esse Extorrem erat sublimis adeò Titulus, ut proximè sequeretur Martyres & Confessores. Pluribus hoc ostendi in Scholiis ad Præscriptiones Tertulliani. Porrò in Literis ad Romanæ Ecclesiæ Clerum sanctus Cyprianus memorat tredecim suas ad ipsum Literas, & adjungit: *In quibus nec Clero Consilium, nec Confessoribus exhortatio, nec Extorribus, quando oportuit, objurgatio nostra defuit.* Ad hæc verba scribit in primo antiquarum Observationum Libro eruditus Aureliæ Episcopus Gabriel Alba-Spinæus: *Extorrium duo sunt genera. Quidam ob Religionem & Fidem Christianam in exilium pellebantur: Alii secedebant, ut sese periculis subducerent & tormentis, in quibus despondebant se animum invictum & propositi tenacem retenturos. Cæteros hos aliquando reperies objurgari à sancto Cypriano, interdum etiam laudari. Cujus rationem non aliò referes, quàm ad temporum statum & conditionem. Nam initio persecutionum, ut cæteris animos ad mortem pro Christi nomine obeundam augerent, pusilli animi esse in persecutione fugere clamitabant, ea verò ingruente, nulli vitio dabatur quoquo modo fidei vitæque consulere.* Existimat istiusmodi Extorres fuisse à sancto Cypriano objurgatos. Quomodò ad primam Persecutorialium Edictorum famam statim terrerentur, ac sese haberent olim Christiani, exponit Montanista Tertullianus in Libro de Corona Militis: *Mussitant*, utique Orthodoxi Fideles, *tam bonam & longam pacem periclitari. Nec dubito quosdam Scripturos, Emigrare, Sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem. Nullam enim aliam Evangelii memoriam curant. Novi & Pastores eorum: in Pace Leones, in Prælio cervos.* Alba-Spinæus videtur credere, quod immaturam istiusmodi fugam sanctus etiam Cyprianus reprehenderit. Et adjungit: *Quos tamen*, utique objurgatos, *à se Extorres, Cyprianus in Tractatu de Lapsis stantes appellat.* Existimat autem illos argui de solo veniali peccato. Et istud omninò possit intercurrisse. Quod tamen ipsos objurgarit, & à se objurgatos scripserit sanctus Cyprianus, nunquam credidero. Exponit se gloriosus Martyr in Literis ad Rogatianum Presbyterum ac alios Confessores. Affirmat aliquos Martyres Confessores malè agere, atque inter alios ponit & hunc excessum: *Alius in eam Patriam, unde Extorris factus est, regreditur, ut deprehensus non* jam *quasi Christianus, sed quasi nocens pereat.* Hos dicit objurgandos, comprimendos, emendandos. Objurgat non eos, qui immaturè sine necessitate fugiunt, sed qui proscripti in Patriam redeunt. Istos nullibi objurgavit.

Porrò quod Persecutio legitimè fugiatur, sanctus Petrus demonstrat Authenticis Testimoniis atque exemplis. Et in adducto sancti Esaiæ Loco per Samariæ spolia & Assyriorum Regem alii etiam Patres intelligunt pia per adorantes Dominum Magos allata munera, ac furorem Regis Herodis. Ita Tertullianus intelligit in Libro contra Judæos, in Libro de Resurrectione, in tertio contra Marcionem Libro, & in quinto. Sanctus Petrus etiam hìc edicit Zachariam, Barachiæ Filium, quem Christus Dominus dixit à Judæis occisum inter Templum & Altare. Affirmat esse Patrem sancti Joannis Baptistæ. Et adjungit caussam Martyrii. Per omnia consonat in Libro de vita Prophetarum sanctus Epiphanius: *Zacharias Propheta, Sacerdos, Jojadæ Filius, Joannis Baptistæ Pater fuit. Hunc Herodes interfecit inter Altare & domum Domini, adeò ut in vestibulo Templi ejus funderetur cruor. Ortus hic erat Hierosolymis è domo David. In media porticu in domo Domini. Idem de Domini Nativitate vaticinatus est. Ergo illic in domo Domini propè Templum est sepultus. Quo ex tempore multa in Templo Portenta ac Visa contigerunt. Neque enim amplius Sacerdotes poterant aut apparentes Angelos cernere, aut ex Adyto responsa Populo dare, neque per Ephod interrogare, neque per Urim respondere, ut antea consueverant ad hodiernam usque diem.* Istum Zachariam fuisse sancti Joannis Baptistæ Patrem affirmat in Libro con-

Marginal notes: Epist. 19. — Epist. 15. — Cap. 15. — Cap. 1. — Epist. 7. — Cap. 9. — Cap. 20. — Cap. 12. & 13. & 18. — Cap. 23.

contra Antropo-Morphitas etiam sanctus Cyrillus Alexandrinus, verùm dissentit in caussa: Zacharias *Prophetico spiritu ad occultorum cognitionem quasi manu-ductus, cum Mysterium Virginis de incorrupto partu probè intelligeret; non arcuit incontaminatam ac purissimam Matrem ab eo templi loco, qui Virginibus ex Lege designatus erat, docens videlicet Judæos, Creatorem totius Universi, omnisque Creaturæ Dominum, humanam naturam, cum reliquis etiam omnibus sibi subjectam habere, & pro suo arbitratu, quocumque velit, ducere: Non autem ipsius Legibus adstrictum esse. Adeò ut in ipsius Potestate situm sit, novam creaturam creare, quæ Mater effecta, Virgo esse non desinat. Idcircò non arcuit eam à loco templi Virginibus dicato. Erat autem locus hic spatium inter Altare & Templum, intermedium. Quando igitur audierunt Regem ac Dominum omnis Creaturæ ad humanam Nativitatem per Incarnationem procedere, veriti nè in Regis Potestatem atque Imperium venirent, eum qui hæc de partu testificatus erat, propè ipsum Altare Sacerdotem sacrificant.* Et in sexagesimi primi Psalmi Commentario sanctus Augustinus laudat Divinam in hoc mundo Civitatem, & adjungit: *Tota ergo illa Civitas loquitur à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ. Inde, & deinceps à sanguine Joannis, per sanguinem Apostolorum, per sanguinem Martyrum, Fidelium Christi una Civitas loquitur.* Palàm affirmat extremos sub antiquo Testamento Martyres esse Abel & Zachariam: Et Zachariæ proximum ac Martyrii sub Novo Testamento imitatorem esse sanctum Joannem Baptistam. Quare iste Zacharias non potest non esse illius Pater.

Cap.27.

Hoc ipsum in Homilia de humana Christi Generatione tradit magnus Basilius: *Quod Maria per omnem ætatem Virginitatem retinuerit, satis declarat Historia, quæ de Zacharia enarratur. Fama est enim, & ea ex Traditione ad nos perlata, Zachariam, cum in loco Virginibus deputato, Mariam post Domini Partum collocavisset, à Judæis inter templum & Altare esse trucidatum, accusante Populo, quasi ea re Mirabile illud ac inauditum Signum, Virginem videlicet peperisse Virginitate incorrupta, introducere ac prædicare voluisset.* Et in Oratione ad Christi Domini Nativitatem Frater ejus sanctus Gregorius Nyssenus Episcopus de extremis deficientis Synagogæ Facinoribus scribit: *Oportebat ut Judæorum Prophetas occidentium, & à Deo missos lapidibus obruentium, ac Zacharia tandem inter templum & Altare interfecto piaculum admittentium rabies detegeretur.* Hanc cædem affirmat esse novissimum Synagogæ facinus, & ipsam adjungit patrato per Herodem Infanticidio, atque ita istum Zachariam omninò censet fuisse Patrem sancti Joannis. Ad vigesimum tertium sancti Matthæi Caput scribit etiam Bulgarorum Antistes Theophylactus: *Cujus Zachariæ* Dominus *hoc loco meminit? Alii dicunt illum fuisse uno de duodecim Prophetis, alii Patrem Præcursoris Domini. Habet enim ita Narratio nobis tradita, quod locus quidam in templo fuerit, in quo stabant Virgines. Igitur cum esset Pontifex, postquam Deipara peperisset Christum, & statuisset illam in eo loco, indignati sunt contra eum Judæi, & occiderunt eum, quod cùm Virginibus collocasset mulierem, quæ pepererat. Non est enim mirabile, quod etiam Pater Præcursoris habuerit Patrem Barachiam, sicut & is qui ex duodecim erat, dicitur Barachiæ Filius. Verisimile est, quod sicut illi fuerunt cognomines, ita & Patres ipsorum.* Idem Theophylactus pergit ad undecimum caput sancti Lucæ: *Quis fuit Zacharias, quem occiderunt inter templum & Altare? Alii quidem dicunt fuisse priscum Zachariam, Jojadæ Filium, quem lapidarunt, ut discimus ex libro Regum. Alii verò Patrem Præcursoris, eò quod ille ordinaverat Dei Genetricem cum Virginibus, etiam postquam peperisset Christum, & constituerat eam in loco, quo illæ stant. Hic enim locus est inter templum & Altare, quod est extra Æreum. Et propterea occiderunt eum. Nam quia exspectabant quidam Christum Regem suum futurum, nolebant autem Regem ferre, ideo occiderunt Sanctum, qui asseruerat Virginem peperisse, & Christum natum esse regnaturum super eos, quod aversabantur.* Utique Herodis Regis factio, quæ & in Infanticidia consenserat. Proinde hæc cædes videtur contigisse post Sacræ Virginis Purificationem, aut Infanticidii tempore, aut statim post ipsum. Etenim alia Zachariæ in Virginem Matrem reverentia videtur omninò facta in Purificatione. Eadem die facta sunt Simeonis Prophetia, & plura alia, ex quibus mota fuit omnis Hierosolyma, & quibus Herodes vidit se delusum à Magis, atque ita emisit crudele Edictum Infanticidii. Sanctus infans Joannes cum Matre aufugerat, & Pater Zacharias pergebat adventum Christi Regis firmare. Hinc Judaica Herodis factio ipsum invasit. Hinc Christus Dominus illud facinus, quod sanctus Petrus Herodi adscribit, adscripsit Judæis. Quia fuit ambobus commune. Hinc iterum aliam sanctus Petrus & sanctus Epiphanius; aliam istius facinoris caussam adducunt sanctus Cyrillus ac Theophylactus, & sibi mutuò non adversantur: Quia nempè caussa intervenit & concurrit. Et hinc sanctus Hieronymus qui istum Zachariam vult fuisse Jojadæ Pontificis Filium & successorem, non est infallibilis. Recipienda præsertim non sunt hæc ejus verba: *Alii Zachariam Patrem Joannis intelligi volunt ex quibusdam Apocryphorum somniis approbantes quod propterea sit occisus, quia Salvatoris prædicaverat adventum.* Etenim nunquam credidero sanctum Petrum ac omnem ejus Synodum fuisse secutos Apocryphorum somnia. Firmiùs credo esse locutos ex authentica Traditione. Et certè ipsemet Hieronymus suam opinionem approbat ex apocrypho Evangelio Nazaræorum. Res miranda. Ea quæ illic de Jojadæ ac Barachiæ vocabulis, ac ipsorum significatione adducit, servire possint ad sanctum Epiphanium, qui Patrem Joannis dixit Jojadæ Filium, conciliandum cum aliis, qui dicunt Filium Barachiæ. Gnosticorum Hæresis è Simone Mago duxit originem: Et fœdavit ipsa Apostolica tempora. Et nata est inter ipsam Judæam. Pluribus hæc monstravi in Scholiis ad Præscriptiones Tertulliani. Proindè illa Evangelicam ipsius Domini Prædicationem aut viderat, aut proximè audierat. At verò, licet Fabulosas caussas adferat, adferit hunc inter Altare & Ædem occisum Zachariam fuisse Patrem sancti Joannis. Vide hæc apud sanctum Epiphanium. An ille fuerit summus Pontifex, est alia quæstio. Magni Patres ante Theophylactum asserunt. Hos inter sunt

san-

ſanctus Ambroſius & ſanctus Auguſtinus. Quod interim ejus Martyrium fuerit à Chriſto Domino laudatum, evincit ejus ſcopus. Hic enim fuit demonſtrare quod vera juſtitia ſemper iniquorum odiis & perſecutionibus fuerit obnoxia. Hinc adducit primum & ultimum Martyrem: Abelem, & Patrem ſui Baptiſtæ.

Sanctus Petrus, & omnes alii ſancti Patres, dum fugam in quavis perſecutione adſerunt licere, loquuntur de ſolis Laicis, non de Epiſcopis aut Clericis. Adversùs omnem hanc Fugam Septimius Tertullianus ſcripſit operoſum Librum, & multis argumentis conatur illam ad Evangelii prævaricationem proſcribere. Palmare argumentum eſt authoritas novi Paracleti loquentis per ſceleratum Montanum. Reliqua ſunt parvi ponderis.
Cap. 11. Legatur devius liber. Hic interim inter varios errores habet hanc veritatem: *Sed cùm ipſi auctores, id eſt, ipſi Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi fugiunt, quomodò Laicus intelligere poterit, qua ratione dictum, Fugite de civitate in civitatem? Itaque cum Duces fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit ad gradum in acie figendum ſuadentes?* Et per Evangelica & per Prophetica teſtimonia demonſtrat bonum Paſtorem lupo viſo non poſſe à grege fugere, atque concludit: *Quod nunquam magis fit, quam cum in perſecutione deſtituitur Eccleſia à Clero.* Hæc eſt recta & perpetua doctrina Eccleſiæ. Ipſa magno Athanaſio peperit neceſſitatem ſuæ Fugæ per Apologeticos libros expurgandæ. Etenim Euſebiana Arianorum Factio non laborabat Montani erroribus, nec perſecutionis damnabat Fugam: Dumtaxat Athanaſium, quod Epiſcopus fugeret, dixit Apoſtolicæ Diſciplinæ prævaricatorem. Apoſtolicam Diſciplinam inſigniter & amplè exponit ſanctus Auguſtinus in Literis ad Honoratum Thaberníenſem Epiſcopum. Eſt
Epiſt. 180. longa, at elegantiſſima Epiſtola. Compendio edicam ejus Capita. Duas hac de re ſanctus Auguſtinus ſcripſit Epiſtolas: Ex occaſione Wandalicæ captivitatis & perſecutionis. Quare eas ſcripſit ſub vitæ finem. Prima fuit ad Quod-Vult-Deus Epiſcopum, quem quidam malè cenſent fuiſſe Carthaginenſem Primatem, cui adhuc Diacono Auguſtinus inſcripſit & Librum de Hæreſibus. At certum eſt errare. Etenim Victor Tonnonenſis Epiſcopus diſertè affirmat Aurelio Primati Capreolum, Capreolo ſucceſſie Quod-Vult-Deus. At verò Capreolus Auguſtino ſuper-vixit. Ita lucet ex ejus Literis ad Concilium Epheſinum. Proinde quam Sedem habuerit ille Quod-Vult-Deus Fateor me ignorare. Ad ipſum ſcripta Epiſtola periit aut latet. Ejus tamen compendium habet Epiſtola ad Honoratum: *Dixi nec eos eſſe prohibendos, qui ad loca (ſi poſſunt) munita migrare deſiderant, & Miniſterii noſtri Vincula, quibus nos Chriſti charitas alligavit, nè deſeramus Eccleſias, quibus ſervire debemus, non eſſe rumpenda.* Epiſtola dixit duo: Primò, quod Laici poſſint fugere. Secundò, quod remanentes non poſſint deſeri à ſuis Epiſcopis & Clericis, ideoque hi, ſaltem omnes, fugere non poſſint. Et Auguſtinus adjungit: *Quamvis Epiſtolam illam breviter ſcripſerim, nihil me tamen prætermiſiſſe arbitror, quod & reſpondenti dicere, & quærenti audire ſufficeret.* Interim Honoratus cenſuit ſuis dubiis non plenè ſatis-factum.

Audiamus rem à S. Poſſidio: *Cum Wandali imminerent hoſtes, Auguſtinus à Sancto Viro, noſtro Co-Epiſcopo Thabernienſis Eccleſiæ, Honorato Literis fuit conſultus, Utrùm illis adventantibus, ex Eccleſiis Epiſcopis vel Clericis recedendum eſſet, an non?* Honoratus ergò ceſpitavit, cur etiam Epiſcopi & Clerici non poſſint fugere. Primum dubitandi Fundamentum fuit hoc: *Hoc Conſilium propterea tibi non ſufficit, ut ſcribis, nè contra Domini Præceptum vel Exemplum facere nitamur, ubi fugiendum eſſe de civitate in civitatem monet.* Honoratus exiſtimabat iſtis Domini verbis contineri Præceptum, & ipſo etiam Epiſcopos & Clericos obvinciri. Ejuſdem mentis fuit neſcio quis alius in Africa Epiſcopus, de quo Auguſtinus: *Epiſcopum quemdam dixiſſe audivimus: ſi Dominus nobis imperavit Fugam in eis perſecutionibus, ubi poteſt fructus eſſe Martyrii, quantò magis debemus fugere Steriles Paſſiones, quando eſt Barbaricus & hoſtilis incurſus.* Hic Epiſcopus cenſebat varia. Primò, diſtinguebat Gentilium Perſecutiones à Barbarorum in Romanum Imperium hoſtili incurſu. Secundò credebat à ſolis illis, quod Chriſtianam Fidem impugnarent, Perſecutionibus creari Martyres; toleratas à Barbaris Paſſiones eſſe ſteriles. Quo in puncto fuit hallucinatus. Tertiò cenſebat iſta Domini de fugiendo verba dirigi etiam ad Epiſcopos, ac ipſis contineri Evangelicum Præceptum. Et in hoc conveniebat cùm Honorato. Quartò ex iſtis inferebat Barbaricas Wandalorum devaſtationes eſſe omninò Fugiendas etiam ab Epiſcopis & Clericis.

Sanctus Auguſtinus adducit & ſecundum Honorati Fundamentum: *Si in Eccleſiis perſiſtendum eſt, quid ſimus nobis vel Populo profuturi, non video, niſi ut ante oculos noſtros viri cadant, fœminæ conſtuprentur, incendantur Eccleſiæ, nos ipſi tormentis deficiamus, cùm de nobis quæritur, quod non habemus.* Utique argentum & aurum. Audi & tertium Fundamentum. *Hic fortè quis dicat, ideò debere Dei Miniſtros fugere à talibus imminentibus malis, ut ſe pro utilitate Eccleſiæ temporibus tranquillioribus ſervent.* Fuit & quartum argumentum: *Sunt ſanè qui arbitrantur Epiſcopos & Clericos non fugientes in talibus periculis, ſed manentes, facere ut Plebes decipiantur, cum ideò non fugiunt, quia manere ſuos Præpoſitos cernunt.* Hæc duo poſteriora videntur non fuiſſe adducta per Honoratum. Ex ipſis interim lucet, quod iſta Quæſtio tunc apud Afros ac omne Romanum Imperium fuerit admodùm agitata. Nempè Wandalorum irruptio erat non ſolummodò Barbarica, ſed inſuper Ariana, atque ita omnes in graviſſimum metum ac ſtuporem circumſcripſerat.

Ad hanc Quæſtionem prima ſancti Auguſtini Adſertio fuit, quod quiſque Laicus poſſet fugere. Etiam totæ Civitates. Lucida ſunt ejus verba: *Nam ſi certa eſſent iſta mala, quæ timentur nè in locis, in quibus ſumus, fortè contingant; priùs inde fugerent omnes, propter quos ibi manendum eſt, & nos à manendi neceſſitate liberos redderent. Non enim quiſquam eſt, qui dicat Miniſtros manere oportere, ubi jam non fuerint quibus neceſsè ſit miniſtrare. Ita quidam ſancti Epiſcopi de Hiſpania profugerunt, priùs Plebibus partim fuga lapſis, partim peremptis, partim obſidione conſumptis, partim captivitate depreſſis.*

Quod ipſum Longobardorum tempore factum eſt in Italia, ideoque plures Cathedrales Eccleſias

tunc fuisse suppressas, ac aliis unitas, possis discere ex variis Literis Magni Gregorii. Pergit Augustinus ad quartum Honorati argumentum: *Sed facilè est hanc responsionem vel invidiam declinare, alloquendo easdem Plebes, atque dicendo: Non vos decipiat quod de loco isto non fugimus. Non enim propter nos, sed propter vos potiùs hìc manemus: Ne vobis non ministremus quidquid saluti vestræ, quæ in Christo est, novimus necessarium. Si ergo fugere volueritis, & nos ab istis, quibus tenemur, Vinculis solvistis. Quod tunc puto esse dicendum, quando verè videtur utile esse ad loca tutiora migrare.* Et post quædam: *Si autem hoc audito abire maluerint, nec illis manendum est, qui propter illos manebant; Quia ibi jam non sunt propter quos manere adhuc deberent. Quicumque igitur isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium Ministerium illo fugiente non desit, facit quod Dominus præcepit sivè permisit.*

Cap. 11 Ex his vides Tertullianum in Libro de Fuga in Persecutione esse lapsum in his verbis: *Cæterùm, si grex fugere deberet, non deberet Præpositus gregis stare, sine caussa staturus ad tutelam gregis, quam Grex non desideraret, ex licentia fugæ scilicet.* Tertullianus urget Domini verba, quæ Pastorem veniente Lupo vetant fugere, & ex inde concludit nec Gregem fugere posse. Pessimè. Etenim Dominica verba agunt de Pastore non fugientis Gregis. Hujus Pastor etiam interdum potest fugere.

Quod cuivis Laico liceat fugere, constanter tradunt & alii Patres. In quarto Stromaton Libro sanctus Clemens Alexandrinus laudat Evangelii verba: *Cùm vos Persecuti fuerint in hac civitate*

Fol. 504 *fugite in aliam*, & commentatur: *Dominus non suadet fugere, tanquam malum sit pati Persecutionem; nec ut mortem extimescentes, jubet nos eam fuga declinare. Vult autem nos nulli esse auctores, neque alicujus mali caussa adjutores, nec nobis ipsis, nec ei qui persequitur, nec ei qui interimit. Denuntiat enim quodammodò ut caveat. Qui autem non obedit, est audax & temerarius, & inconsultè se in manifesta pericula conjiciens. Si autem qui hominem Dei interimit, in Deum peccat, is quoque ejus cædis reus tenetur, qui se offert judicio. Talis autem erit, qui non vitat persecutionem, capiendum se præbens per audaciam. Is est, qui, quantùm in se est, adjuvat improbitatem ejus, qui persequitur.* Affirmat Non-fugam esse speciem spontaneæ oblationis. Rigida sententia. Eandem sequitur in sua ad Imperatorem Constantium Apologia Magnus Athanasius: *Salvatoris mandatum est, ut contra Persecutores fuga, contra Indagatores Latebris utamur, ne si nos in apertum periculum offeramus, acriùs provocemus Persequentium furorem. Siquidem in æqui-librio est, & se ipsum occidere, & se inimicis ad occidendum propinare. Qui autem fugit, ut Dominus præcepit, is temporum articulos novit, & verè suis Persecutoribus cavet, ne usque ad Sanguinem fundendum evecti, rei fiant ejus præcepti, quod homicidium vetat.* Et in suæ fugæ Apologia Eliam, Michæam, aliosque qui Persecutiones fugerunt, Prophetas laudat; adfirmat ipsos nequaquam ex mortis metu fugisse, atque prosequitur: *Duo hæc pariter observabant, & quidem consultò, ne sese periculis objicerent, neque cùm crimine ignaviæ, quasi ignavi & timidi, exilii erumnas, morte graviores, exhorrerent. Qui enim moritur, quiescit à miseriis, qui autem in fugam se dat, cum in horas exspectet inimicorum adortus, mortem longè leviorem quàm fugam existimat. Quapropter qui in fuga moritur, non inglorius moritur. Nam & hi quoque Adoream Martyrii consequuntur.* Hosce esse veros Martyres amplè & nervosè confirmat.

Quod ipsum constanter docet gloriosus Martyr Cyprianus. Etenim scribit in Sermone de Lapsis: *Primus est Victoriæ titulus, Gentilium manibus apprehensum, Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione substractum Domino reservari. Illa publica, hæc privata Confessio est. Ille judicem sæculi vincit, hìc contentus Deo, suo Judice, conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hìc sollicitudo securior. Ille appropinquante hora sua jam maturus inventus est, hic fortassè dilatus est: Qui Patrimonio derelicto idcircò secessit, quia non erat negaturus, confiteretur utique si fuisset & ipse detentus.* Affirmat has esse cœlestes Martyrum coronas, spirituales Confessorum Glorias, maximas & eximias stantium Fratrum Virtutes. Et in exhortatorio ad Martyrium Cap. 12. Libro: *Nec solos animadversos & interfectos Divinæ Pollicitationis manent præmia, sed etiamsi ipsa Passio fidelibus desit, fides tamen integra atque invicta perstiterit, & contemptis ac relictis suis omnibus Christum se sequi Christianus ostenderit, ipse quoque à Christo inter Martyres honoratur, pollicente ipso & dicente: Nemo est qui relinquat Domum, aut Agrum, aut Parentes, aut Fratres, aut uxorem, aut filios propter Regnum Dei, & non recipiat septies tantum in isto tempore, in sæculo autem venturo vitam æternam.* Et in Epistola ad Ecclesiam Thi- Epist. 56. barensem: *Nec quisquam, Fratres Charissimi, cum Populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis & spargi, conturbetur, quod collectam Fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat. Simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est. Ubicumque in illis diebus unusquisque Fratrum fuerit à Grege interim necessitate temporis, corpore non Spiritu separatus, non moveatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens & latens solitudine deserti loci terreatur: Solus non est, cui Christus in fuga comes est. Et si fugientem in solitudine ac montibus Latro oppresserit, fera invaserit, fames, aut sitis, aut frigus afflixerit, vel per Maria præcipiti navigatione properantem tempestas aut Procella submerserit: Spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, & persecutionis caussa pro nominis sui honore Morienti præmium reddit, quod daturum se in persecutione promisit. Nec minor est Martyrii gloria, non publicè & inter multos perisse, cum pereundi caussa sit propter Christum perire. Sufficit ad testimonium Martyrii sui testis ille, qui probat Martyres & coronat.*

Docet varia. Primò, quod ad prima Persecutionis Edicta totæ Ecclesiæ tunc fugerint. Secundò, istam fugam omninò probat. Tertiò, affirmat tum fugisse etiam Episcopos & omnem Clerum, atque ita Ecclesiasticas Synaxes penitùs cessasse. Quartò hanc etiam fugam comprobat. Quintò illos, quos in tali fuga contigerit quovis modo mori, esse plenos Martyres. Loquitur de integris Fidelibus. At verò de Lapsis longè aliud scribit in Literis ad sanctum Papam Cornelium: Epist. 54 *Tum deinde si relictis omnibus rebus suis fugerit* fidelis.

fidelis Lapsus, & in latebris atque in Solitudine constitutus in Latrones fortè incurrerit, aut in febribus & in languore discesserit; non-ne nobis imputabitur, quod tam bonus miles, qui omnia sua dereliquit, & contempta domo & parentibus, ac Liberis, sequi Dominum suum maluit, sine Pace & sine Communicatione decedit? Nonne nobis vel negligentia segnis, vel duritia crudelis adscribetur in die judicii; quod Pastores creditas & commissas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? Affirmat istos non adeò esse plenos & securos Martyres, ut securi simus nos de æterna ipsorum salute. Nempè ad Lapsorum reparationem duæ caussæ sunt penitùs necessariæ: Debita cordis Conversio aut Contritio, & realis susceptio Sacramentalis Reconciliationis. Antiqua Ecclesia non credidit ejus votum sufficere nisi in duobus casibus: Nempè in casu præfatæ Contritionis, ac in articulo Mortis. Etenim in hac sufficere docet, & firmare studet sanctus Augustinus in quarto Libro de Baptismo contra Donatistas. At hæc Sententia apud omnes non fuit firma. Aliud enim in Libro de Æthiopis Baptismo docet sanctus Fulgentius. Et istud ipsum hoc loco tradit sanctus Cyprianus. Et ex hoc Principio stabilit & firmat suam in Lapsos clementiam, qua eis non dumtaxat in mortis articulo, sed etiam ad novæ Persecutionis exordium censuit dandam esse Pacem Sacramentalis absolutionis. Quæ omnia confirmat in Literis ad suum
Epist. 14. Clerum, ac in Literis ad Caldonium Episcopum.
Epist. 20. Etiam hæc eadem in Literis ad sanctum Cyprianum. Persecutionis fugam non solummodò licere, sed & obligare, insigniter docet etiam Theodoretus in Literis ad Irænæum Metropolitam Tyriorum. Sanctus tamen Hieronymus in secundò contrà Jovinianum Libro affirmat fugientes, qui in Solitudine moriuntur non plena donari corona Martyrii. Quin immò suum Antecessorem sanctum Dionysium, qui non fugiens, sed relegatus est in exilio defunctus, esse dumtaxat Martyrii titulo vicinum, disertè docet sanctus Ambrosius. Suo loco hæc elucidabuntur.

Epist. 19 · Epist. 3. · Cap. 17. · Cap. 25

Secunda sancti Augustini Adsertio est, quod Episcopi & Clerici, dum totus ipsis commissus Populus non fugerit, non possint fugere; idque sive Pagana, sive Hæretica, sive Barbarica fuerit persecutio. Nulla hìc est admittenda distinctio. Ejus fundamenta sunt firmissima: *Cum plebs manet, & Ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi Mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim Lupus, non homo, sed Diabolus, qui plerumque Fideles Apostatas esse persuasit, QUIBUS QUOTIDIANUM MINISTERIUM DOMINICI CORPORIS DEFICIT, & peribit infirmus in tua non scientia, sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est. Quod autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur, quare non potiùs contra suum timorem Domino miserante atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala sine comparatione graviora, quæ multò ampliùs sunt timenda, contingant? Fit hoc ubi Dei Charitas flagrat, non ubi Mundi cupiditas fumat. Sed charitas ex Deo est. Oremus ergo ut ab illo detur, à quo jubetur. Et per hanc magis timeamus, ne oves Christi spiritalis nequitiæ gladio in corde, quàm ne ferro in corpore trucidentur. Magis timeamus, ne sensu interiori corrupto pereat castitas fidei, quam ne fœminæ violenter constuprentur in carne. Quia Violentia non violatur pudicitia, si mente servatur. Magis timeamus ne Lapides vivi extinguantur deserentibus nobis, quàm ne Lapides & Ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra Corporis Christi destituta spiritali victu necentur, quàm ne membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur. Non quia ista sunt vitanda cum possunt, sed quia potiùs ferenda sunt, quando vitari sine impietate non possunt. Nisi fortè quisquam contenderit Ministrum non esse impium, qui tunc subtrahit Ministerium pietati necessarium, quando est magis necessarium. An non cogitamus cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque Sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius Actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus Fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt. Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blasphemia de absentia Ministeriorum ac Ministrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo fit acquisitio malorum æternorum. Si autem Ministri adsint, pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur: Alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici Corporis Communione fraudantur, omnes consolantur, ædificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia, quæ timentur, avertere, parati ad utrumque, ut si non potest ab eis Calix iste transire, fiat voluntas ejus, qui mali aliquid non potest velle. Certè jam vides, quod te scripseras non videre, quantùm boni consequantur Populi Christiani, si in præsentibus malis non desit eis præsentia Ministrorum Christi.*

Notanda sunt verba: *Aliis Reconciliationem flagitantibus, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem.* Demonstrant Reconciliationem ac Pœnitentiæ actionem tunc fuisse diverso tempore impositas, & istius divisionis fuisse adeò rigidam Legem, ut nec in mortis articulo possent simul postulari. Rei modum exponit in Literis ad Theodorum Foro-Juliensem Episcopum Magnus Papa Epist. 91
Leo: *His autem qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium Pœnitentiæ, & mox Reconciliationis implorant, nec Satisfactio interdicenda est, nec Reconciliatio deneganda.* Necessitatis articulus permittebat non utramque simul ac semel, sed posteriorem dumtaxat postulari statim post priorem impositam, ante ejus expletionem. Ita servatum fuit in externis, ac gravioribus peccatis. An & generatim in cunctis, præsertim internis, est quæstio alterius loci. Notanda sunt & hæc verba: *Quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.* Epistola hæc est scripta dudum post Libros de Baptismo contra Donatistas. Et manifestè agit de Regeneratione ac Reconciliatione, postulatis ex vera, imperfecta tamen Contritione. Agit enim de illa, quæ flagitantem, si

Sacramentum accederet, justificasset. Proinde traditam in istis Libris doctrinam, quam solam in extremo articulo sine Sacramento Contritionem justificare asseruerat, moderatur: De ejus firmitate dubitat. Et hanc omninò Epistolam secutus fuit sanctus Fulgentius in Libro de Baptismo Æthiopis. Plura dixi in Dissertatione de Christiana Contritione.

Laudatam suam, quæ Episcopos & Clericos vetat fugere, Assertionem sanctus Augustinus probat ex aliis insuper principiis. Postquam Hispanos, qui ob planè desertas suas Ecclesias fugerant, Episcopos laudarat, prosequitur: *Si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti Auctoritate Divina, sed humano vel errore decepti, vel timore sunt victi. Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de Civitate in Civitatem esse fugiendum, & Mercenarium non exhorrent, qui videt Lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cur non istas duas Dominicas, verasque Sententias, unam scilicet ubi fuga finitur aut jubetur, alteram ubi arguitur & culpatur, sic intelligere student, ut inter se non reperiantur esse contrariæ, sicut non sunt? Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur, quod jam superius disputavi; tunc de locis, in quibus sumus, premente persecutione esse fugiendum Christi Ministris, quando ibi aut Plebs Christi non fuerit, cui ministretur, aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium Ministerium, quibus non est eadem caussa fugiendi, sicut in sporta submissus, fugit Apostolus, cum à Persecutore propriè ipse quæreretur, aliis utique similem necessitatem non habentibus, à quibus illic Ministerium impleretur: Absit ut desereretur Ecclesia. Sic fugit sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cùm eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam à cæteris Ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat.* Et infrà pergit: *Non quidem talis est ista tempestas, quando Laicorum & Clericorum est commune periculum, sicut in navi una commune est periculum Mercatorum atque Nautarum. Verum absit ut tanti pendenda sit hæc navis nostra, ut debeant eam Nautæ, & maximè Gubernator, periclitantem deserere, etiamsi in Scapham transiliendo vel etiam natando possit effugere. Quibus enim metuimus, ne nostra desertione pereant, non temporalem mortem, quæ quandoque ventura est, sed æternam, quæ potest, si non caveatur, evenire, & potest, si caveatur, etiam non evenire, metuimus. In communi autem periculo vitæ hujus cur existimamus, ubicumque fuerit hostilis incursus, omnes Clericos, & non etiam omnes Laicos esse morituros, ut simul finiant hanc vitam, cui sunt Clerici necessarii?*

Et his habemus tertiam sancti Augustini Assertionem, nempè quod sint aliqui casus, in quibus, licet Populus non fugiat, Episcopus tamen aut Clericus possit, immò & debeat fugere. Primus casus est, dum quis Episcopus aut Clericus ex singulari Gentilium, aut Hæreticorum, aut quorumvis persequentium odio quæritur ad mortem vel carcerem. Et sanctus Augustinus probat hoc non tantummodò per sancti Pauli Apostoli, sed etiam per exemplum Magni Athanasii. Et hoc posterius insigniter elucidat: *Hic fortè quis dicat, ideò debere Dei Ministros fugere à talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servet. Rectè hoc fit à quibusdam, quando non desunt alii, per quos suppleatur Ecclesiasticum Ministerium, ne ab omnibus deseratur. Quod fecisse Athanasium supra diximus. Nam quantùm necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit, quod vir ille mansit in carne, Catholica Fides novit, quæ adversùs Arianos hæreticos ore illius & amore defensa est.* Eadem de caussa sanctum Petrum Apostolum, quem solum quærebat Rex Herodes occidere, Christus Dominus per Angelum eduxit è carcere. Magnus Athanasius insigni Apologia demonstravit suum Factum fuisse non dumtaxat licitum, sed & obligatorium. Et de sancto Polycarpo, dum à Frumentariis quæreretur, Smyrnensis Ecclesia scribit ad Ponti Ecclesias: *Polycarpus, quamvis in animo haberet illic in Civitate manere, tamen Familiaribus petentibus & obsecrantibus, ut se inde subduceret, demùm morem gessit. Ad villam, non longè ab Urbe distantem, est progressus.* Exstat Epistola apud Ecclesiasticam Historiam Cæsaræensis Eusebii. Ibidem exstat Epistola, qua sanctus Dionysius Alexandriæ Patriarcha de semet-ipso scribit ad nescio quem Germanum: *Ego coram Deo loquor. Neque certè de fuga mecum in præsentia cogitavi: Neque quasi invito Deo, ullam feci. Quin etiam aliàs, regnante Decio, antequam persecutio palàm contra Christianos ediceretur, cum Sabinus id temporis Frumentarium ad me perquirendum misisset, ego quadriduo in ædibus commoratus, ejus adventum assiduè expectavi. Ille autem undique circumit, vias, fluvios, agros passim, ubi me latitare, aut quò me profectum esse suspicaretur, sedulò pervestigat. Sed cæcitate & quasi caligine, ne ædes quæreret, circumfusus tenebatur. Sibi namque persuaserat me persecutione appetitum, domi nolle moram facere. Vix tandem post dies quatuor, Deo mihi, ut inde migrarem præcipiente, & se mirandum in modum quasi ducem itineris præbente, ipse, Liberi, & alii multi Fratres simul domo egressi sumus.* Scribit suæ fugæ Apologiam. Affirmat fugam sibi fuisse Divinitùs imperatam. Et de hac Episcoporum & Clericorum fuga scribit Origenes in octavo Libro contra Celsum: *Non metu Christianus fugit, etiamsi fugiat, sed servans mandatum Præceptoris sui, & se purum ad aliorum utilitatem custodiens.*

Lib. 4. cap. 14. Lib. 6. cap. 33.

l. 8. 406.

Ex eadem Regula Ecclesiam suam deseruit, ac in latebras secessit sanctus Cyprianus, & hac de re scribit ad suum Clerum: *Quamquam caussa compelleret, ut ipse ad vos properare & venire deberem; tamen potiùs visum est adhuc interim latebram & quietem tenere respectu utilitatum aliarum, quæ ad pacem omnium nostrum pertinent & salutem, quarum vobis à Tertullo Fratre nostro Charissimo ratio reddetur, qui pro cætera sua cura, quam impensè Divinis Operibus impertit, etiam hujus consilii auctor fuit, ut cautus & moderatus existerem, nec me in conspectum publicum, & maximè ejus loci, ubi toties flagitatus & quæsitus fuissem, temerè committerem.* Iste Tertullus erat è Primoribus Carthaginensis Ecclesiæ Presbyteris. Eandem Apologiam sanctus Cyprianus repetit in pluribus Epistolis, semper addens necessarium suo Populo Ministerium nulla ex- Epist. 6.

ex parte defuisse, & se suis, istud ex pectore impendentibus Clericis, constanter per Epistolas adstitisse. Hinc ad ipsum latentem scripserunt quidam Romanæ Ecclesiæ Presbyteri ac Diaconi;
Epist.26 *Ecce aliud gaudium nostrum, quod in Officio Episcopatus tui, licet interim à Fratribus pro temporis conditione distractus es, tamen non defuisti: Quod Literis Confessores frequenter corroborasti, quod etiam sumptus necessarios de tuis laboribus justis præbuisti, quod omnibus te præsentem quodammodo exhibuisti, quod in nulla Officii tui parte quasi aliquis desertor claudicasti.* Nempe solus è Carthaginensi Clero Cyprianus per Imperatoris Decii Edicta quærebatur ad mortem, ideoque tantum Episcopum cuncti Fideles voluerunt per fugam salvare. Sanctus Augustinus in laudata sua Epistola insigniter demonstrat hanc Disciplinam esse Apostolicam: *Nunquid quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est, & effugit manus ejus, deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario Ministerio, & non ab aliis Fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut seipsum servaret Ecclesiæ, quem propriè Persecutor ille quærebat: Faciant ergò Servi Christi, Ministri Verbi & Sacramenti ejus, quod præcepit ipse, sivè permisit. Fugiant omninò de Civitate in Civitatem, quando eorum quisquam specialiter à Persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant Cibaria Conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt.*

Quarta sancti Augustini Assertio est, quod Clericorum quidam, dum ipsi omnes & soli quæruntur ad necem, possint etiam fugere. Quod soli ad Sacrum Populi Ministerium necessarii manere debeant, aliis sit licitum, immò & jussum fugere. Hæc sunt ejus verba: *Cùm omnium, id est, Episcoporum & Clericorum ac Laicorum est commune periculum, ii qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes*, & Clerici, & Populi, *transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos Pater-familias volet perpeti. Quod si contigerit, ut sive alii minùs, alii majus, sive omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint, qui pro aliis patiuntur, apparet: Illi scilicet, qui cùm se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt. Hinc maximè probatur illa charitas, quam Joannes Apostolus commendat, dicens: Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Nam qui fugiunt, vel suis devincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiuntur, pro se-ipsis, non pro Fratribus utique patiuntur. Qui verò propterea patiuntur, quia Fratres, qui eis ad Christianam salutem indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro Fratribus ponunt.* Hortatur Episcopos & Clericos ut isto in casu nemo ambiat fugere, sed omnes sint prompti manere. Præsertim ut nemo suam personam uti utiliorem paratis tempestatibus, ideoque reservandam, excipiat. Et adjungit rationem: *Timendum est, ne quisquam id facere credatur non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo quàm vivendi prosit officio.* Nec evitabit suspicionem vani judicii de semetipso ac philautiæ. Hinc istud nulla ratione est faciendum.

Quod tamen à quibusdam fugiendum, aut certè latendum sit, Augustinus pergit confirmare: *Occurrit etiam alia quæstio, quam contemnere non debemus. Si enim hæc utilitas negligenda non est, ut aliqui Ministri propterea fugiant imminente aliqua vastitate, ut serventur qui ministrent eis, quos post istam cladem residuos potuerint invenire; quid fiet ubi omnes videntur interituri, nisi aliqui fugiant? Quid si enim hactenùs sæviat illa pernicies, ut solos Ministros Ecclesiæ persequatur? Quid dicam, an relinquenda est à Ministris fugientibus Ecclesia, ne à morientibus miserabiliùs relinquatur? Sed si Laici non quæruntur ad mortem, possunt occultare quoquo modo Episcopos & Clericos suos, sicut ille adjuverit, in cujus potestate sunt omnia, qui potest & non fugientem per mirabilem conservare Potentiam. Sed ideo quærimus, quid nos facere debeamus, ne in omnibus quærendo Divina miracula, tentare Dominum judicemur.* Sanctus Augustinus suadet ut isto in casu omnes sint non dumtaxat prompti ad manendum sed insuper ut permanere ambiant, atque adjungit: *Quamquam ô si inter Dei Ministros inde sit disceptatio, qui eorum maneant, ne fuga omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia. Tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant charitate, & utrique placeant charitati. Quæ disceptatio si aliter non potuerit terminari, quantùm mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, Sorte legendi sunt. Qui enim dixerint se potiùs fugere debere, aut timidi videbuntur, quia imminens malum sustinere noluerunt; aut arrogantes, quia se magis, qui servandi essent, necessarios Ecclesiæ judicarunt. Deinde fortassis ii, qui meliores sunt, eligent pro fratribus animas ponere; & hi servabuntur fugiendo, quorum est minùs utilis vita, quia minor consulendi & gubernandi peritia. Qui tamen si piè sapiant, contradicent eis, quos vident & vivere potiùs oportere, & magis mori malle, quàm fugere. Ideo, sicut scriptum est: Contradictiones sedat Sortitio, & inter potentes definit. Meliùs enim Deus in hujuscemodi ambagibus, quàm homines, judicat, sive dignetur ad Passionis fructum vocare meliores, & parcere infirmis, sive istos facere ad mala perferenda fortiores, & huic vitæ substrahere, quorum non potest Dei Ecclesiæ tantùm, quantùm illorum vita prodesse. Res quidem fiet minùs usitata, si fiat ista Sortitio. Sed si facta fuerit, quis eam reprehendere audebit? Quis non eam, nisi imperitus, aut invidus, congrua prædicatione laudabit? Quod si non placet facere, cujus Facti non occurrit exemplum, nullius fuga faciat, ut Ecclesiæ Ministerium, maximè in tantis periculis necessarium ac debitum, desit. Nemo excipiat personam suam, ut si aliqua gratia videtur excellere, ideò se dicat vita, & ob hoc fuga esse digniorem. Quisquis enim hoc putat, nimium sibi placet. Quisquis autem hoc etiam dicit, omnibus displicet.*

Honorati Taberniensis Episcopi argumenta sunt jam abundè soluta. Etenim Christi Domini, qui nos de Civitate in Civitatem fugere jussit, Præceptum sic intelligendum ac observandum est, ut non impingat in aliud ejusdem Domini Mandatum,

datum, quod Pastorem, qui veniente Lupo fugit, damnat ut Mercenarium. In scripto adversùs hanc fugam Libro Tertullianus affirmat prius Domini Præceptum non ad omnem Ecclesiam dirigi, sed ad solos Apostolos: Fuisse temporale ac personale. Ita & in Libro de Pudicitia auctoritatem, quam in omnium omninò peccatorum remissionem Christus Dominus dedit Apostolis, vult esse ejusdem Ordinis. Sunt Montanisticæ vesaniæ fundamenta ac figmenta, quibus in Sacro-Sanctum Pœnitentiæ Sacramentum hodie litigant etiam Calvinistæ. Ecclesiæ Patres ac perpetuus sensus utrumque Christi Domini præceptum semper credidit ac docuit esse universale, perpetuum, directum ad omnes. Primum ad omnes Fideles, secundum ad omnes Sacerdotes. Rem insignem in Sermone de non tradendis Basilicis refert sanctus Ambrosius: *Petrus Apostolus victo Simone, cùm Præcepta Dei Populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos Gentilium. Quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet. Et quamvis esset cupidus Passionis, tamen contemplatione Populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, ut ad instituendum & confirmandum Populum se reservaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Urbemque ingredi, ait: Domine, quò vadis? Respondit Christus: Venio Romam iterum crucifigi: Intellexit Petrus ad suam Crucem Divinum pertinere Responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi. Intellexit ergò Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per Crucem suam honorificavit Dominum JESUM.* Fuit propriæ oblationis species, quam citrà Domini instinctum Apostolus non poterat facere. Proinde hoc Exemplum insigniter confirmat tertiam ac quartam S. Augustini Assertionem. Petrus enim fugit, ac rectè fugit ob duas caussas. Primò, quod solus singulariter quæreretur ad necem. Deinde ut se Populo necessarium reservaret. Est authentica historia, quam singulari Basilica honoravit Romana Ecclesia. At verò in Literis ad sanctum Anselmum Cantuariensem Archi-Episcopum scribit de sancto Laurentio ejusdem Metropoleos Antistite Osbernius Monachus Beccensis: *Laurentium Archi-*
Lib. 3. Epist. 2. *Episcopum multo verbere à sancto Petro Apostolo novimus flagellatum, propterea quod Paganorum metu conterritus fugam inierit, & eandem Ecclesiam adhuc in fidei perceptione rudem derelinquere tentaverit.* Hoccè Exemplum refertur etiam ab aliis Angliæ Scriptoribus. Firmat secundam sancti Augustini Assertionem.

CANON XIV.

SI qui autem vim multam & necessitatem passi sunt, quique & in ore ferrum, & vincula acceperunt, & propter bonam fidei affectionem, suas quoque manus uri fortiter pertulerunt, ad prophanum sacrificium eis invitis adductas. Quemadmodum igitur mihi scripserunt ex custodia beatissimi Martyres de iis qui sunt in Lybia, & alii etiam in Sacris Comministri, ii simul testificantibus reliquis quoque fratribus, possunt esse in Sacro Ministerio inter Confessores collocati, ut & qui in multis tormentis mortificati fuerint, non ampliùs potuerint, vel loqui, vel dicere, vel moveri, ut resisterent iis qui vim frustrà afferebant. Neque enim eorum improbitati assensi sunt. Quemadmodum ergò à Comministris rursus audivi, annumerabuntur inter Confessores: & quicumque secundum Timotheum vitam instituit, parens ei quoque qui dicit, persequere justitiam, pietatem, fidem, dilectionem, tolerantiam, lenitatem. Certa pulchrum certamen fidei: Apprehende vitam cœlestem, in quam vocatus es, & confessus coram multis testibus Confessionem.

SCHOLION.

COnstantinus Harmenopulus præsenti Canoni dedit hoc compendium: *Qui post varios cruciatus Victimam suis manibus inviti acceperunt, & in Ministerio maneant, & inter Confessores referantur.* Similem Canonem edidit Ancyrana Synodus: *Eos, qui fugientes comprehensi sunt, vel à Domesticis traditi, vel suis alioquin facultatibus privati, vel tormenta perpessi, vel in carcerem conjecti sunt, clamantes se esse Christianos & eò usque adstricti sunt, ut ii qui vim adferebant, Thus in manus violenter immitterent, aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur, confitentes perpetuò se esse Christianos, & ejus quod accidit, dolorem & amictu & habitu, & vitæ humilitate pro se ferentes, hos velut inculpatos à Communione non arceri. Si verò ab aliquo sunt prohibiti, majoris Cautionis gratia, vel etiam propter quandam ignorantiam, statim admittuntur. Hoc autem similiter & de Clericis & aliis Laicis, qui in eandem necessitatem inciderunt, ad Ordinem promoveri. Visum est ergo & eos, ut qui nihil peccassent, si etiam præcedens eorum vitæ instituendæ ratio inveniatur, promoveri.* C. 3. Istiusmodi passos quidam Episcopi non dumtaxat à Clero ac Ministerio suspendebant, sed & cogebant ad solemnem Pœnitentiam. Quidam ex ignorantia, quidam ad cautelam. Hoc & sanctus Petrus & Ancyrana Synodus improbarunt. Eos censent integros, ideoque non puniendos ut Lapsos, sed honorandos ut

ut Confessores. Et Laicos in Clerum, Clericos in altiorem gradum evehendos, Si tamen ex priori vita nihil obstiterit. Istiusmodi scelerata in fideles violentia non solis Gentilibus sed etiam Hæreticis fuit olim familiaris. Quod Ariani etiam invitos rebaptizarint, exemplis demonstrat in Libris de Wandalica persecutione Victor Episcopus Uticensis. Plura exempla adduxi in Scholiis ad Acta sancti Gregorii Septimi.

CANON XV.

NON reprehendet nos quispiam, quartam & sextam Feriam observantes, in quibus nobis jejunare secundùm Traditionem cum ratione præceptum est. Quartam quidem propter initum à Judæis Consilium de proditione Domini: Sextam autem, quòd ipse pro nobis passus sit. Diem enim Dominicum lætitiæ diem agimus, quòd in eo resurrexerit: In quo nec genua quidem flectere accepimus.

SCHOLION.

QUartæ ac sextæ Feriæ jejunium, & quidem ob hìc expressas à sancto Petro rationes, esse apud Ecclesias antiquissimum, testantur & alii Patres. De verè Christiano scribit in septimo Stromaton Libro sanctus Clemens Alexandrinus: *Novit ipse jejunii Enigmata horum dierum: Quarti, inquam, & sexti.* Eorum Enigmata sunt adductæ à sancto Petro rationes. Quod enim Psychici, id est, Orthodoxi quarta & sexta feria Stationes agerent, adeoque & jejunarent, scripsit Montanista Tertullianus in Libro de jejuniis. Eodem in Libro affirmat Stationes esse dumtaxat Semi-jejunia, & prosequitur: *Cur Stationibus quartam & sextam Sabbathi dicamus, & jejuniis Parasceven?* Parasceven Paschalis festivitatis. Eam omnis Christianus pleno ex tunc jejunio venerabatur. Eodem modo in Libro de Oratione distinguit Stationum dies *à die Paschæ, quo communis & quasi publica jejunii religio est.* Affirmat hunc solum diem ex Præcepto & plenè jejunari. Quia nempè hunc Librum scripsit Catholicus, antè Apostasiam ad Montanum. Et diem Parasceves rectè adfirmat Pascha. Etenim tunc Pascha nostrum immolatus est Christus. Eandem Phrasin usurpant & alii vetusti Patres. Quod Dominicas, Pascha, Pentecosten, ac Parasceves colamus, profitetur etiam Origenes in Libris contra Celsum. Et addit, quod tamen neque dies observemus vel tempora. Parasceves colimus per jejunia. Et in quinto Libro scribunt Apostolicæ Constitutiones: *Dominus nobis præcepit quarta feria & sexta jejunare: Illa quidem propter proditionem, hac vero propter Passionem.* Et in alio ejusdem Libri capite: *Præcepimus vobis quartis & sextis feriis jejunare.* Et in septimo Libro: *Jejunia vestra ne sint cùm Hypocritis communia. Jejunant enim secunda hebdomadis feria & quinta. At vos aut quinque diebus jejunate, aut quarta & sexta feria. Quoniam quarta quidem judicium in Dominum est Pronunciatum, postquam Judas proditionem pecunia promiserat; sexta verò mortem in cruce sub Pontio Pilato passus est.* Et vulgares Apostolorum canones: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor Sanctam Paschæ quadragesimam non jejunat, vel quartam diem, vel Parasceven, præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: Si sit autem Laicus, segregetur.* Et in Commentariis super Apostolicam ad Galathas Epistolam sanctus Hieronymus: *Quartam Sabbathi observemus, & Parasceven.* Et in Panario S. Epiphanius: *Quis est uspiam terrarum, qui non in eo consentiat, quartam sextamvè feriam solemni in Ecclesia jejunio consecratam? Quod si ex Apostolorum Constitutione repetenda nobis auctoritas est, cur illis quartæ & sextæ feriæ jejunium perpetua Lege sancitur, excepta Pentecoste?* Et in Catholicæ fidei Expositione: *Sacri Conventus & Synaxes ab Apostolis instituti sunt his potissimùm diebus, quarta, sextaque feria, ac Dominica. Item quarta & sexta feria jejunium ad horam usque nonam indictum, propterea quod quarta feria comprehensus est Dominus, & sexta in crucem sublatus.* Affirmat quarta & sexta Feria non dumtaxat jejunium fuisse, sed & solemnem Ecclesiæ Conventum. Consentit Tertulliano, qui supra dixit istis diebus fuisse Stationem. Etenim antiqua Ecclesiarum Statio & Synaxin involuebat & jejunium. Et in Palladii Helenopolitani Episcopi Lausiaca Historia sanctus Abbas Apollo hæc concionatur: *Catholica & generalia jejunia non licet solvere sine ingenti necessitate. In quarta enim feria traditur Servator, & in Parasceve crucifigitur. Qui ea ergò solvit, Servatorem unà tradit, & unà crucifigit.* Et de Romana Ecclesia, quod quartis & sextis Feriis jejunaret, ac insuper Sabbathi jejunium superadderet, disertè scribit ad Casulanum Presbyterum S. Augustinus. Et de Imperatoris Theodosii Secundi Virtutibus habet Socrates: *Theodosius crebrò jejunabat, maximè quarta feria, & in Parasceve.* Et de sancto Fulgentio Ferrandus Diaconus Carthaginensis: *Fulgentius per singulas Septimanas, omnes Clericos, & viduas, & quicumque potuisset ex Laicis, quarta & sexta feria statuit jejunare.* Sunt & alia plurima istius antiquæ Disciplinæ testimonia.

Circà hoc ipsum sunt aliquot Quæstiones. Prima est, an Apostolicarum Constitutionum Auctor rectè dicat istam Disciplinam esse Institutam ac Præceptam ab ipso Christo Domino? Respondeo negativè. Sacro-Sanctum Missæ Sacrificium in Azymo pane conficere, est antiquissima Consuetudo, non solius Latinæ Ecclesiæ, sed etiam Armeniorum. Latè id demonstravi in Scholiis ad Acta sancti Leonis noni. Et isti se fundabant in Christi Domini exemplo, quem Evangelista lucidè testatur confecisse in Azymo. Dominicum Exemplum isti censebant esse totius Ecclesiæ Canonem. At hanc Præscriptionem in Invectiva sua prima subnervaturus Isaac Armenorum Catholicus demonstrat multa in Ritibus ac Moribus servari præter Domini exemplum, & inter ipsa adducit & hoc: *Christus feriam quartam ac sextam*

Marginal notes: Fol. 744 (Clemens); Cap. 2. 13. 14. (Tertullianus de jejuniis); Cap. 14. (de Oratione); Cap. 14. (Const. Lib. V); Cap. 19. (Const.); Cap. 24. (Const. Lib. VII); Can. 68. (Canones); Cap. 4. (Hieronymus); Hæres. 75. c. 6. (Epiphanius); 22. (Expositio); C. 52. (Palladius); Epist. 86. (Augustinus); Lib. 7. cap. 22. (Socrates); 29. (Ferrandus); C. 8. (Isaac).

tam non jejunavit. Et hoc omninò verum est. Nec jejunandum Apostolis aut nobis præcepit. Etenim inter alias perfidorum Judæorum calumnias fuit & hæc: Quod Joannis Baptistæ Discipulis jejunantibus nec ipse jejunaret, nec ejus Discipuli. Et ipse constanter asseruit suis necdum advenisse jejunandi tempus: quod Sponsum præsentem adhuc haberent, ideoque Nuptiale festum, in quo jejunari non licet, adhuc decurreret. Non nisi expleto hoc tempore, & sublato Sponso posse jejunari. Et hinc in Panario Judaica jejunia esse per Christum Dominum sublata, affirmat sanctus Epiphanius, atque adjungit: *Jejunare porrò* Hæres. 33. c. 5. *cùm* Dominus *imperat, non illam Corporis inediam, sed animi temperantiam decernit, ut à flagitiis omnibus abstineamus.*

Secunda quæstio est, an ista Disciplina sit non tantummodò instituta ab Apostolis, sed etiam præcepta? Respondeo esse institutam. Ita nobis disertè dixit Epiphanius. Et Septimii Tertulliani tempore tam Orthodoxi, quàm Paracletici Montanistæ, profitebantur illam esse antiquissimam & universalem, ideoque & Apostolicam. Omnis quæstio erat de Præcepto. Quin & ambo profitebantur illud Præceptum non esse Apostolicum. Etiam Montanistæ profitebantur ipsum esse recens, nuper institutum à Paracleto Spiritu, apparente & loquente in Montano. Omnis quæstio erat, an hæc Prophetia esset verum Charisma, an fucus Pythonicus. Disertè hoc tradit Tertullianus in Libro de jejuniis. Affirmat ab Orthodoxis, quos homo Montanista appellat Psychicos, nullum cognosci Præceptum jejunium, nisi illos dies, in quibus ablatus seu mortuus fuit Sponsus, nempè sextam Majoris Hebdomadæ Feriam ac Sabbathum Sanctum; atque prosequitur: Cap. 2. *Itaque de cætero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ Disciplinæ, pro temporibus & caussis uniuscujusque. Sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum Jejuniorum; Proinde nec Stationum, quæ & ipsæ suos quidem dies habeant quartæ feriæ & sextæ: Passivè tamen currant, neque sub lege Præcepti, neque ultra supremam diei, quando & orationes ferè hora nona concludat de Petri exemplo, quod Actis refertur.* Affirmat plura. Primò, quod Catholica Ecclesia variis præter dictos duos diebus jejunaret, verùm citrà Præceptum ex arbitrio, pro temporibus & caussis uniuscujusque. Secundo, quod præter hæc voluntaria & singularia Jejunia agnosceret & alia communia & fixa: Nempè quartæ & sextæ feriæ Stationum jejunia. Tertiò, quod hæc jejunia negaret esse Præcepta, sed assereret Passivè currere. Quartò, quod se fundaret in Apostolorum auctoritate, qui & ita vixerant, & nullum jejunandi Præceptum sanxissent. Quintò, quod novæ Disciplinæ imperium spernerent, id est, novas Leges Montani. Profitetur has jejunii Leges esse novas, ac à Montano processisse.

Hæc omnia amplè confirmat in tertio decimo ejusdem Libri capite: *Præscribitis Constituta esse Solemnia huic fidei Scripturis vel Traditione Majorum, nihilque observationis amplius adjiciendum, ob illicitum innovationis. State in isto gradu si potestis. Ecce enim convenio vos & præter Pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablatus est Sponsus, & Stationum Semi-Jejunia interponentes, & vos interdum pane & aqua victitantes, ut cuique visum est. Denique respondetis hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio. Movistis igitur gradum excedendo Traditionem, cum quæ non sint Constituta, obitis. Quale est autem, ut tuo arbitrio permittas, quod imperio Dei non das?* Apostolica atque authentica adversùm omnes errores Præscriptio est: Quidquid est novum in Ecclesia, est falsum. Nihil est admittendum, nisi quod Divinitùs est Scripto aut Verbo traditum: Nisi quod nos ab Apostolis accepimus, Apostoli à Christo, Christus à Deo. Hanc Præscriptionem non dumtaxat Catholicus in singulari Præscriptionum Libro, sed etiam Montanista in Libris contra Marcionem ac alios Errones constantissimè laudavit ac firmavit Tertullianus, ideoque & hìc non præsumpsit abjicere. Ex ipsa igitur Catholici impugnabant hæc nova per Montanum inducta jejunii Præcepta. Et Tertullianus aliud nescivit, quàm respondere ad hominem: Etiam vos, licet non ex Imperio, tamen ex arbitraria pietate frequenter & rigidè jejunatis, adeoque agitis illa, quæ nec Scripta sunt nec Tradita. Catholicos arguit, quod plus suo arbitrio deferrent, quàm Deo, id est, Paracleto nuper locuto in Montano. Amplificat hoc argumentum, atque adjungit: *Benè autem, quod & Episcopi universæ Plebi mandare jejunia assolent; non dico de industria Stipium conferendarum, ut vestræ capturæ est; sed interdum ex aliqua Sollicitudinis Ecclesiasticæ caussa. Itaque si & ex hominis Edicto, & in unum omnes Tabeinophronesin agitatis, quomodo in nobis ipsam quoque unitatem jejunationum & Xerophagiarum & Stationum denotatis?* Arguit nos quod Episcopalia veneraremur, ipsius autem Paracleti Spiritus Divina generalium jejuniorum Edicta contemneremus. Palam profitetur, quod & Catholici & Montanistæ profiterentur hæc jejunandi Præcepta non esse ab Apostolis, sed cæpisse à Montano. Hinc scribit etiam Cap. 14. in sequenti capite: *Cur Stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus, & jejuniis Parasceven? quamquam vos etiam Sabbathum, si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum secundum rationem alibi redditam; nobis certè omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur.* Affirmat plura, quod & Catholici & Montanistæ quartam & sextam feriam Stationibus seu Semi-jejuniis, Parasceven dicarint Pleno jejunio. Secundò, quod quidam Catholici sextæ feriæ adjungerent Sabbathum, & utrumque diem jejunarent. Forsan Romana Ecclesia. Tertiò dicit, quod Catholici solum Sabbathum sanctum jejunarent ex Præcepto.

Hæc omnia confirmat antiquus & Magnus Ecclesiæ Scriptor Apollonius, inter Montani Præscriptiones ponens & hunc articulum: *Hic est qui* Lib. 5. cap. 17. *novas jejunii leges sancit.* Ejus hæc verba exstant apud Ecclesiasticam Historiam Eusebii Cæsaræensis. Et in primo adversùs Jovinianum Libro sanctus Hieronymus: *Quomodo de Virginibus Apostolus dicit se non habere præceptum; & tamen dat consilium, quasi misericordiam consecutus à Domino; ita & in Ecclesiastico ordine constituendo, quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia, leviora nuper creden-* Cap. 19. *tibus dat Præcepta, ne territi ferre non possent. Denique & Apostoli & Seniores de Hierosolymis Literas mittunt, ut non amplius imponatur oneris his, qui de gentibus crediderunt; nisi ut abstineant se ab Idololatria, & fornicatione, & à Sanguine, & à Suffocatis.*

Et

Et quasi parvulis atque infantibus lac potum dant, non solidum cibum. Nec præcipiunt de Continentia, nec de Virginitate significant, nec ad jejunia provocant. Et S. Epiphanius in Panario docet non corporalia, sed Spiritualia à peccatis jejunia esse nobis Præcepta à Christo Domino, atque adjungit: *Quamquam a nostris exterius illud quoque jejunium adhibetur, quatenus ad animorum utilitatem confert aliquid, si cum ratione suscipias: Non imitandi cujusquam Studio, non Consuetudine, non certarum dierum Religione, vel definito aliquo tempore: Præsertim cum veri jejunii memoriam refricet, ut qui nondum illud assecuti fuerint, ab exteriore commonefacti, alterius recordentur.* Palam affirmat suo adhuc tempore nullas fuisse jejunii Leges. Utique in sua Ecclesia. Eadem docet in Vigesima quinta super Epistolam ad Romanos Homilia sanctus Joannes Chrysostomus. Certorum dierum jejunia laudat, addit viguisse Apostolorum temporibus; verùm ex cujusque arbitrio: fuisse ex illis, circa quæ quivis poterat in suo sensu abundare. Quoniam Apostoli Neophytas gentes noluerunt istiusmodi Legibus gravare. (Hæres. 33. c. 5.)

Et hinc intelligimus fundamenta Hæresiarchæ Aerii, de quo sanctus Epiphanius: *Sed neque jejunii, inquit* Aerius, *instituendi ulla ratio est. Hæc enim omnia Judæorum propria sunt, & cuidam servitutis jugo subjecta. Quippe Justo nulla lex est posita; sed Patricidis & Matricidis dumtaxat, & id genus aliis. Nam si jejunare omninò decreverim, quacumque libuerit die, spontè & integra libertate jejunabo. Hinc est quod isti Dominica die jejunare potiùs affectant; quartà verò & sexta vescantur. Quamquam sæpe-numerò quarta feria jejunent, non ulla lege, sed voluntate, ut asserunt, inducti.* Edictum, quo Zephyrinus Pontifex Pœnitentibus mœchis Sacramentalis Pacis januam aperuit, invasit Montanista Tertullianus, ac Decretum, quo Romana ac Africana Ecclesia cunctis in Persecutione Lapsis eandem gratiam fecit, Prævaricator Novatianus contumacissimè impugnavit. Ambo se fundarunt in antiquis Ecclesiæ moribus. Blaterarunt transfigi non posse istos limites. Ita & ad Apostolici temporis libertatem provocavit Aerius: Blateravit ipsam per humanas Leges non posse demutari. Etenim ex Sacris Literis venatus est alia Patrocinia, hæretico more. Ex his vides sanctum Epiphanium docere quasi adversa. Hìc Aerium, qui Ecclesiasticas jejunii Leges evertebat, damnat, adeoque istas Leges profitetur; at verò in adducto Superius loco tradidit oppositum. Nempè respexit alias & alias Ecclesias, diversos earum mores. (Hæres. 75. c. 5.)

Quæstio tertia est, quando hæ Leges incæperint? Quis sit ipsarum Auctor? Respondeo non cæpisse nisi post tempora Montani. Hæresis est Lepra, sparsæ per formosum Corpus maculæ. Hinc apud Hæreticos plura etiam reperimus bona, & in Dogmate, & in Disciplina. Quod præsertim verum fuit in Montanistis. Habuit tantam Virtutum speciem, ut sanctum Pontificem Eleutherium ad ipsi concedendas Pacis Literas circumscripserit. Praxeam, qui illi aperuit cuncta Hypocriseos arcana, atque itaque ita ab emittendo Diplomate cessare fecit, durè arguit Montanista Tertullianus. Interim omnia discussit Ecclesia. (Cap. 2.) Et illo tempore erat numerosissimè amplificata. Ordiebatur vigere Paræmia: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Hinc ab Apostolis permissa jejunandi Libertas videbatur quibusdam Episcopis deinceps non expedire. In Libro de velandis Virginibus Tertullianus rectè distinguit Christianitatis Regulam à Disciplina. Non in hac, sed in ista sola affirmat valere Præscriptionem: *Quidquid est novum & posterius, est & falsum.* Et rectè affirmat. Etenim Christianitatis Disciplina & locis, & temporibus variari potest. Ob ejus variam speciem Ecclesia est Regina circum-amicta Varietatibus. Hæc omnia attenderunt quidam Episcopi, atque ita inductas à Montano quorumdam jejuniorum Leges probarunt, ac suis Ecclesiis imposuerunt. Et huc respicit Canon Eliberinus, jejunii Leges appellans, *jejuniorum Superpositiones.* (Can. 23.) Quod nempè avitæ Libertati imponantur ac super-ponantur.

Quis Episcopus has Leges primus admiserit, est ignotum. Sanctus Ivo Carnutensis Episcopus suo Decreto inseruit hoc Capitulum: *Jejunia Legitima, id est quarta & sexta feria, non sunt solvenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit. Quia quarta feria Judas de traditione Domini cogitavit, & sexta feria Crucifixus est Salvator. Videbitur ergò, qui in his diebus sine aliqua necessitate solverit Statuta jejunia, vel cum Tradente tradere Salvatorem, vel cum Crucifigentibus crucifigere.* Et adjungit: *Ex dictis S. Apollonii.* (Part. 4. c. 32.) Sancti Martyris & antiqui Scriptoris: Cujus longum & eruditum adversùs Montanum ac ejus Pseudo-Prophetias Volumen laudat in Illustrium Virorum Catalogo S. Hieronymus, & cujus aliquot argumenta adducit in Ecclesiastica Historia Eusebius Cæsaræensis. Verùm ista verba ibi non reperimus. Nec illa referunt tanti Scriptoris stylum aut faciem. Et verba ejus, quæ novas jejunii Leges damnarunt, supra adduxi. Istas tamen Leges supponunt, ac laudant Apostolicæ Romani Clementis Constitutiones, & supra adductus vulgaris Canon Apostolicus. Qui licet non sit ex quinquaginta Prioribus, est tamen antiquus. Quare hæ Leges sunt antiquæ apud Orientalem Ecclesiam. At verò in Literis ad Casulanum Presbyterum sanctus Augustinus *Christianum, qui quarta, sexta feria, ac ipso Sabbatho jejunare consuevit:* Laudat, atque adjungit: *Quod frequenter Romana Plebs facit.* (Epist. 86) Vox *frequenter*, & verbum, *consuevit*, videntur Legem excludere. Et rursùm adduco hæc verba Ferrandi Diaconi Carthaginensis: *Sanctus Fulgentius per singulas Septimanas omnes Clericos, ac viduas, & quicumque potuisset ex Laicis, quarta & sexta feria Statuit jejunare.* (29.) Verbum, *Statuit*, insinuat istiusmodi Legem in Ruspensi Ecclesia cæpisse à sancto Fulgentio. Fortassis & in tota Africa. Etenim nullus anterior Africæ Canon istis Legibus attestatur. Quocirca hæ vario tempore cæperunt apud varias Ecclesias. Quod sub sancto Epiphanio necdum essent in Cypro, est supra demonstratum. Et hinc intellige Præsentis Canonis verba: *Non reprehendet nos quispiam, quartam & sextam feriam observantes, in quibus nobis jejunare secundùm Traditionem præceptum est.* Affirmat tria, primò, quod hæ jejunii Leges tunc essent apud Alexandrinos atque Ægyptios. Secundò, quod istud Præceptum isthìc vigeret ex antiqua Traditione. Tertiò, quod quidam isti Legi adversarentur: haud dubiè pro-

cla-

clamantes ad avitam libertatem. Et adversùs hos sanctus Petrus omninò loquitur. Legem extendit ad omnem suam Patriarchalem Diœcesin.

Ex his item intelliges sceleratum Manichæorum scopum, de quibus scribit Magnus Papa Leo: *Nemo ambigat esse Manichæos, qui in honorem Solis ac Lunæ die Dominico & secunda feria deprehensi fuerint Jejunare. Uno enim suæ perversitatis opere bis impii, bis prophani sunt, qui Jejunium suum & ad Siderum cultum, & ad Resurrectionis Christi instituere contemptum.* Sceleratissima Secta non dumtaxat omne Dogma, sed etiam omnem Christianitatis Disciplinam invasit, atque tentavit evertere. Hinc nostrum Jejunium à quarta & sexta Feria transposuit in diem Dominicam & Feriam secundam. Etiam Christum Dominum, utpote mendax hominis spectrum, negabat traditum aut passum, ideoque nec istas Ferias censebat esse honorandas Jejunio. Eosdem Errones omninò respicit Auctor Apostolicarum Constitutionum: *Jejunia vestra ne sint cum hypocritis communia. Jejunant enim secunda hebdomadis Feria, & quinta. At vos aut quinque diebus Jejunate, aut quarta & sexta Feria.* Etenim secundam Feriam nemo sanxit Jejunandam, nisi solus Manichæus. Et hinc lucet istarum Constitutionum Collectorem non fuisse sanctum Clementem. Fuit homo quarti sæculi. Et ex his item vides Lutheranos & Calvinistas, qui has etiam Ferias, dum semper genio indulgere volunt, nolunt Jejunare, esse novos Aerianos. Possint & ad permissam ab Apostolis libertatem reclamare. At ipsorum pauci norunt ista antiqua.

Serm. 38. c. 5.

Lib. 7. c. 24.

Quarta Quæstio est: An Antiqua Ecclesia cunctis quartis ac sextis totius anni Feriis Jejunarit? Respondeo negativè. Etenim ad Casulanum Presbyterum scribit sanctus Augustinus: *Videat ergò quanta afficiat contumelia ipsam quoque Romanam Ecclesiam, ubi & his hebdomadibus, in quibus quarta & sexta & Sabbatho Jejunatur, tribus tamen diebus continuis, Dominico scilicet & deinde secunda & tertia prandetur.* Voces, *& his hebdomadibus*, &c. palam edicunt istas Ferias non in cunctis totius anni Septimanis fuisse tunc Jejunatas. Exponit in suis Responsis Marcus Hieromonachus: *A quartæ & sextæ Feriæ Jejunio eximuntur hebdomadæ Paschæ, duodecim item Dies à Domini Nativitate, ac hebdomadæ appellatæ Prophonesimi, nec non hebdomadæ Tyro-phagi.* Has nos vocamus Dominicam Septuagesimæ ac Sexagesimæ. Quod ipsum scribit Theodorus Balsamon in Responsis ad quæstiones Marci Patriarchæ Alexandrini. Per Paschę hebdomadas intelligunt omnes Paschalis temporis seu Quinquagesimæ Dominicas usque ad Pentecosten. Et solas harum hebdomadarum sextas Ferias olim excepit Latina Ecclesia. Et ipsas solas omninò respicit sanctus Augustinus. Et certè ista Græcorum diversitas non est antiquissima. Etenim sanctus Epiphanius in Catholicæ fidei Expositione laudat istarum Feriarum Jejunium, atque adjungit: *Exceptis quinquaginta Pentecostes diebus, quibus neque genua flectuntur, neque Jejunium indicitur. Neque verò totis illis dumtaxat diebus ulla Jejunia sunt, sed neque Epiphaniorum die, quo Dominus secundùm carnem natus est, Jejunare licet, tametsi quartam in Feriam vel sextam inciderit.* Non cunctos duodecim inter Dominicam Nativitatem ac Epiphaniam dies excepit, sed solam Dominicam Nativitatem. Latiùs hæc exposui in Scholiis ad Acta sancti Leonis noni. Vide Leonis Allatii Libellum de Græcorum Dominicis ac Hebdomadibus. Ac Annales Eutichii Patriarchæ Alexandrini.

Epist. 86

53.

Cap. 22.

Tom. 2. fol. 247

Quinta Quæstio est: Quanto tempore hæc Pietas duraverit apud Ecclesias? Respondeo primum Latinę pietatis defectum utcumque colligi ex sancti Isidori Hispalensis Episcopi Libris de Divinis Officiis: *Omnis sexta Feria propter Passionem Domini à quibusdam Jejunatur, sed & Sabbathi dies à plerisque.* Igitur ex tunc utriusque diei Jejunandi Lex exoleverat; & quidem magis sextæ Feriæ, quàm Sabbathi. Existimo id factum per Arianos Gothos. Et quia sanctus Leander avitam Legem reparare non potuit, melioribus tamen Fidelibus persuasit voluntariam Pietatem. Gallia eodem tempore pervasa fuit à Francis, Wandalis, Burgundis; hinc & ibi existimo tunc avitam Legem defecisse. Unde in Gallicanis Synodis nulla est istius pietatis memoria aut reparatio. At verò ipsa longè diutiùs perstitit in Romana Ecclesia, adeoque & in omni Italia. Lucet ex S. Nicolai primi Rescripto ad Consulta Bulgarorum, quod ipsis, Latini jejunii Solemnes dies rogantibus, exponit Jejunia omnia, *quæ sancta Romana suscepit Antiquitùs, & tenet Ecclesia*, atque adjungit: *in sexta verò Feria omnis hebdomadæ à carnium esu cessandum, & Jejuniis est incumbendum.* Et in sequenti capite: *Sexta Feria Passionem Dominicam, & Apostolorum mœstitiam recolentes, ab omnium carnium epulis & pinguedine gustus noster arcendus est, præter si Nativitas Domini & Epiphaniorum, aut Festivitas Beatæ Matris Domini & intemeratæ Virginis Mariæ, seu Apostolorum Principum Petri & Pauli, ac sancti Joannis Baptistæ, nec non & sancti Andreæ Apostoli, quin etiam & Beati Stephani Proto-Martyris, ipso die fortassis evenire contigerit.* Et adjungit: *Quarta Feria, quamvis è cæteris diebus præter sextam Feriam sit amplius mœroribus operandum, pro eo quod Dominus ipso die in corde terræ, id est, Judæ traditoris, quodammodò sepultus erat, dum hunc ipse morti tradere meditabatur; Tamen si vestrum quis eodem die vult, poterit omninò carnes comedere, nisi fortè sibi aut à Sacerdote esset interdictum; aut ipsam Feriam inter Jejuniorum dies evenire contigerit, aut certè ipse voto se ipso die carnes non comesturum constrinxerit.* Isto igitur tempore Romana etiam Ecclesia servabat soliùs sextæ Feriæ Jejunium; Quarta autem etiam abstinentiam perdiderat, & quisque in ipsa poterat etiam carnes manducare. Hæc libertas, pedetentim incæpit, & ignoro ejus primum Auctorem. Nam non multis post sanctum Papam Nicolaum annis extingui cœpit Magni Caroli genus, & tunc multum Ecclesiasticæ Sanctimoniæ aurum est versum apud nos Latinos in scoriam, multum vini transivit in aquam.

Lib. 1. cap. 42.

Lib. 4. cap. 5.

Hinc & sextæ Feriæ Jejunium defecit. Unde scribit in sancti Petri Damiani vita Joannes Monachus: *Spiritus Sanctus* sancti Petri *eloquia, velut è largissima fontis vena redundantia, singulorum capacitati congrua propinabat: Hinc namque est, quod dies Crucis ab innumeris Fidelibus hac tota Provincia ob reverentiam Dominicæ Passionis in abstinentia celebratur. Quam videlicet Observantiam*

Fol. 12.

vantiam idem passim omnibus prædicans hortabatur. Eos hortabatur, non ad jejunium istius Feriæ, sed ad solam à carnibus abstinentiam. Perspiciebat primævam Pietatem à se non posse ex integro reparari. Et hinc Nicætæ Pectorato, Latinam Ecclesiam arguenti de varia prævaricatione, ac nominatim de prævaricatione sexagesimi octavi Apostolici Canonis, qui Quadragesimam, ac omnem quartam & sextam Feriam rigidè mandat jejunare, venerabilis Cardinalis Humbertus, sancti Leonis noni Pontificis ad Constantinopolitanam Ecclesiam Legatus respondit de sola Quadragesima, de istis Feriis plenè tacuit. Quod nempè ista Pietas apud nos tunc defecisset. Et ista forsan calumnia S. Petro dedit ansam antiquæ pietatis restaurandæ. Circa idem tempus statuit Cojacensis Hispanorum Synodus: *Christiani per omnes sextas ferias jejunent, & hora congrua cibo reficiantur, & faciant labores suos.* Hoc est, non cogantur feriari. Ex quo suspicor hanc etiam pietatem fuisse olim huic Feriæ à piissimis Hispanis impensam. Hæc omnia postmodum strenuè adjuvit sanctus Papa Gregorius Septimus: At impetrare non potuit, nisi solam Abstinentiam. Et ita etiam hodie vivimus. Latiùs hæc exposui in Scholiis ad Acta laudati Gregorii. Gallicana tamen Ecclesia videtur rigidè jejunasse; etenim venerabilis Odo, qui sub Gregorio octavo rexit Parisiensem Ecclesiam, in suo Capitulari laudat præcepta Jejunia, nempè Quadragesimam, Quatuor Tempora, Festivitatum Vigilias, ac sextas Ferias; atque adjungit: *Omnes ex debito tenentur facere talia jejunia.*

Attamen sanctus Petrus Damiani non fuit primus qui ista jejunia studuit in Italiam reducere. Etenim sanctus Atto, qui ad decimi sæculi medium rexit Ecclesiam Vercellensem statuit in suo
C. 70. Capitulari: *Quarta & sexta Feria præ cæteris jejunandum est, quia quarta Feria Judas de proditione Salvatoris cum Judæis statuit, sexta autem Christus crucifixus est. Qui ergò istis diebus in crapula vel epulis, absque magna interveniente festivitate vel necessitate, fuerit, videtur aut cum Tradente tradere, aut cum Crucifigentibus crucifigere.* Venerabilis ac eruditus Atto est conatus Apostolicum Institutum plenè in avitam obligationem reducere; ast adeò non obtinuit, ut integro sæculo nullus sit ipsi obsecutus. Hinc post illius lapsum sanctus Petrus Damiani denuò cœpit sextæ Feriæ Abstinentiam prædicare. Circa eadem tempora statuit in suo Capitulari optimus Anglorum Rex Canutus: *Singulo quoque veneris die, nisi quidam Festus agatur, jejunium esto. A Paschate verò usque ad Pentecosten, atque ab ipso Natali JESU CHRISTI die usque ad Octavam ab Epiphania lucem, jejunia nemo observet, nisi quidam judicio ac voluntate sua fecerit, aut id ei fuerit à Sacerdote imperatum.* Non solam Abstinentiam, sed & jejunium, attamen solum sextæ Feriæ studet reducere. Porrò illud jejunium apud Anglos non est antiquissimum. Etenim de ejus Exordio scribit
Lib. 3. cap. 5. in Anglorum Historia venerabilis Beda: *Sancti Aidani Lindisfarnensis Episcopi Exemplis informati, Religiosi quique viri ac fœminæ consuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remissione Quinquagesimæ Paschalis, quarta & sexta Sabbathi Jejunium ad horam usque nonam protelare.* Sanctus ergo Augustinus Apostolus non plantavit istic illud jejunium; haud dubiè ex rationibus ob quas & Domini Apostoli ipsum censuerunt non esse Lege firmandum: Neophytos adeò infirmos Populos noluerunt nimio jugo premere. Hinc & S. Aidanus, qui ad septimi Sæculi medium floruit, non Legem induxit, sed Consuetudinem. Et hujus partem Canutus Rex studuit reparare, & Greco more excepit medios dies inter Domini Nativitatem & Epiphaniam; imò extendit usque ad Octavam hujus Festivitatis. Verùm obtinuit solam sextæ Feriæ abstinentiam. Quod ad undecimi Sæculi medium Hamburgenses non dumtaxat sextis Feriis, sed etiam per omnem Quadragesimam carnes ederent, ideoque fuerint puniti divinitùs, scribit Adamus Bremensis. Nempè illos Lib. 4. cap. 11.
S. Anscharius meliora docuerat, saltem quo-ad Quadragesimam. Etenim ejus contemptoribus Saxonibus Carolus Magnus sancivit etiam capitale supplicium. Ad duodecimi Sæculi annum vigesimum quartum Sanctus Otto Bambergensis Episcopus prædicavit gentilibus Pomeranis. Quod ipsos omni feria sexta licet non jejunare, tamen carnibus & lacte abstinere docuerit, affirmat Authentica ejus vita, & adjungit istum esse morem Christianum; utique tunc vigentem ex Decretis Gregorii VII. Hodie tamen lacticinia ac etiam ova edimus; haud dubiè ex posteriori licentia, pedetentim inducta. Ignoro ejus primam Originem.

At verò Orientalis Ecclesia avitum utriusque Feriæ Jejunium constantissimè semper tenuit, ac etiamnum hodiè custodit. Quod ipsum S. Leonis noni tempore tenuerit, evincit memorata Objectio Nicætæ Pectorati. Etiam Theophylactus, qui eodem sæculo præsedit Bulgarorum Ecclesiæ, ad quartum-decimum S. Marci Caput scribit: *Feria quarta Concilium* Judæorum adversùs Dominum, *convenit, & propterea Jejunamus etiam nos quartis feriis.* Et in Responsis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham Theodorus Balsamon, qui sub Latinis Hierosolymæ Regibus fuit græcus Antiochiæ Patriarcha, laudat Vulgarem Apostolicum Canonem, qui non nisi à graviter infirmis permittit solui quartæ ac sextæ Feriæ Jejunium, atque adjungit: *quando verò quis propter imbecillitatem coactus* Resp. 52.
fuerit dissolvere; piscibus vel oleo moderabitur ægrotationis afflictionem. Carnes enim, vel caseum aut ovum attingere non fuerit concessum, licet extremam efflet animam, neque in Magna quadragena, neque in qualicumque quarta, aut sexta Feria. *Sufficit enim ei, qui necessariò per Aridorum esum magnificare debet* quartam ac sextam Feriam, *per oleum & pisces morbi acerbitatem mitigare.* Quartis ergò & sextis Feriis Græci etiam tunc agebant Quadragesimale. Jejunium, abstinebant etiam à piscibus & oleo, solis Aridis vescebantur. Et nec ob mortis periculum poterant carnes edere. Ex quo vides Fratrum Carthusiensium Statuta, quæ istud ipsum vetant, esse Legitima. Istud ipsum Jejunium suprà laudavit, qui circa eadem tempora vixit, Isaac Armeniorum Primas; affirmat ipsum & à Græcis, & ab Armeniis fuisse observatum.

Sexta Quæstio est: An Græci istis Feriis servent rigidum Jejunium, an solùm à carne & lacticiniis Abstinentiam? Respondeo, antiquos Græcos, uti & Latinos rigidè Jejunasse. Usque ad expleta post horam nonam inchoanda Officia. At posterioribus tempo-

temporibus servarunt solam Abstinentiam, contenti solis Aridis. Egerunt ac etiamnum agunt Xerophagiam. Etenim præfatus Patriarcha Marcus proposuit & hanc Quæstionem: Qui his Jejuniis continenter agunt, ad hæc & quartis & sextis Feriis vescuntur Aridis, sinentur per secundam mensam curare corporis indigentiam, An non? Et præfatus Patriarcha Theodorus rescripsit: *Propriè Continentia jejunium est. Si ergo qui continenter vivunt, ad corporis sustentationem* secunda *mensa indigeant, præjudicium non patientur.* Omninò tamen nec ipsi *tota die continuatam Temperantiam per vespertinam Intemperantiam deformabunt. Id enim si fecerint, coercebuntur.* Affirmat varia. Primò, quod Xerophagia sit vera Jejunii species. Etenim veri Jejunii officium est, non hominem, sed libidines occidere. Et hoc omninò fit per Xerophagiam. Secundò dicit, quod alimento & robore indigentibus corporibus, dummodò Xerophagiam servent, quartis ac sextis Feriis permittatur secunda Refectio. Tertio, quod utraque debeat esse moderata. Etiam vespertina. Palàm requirunt solam Abstinentiam. Etenim in Apologeticis pro Florentina Synodo adversùs Marci Ephesii Episcopi Calumnias Gregorius Protosyncellus laudat præfatum Apostolicum Canonem atque prosequitur: *Jubet Canon* omnibus *sextis Feriis esse jejunandum. Nos quibusdam non Jejunamus; Latini verò nunquam istius diei Jejunium solvunt, nisi Dominicæ Nativitatis dies contingat.* Palàm affirmat & Græcos & Latinos in sextis Feriis pariformiter jejunare. Quin immò Latinos esse Græcis rigidiores. Quod nempè ab his per omnem Quinquagesimam, per duodecim inter Domini Natalem ac Epiphaniam dies, per Septuagesimæ ac Sexagesimæ Septimanas, ac per quædam Festa; à Latinis autem in sola Domini Nativitate solvatur istud Jejunium. Per Jejunium Gregorius manifestè intelligit solam Abstinentiam. Hanc enim solam, non istud servamus in Quinquagesima. Et istam solam non solvimus, nisi in Dominica Nativitate. Quod ipsam olim solverimus etiam in aliis Festis, supra audivimus à S. Pontifice Nicolao Primo. Hanc rem exposui in Scholiis ad Synodos S. Gregorii Septimi. Quo tempore Græci istarum Feriarum jejunium cœperint in solam abstinentiam mitigare, ignoro. Interim in plena Xerophagia constantes manent etiam hodie, nobis quoàd hoc pientiores. Eandem servant in quartis Feriis. Hinc laudatus Gregorius, ne Marco Ephesio novæ in nos calumniæ ansam daret, laudavit solam sextam Feriam.

Resp. 54

723.

Præsens S Petri Canon adjungit: *Diem Dominicum lætitiæ diem agimus, quod in eo Dominus resurrexit.* Hæc est antiquissima totius sub omni cœlo Ecclesiæ Pietas. Etenim in Libro de Corona Militis scribit Tertullianus: *Habentes observationem inveteratam, quæ præveniendo Statum fecit. Hanc si nulla Scriptura determinavit, certè Consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de Traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum priùs non est?* Affirmat ac demonstrat in Ecclesia esse plures istiusmodi Traditiones, atque adjungit hanc: *Die Dominico Jejunium nefas ducimus.* Etenim in Libro de Idololatria inter Christianorum Festa numerat Quinquagesimam ac diem Dominicum. Quod nempè istis diebus non possimus jejunare. Laudata Tertulliani, parumper immutata, verba imitatus est, & suo adversùm Luciferianos Libro imposuit S. Hieronymus: *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem,* utique pro Sacro-Sancto Christianæ Confirmationis Sacramento, *consensus instar Præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ Legis usurpaverunt, velut die Dominico nec de geniculis adorare, & Jejunium solvere.* Et in Litteris ad Æmiliæ Episcopos de Paschalis Festivitatis ratione S. Ambrosius: *Quia Resurrectionis celebritas die Dominica celebratur, Dominica autem die Jejunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei Jejunia jure damnamus. Hoc enim est in Resurrectionem Christi non credere.* Et hinc de laudato Ambrosio scribit Presbyter Paulinus: *Ambrosio prandendi nunquam Consuetudo fuit, nisi die Sabbathi & Dominico, vel cum Natalitia celeberrimorum Martyrum essent.* Ad Casulanum Presbyterum scribit etiam sanctus Augustinus: *Die Dominico Jejunare scandalum est magnum, maximè posteaquam innotuit detestabilis hæresis Manichæorum, qui suis Auditoribus ad Jejunandum istum tanquam constituerunt legitimum diem, per quod factum est, ut Jejunium die Dominico horribilius haberetur.* Et quarta Carthaginensis Synodus sanxit: *Qui Dominico die studiosè Jejunat, non credatur Catholicus.* Et Synodus Cæsar-Augustana: Ne quis jejunet die Dominica, causa Temporis, aut Persuasionis, aut Superstitionis. Et in Libris de Divinis Officiis sanctus Isidorus Episcopus Hispalensis: *Die Dominica semper est reficiendum, ut Resurrectionem Christi & gaudium nostrum Gentibus prædicemus. Præsertim cum Apostolica Sedes hanc Regulam servet.* Plurima habemus istiusmodi antiqua Patrum testimonia.

C. 3.

C. 14.

C. 4.

Epist. 86

Can. 64.

Can. 2.

Lib. 2. cap. 42.

Quæstio prima: An ista Lex sit Apostolica Constitutio? Negare videtur sanctus Hieronymus. Etenim Nobili apud Bæticos Hispanos viro Licinio roganti, an Sabbathum esset jejunandum, respondit: *Utinam omni tempore Jejunare possemus. Quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus. Nec tamen Manichææ Hæreseos accusandi sunt, cum carnalis Cibus præferri non debuerit Spirituali. Nec hoc dico, quod diebus Dominicis Jejunandum putent; sed unaquæque Provincia abundet in suo sensu, & Præcepta Majorum Leges Apostolicas arbitretur.* Hoc postremum dicit de Sabbathi Jejunio. Apostolicorum Actuum locus est hic: *A Philippis venimus Troadem. Una autem Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque Sermonem usque ad mediam noctem.* Atque ità toto isto die jejunavit. Porrò una Sabbathorum erat dies Dominica. Amplè hoc in Litteris ad Casulanum Presbyterum demonstrat sanctus Augustinus, atquè adjungit: *Priscillianistæ, Manichæorum simillimi, ad Jejunandum die Dominica solent testimonium de Apostolorum Actibus adhibere.* Utique jam adductum testimonium. Respondeo tamen esse Canonem Apostolicum. Etenim locum hic habet Regula, quam in Literis ad Januarium laudat sanctus Augustinus: *Illa, quæ non Scripta, sed Tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum* orbe

Cap. 20

orbe observantur, dantur intelligi vel ab Apostolis, vel à plenariis Conciliis Commendata atque Statuta retineri. At verò Dominicæ diei lætitia semper fuit servata per omnem Ecclesiam. Et non est à generali aliqua Synodo. Igitur est ab ipsis Apostolis. Et apud sanctum Epiphanium Apostolica Constitutio habet: *Qui afflixerit animam suam Dominica die, maledictus est Deo.* Istæ Apostolicæ Constitutiones sunt diversæ ab istis, quas sub Romani Clementis nomine habemus hodie; ac de ipsis Epiphanius adjungit: *Qui Liber, tametsi dubiæ apud nonnullos fidei sit, non est tamen improbandus.* Et ita semper tenuit Orientalis Ecclesia, quę inter Apostolicos Canones admisit & hunc: *Si quis Clericus inventus fuerit die Dominico jejunare, deponatur: si autem Laicus, segregetur.* Quidam potenter urgent verba sancti Martyris Ignatii in Epistola ad Philippenses: *Quarta & sexa Feria jejunate, reliqua Pauperibus porrigentes. Quicumque Dominicum vel Sabbathum jejunaverit, præter unum Sabbathum Paschæ, ipse est Christi interfector.* Ex his Assertionem nostram censent firmissimam. Ast respondeo Verba ista esse intertexta à noviculis Græcis, Sabbathi jejunium adversùs Latinos damnantibus: Nequaquam esse sancti Ignatii. Hujus authenticis Scriptis esse admodùm multa intertexta, est omni prudenti Lectori manifestum. Et insigniter demonstravit eruditus Jacobus Usserius, in Anglicano schismate Archi-Episcopus Armachanus. Interim nostra Assertio permanet firma.

Hæref. 70. c. 11

C. 10.

Can. 66.

A sancto Hieronymo, ac præsertim à Priscillianistis ad adductum ex Apostolicis Actis testimonium insigniter respondit in Literis ad Casulanum Presbyterum sanctus Augustinus: *Aut ergo sanctus Paulus Apostolus, & Fideles Troani post peractum diem Sabbathi, noctis initio fuerant congregati, quæ utique nox jam ad diem Dominicum, hoc est, ad unam Sabbathi pertinebat: Et ita eadem nocte fracturus Panem, sicut frangitur in Sacramento Corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post Sacramenta celebrata, rursus usque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multum festinabat, ut lucescente proficisceretur Dominico die. Aut certè si in una Sabbathi non per noctem, sed per diem hora Dominici fuerant congregati, eo ipso, quod dictum est, Paulus disputabat cum illis exiturus alia die, expressa est causa producendi sermonis: Quia fuerat exiturus, & eos sufficienter instruere cupiebat. Non ergo Solemniter die Dominico jejunabant, sed necessarius sermo, qui studii ferventissimi audiebatur ardore, reficiendi corporis causa interrumpendus esse non visus est profecturo Apostolo, qui eos, propter alios suos usquequaque discursus, vel aliàs nunquam vel rarissimè visitabat, præsertim quia tunc ex illis terris, sicut consequentia docent, ita discessurus erat, ut jam non esset eos in carne visurus. Ac per hoc magis ostenditur Dominicis diebus solita illis non fuisse jejunia, quia ne hoc crederetur, curavit Scriptor Libri causam producendi sermonis exponere: Ut sciremus, si aliqua necessitas oriatur, urgentiori Actioni non esse prandium præferendum: Quamvis ab istis avidissimè audientibus, & ipsum Fontem cogitantibus profecturum, atque ideò magna siti, non aquæ, sed Verbi sine Satietate quidquid influebat haurientibus, non tantum carnale prandium, verùm etiam cœna contempta est. Sed tunc quamvis Dominico die solita illis jejunia non fuissent, non erat tamen Ecclesiæ tam insignis offensio, si aliqua tali necessitate, qualem Apostolus Paulus habuit, die toto Dominico usque ad medium noctis, vel etiam usque ad diluculum reficere corpora non curarent. Nunc verò posteaquam Hæretici, maximè impiissimi Manichæi, jejunia diei Dominici non aliqua necessitate occurrente peragere, sed quasi Sacra Solemnitate statuta dogmatizare cœperunt, & innotuerunt populis Christianis; profectò nec tali necessitate, qualem Apostolus habuit, existimo faciendum esse, quod fecit: Ne majus malum incurratur in scandalo, quam bonum percipiatur ex Verbo.* Affirmat Apostolos diebus Dominicis jejunare non consuevisse; Verùm an talem tulerint Legem, non exprimit. Videtur hoc de articulo dubitasse. Quidquid sit, affirmat istud jejunium à Manichæorum tempore fuisse adeò exosum cunctis Fidelibus, ut nulla penitùs ex causa licuerit. Præsertim rationes scandali. Hinc uti quisquis utramque Eucharistię speciem non sumebat publicè in Ecclesia, ita & quisquis die Dominico jejunabat, erat de Manichæismo suspectus gravissimè, imò quasi convictus. Quomodo hodie apud nos quisquis in Quadragesima aut aliis vetitis diebus carnes edit, est suspectus gravissimè, & convictus de Lutheranismo, aut Calvinismo: Et sanctus Hieronymus per omnia consonat sancto Augustino. Etenim affirmat sanctum Paulum in ista Dominica ideò jejunasse, quod Spiritualis Cibus esset præferendus Corporali.

Secunda quæstio est, an Manichæus cœperit primus istam lætitiæ Legem prævaricari. Et qua de causa? Respondeo fuisse primum. Etenim quod aut Simon Magus, aut Valentinus, aut Marcion, aut ex ipsorum fœce quis veræ in Domino Carnis ac Resurrectionis inficiator istud attentarit, nullum affirmat Authenticum Testimonium, nulla memoria. Et sanctus Augustinus istius impietatis Exordium disertè adscribit Manichæo. Ejus fundamentum exponit in quarto Sermone de Quadragesima Magnus Papa Leo: *Nulla vos contagionis hujus aspergat impietas, qui sua maximè observantia polluuntur, servientes Creaturæ potiùs, quàm Creatori, & Luminaribus Cœli stultam abstinentiam devoventes, quos nemo ambigat esse Manichæos, qui in honorem Solis ac Lunæ die Dominico & secunda Feria deprehensi fuerint jejunare. Uno enim perversitatis suæ opere bis impii, bis prophani sunt, qui jejunium suum, & ad Siderum cultum, & ad Resurrectionis Christi instituere contemptum. Abdicunt enim Sacramento salutis humanæ, & Christum Dominum nostrum, sicut in veritate carnis nostræ denegant natum, ita verè mortuum ac resurrexisse non credunt. Et ob hoc Diem salutis ac lætitiæ nostræ sui Jejunii mœrore condemnant.* Omnem die Dominico jejunantem Pontifex sancit esse suspectum, immò convictum de Manichæismo. Quod ipsum sancit de cunctis Sacro-Sanctæ Eucharistiæ sub sola panis specie Sumptoribus. In Literis ad Thuribium Asturicensem in Hispania Episcopum scribit de Priscillianistis: Priscillianistæ *Natalem Christi, quem secundum susceptionem veri hominis Catholica Ecclesia veneratur, non verè honorant, sed honorare se simulant, jejunantes eodem die, sicut & die Dominico, qui est dies Resurrectionis*

Cap. 5.

Epist. 93. cap. 4.

ctionis Christi. Quod utique ideo faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quandam illusionem Ostentata videri volunt, quæ vera non fuerint. Affirmat ipsos Cerdonis, Marcionis, & Manichæi esse cognatos, atque prosequitur: *Qui, sicut in nostro examine detecti atque convicti sunt, Dominicum diem, quem nobis Salvatoris nostri Resurrectio consecravit, exigunt in mœrore Jejunii, Solis reverentiæ hanc continentiam devoventes, ut per omnia sint à nostræ Fidei unitate discordes, & dies, qui à nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur.* Addit eos esse inimicos Crucis Christi & Resurrectionis. Et adversùm illos emanavit secundus Canon, quem supra adduxi, Synodi Cæsar-Augustanæ.

Etiam octavus decimus Canon Synodi Gangrensis statuit: *Si quis tanquam hoc continentiæ convenire judicans, die Dominico jejunaverit, aut in ejusdem diei contemptum, anathema sit.* Statuit adversùs Eustatium Sebastiensem Episcopum, primæ Armeniæ Metropolitam, de quo Hermias Zozo-
Lib. 3. cap. 13. menus: *Eustatius dicitur præ nimìs exquisita Disciplinæ norma ad absurdas Observationes dilapsus esse, easque à Legibus Ecclesiasticis penitùs discrepantes.* Et inter ipsas ponit & hunc Articulum:
Lib. 2. cap. 33. Quod *diebus Dominicis jejunent.* Clariùs loquitur Socrates: *Eustatius docuit præscripta jejunia aversanda, & jejunandum diebus Dominicis.* Quibusdam videtur sensisse cum Aerio, de quo sanctus Epiphanius: *Aeriani die Dominico jejunare potiùs affectant, quarta verò & sexta Feria vescuntur.* Verum inter ipsos est multa distantia: Etenim Aerius avitas Jejuniorum Leges voluit eversas, & reductam ex proprio arbitrio jejunandi Libertatem, & ad hanc sibi renovandam invasit etiam Apostolicam Dominicalis lætitiæ Legem; At verò Eustatius Sacrarum Basilicarum Loca & Festivos Ecclesiæ dies sprevit, garriens, non referre, quo loco oraret quis, aut quo die lætaretur aut jejunaret. Nostris Sujecfeldianis præbuit prima exordia ac fundamenta. Proindè, Eustatius ac Aerius fuerunt vulpes sola Conclusionis cauda colligatæ; Principiorum corpore penitùs distinctæ atque diversæ.

Græci jam pridem circumferunt & hunc Canonem: *Si quis carnes & caules die Dominico non comedit; si Clericus est, deponatur; si Laicus est, excommunicetur.* Et affirmant esse Apostolicum. Hinc tertia est Quæstio, an hocce sit verùm? Respondeo non esse: Ita affirmat & antiquus Orthodoxi Scriptoris adversùm Schismaticos Græcos Tractatus, olim repertus in Constantinopolitano Conventu Patrum Prædicatorum. Et certè istius Canonis apud antiquiores Latinorum aut Græcorum Scriptores nulla est penitùs memoria. Et quod primis etiam Ecclesiæ sæculis multi per omnem vitam, adeoque & Dominicis diebus abstinuerint à carne & vino, est omnibus compertum. Attamen secundum Bracarense Concilium habet hunc Ca-
Cap. 14. nonem: *Quicumque in Clero cibo carnium non utuntur, pro amputanda suspicione Priscillianæ Hæresis, vel Olera cocta cum carnibus tantùm prægustare cogantur. Quod si contempserint, secundum quod de his talibus sancti Patres antiquitùs statuerunt, necessè est eos pro suspicione Hæresis hujus excommunicatos, ab officio omnimodè removeri.* Notanda sunt verba: *Sancti Patres antiquitùs statuerunt.* Edicunt hunc Canonem non esse primum pro edendis carnibus, sed fuisse alium longè vetustiorem. Existimo fuisse editum in Manichæos. Etenim hic, quòd avitam Christianæ abstinentiæ sanctitatem nollet proscribere, non ad carnes edendas compulit, sed ad sola cum carnibus, seu in carnium jusculo cocta Olera. Et compulit solos de Manichæo suspectos. Græci videntur fuisse rigidiores. Videntur omnem Fidelem compulisse ad carnes edendas diebus Dominicis. Attamen exceptis Monachis, quibus carnes apud ipsos nunquam licuerunt. Canonis Auctorem ac exordium ignoro. Ex eodem Principio solemnis, quàm Regi suo Recesuindo fecerunt conversi ad Christum Dominum Judæi, Professio habuit hunc Articulum: *De suillis carnibus id observare promittimus, ut si eas pro consuetudine minimè percipere poterimus, ea tamen, quæ cum ipsis decocta sunt, absque fastidio & horrore sumamus & comedamus.* Eodem de articulo sanxit Rex Ervigius: *De escis, id est, de porcinis tantùm carnibus, id discreta nec remissa pietate decernimus; ut quicumque ex illis*, utique conversis ad Christum Dominum Judæis, *de suillis forsan carnibus vesci penitùs abhorrescunt, si fortè natura fastidiente refugiunt, & non more illo perversitatis hoc ipsum dijudicantes contemnunt, præsertìm si in cæteris Operibus Christianis similes habeantur, & Christianitatis ab eis non defuerit votum, atque omnimodæ operationis studium: Tunc hi tales, qui Fideles in reliquis conversationibus approbantur, pro hac sola rejectione suillarum carnium ad jacturam Legis teneri non poterunt. Quia valdè videtur æquitati contrarium, uti quos manifesta operum Christi nobilitat fides, pro sola rejectione unius cibi teneantur notabiles.* Quibus aliqua harum conditionum de-erat, tenebantur ad præfatam Professionem faciendam & exequendam. Habes hæc in Visigotharum Le- Cap. 16. Cap. 7.
gum Codice ad duodecimi Libri secundum & tertium titulum.

Quarta quæstio est: An Primitiva Disciplina nullo umquam casu permiserit jejunari Dominicas. Respondeo in quibusdam casibus permisisse. Palmarem casum exponit sanctus Augustinus in Literis ad Casulanum Presbyterum. Affirmat Dominicæ Jejunium post exortos Manetis errores cæpisse apud omnes esse scandalosissimum, atque subjungit: *Nisi fortè aliquis idoneus sit, nulla refectione interposita, ultrà hebdomadam perpetuare jejunium, ut Jejunio quadraginta dierum, quantùm potuerit, appropinquet; sicut aliquos fecisse cognovimus. Nam & ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quendam; à Fratribus fide dignissimis nobis asseveratum est. Quemadmodum enim veterum Patrum temporibus, Moyses & Elias nihil contrà Sabbathorum prandia fecerunt, cum diebus quadraginta jejeunaverunt: Ita qui poterit septem dies jejunando transire, non sibi ad jejunandum eligit Dominicum diem, sed in iis eum invenit, quos jejunaturum se vovit plurimos dies. Jejunium tamen etiam continuatum, si in hebdomade solvendum est, nullo congruentius, quàm Dominico die solvitur. Si autem post hebdomadam corpus reficitur, non utique ad jejunandum dies Dominicus eligitur; sed in numero, quem voveri placuit, invenitur.* Et infrà. *Quidquid tamen causæ vel necessitatis exstiterit, cur homo Christianus* Epist. 86

stianus die Dominico jejunare cogatur, sicut etiam illud in Actibus Apostolorum invenimus, in naufragii periculo, ubi & ipse Apostolus navigabat, quatuordecim diebus, ac per hoc duobus Dominicis jejunatum; nullo modo dubitare debemus Dominicum diem, quando non plures dies sine ulla refectione continuandi voventur, inter jejuniorum dies non esse ponendum. Hęc facultas non habebat locum, nisi dum quis ultra hebdomadam sine omni cibo ac refectione jejunabat. Et debet esse Jejunium ultra hebdomadam. Hinc Apostolico vulgari Canoni, qui & Dominicum & Sabbathum jejunari vetat, Constantinus Harmenopulus in sua Epitome dedit hoc Scholium: *Nisi fortè quodam exercendi sui caussa, dies octo, verbi gratia, vel decem jejunante, necessariò diebus istis & Sabbathum, atque Dominicus comprehensi fuerint.* Notanda sunt & Augustini Verba, quibus suprà dixit Dominici Jejunium post exortos præsertim Manichæos cœpisse fœtere, ac esse horrori. Affirmat antea ex pluribus caussis fuisse permissum.

Tit. 3.

Quæstio quinta est: An iste Prohibitionis rigor etiamnùm hodiè perseveret? Respondeo adhuc viguisse Sæculo nono. Lucet ex secunda Aquisgranensi Synodo: *Jejunium diebus Dominicis tenere & Canonica interdicit Auctoritas, & Resurrectionis Dominicæ tanta Solemnitas.* Etiamnum hodie istam diem adeò veneratur omnis Latina Ecclesia, ut nec in Quadragesima velit jejunari, nec in ulla Vigilia. Hanc, dum in Dominicam inciderit, mandat præveniri. Etiam sine officio. Lucet ex Vigilia Dominicæ Nativitatis. De Dominicæ Epiphaniæ Vigilia, dum in diem Dominicam caderet, edixit olim Theophilus Patriarcha Alexandrinus: *Et mos & honestas à nobis exigit, ut omnem diem Dominicam honoremus, eamque celebremus. Quoniam Christus Dominus noster præclarum in ea suæ Resurrectionis munus obiit. Et ideò in Sacris Scripturis ipse & Primus appellatus est, ut qui sit nobis vitæ Principium; & Octavus, ut qui Judæorum Sabbathismum exsuperaverit. Quia ergò accidit ut Sanctorum Theophaniorum sit hic profestus dies, & à jejunando tamen dispensemus, ad utrumque scientes procedamus, ut paucos dactylos sumentes, simul & Hæreses vitemus, quæ Domini nostri Jesu Christi Resurrectionem non honorant, & diei jejunii, quod debetur, reddamus, vespertinam Congregationem exspectantes, quæ hìc Deo dante peragetur. Congregamur verò hora nona.* Isto die mandat & Dominicam honorari ac simul Jejunium. Etenim mandat non pranderi, sed dumtaxat cœnari post horam nonam. Et non nisi ad horam nonam fieri Divina officia. Ne tamen sit plenum jejunium, insuper mandat hora sexta sumi paucos Dactylos, atque ita Dominicam modico isto prandiolo honorari. Et supponit omninò abstinendum à carnibus. Nos Latini hodie in istiusmodi Dominicis sumus remissiores. Divina Officia celebramus hora tertia. Et prandemus plenè, & plenè cœnamus. Vigiliæ Officia agimus in antecedens Sabbathum. Etiam carnes manducamus; nisi sit Quadragesima. Attamen antiquus prandendi rigor jam pridem abiit in dissuetudinem. Etenim ob plenè exstinctam Manetis Hæresim desiit esse scandalosus. Interim Dominicæ jejunium nemini est suadendum. Et videtur non esse de meliori Bono. Præsertim in Paschali festo. Quorundam tunc jejunandi votum videtur proscribendum & exsufflandum. Hac de re insigniter scribit ad vigesimum nonum Magni Basilii Canonem Theodorus Balsamon: *Cùm quidam Nobilis tertio die hebdomadæ dixisset Potenti & Sancto Imperatori nostro, se non debere carnes comedere, quamvis festum esset Nativitatis Christi & Dei nostri, quod jurasset tertias Ferias omnium anni hebdomadum à carnibus abstinere in honorem venerabilis Præcursoris, statuit à Deo coronatus noster Imperator Synodaliter interrogari, an sit Canonicum hoc Jusjurandum servari, & Dominicum festum, quod est Paschale, incelebratum dimittere. Et facta interrogatione sanctissimus ille Patriarcha Dominus Lucas cum Synodo, quæ aderat, cum dixisset bonum esse omni tempore jejunare, subjunxit non oportere hoc Jusjurandum Domino ac Deo nostro præferre. Si enim Apostolici Canones puniunt eum, qui in quovis Sabbatho vel die Dominico genu-flectit, vel jejunat; Multò magis punietur, qui in Paschali Christi festo jejunat, ne Jusjurandum à se voluntariè susceptum contemnatur. Et Nobili Domino carnibus vesci permisit.* Et hanc Decisionem etiamnum hodie Græci servant: Et nos Latini deberemus servare. Porrò Constantinus Harmenopulus præsenti Canoni dat hoc compendium: *Feria quarta & in Parasceve jejunandum est. Illa quidem propter Proditionis adversùs Christum consilium; In Parasceve autem propter Salutiferam Passionem. Dominicus verò dies hilariter celebrandus, propter Resurrectionem Domini.* Omittit tertiam Canonis partem: *In qua nec genua quidem flectere accepimus.* Scholion & ego differam in Canones Nicænos.

Lib. 1. cap. 3. C. 18.

Aliæ Sancti Petri Synodi.

Aliam sancti Petri in hac Synodo Actionem laudat in secunda contra Arianos Disputatione sanctus Athanasius: *Meletius ejectus à Petro, & Episcopo & Martyre, suos qui ipsum sequebantur, non Christianos postea, sed Meletianos denominavit.* Et in secunda Apologia: *Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione Martyr declaratus, Meletium Episcopum Ægypti nominatum, multis convictum criminibus, & imprimis, quod Idolis Sacrificasset, in communi Episcoporum Synodo deposuit. Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed Schisma fecit, adeò ut illius Sectatores etiam nunc pro Christianis Meletiani vocitentur, ac jam tunc in Episcopos convitia dicere incæpit, & primò Petrum, deinde ejus successorem Achillam calumniatus est, & post Achillam Alexandrum.* Notanda sunt Verba: *In communi Episcoporum Synodo.* Laudant Synodum totius Diœceseos. Etenim Meletius erat Metropolita, ideoque degradari non potuit, nisi per Patriarchalem Synodum. Hujus celebratæ annum sanctus Athanasius edicit in prima Oratione, contra Arianos: *Erat jam pridem malitia & calumnia Meletianorum omnibus nota, nec impietas Arianorum Deoque infesta Hæresis usquam obscura fuit. Neque enim parùm temporis intercessit. Nam illi abhinc ante quinquagesimum quintum annum Schismatici facti sunt, isti verò ante trigesimum sextum Hæretici declarati, & ab* Ec-

Ecclesia submoti, idque Judicio Synodi Universalis. Nycæna Synodus celebrata fuit sub Consulatu Paulini & Juliani, Christi Domini nati anno 325. adeoque istam Orationem Athanasius scripsit ejusdem Domini anno 361. Proinde hæc sancti Petri Synodus fuit acta anno trecentesimo sexto. Erat tertius persecutionis annus, quo Galerius Maximianus Maximinum ac Severum evexit in Cæsares. Annus proximus post dimissum à Diocletiano ac Herculeo Maximiano Imperium, annus ipsissimus, quo sanctus Petrus emisit jam expositos Canones. Quare & isti sunt omninò Synodales, & hæc in Meletium Sententia est omninò Actio istius Synodi. Hinc item lucet, quod Dionysius Petavius ac Josephus Justus Scaliger rectè dicant Diocletiani Persecutionem cœpisse quarto anno quarti sæculi. Adductum sancti Athanasii testimonium est irrefragabile ac peremptorium.

Hujus Synodalis Actionis meminit etiam Socrates. Affirmat Arium à sancto Patriarcha Alexandro fuisse degradatum, atque prosequitur: Lib. 1. cap. 3. *Commiscebantur Arianis Meletiani, qui non multò ante fuerant ab Ecclesia segregati. Sed cujus generis fuerint isti, dicendum arbitror. Meletius Civitatis cujusdam in Ægypto Episcopus à Petro Alexandriæ Episcopo, qui regnante Diocletiano mortem obierat Martyrio, cùm multis aliis de causis, tum maximè, quod tempore persecutionis Fidem inficiatus, Idolis immolaverat, Episcopatus munere est abdicatus. Qui cum esset abdicatus, & complures haberet qui erant ipsius Dicto audientes., illis, qui ab illo usque tempore ad hodiernum diem in Ægypto Meletiani vocantur, Ducem Hæresis se præbuit: Et cum nullam justam excusationem aut causam adferre posset, cur se ab Ecclesia separasset, verbo tantummodò affirmavit sibi esse factam injuriam. Et Petrum maledictis figere, & convitiis lacerare cæpit. Verùm ut primùm Petrus per Martyrium, persecutione sæviente mortem oppetierat, probra sua & contumelias in Achillam, qui Petro in illo Episcopatu succedebat, transtulit: Ac postea in Alexandrum, qui mortuo Achilla eum dignitatis gradum adeptus est. Ac dum hi in hoc dissidio & dissentione versabantur, interea Quæstio de Ario habetur. Meletius cum suis Ario subsidio fuit, & unà cum illo contra Episcopum conspiravit.* In Ecclesiastica Lib. 1. cap. 9. Historia scribit etiam Theodoretus: *Meletius qui non multò ante tempus, quo insanus Arii error cœptus est, Episcopus delectus fuerat: quique postea ob quasdam nefarias opiniones à sanctissimo Petro Episcopo Alexandrino, cui corona fuit donata Martyrii, refutatus erat, & Episcopatu abdicatus.* Voces, *nefarias opiniones*, videntur importare Hæresim. At non important. Etenim in quarto Hæreticarum Fabularum Libro scribit idem Theodoretus: *Meletius novam Hæresim non inchoavit, eadem enim cum Ecclesia sensit, sed ambitionis morbo laboravit.* Et iterum: *Meletius pietatis Dogmatum nihil innovavit.* Etiam Nicæna Synodus, sanctus Athanasius, ac alii antiqui Patres ipsum de nulla notant Hæresi. Ejus nefarias opiniones ignoro. Etiam Hermias Zozomenus expo- Lib. 1. cap. 14. nit Arii turbas, atque prosequitur. *Harum disputationum auctor fuit Arius, Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter, qui Meletio res novas molienti adjumento fuit. Cujus partes cùm deseruisset, à Petro Episcopo Alexandrino Diaconus ordinatus est: Et rursùs ab eodem Ecclesia ejectus. Quandoquidem cùm Petrus Fautores abdicasset Meletii, & ejus Baptismum improbasset, hic Arius in res à Petro gestas graviter invectus est, & quiescere nullo modo potuit.* Quid in Meletii Baptismate sanctus Petrus improbarit, est supra expositum. Interim hìnc discimus, quod sanctus Petrus hac in Synodo non solum Meletium degradaverit, sed & ejus in lapsu Collegas. Nisi forsan Zozomenus per Fautores intelligat Sectatores Schismatis, & id sit factum in alia Synodo. Ac ita, & quidem rectè censuit Hincmarus Metropolita Remensis. Etenim in Instrumento, quo tertiæ Svessionensis Synodi Episcopis adversùm ordinatos à suo Antecessore Ebbone Clericos exhibuit, Nicænæ Synodi adversùs Meletium ac ipsius Ordinationes Judicium exponit, atque prosequitur: *Meletius, ut in veraci ac recipienda Historia legimus, unius Civitatis Ægyptiorum Episcopus, sub Petro Alexandrinæ Civitatis Archi-Episcopo, qui suscepit Diocletiano Imperante Martyrium, depositus est, & propter alias multas causas, & maximè quia in persecutione, Fide negata, sacrificaverat. Ergo damnatus habuit multos sequaces, & Hæresiarches factus est eorum, qui hactenus ab eo in Ægypto Meletiani vocantur, nullam justitiæ satisfactionem habens, cur remanserit ab Ecclesia separatus.* Palàm affirmat hos Sequaces postea damnationem accepisse, ideoque in hac præsenti Synodo non potuisse damnari. Proinde sanctus Petrus Meletium bis damnavit. Semel in præsenti Synodo ob Lapsum: Haud dubiè cum aliis adhuc ejusdem lepræ sociis Episcopis & Clericis. Deinde, ob conflatum Schisma, collectos Gregales, ac invasas Patriarchales ordinationes. Hęc videntur fuisse alia illius crimina. Et ista fuit secunda sancti Petri Synodus. Porrò dum audis sanctum Petrum esse sub Diocletiano affectum Martyrio, intellige cum moderamine; Etenim ille passus est sub Maximino. Dudum post dimissum à Diocletiano Imperium. Dicitur ergo sub Diocletiano passus, quia ista Persecutio fuit à Diocletiano inchoata, & per ejus Beneficiarios Successores continuata ad decennium.

Ex adductis Hermiæ Zozomeni verbis colligimus & duas alias sancti Petri Synodos: *Arius, cum Meletii partes deseruisset, à Petro Diaconus ordinatus est. Et rursus ab eodem Ecclesia ejectus.* Hanc posteriorem Synodum laudat in secunda Apologia etiam sanctus Athanasius: *Meletiani, qui à Petro unà cum Arianis ejecti fuere, ita insidias inter se partiti sunt in Tyria Synodo, ut isti accusationem, illi judicandi officium sibi vendicaverint.* An vox, *Unà*, temporis simultatem, an verò solum diverso tempore factæ damnationis consortium importet, non possum edicere. Primum apparet verius. Etenim non propter patratas in Deum Verbum blasphemias, nec ob aliam Hæresim damnatus tunc fuit Arius; sed ob solam sequelam Meletiani Schismatis. Suas ille blasphemias non evomuit, nisi sub Episcopatu sancti Alexandri. Lucet ex illis, quæ sanctus Athanasius scribit in vita sancti Antonii: *Antonius quondam sedebat quasi raptus extra sese, multumque contemplationi vacabat cum suspiriis. Deindè, hora elapsa integra, conversus ad illos, qui cum ipso erant, ingemiscebat, tremensque orabat, flexis geni-*

genibus perquàm diù. Et cum flens surgeret senex, tremefacti Fratres, & metu valde perculsi, rogabant ut rem patefaceret, tam molestè, ut invitus tandem dixerit, graviterque gemuerit. Hæc autem erant ejus verba: Filii, præstaret priùs emori, quàm Visa eventum sortirentur. Illis iterum urgentibus, plorans, inquit: Ira Divina Ecclesiam invadet, & hæc illis tradetur Viris, qui à Feris rationis expertibus nihil different. Vidi enim Mensam Domini, & Mulos stare circumcirca, atque ita calcibus petere interiora, quasi bestiis confusè saltantibus calcitratus fierent. Sensistis planè quàm suspirarim; audivi enim vocem, quæ dixit: Altare meum fiet execrabile. Hæc Senex vidit, & biennio post Arianorum ista quæ adhuc durat, Incursio subsecuta est, Ecclesiarumque direptio. Sola Hæresis, non ejus Auctor aut Qualitas fuere revelata S. Antonio: Quod nempè necdum insaniret Arius. Hinc Divina Bonitas ipsum noluit ante Lapsum infamare. Etenim sancto Petro, dum damnavit Arium, divinitùs interdicta fuit ejus Absolutio, prædictaque ejus in Ecclesiam futura violentia; at modus non fuit revelatus. Dominus dumtaxat apparuit in veste discissa, & dixit: *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit.* Hoc est, *dilacerabit.* Porrò hæc Arii Damnatio, atque extra Ecclesiam Ejectio facta non fuit in prima ipsius Meletii, nec item in prima Meletianorum damnatione: Cùm enim partes Meletii deseruisset; à sancto Petro absolutus fuit, reparatus, ac promotus in Diaconum. Et deinde ob Relapsum ad Meletium fuit denuò singulariter & citrà reparationis spem damnatus. Lucet ex damnationis formula, quam nobis servavit, & suo erudito adversùm Nestorianos ac Eutychianos Operi bis inseruit sanctus, per Jacobum Gretzerum publicatus, Anastasius Sinaita: *Arius & in hoc sæculo, & in futuro à Dei Filii JESU CHRISTI gloria separatus est & segregatus. Arius & in præsenti & in futuro sæculo separatus sit à Filio Dei.* Est dumtaxat Sententiæ Conclusio. Et sancto Anastasio omnis Ecclesia debet summas gratias. Utinam omnem Sententiam nobis custodisset; multa nos docuisset. Verùm Divina Providentia vult à nobis multa ignorari. Horrendam Sententiam exponunt in Constantinopolitana Mennæ Patriarchæ Synodo plures Episcopi, adversùs Severum Antiochiæ Patriarcham, & ejus Eutychianam factionem exclamantes: *Alienos ipsos notamus ab omni nomine Christiano. Sint ergo Anathema à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, in cœlo, & in terra, & in hoc sæculo, & in futuro.* Non est simplex Damnatio; sed perpetua projectio ab omni Christiano nomine. Eadem de re scribit in spectantibus ad Ætymologiarum Libros Fragmentis sanctus Isidorus Archi-Episcopus Hispalensis: *Anathema* est *Proditio. Maranatha, Dominus noster venit. Anathema Maranatha sicut quidam dicunt, proditio in adventum Domini.* Est per ipsum Apostolum instituta Damnationis species, & omninò facienda est Synodaliter. Etenim licet Clericum suum damnare potuerit solus Episcopus, dum tamen id ob Hæresim aut Schisma fieret, solebat non fieri nisi Synodaliter. Et sanctus Athanasius affirmat tunc non solum Arium, sed etiam Arianos fuisse cum Meletianis ejectos. Arius videtur ex tunc habuisse Arianos, atque in Meletiano schismate fuisse non dumtaxat Dux, sed & Auctor nescio cujus novæ scabiei. Et hæc damnari non potuit, nisi per Synodum. Hæc igitur fuit tertia sancti Petri Synodus. Quin immò si Arius per Synodum fuerit etiam reparatus, fuit quarta. Et de ipsa scribit antiqua, per Abrahamum Ecchellensem ex Arabico in Latinum translata, Alexandrinorum Patriarcharum Historia: *Petrus Arium communione privavit jussu Dei.*

(Cap. 5. / Cap. 8.)

Alia Sancti Petri Acta.

EAdem Historia addit: *Hic est Petrus, cui Antiochena illa Mulier Filios suos adduxit, ut eos baptizaret, concrevitque aqua Baptismalis, ut minimè illos Patriarcha baptizare potuerit. Qua de re diligenter disquisivit à Matre ipsorum causam. Quæ ait illi: Mare concitatum est tempestatibus, & jamjam naufragii periculum nobis aderat. Eductis tunc uberibus consignavi eos sanguine, & aqua maris baptizavi. Ait illi Patriarcha: Benè baptizati sunt Fide tua.* Simile Miraculum refert Socrates, homo Novatianensis, Pauli, qui Constantinopolitanam suæ Sectæ rexit Synagogam, virtutes exponens, atque prosequitur: *Judæus quidam veterator, Christianam Fidem simulans, sæpius baptizatus fuit: Per quam fallaciam multas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex variis Sectis homines; Arianorum enim ac Macedonianorum Baptismum receperat, dolo ludificatus, non habebat ampliùs, quibus imponeret. Tandem ad Paulum Novatianorum Episcopum venit.* Jejunia ac alia præparamenta Judæo per Paulum imposita edisserit, atque prosequitur: *Cumque vestem splendidam pro illo emisset, & Baptisterii alveum aqua impleri jussisset, Judæum eò deduxit, ut illi Baptismum impartiret. Verùm aqua universa, Divina quadam virtute, est subitò exhausta. Ac cum neque Episcopus, neque alii qui aderant accuratè considerarent, qua ratione id accidisset; sed aquam per foramen, quod in imo alveo fuit, per quod etiam aliàs aquam solebant educere, effluxisse existimarent, Baptisterii alveum de integro, undique foraminibus in eo firmè obturatis, diligenter implent. Ac cùm Judæus esset secundò ad Baptisterii alveum deductus, aqua rursùm penitùs evanuit. Itaque tum Paulus, inquit, ò homo, aut Veteratoris partes agis, aut Baptismum ignorans recepisti. Quarè ubi ob Miraculum à multis eò concursum erat, fortè quidam Judæum de facie novit, eumque ab Attico* Constantinopolitanæ Ecclesiæ Orthodoxo *Episcopo, baptizatum viderat. Hoc Miraculum per Paulum Novatianorum Episcopum fuit editum.* Non per Paulum, sed à solo Domino Deo fuit editum, non ad honoranda Pauli merita, sed ad Anabaptismi iniquitatem demonstrandam.

(Lib. 7. cap. 17.)

Simile ex alia causa Exemplum refert in secundo Collectaneorum Libro Theodorus Lector: *Deuterius Arianorum Constantinopoli Episcopus, cum Barbam quendam baptizaret, reprobata & corrupta Dominica Traditione, ausus est inter baptizandum dicere: baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto. Quo dicto, aqua in Colymbethra evanuit. Barbas verò arrepta*

fuga

fuga exivit: & Miraculum hoc cunctis significavit. Ariani, ut avitam Divinæ glorificationis Formam, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, depravarunt: & cantarunt, Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto; ita quoque depravarunt Evangelicam Baptismi formam, & sibi fabricarunt hanc: Baptizatur N. *in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto.* Hoc gravissimè sibi displicere, & istiusmodi Baptisma non esse ratum, Divina Justitia demonstravit isto Miraculo. Et ex adductis Theodori verbis, nota Orientalem Ecclesiam, dum baptizat, non dicere, *Baptizetur*, sed hic aut iste *Baptizatur.* Ipsum alio loco demonstravi largiùs. Quidam opponunt Florentinam Synodum, quæ posuit in suæ cum Armeniorum Ecclesia unionis Decreto: *Non negamus, quin & per illa verba, baptizetur talis servus Christi In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: vel, baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, verum perficiatur Baptisma.* Ex his verbis isti censent quasdam, *Baptizetur*, quasdam Orientales Ecclesias dixisse, *Baptizatur.* Respondeo textum hunc per nuperam, Pauli quinti Pontificis jussu & cura factam, Vaticanam Editionem esse correctum. Hæc enim ad marginem priori loco posuit: *Baptizatur.* Per magnum virum correcta fuit ista Editio: Per Angelum Rocca, è nostra Augustinensi familia Tagastensem Episcopum, ac Præfectum Apostolici Sacrarii. Rem istam aliter refert Victor Tonnonensis Episcopus: *Barbas quidam Ariani erroris Episcopus dum præsumit contra Regaltium supra baptizandum dicere, Baptizat te Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, protinùs aqua, ex qua futurum erat baptizare hominem, nusquam comparuit, vas verò ipsum, in quo aqua erat, confractum est. Quod considerans, qui baptizandus erat, protinùs ad Catholicum currit & Baptismum regulariter sumit.* Est multa & magna differentia.

Aliud insuper ex alia causa Miraculum scribit ad sanctum Papam Leonem sanctus Paschasinus, Lilybeti in Sicilia Episcopus, ac ejus in Chalcedonensi Synodo Legatus. Affirmat sub Zozymi Pontificatu ad Honorii Augusti undecimum, & Constantii Comitis secundum Consulatum, fuisse erratum in statuendo Paschali die, atque prosequitur: *Tunc cum declinaretur, ne decimo Calendas Maji dies Paschæ teneretur, celebratum octavo die Calendas Aprilis, id-est, pro Embolismo communi est annus tentus, & error gravissimus est ortus, in tantum, ut Ministerio certo, quod dono Sancti Spiritus ministratur, hæc veritas probaretur. Quod propterea credidi exponendum, quia locus ipse etiam sancto atque à me venerando Fratri meo Libanio Diacono notissimus est. Cujus Mysterii Miraculum tale est. Quædam vilissima Possessio Meltinas appellatur, in montibus arduis ac sylvis densissimis constituta, illicque per-parva atque vili opere constructa est Ecclesia: In cujus Baptisterio nocte sacro-sancta Paschali, baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omninò vicina, fons ex se repletur, paucisque qui fuerint consecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex sese descendit. Tunc ergo cum sanctæ memoriæ Domino quondam meo ac Beatissimo Papa Zozymo, cum apud Occidentales error ortus fuisset, consuetis Lectionibus Nocte Sacra discussis, cum Presbyter secundum morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, quæ lucescebat in diem Dominicam, decimo die Calendas Maji Fons Sacer hora competente repletus est. Evidenti ergò Miraculo claruit Occidentalium Partium fuisse errorem.* Erat duplex Miraculum. Per primum, Divina Bonitas ex secretis locis aquas deducebat in Fontem, sine meatibus, quotannis omni festo Paschali. Per secundum, eadem Bonitas denegebat istas aquas, atque ita demonstrabat & corrigebat Ecclesiæ in designando Paschali die errorem, quotiescumque talis error eveniebat. Et istam sancti Paschasini Epistolam tanti fecit sanctus Isidorus Hispalensis Archi-Episcopus, ut illum propter hanc inseruerit suo illustrium Virorum Cathalogo, & laudarit ejus jam adducta verba.

Istud Miraculum viguit etiam in Hispania. Etenim ad sexti Sæculi septuagesimum septimum annum scribit breve, à Philippo Labbæo nuper vulgatum, Remensis Ecclesiæ Chronicon: *Hispani & Franci de Pascha celebrando dissentiunt. Hispanis duodecimo Calendas Aprilis, Francis verò quartodecimo Calendas Maji Pascha celebrantibus. Sed Francos rectè celebrasse, per hoc divinitùs claruit, quod fontes in Hispania, qui in Sabbatho Sancto Paschæ ad Baptizandum divinitùs spontè repleri solent, non in Hispanorum, sed in Francorum Pascha repleti sunt.* Consonat in Francorum Historia sanctus Gregorius Archi-Episcopus Turonensis: *Eo anno dubietas Paschæ fuit. In Galliis verò nos, cum multis Civitatibus, quartodecimo Calendas Majas sanctum Pascha celebravimus. Alii verò cum Hispanis duodecimo Calendas Aprilis Solemnitatem hanc tenuerunt. Tamen ut ferunt, Fontes illi, qui in Hispaniis nutu Dei complentur, in nostro Pascha repleti sunt.* Et infrà in eodem Opere affirmat istos fontes fuisse in Castro Asser. *In cujus Ecclesia fontes divinitùs replentur.* Et rursùm scribit: *Dubietas Paschæ fuit ob hoc, quod in Cyclo Victor luna decima quinta scripsit Pascha fieri. Sed ne Christiani ut Judæi sub hac Luna hæc Solemnia celebrarent, addidit, Latini autem Luna vigesima secunda. Ob hoc multi in Galliis quinta decima Luna celebrarunt. Nos autem vigesima secunda. Inquisivimus tamen studiosè: Sed Fontes Hispaniæ, qui divinitùs implentur, in nostrum Pascha repleti sunt.*

Lib. 5. cap. 7.

Lib. 10. cap. 33.

Eadem Divina gratia illustravit Gallicanam Ecclesiam. Etenim de sancto Marcellino, primo Ebredunensium Eoiscopo, scribit in Martyrologio sanctus Ado Archi-Episcopus Viennensis: *Sanctus Marcellinus Divino jussu cum sanctis Sociis Vincentio & Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium maritimarum, Verbo & Signis admirandis, quibus usque hodie refulget, ad Fidem Christi convertit; ita ut Baptisterium, quod ipse apud præfatam Urbem condidit in Sacrosanctis Paschalis Festi Vigiliis, Divina virtute, singulis annis, aquis subitis inundetur, & per septem ejusdem Solemnitatis dies, gratiâ exuberante permaneat.* Utique ad probandam & firmandam magni Imperatoris Constantini Legem, quæ Christianum Pascha jusserat per totas septem dies solemniter celebrari. Etenim sanctus Marcellinus vixit sub Imperio Constantii. Eadem verba in suo Martyrologio habet Usuardus. Videatur & sanctus

20. Apr.

Cap. 69

sanctus Gregorius Turonensis in Opere de gloria sanctorum Confessorum. Hæc gratia cœpit statim ab istius Baptisterii exordio. Quod ipsum evenisse videtur & in aliis jam laudatis locis. Eorum enim Baptisteria erant in altissimis rupibus, quibus nullus aderat fons, nulla aqua, nullus canalis. Divina Clementia istic faciebat quotannis, quod aliis in locis fecit semel. Etenim variis hinc inde è rupibus aut siccissimis arenis eduxit subitas aquas, ut hic vel iste baptizaretur. Quousque duraverit ista Gratia, non possim certò demonstrare. Quandocumque cessavit, existimo cessasse ob nostra istis Miraculis indigna peccata. Nam & ob ista cessavit miraculosa ac Divina Paschalis luminis accensio in Ecclesia Hierosolymitana. Hanc exposui in Scholiis ad Acta sancti Leonis noni.

Ista Baptismalium aquarum gratia viguit etiam in Orientali Ecclesia. In Provincia Lyciæ. Ita testatur in Spirituali Prato sanctus Sophronius
Cap. 214 215. Patriarcha Hierosolymitanus: *Soruba vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Cæanensium civitas. In eo Baptisterium est, quod in sanctis Epiphaniis sudat. Qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post Baptisma peractum decrescere incipit. Et tribus aliis horis sensim deficit. Est & in Castello Cedebratis, quod sub monte Ænoandron Civitatis situm est, Baptisterium, quod in Paschali sanctæ Resurrectionis festivitate, cum sit lapis unus, ex se ipso continuò impletur. Duratque aqua illa usque ad Pentecosten, moxque transacta Pentecoste evanescit. Utraque verò ista miracula in Provincia Lyciæ fiunt. Si quis autem hæc ita esse non credit, usque ad Lyciam, non est grande iter, pergat, ut rei veritas fidem illi faciat.* Prius Baptisterium implebatur in Epiphania: Quod ista Ecclesia isto etiam die baptizaret. Hunc namque morem, licet Latina Ecclesia constanter improbarit, plures tamen Orientales populi frequentarunt. Posterioris Baptisterii adimpletio perdurabat usque ad Pentecosten. Quod nempe & tunc esset baptizandum. Quarè existimo alia etiam Baptisteria isto item die fuisse adimpleta. Dum nempe aliqui essent baptizandi. Laudatum Spirituale Pratum no-
Cap. 198 bis exhibet & alium sancti Petri Actum ac judicium: *Interrogatus est aliquando sanctus Athanasius, postquam Alexandriæ Episcopus constitutus fuit, an posset quispiam sine Fide baptizari secundum Ritum & prædicationem Christianorum: Aut si credere se simulans, aliquibus aliis occasionibus baptizatus fuisset, quid de illo sentiendum, aut quomodo suscipiat illum Deus? Et respondit dicens: Audivi aliquando à Senioribus nostris, quod beato Petro Episcopo & Martyri, cum facta esset mortalitas, & plerique ad Baptisma, mortis timore, confugerent, apparuerit Angelus humana specie, dicens: Quamdiù hìc mittis Marsupia ista, signata quidem, inania autem prorsùs & vacua, & nihil intùs habentia? Erunt itaque, quantum ex Angeli voce conjicere licet, signum habentes Baptismi, quoniam & beneficium aliquod existimarunt se consequi, si Baptisma susciperent, atque idcircò batpizati sunt.* Istiusmodi vacui Vasis memoriam habemus etiam in Dialogis Magni Gregorii. Illic Diabolus de Judæo, qui se ejus timore signarat Sacrosancta cruce, ad-
Lib. 3. cap. 7. mirans dicit: *Væ, væ, væ, Vas vacuum & signatum.* Porrò grassans tunc pestilentia multos Gentiles compulit ad credendum in Christum Dominum, ad agendam pœnitentiam, ad postulandum Baptisma.

Notanda sunt Sophronii verba: *Credere se simulans, aliquibus aliis occasionibus baptizatus fuerit.* Et hæc: *Quoniam & beneficium aliquod existimarunt se consequi.* Intelligere hæc poteris ex Argumento, quod contra Spirituales nostri Baptismi effectus fecit Apostata ac Imperator Julianus: *Et Leprosi quidem lepram Baptisma non adimit, nec impetigines, aut vitiligines, nec verrucas infestas, nec podagram, nec dyssenteriam, nec aquam intercutem, nec reduviam, non parvum, non magnum corporis vitium; adulteria verò, rapinas & omnia omninò animi peccata eximet.* Est Gentilis Sarcasmus: Et sanctus Alexandriæ Patriarcha Cyrillus Lib. 7.
respondit: *Relictis iis, quæ sunt altioris intelligentiæ, ad illa nunc potiùs me convertam, per quæ temerè fertur adversarius, cavillandi potiùs studiosus, quàm veri itelligens. Non promittit morbos solutum iri Baptisma salutare. Quare si hoc minùs præstet, ne multùm mireris. Nam si Christus annuerit, ad hoc etiam aqua nobis sufficiet, nec impedimento quidquam fore facilè videbimus, si vim ejus ineffabilem, & supra omnem naturam positam reputaverimus. Quod enim Miraculi genus ab eo factum non est? Quod verò suæ Divinitatis non præbuit Argumentum? Nutu enim præpotenti Leprosos purgavit, Hydropicos morbo liberavit, Claudo sola voluntate gradiendi officium restituit, perfecitque ut incitato cursu Cervi instar exiliret. Cæco præcepit oculos aquis Siloe abluere. Quo facto insolitum ei lumen affulsit, densissimæque oculorum tenebræ dissipatæ sunt. Qui ergo res tam eximias nullo labore perfecit, & aquis ipsis suæ potestatis efficacitatem indidit, numquid planè gratiam, quæ per sanctum Baptisma tribuitur, omni morbo corporis potentiorem effecerit? Sed in alios usus ipsam nobis datam contendimus.* Data nobis est ad solos Spirituales in hac vita effectus. Rationes adducere non est hujus loci. Interim quandoque operatur & corporalia beneficia. Etenim in suo Martyrologio scribit sanctus Ado Episcopus Viennensis: *Erat* 14. Oct.
Miles quidam, nomine Privatus, ulceribus plenus, qui doloribus continuis cruciabatur. Hic misit se ad pedes sancti Callixti Pontificis, *rogans ut sanaret eum ab ulceribus & doloribus suis. Quem mox sanctus Pontifex ab ulcerum dolore ac fœditate, simul & ab infidelitate in nomine sanctissimæ Trinitatis baptizatum curavit.* Et in alio ejusdem Operis loco.
Serena Christianissima vidua curam habens sancti Sa- 30. Dec.
bini Episcopi, adduxit ad eum in carcerem nepotem suum Priscianum, qui erat cæcus: Tunc sanctus Sabinus truncos suos super oculos ipsius posuit, & in Fide Christi, oratione facta, eum illuminavit. Quod cum nuntiatum esset Venustiano Præsidi indoluerant enim ei oculi, & præ dolore neque cibum, neque somnum capere poterat, misit Uxorem suam & duos Filios, ut adducerent beatum Sabinum ad domum ejus de carcere. Adducto itaque prostravit se ad ejus pedes Venustianus cum fletu, Uxorque ejus & Filii, agentes Pœnitentiam, & rogantes se baptizari. Mox baptizatus, ut de pelui levatus est, nullum dolorem oculorum sensit. Sanctus Sabinus erat Spoleti Episcopus. Et ad quinti Sæculi primum annum scribit in Ecclesiastica Historia Cardinalis Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius: *Atticus Episcopus*

copus Constantinopolitanus Judæum quendam Paralyticum monens, suadens, atque baptizans, sanum ex Lavacro eduxit. Quod ipsum scribit sanctus Martyr Theophanes. Plurima sunt istiusmodi exempla. Nam & sanctus Paulus Apostolus à cæcitate fuit in Baptismo liberatus ac illuminatus.

Fol. 36.
Fol. 70.

Et hinc frequenter factum est, ut quidam non ex casta ac plena veræ justitiæ ac sempiternæ vitæ dilectione, sed ex carnali corporalis sanitatis cupiditate susceperint Baptisma. Alii utramque voluntatem miscebant, atque ita impingebant in Christianæ perfectionis Regulam: *nesciat sinistra tua, quid faciat tua dextra.* Ita ad extremi tertii-decimi sæculi annum scribit Thomas Walsingamensis: Hoc *anno Rex Tartarorum ab Urbe Hierosolyma expulit Saracenos. Frater hujus Regis Tartarorum ex Filia Regis Armeniæ genuit filium hispidum & pilosum, quem cum Pater cremari juberet, Mater sibi dari Infantem petiit, quem fecit illicò à Presbyteris baptizari. Quo baptizato, cecidit statim tota villositas, & puer apparuit lenis ac pulcher. Quod Miraculum cum Pater vidisset, credidit ipse & domus ejus tota.* Pergit ad octavum sequentis Sæculi annum: *Frater Magni Regis Tartarorum Cassiam, cum esset Paganus, adamavit Filiam Regis Armeniæ Christianam, quam à Patre sibi petiit in Conjugem dari. Rex autem Armeniæ noluit acquiescere, nisi fieret Christianus. At ille prævalens viribus & potentia, ei intulit minas belli. Tandem Rex accepto consilio, quod meliores sint nuptiæ quàm pugnæ, annuit postulatis. Deinde suscitata prole masculini sexus inter eos, inventus est pilosus & hispidus, velut Ursus. Quo Patri oblato, dixit non esse suum, & statim jussit igne cremari. Mater verò contradicens, petiit sibi dari infantem. Quo accepto, jussit eum baptizari. Et statim post trinam immersionem in sacro Fonte cecidit omnis pilositas de infante, & apparuit lenis & pulcherrimus puerorum. Hoc viso, credidit Pater, & domus* ejus *tota.* Eandem historiam refert sanctus Antoninus. Affirmat Cassiam fuisse non fratrem, sed ipsum Imperatorem Tartarorum. Et ab ipso non solum infantem, sed & Matrem, uti adulteram, fuisse damnatam ad mortem. Pia Mulier ob utriusque hominis salutem & formam jussit baptizari filium. Et haud dubiè fuit mota à Spiritu Sancto.

At verò de Turcis & Agarenis scribit in octogesimi-quarti Trullani Canonis, qui dubii Baptismi homines mandat sine scrupulo baptizari, Scholio Theodorus Balsamon: *Ea de re sæpè Synodicè controversia exorta est. Cum enim infantes ex Christianorum regione à Schytis & Agarenis bello capti essent, & empti à Romanis, dubitatum est, an oporteat venumdatos rebaptizari? Dicebant enim nonnulli, quoniam è Christiana regione capti sunt, præsumptio est eos fuisse baptizatos. Eò quod hi nesciant, an in infantia baptizati fuerint, nec ulli inveniantur, qui Baptismum affirment. De iis, qui ex Infidelium regione capiuntur, eos esse baptizandos indistinctè statutum est, nisi testes profiteantur eos post captivitatem fuisse baptizatos. Tempore autem Sanctissimi Patriarchæ Domini Lucæ, Synodicè adfuerunt Agareni: Et cum ab eis postularetur, ut baptizarentur, dixerunt, quod in suis regionibus antea baptizati fuerant. Et interrogati, responderunt, esse consuetudinem, ut omnes Agarenorum infantes ab Orthodoxis Sacerdotibus baptizarentur, non tamen admissi fuerunt. Audierant enim, quod Baptismus, quem Infideles à Christianis petunt, non bona affectione & Orthodoxo proposito petatur, sed propter corporalem medicinam. Persuasum est enim Agarenis fore ut sui Liberi à Dæmone vexentur, & tanquam canes malè oleant nisi Baptismum Christianum assequantur. Quam ob rem non ut omnium animæ sordium Mundatorem, Divinæque lucis ac sanctificationis, præbitorem Baptismum postulant, sed tanquam veneficium & incantationem. Quidam autem eorum dicebant se matres habere Orthodoxas, & se earum cura & studio fuisse baptizatos; sed nec exauditi sunt, quoniam testes non adducebant, qui hoc ipsum pro testimonio dicerent. Immò potiùs condemnati sunt, quod non bonam de se existimationem dabant, quod rectè ad fidem accederent. Et ideò omnes hos etiam sanctificari permissum est.* Eadem verba habes in Jure Græco-Romano inter Decreta Patriarchæ Lucæ. Eadem de re scribit in Scholio ad septimæ Laodicensis & primæ Constantinopolitanæ Synodi Canonem Constantinus Harmenopulus: *Agarenorum Liberi, qui ab Orthodoxis Sacerdotibus baptizantur, non pia intentione illorum, qui ad Baptismum eos adducunt, sed quasi veneficio vel incantatione utentium, si re ipsa ad fidem accesserint, rebaptizantur. Hoc enim ita in Synodo pronuntiatum est, quemadmodum Balsamon tradit.* Per ipsum collecta Canonum Epitome habet hoc in quinta Sectione. Ejusdem rei meminit in generali Historia Otto Frisingensis Episcopus. Ab Armenia Ecclesia missam Eugenio Tertio Legationem, ac ejus Acta & postulata exponit, & adjungit de istorum Legatorum uno: *Retulit etenim præfatus Episcopus, quod in Armeniæ confinio quædam Partes essent, quæ fœtus suos fœtentes generarent, eosque statim ad aquas Armeniorum lavandos transmittunt. Quos cum illi Baptismatis unda tangentes, innatum eis fœtorem propellerent, mox tamen remissi ad Paganismi ritum & spurcitias redibant. Quod utrùm faciendum esset, item Romanam Ecclesiam consuluerunt.* An Romana Ecclesia responderit, ignoro. Si respondit, dolendum est quod Episcopus Otto istud Responsum nobis in suis Libris non conservaverit.

Lib. 7. cap. 32.

Constantinopolitana Patriarchę Lucę Synodus respondit duo. Primò quod Agareni infantes, qui ab Orthodoxis Matribus offeruntur ad Baptismum, licet ex corporalis vitii evadendi spe offerantur, esse validè baptizatos. Eos tamen, de quorum tali oblatione non adducitur sufficiens testimonium, esse baptizandos ad cautelam. Et hoc responsum est rectum. Alterum responsum est, quod istorum infantium, dum per Infideles Parentes offeruntur, Baptisma fit irritum & nullum; eò quod ipsi desit legitima suscipientis intentio. Etenim istiusmodi Offerentes censent Christianum Baptisma esse, non Divinum Institutum, sed Incantationem aut Veneficium. Quod antiqui etiam Gentiles istud ipsum censuerint, est alibi demonstratum. Alterum istius responsi fundamentum fuit, quod Agareni Parentes suis Filiis à Christiano Baptismo, licet nec incantationem nec veneficium, sed Dei Institutum forsan crederent, non quærerent sempiternam salutem,

tem, sed temporalem medicinam. At respondeo hoc Responsum repugnare præsenti Edicto sancti Angeli. Etenim eos Gentiles, qui sub sancto Patriarcha Petro ad evadendam Pestem simularant fidem, atque ita Baptisma acceperant, Angelus edixit esse Maruspia licet vacua, tamen signata. Edixit istud Baptisma esse informe, adeoque validum. Et rectè edixit. Etenim ad Baptismi valorem non est necessaria intentio aut spes æternæ vitæ. Quod longè firmiùs est in Baptismate Parvulorum: Quod enim Offerentium error, aut quævis alia pravitas, non possit ipsum evacuare, sanctus Augustinus demonstrat in Litteris ad Episcopum Bonifacium. Epist. 23.

Quæstio est, an in ista facili Pestiferorum ad Baptismum admissione sanctus Petrus peccaverit? Partem affirmativam fortiter suadet apparitio ac increpatio Angeli. Certè innocens non merebatur Divino Miraculo increpari. Præterea sanctus Epiphanius disertè affirmat sanctum Petrum etiam erga Lapsos fuisse clementiorem. Hos ab ipso nimium faciliter fuisse reparatos, non dumtaxat in Christianam Communionem, sed etiam in Clericalem gradum. Hinc processisse quæstiones & Schismaticas tandem discordias inter ipsum ac Meletium. Respondeo sanctum Epiphanium istìc palam hallucinari. Fuit circumscriptus à nescio quibus Scriptis Meletianorum. Hoc supra est abundè demonstratum. Et quod S. Petrus Lapsos Clericos in gradum non admiserit, & quod Lapsos Laicos compulerit ad debitam Pœnitentiam, nos jam docuerunt ejus sanctissimi ac optimi Canones. Porrò quibusdam dicentibus, *prius baptizetur, deinde doceatur, quid ad bonam vitam, moresque pertineat*, respondet in Libro de Fide & Operibus sanctus Augustinus: *Fit hoc ubi quemquam fortè dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, Sacramentumque percipiat, ut si ex hac vita migraverit, liberatus exeat à Reatu præteritorum omnium peccatorum.* Omninò loquitur ex perpetua Ecclesiarum consuetudine. Ex eadem antiquissimi etiam Canones mandant, ut qualiscumque Catechumenus, si subitò ex morbo obmutescat, statim baptizetur. Eadem ex Regula haud dubiè egit sanctus Petrus. An quid humani præcipitii intervenerit, nescio. Ego non possum tantum Doctorem atque Episcopum judicare. Cap. 6.

Synodus Sancti Achillæ Patriarchæ Alexandrini.

Achillam esse Sanctum testatur Romanum Martyrologium ad septimam diem Novembris: Beatus Achillas Episcopus, *eruditione, Fide, conversatione ac moribus fuit insignis.* Quod ipsum in suo Martyrologio scribunt venerabilis Beda, sanctus Ado Viennensis Episcopus, ac Usuardus. Eundem laudant in Ecclesiastica Historia Eusebius Cæsaræensis, Socrates, ac Hermias Zozomenus. Audiamus Eusebium: *Quo tempore*, sub Episcopatu Sancti Theonæ, *Alexandriæ Achillas unà cum Pierio*, quem in illustrium virorum Catalogo laudat sanctus Hieronymus, *Presbyterio donatus, cœpit hominum fama celebrari. Qui Scholæ sacratæ Christi fidei instituendæ Præfectus, in singulari ac planè rarissimo pietatis munere exequendo fuit nemini secundus, & vitæ ac institutionis Evangelicæ modum atque rationem ingenuè excoluit.* Post sanctum Clementem, Origenem, Magnum Dionysium, aliosque similes Eruditionis Christianæ Gigantes fuit Rector famosissimi Alexandrini Gymnasii. Hinc meritò in prima contra Arianos Oratione sanctus Athanasius, qui ipsum & vidit & novit, *appellat Magnum Achillam.* Audiamus & verba Gelasii Cyziceni: *Post Divini Petri Martyrium vidua remansit Ecclesia illa annum unum: Transacto autem anno ordinatur, in Sede sancti Martyris Petri Achillas, vir gravis & magnanimus, & sanctè prudens, religioneque pariter ac sapientia plurima ornatus, ut nobis antiqui & omni carentes errore Commentarii referunt. Qui multa priùs exhortatione usus, suscepit Arium in Ordinem Diaconorum. Cum autem hic mensibus tantum quinque supervixisset, &c.* At verò antiquum Alexandrinorum Patriarcharum Chronicum ipsum vocat Archelaum, atque adjungit: *Archelaus suffectus est die Sabbathi, Sedemque tenuit sex mensibus tantum. Causa autem ejus mortis fuit, quod Arium susceperat imprudenter, ideoque occidit illum Deus, & obiit die decima nona, die martis.* Eum sanctus Epiphanius affirmat successisse sancto Alexandro, & donat tribus dumtaxat mensibus. Et Theodoretus scribit: *Achillas ad exiguum tempus præfuit.* At vero longè aliter in suo Chronico scribit Eutychius Patriarcha Alexandrinus. *Quinto post Petrum Patriarcham interfectum anno constitutus est Achillas, discipulus ipsius, Patriarcha Alexandrinus. Ubi sex annos sedit, dein mortuus est. Arius autem amicorum suorum ope contra Achillam implorata ipsi simulavit rediisse se ab ista sententia impia istaque infidelitate, quare ipsum & in Ecclesiam admisit Achillas, & Presbyterum constituit.* Per istam impiam Sententiam ac Infidelitatem intelligit ejus blasphemias adversùs Deum Verbum, atque ita affirmat Arium sub sancti Petri Episcopatu fuisse in eas lapsum, ac ob ipsas damnatum. Ejus tamen de Achillæ annis sententiam firmat, imò & auget in Chronico Eusebius. Scribit ad quarti Christiani sæculi annum duodecimum: *Alexandrinæ Ecclesiæ decimus septimus ordinatur Episcopus Achillas.* Et ad ejusdem sæculi annum vigesimum secundum: *Alexandriæ decimus octavus Episcopus ordinatur Alexander.* Sanctus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Chronico, quod Anastasius Bibliothecarius Latinum fecit, Achillæ non tribuit nisi unum Episcopatus annum. Et de Eusebii Chronico scribit ex Domino Cardinali Cæsare Baronio Henricus Spondanus: *Quot annis Achillas sederit, non est levis controversia. Eusebius sua Historia prosecutus seriem Episcoporum Alexandrinorum, eam usque ad Martyrium Petri produxit. Chronicon autem ejus in his ultimis temporibus constat in multis esse depravatum. Et quod habet de Sede Achillæ, monstruosas parit absurditates, dum ponitur sedisse anno Christi trecentesimo decimo octavo usque ad trecentesimum tertium.* Ita habet antiqua Eusebiani Chronici editio. At vero hodierna, per Josephum Scaligerum curata, Episcopatum illius ponit ab anno duodecimo usque ad vigesimum secundum. Dominus Cardinalis Baronius ipsum ponit ad annum undecimum. Eruditus Onuphrius Panvinius ipsum ponit

Marginal notes: Lib. 7. cap. 26. — Lib. 2. cap. 1. — Hæres. 69. c. 11. — Tom. 1. fol. 407.

ponit ad annum duodecimum & extendit ad decimum octavum. Consentit Eutychio Alexandrino, & censet inde non sequi monstrosas absurditates. Dionysius Petavius in eruditis, ad sanctum Epiphanium verbis probat sententiam Nicephori. Proinde hæc quæstio est interminabilis, ideoque prætermittenda.

Proinde sancti Achillæ Synodus est illa, in qua Arium Diaconum, à suo sanctissimo antecessore Petro damnatum, & ab omni reparationis spe proscriptum, contra ejusdem gloriosi Martyris extremum ac Propheticum mandatum, solvit ab isto vinculo, & non solummodo in Diaconatum reposuit, sed etiam evexit in Presbyterum, ac præfecit Baucalensi Ecclesiæ. Hæc res omninò fuit facta per Synodum. Etenim Synodaliter, & quidem tanto rigore, damnatus Arius non nisi per Synodum reparari potuit: Longè minùs potuit evehi ad altiora. Eandem rem describit Hermias Zozomenus: *Ubi Petrus Martyrio occubuerat, Arius, venia ab Achilla petita, non solum permissus est Diaconatu fungi, verùm etiam ad Presbyterii gradum est elatus.* Quod ex Episcopatus ambitu & spe homo vafer ac superbus dolosa ac ficta humilitate veniam postularit, est demonstratum in superioribus. Porrò rationem ex qua Achillas gratiam fecit, insinuat in prima contra Arianos Oratione sanctus Athanasius: *Meletiani sunt immemores, quomodo sese primùm adversùs beatum Martyrem Petrum, ac deinde contra Magnum Achillam, postremò contra Beatum Alexandrum gesserint.* Et in secunda Apologia scribit: *Meletius jam tum in Episcopos convitia dicere incæpit, & primò Petrum, deinde ejus successorem Achillam calumniatus, & post Achillam Alexandrum. Idque magna cum calliditate, exemplum ab Absalone mutuatus, ut pudorem depositionis suæ calumniis innocentium ulcisceretur.* Et Alexandrina totius Ægyptiacæ Diæceseos pro sancto Athanasio Synodus scripsit ad omnem sub cœlo Ecclesiam: *Meletiani Beato Petro insidias posuerunt, & Achillam ejus successorem calumniati sunt, & Alexandrum usque ad Cæsaris Tribunal sunt calumniis persecuti.* Suo loco adduxi plura hujusmodi testimonia. Sanctus ergò Achillas Meletium & Arium, dolosissimas ac perniciosissimas vulpes separandos duxit, atque humiliatum Arium recepit, & novo Beneficio obligavit. Ab ipso desertum Meletium speravit facilè superandum. Et certum est imprudenter fecisse. Etenim à Spiritu Sancto dictatam sancto Petro Sententiam infregit, & secutus est pravam Regulam, de qua in Præscriptionum Libro Tertullianus: *Apostatas nostros conlocant, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt.* Certè Achillas Arium veritate potuerat compescere: Admittere inter solos Laicos. An ob istud peccatum fuerit à Deo percussus; ignoro. Percuti interim potuit, & inter Sanctos collocari. Divina enim percussio quandoque mundat & salvat. Hæc nos docent Exempla varia.

Lib. 1. cap. 14. — Cap. 41.

Sancti Alexandri Patriarchæ ac Arii Presbyteri Disputatio.

EXstinctas Diocletiani & succedentium Tyrannorum persecutiones, plenam Ecclesiæ pacem, & grandes ejus fructus laudat in Magni Constantini vita Eusebius Cæsaræensis, atque prosequitur: *Invidia nostris bonis insidias struens callidè irrepsit, inque media Episcoporum frequentia primùm tripudiare cœpit: eosque ob Divinorum Decretorum discutiendorum causam in seditionis dejecit certamen: Deinde quasi ab exigua scintilla ingens incendium excitavit.* Hæc Scintilla fuit Disputatio, de qua Socrates: *Alexander*, Alexandriæ post Achillam Patriarcha, *securo & tranquillo animo vitam degens, Ecclesiam in unum convocat. Et quodam tempore præsentibus Presbyteris, qui sub ipso erant, reliquoque Clero, curiosiùs aliquantò disserit, & subtiliùs de sancta Trinitate. Et Unitatem in Trinitate esse Divinitùs philosophatur. Arius autem unus ex Presbyterorum numero, qui erant sub Alexandro in eo gradu locati, vir Dialecticarum arguitarum minimè ignarus, quoniam Episcopum suspicabatur errorem Sabellii Afri voluisse de integro in Ecclesiam introducere, contentionis studio incensus, ad opinionem, quæ Afri opinioni penitùs erat contraria, deflectit: Accerbè & asperè, ut videbatur, Episcopi Dictis occurrit; affirmatque, Si Pater genuit Filium, eum, qui genitus erat, suæ essentiæ habuisse principium: Ac inde perspicuum esse, tempus fuisse quando non erat Filius: Et necessariò sequi, eum ex nihilo habuisse essentiam. Cum ista nova quadam & inaudita oratione conclusisset, complures ad quærendum de eisdem incitavit. Et ex per-exigua scintilla est ingens flamma incensa.* Rei seriem Magnus Imperator Constantinus illustrat apud Socratem in Litteris ad sanctum Alexandrum atque Arium: *Inde præsentis controversiæ fundamentum jactum intelligo, quod tu Alexander à Presbyteris de quodam loco in Sacris Litteris scripto quærebas, immò verò de inani quadam Quæstionis particula sciscitabaris, quid quisque illorum sentiret: Tuquè, Ari, istud, quod neque initio complecti animo, aut cum fuisses complexus, silentio præteriisse debebas, inconsideratè effutivisti. Unde discordia inter vos concitata, tùm Conventus, qui in Ecclesia fieri solet, impeditus, tùm populus Sanctissimus variè in utramque partem distractus est.* Et hinc in adducto loco Cæsaræensis Eusebius affirmat, non solum Arium, sed etiam Alexandrum fuisse hujus turbæ auctorem. Quod nempè Alexander hanc curiosam, ac non necessariam Disputationem inchoasset. Et istud ipsum hic asserere videtur Magnus Constantinus.

At verò rem alio longè modo refert Hermias Zozomenus: *Alexander* Episcopus Arium *permagni æstimare cœpit. Iste subtilitate disserendi cum-primis excellens, dicebatur enim istiusmodi artibus esse imbutus, ad opiniones tam absurdas dilapsus est, utì quod nunquam ante à quoquam dictum fuerat, non vereretur in Ecclesia palàm efferre. Nimirum, Filium Dei ex nihilo ortum esse, Tempus fuisse quando non erat, Suo libero arbitrio vitii & virtutis capacem esse, Conditum esse, Factum.*

Lib. 2. cap. 60. — Lib. 1. cap. 3. — Lib. 1. cap. 4. — Cap. 62. — Lib. 1. cap. 14.

ctum esse: Et alia multa, quæ eum, qui quò his sententiis Patrocinetur, ad disputandum, & ad quærendum de singulis accedat, dicere verosimile est. Nonnulli autem occasione ex his verbis arrepta, accusabant Alexandrum, quod has novas adversùs Christianam Religionem opiniones, contrà quàm debuerat, pertulisset. At ille, ratus multò satiùs esse, ut rationes de rebus ambiguis ab utraque parte proponerentur, quò videretur Adversarios non necessitate coegisse, sed persuadendo ad desistendum à contentione induxisse: Ipse cum quibusdam ex Clero sedens ut Judex utramque partem in certamen adducit: Et uti in disceptationibus litigiosis usu-venire solet, utraque vincere conatur. Nam Arius opiniones, quas protulerat, acriter defendere laborat: Alii autem, Filium consubstantialem esse Patri & coæternum asserunt. Convocato rursùs Concilio, tanta cum contentione disceptatum est, ut nullo modo consentire inter ipsos possent. Itaque cum adhuc quæstio anceps & controversa videretur, ita primò quidem Alexander animo affectus erat, ut modò hos, modò illos laudaret. Ad extremum tamen, his, qui Filium Consubstantialem Patri & coæternum asseverabant, assensus est. Et Ario jussit, ut contrariis rationibus rejectis, eandem cum co Sententiam sequeretur. Verùm cum ei persuadere non posset, & complures tum Episcopi tum Clerici ejus Diœceseos Arium verè dicere censerent, illi, cum cæteris Clericis ejusdem opinionis Fautoribus, interdixit Ecclesia. Affirmat plura. Primò, quod non Alexander, sed Arius has quæstiones cœperit. Secundò, quod Arius ipsas in solemni ad populum sermone cœperit. Quod istic palam & impudoratè cœperit blasphemare. Tertiò, quod Alexander, Arium diligens, nimiùm dissimularit, atque ita apud zelosum populum fecit se suspectum. Quartò, quod tandem Partes citarit atque audiverit coram suo majori Clero: in suo Patriarchali Consistorio. Quintò, quod Partes conciliare, atque errorem comprimere sperans, bis convocarit suum Consistorium. Sextò, quod Arium tandem improbarit, ac ipsum cum suis blasphemiis atque Congerronibus damnarit.

Quod ipsum lucidè in Panario scribit sanctus Epiphanius. Affirmat Arium Baucalensis Ecclesiæ Presbyterum palam blasphemasse ad suam plebem, & ista Alexandrum usque ad Meletii defectionem ignorasse. Quod postremum an verum sit, est suprà discussum. Palam consonat in Ecclesiastica Historia etiam Theodoretus: Lib. 1. cap. 2. Post Achillam *Alexander* in Alexandrinam Cathedram *Successit, doctrinæ Evangelicæ Propugnator accerrimus. Per idem tempus Arius, qui in numerum Presbyterorum adscriptus erat, cuique Sacrarum Literarum interpretatio concredita, cum videret Alexandrum ad Episcopatus gubernacula designatum, invidiæ flammam, qua incendebatur, minimè reprimere, sed ea vehementius inflammatus, materiam contentionis & discordiæ indies aucupari laboravit: ac tametsi in præstabilem eximiamque Alexandri vivendi rationem, aciem acriter intendendo, nihil ad falsam criminationem contrà eum configendam potuit omninò reperire; tamen æstus invidiæ eum quiescere non sivit. Istum igitur, cum hostis veritatis Diabolus nactus esset, ejus conatibus Ecclesiam procellis miscere, exagitareque instituit. Nam persuasit illi, ut Apostolicæ Alexandri doctrinæ apertè resisteret. Itaque ut Alexander Sacrarum Literarum disciplinæ obsecutus, Filium Patri honore parem, eandemque habere cum Genitore substantiam docuit: Sic Arius palam contrà veritatem pugnans, eum creatum & factum affirmavit. Quin etiam adjecit, tempus aliquando fuisse, cum non erat: Et alia nonnulla, quæ ex ejus libris multò apertius possunt intelligi. Atque ista non in Ecclesia solùm, verùm etiam extrà in circulis & congressibus hominum disserere cæpit.* Dicit quod Arius novelli Episcopi Alexandri Orthodoxas ad Populum conciones invaserit ex invidia ob sibi non delatum Episcopatum, atque ita adversùs ipsum ac Dei Verbum cœperit in Ecclesia sua debacchari. Quod ipsum in Nicænorum Patrum Encomio tradit Georgius Presbyter Cæsaræensis in Cappadocia Ecclesiæ. Proinde habita inter Alexandrum ac Arium Disputatio fuit binum jam laudatum ex Hermia Zozomeno sancti Alexandri Consistorium. Et Cæsaræensis Eusebius, utpote manifestus Arii fautor adversùs Alexandrum, nullo jure est audiendus. Et Magnus Constantinus videtur ista ex Eusebii Nicomediensis Episcopi pravo suggestu scripsisse. Epistola sanè palam asserit se scriptam Nicomediæ. Insuper asserit hanc Quæstionem esse superfluam, vanam, inutilem, ad immobile Dogma non pertinere, ideoque ipsi ab utraque Parte renuntiandum. Et non solùm Ario, ut cum suo Patriarcha ac Damnatore, sed etiam sancto Alexandro mandat, ut cum damnato Ario redeat in gratiam. Quæ omnia sunt manifestè Commenta ipsius Eusebii. Notanda sunt & hæc Socratis Verba: *Imperatoris litteræ neque Alexandri, neque Arii animum mitigare ac mollire poterant.* Lib. 1. cap. 5. Sunt absona. Etenim in quo Alexandri animus erat adversùs pertinacem Hæresiarcham mitigandus ac molliendus? Socrates videtur suorum hic Scriptorum quædam ex nescio quibus Arii fautoribus hausisse, atque ita miscuisse falsa veris. Nam & ipse sanctus Alexander ad sanctum Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum scripsit: *Nos ad ea, quæ & vita eorum, & nefarius conatus postulat, seriùs, quia latebant, incumbentes, &c.* Palam affirmat prima Arianæ prædicationis exordia sibi fuisse ignota, ideoque non esse nata in familiari Collatione aut Disputatione. Hæc Collatio videtur esse figmentum, quo Arii fautores studuerunt horum motuum exordia transcribere in Alexandrum.

Et hæc omnia confirmat in Ecclesiastica Historia Anastasius Bibliothecarius: *Sexto decimo anno Imperii Constantini, Arius, ab insania cognominatus, apud Alexandriam Hæresim suam in Ecclesia manifestavit, & Schisma operatus est, cooperante sibi maligno adversario, qui non fert videre pacem Ecclesiæ. Factus est autem & terræmotus Alexandriæ gravissimus, ita ut caderent domus multæ, ac Populus plurimus interiret.* Ad eundem annum scribit sanctus Martyr Theophanes: *Hoc anno Arius, ab insania nomen adeptus, in publico Ecclesiæ Conventu excogitatam à se Hæresim prædicavit, & opitulante maligno Spiritu, perpetuo Ecclesiasticæ pacis Adversario, Schismatis auctorem se præbuit. Horrendus autem terræmotus Alexandriæ contigit, quo pleraque diruta ædificia, & innumera Populi multitudo periit.* Disertè affirmant Ariana exordia non in privata Colla-

Collatione, sed in solemni ad Populum Concione contigisse. Nicæna Synodus facta Constantini anno vigesimo; atque ita quarto ante ipsam anno cœpit Arius blasphemare. Erat quarti Christiani sæculi Annus vigesimus primus. Hinc Portentum, quod biennio ante has Blasphemias vidit sanctus Antonius, factum fuit nono decimo Anno istius sæculi. Ad primam Arii blasphemam Prædicationem prænuntiavit ab istis blasphemiis movendam & turbandam esse omnem Ecclesiam. Ipsa Elementa testata sunt ipsam sibi displicere. Et sunt detestata.

Prima Sancti Alexandri Synodus.

HAnc Synodum laudat in Panario sanctus Epiphanius. Arii Blasphemias adfirmat à Meletio fuisse delatas ad sanctum Alexandrum, & prosequitur: *Deprehenso igitur Ario, Alexander indicto Episcoporum Concilio de fide diligenter inquisivit, & ab Ario pravæ ac perniciosæ illius, quam animo conceperat, opinionis rationem exegit. Hic Arius nihil tergiversari aut dissimulare, sed perfricta fronte, uti se res habebat, respondit. Quam ob rem Alexander eum ex Ecclesia deturbavit. Et cum eo ingens virginum & cæterorum Clericorum, quos ille depravarat, vis ejicitur.* Et in sequenti ejusdem Operis Libro: *Meletius rem omnem ad Alexandri Archi-Episcopi aures detulit Qui cum Arii facinora omnia significasset, nimirùm & à veritate illum aberrare, & sua persuasione plerosque à recta fide depravatos & inquinatos in exitium trahere, Alexander Arium ad se vocans, ecquid ita sese res haberet, interrogat. Tum ille nihil tergiversatus aut cunctatus, statim frontem perfricans, omnem suam pravam opinionem evomuit, ut ex ipsius Epistolis, & Actis illius Inquisitionis constat. Quam ob rem Alexander habito Presbyterorum, ac quorundam Episcoporum, qui ad-erant, Conventu, de eo quæstionem habet, ac diligenter examinat. Tum veritati cedere detrectantem ejicit ex Ecclesia, ac tota Civitate proscribit. Cum quo & Virgines illæ, & Clerici, cum multitudine haud exigua sunt ab Ecclesia distracti.* Et iterum: *Arius sub Alexandro Petri Successore floruit, à quo non sine magna commotione, ingentique coacta Synodo profligatus est. Alexander enim illum ejecit, atque ex Ecclesia & Urbe, velut ingens quoddam malum, quod ad humani generis perniciem grassabatur, exterminavit.* Primæ, quam in Arium sanctus Alexander fecit, Inquisitionis Acta adhuc exstabant tempore sancti Epiphanii. Grandi Ecclesiasticæ Eruditionis damno perierunt illa, aut latent. Epiphanius duo hìc laudat. Nempè Binum, supra etiam ab Hermia Zozomeno laudatum, sancti Alexandri Consistorium, & ejus Synodum. Laudat enim ingentem & magnæ commotionis Synodum, quæ Arium cum Asseclis damnavit, atque in exilium proscripsit; Et Presbyterorum & quorundam præsentium Episcoporum Conventum, qui Arium dumtaxat discussit, & confecit Acta suæ Inquisitionis. Ex quo discimus duo. Primò, quod ex proprio Presbyterio ac ex Advenis Episcopis Conventum agere, sit omnibus Patriarchis antiquissimum. Secundò, quod istiusmodi Congregationem Epiphanius appellet non Synodum, sed dumtaxat Conventum. Et in ipso

Hæref. 68. c. 4.

Hæref. 69. c. 3.

Cap. 1.

Alexander Arium, licet convictum & confessum, non damnavit, distulit in plenam Synodum. Et hinc quidam censent istis Conventibus olim non fuisse Synodalem auctoritatem. Est non modica Quæstio. Discutietur in Actis Synodi Chalcedonensis.

Gelasius Cyzicenus scribit varia. Primò adducit insigne sancti Alexandri Elogium: *Alexander vir fuit in summo honore ab omni Ecclesiæ Clero & Populo habitus. Magnificus, liberalis, facundus, æquus, Dei amator, amans hominum, pauperum studiosus, bonus & mansuetus ergà omnes, si quis alius.* Secundo edicit Alexandri affectum & beneficentiam in Arium: Alexander *Arium proximum sibi Presbyterum constituit.* Hoc est, Archi-Presbyterum Alexandrinæ Ecclesiæ. Sancti Achillæ de Ario judicium non dumtaxat firmavit, sed & amplè auxit. Arius Episcopatum ambierat: Et videtur habuisse Suffragatores, hinc illum benevolentia obstricturus, atque ita redditurus stabilem in officio, evexit in Archi-Presbyterum. Gelasius addit ex inde Ecclesiam insigniter floruisse. Et tertiò pergit: *Presbyter ille, quem dicebamus tali honore dignum fuisse existimatum ab Alexandro, nomine Arius, vir specie quidem magìs pius, cæterà verò vanitatis & gloriæ callidus amator; cœpit circa fidem in Christum peregrina quædam proferre, quæ prioribus temporibus nemo quæsierat umquam, aut introduxerat: Conatus Unigenitum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM à Patris ineffabili & æterna Divinitate separare: Magnæ in Ecclesia perturbationis auctor fuit. Verùm dum Alexander ingenita suæ naturæ benignitate Arium in meliùs mutare vellet decentibus admonitionibus, necdum statueret Sententia uti; intereà contigit ob hoc, ut pestilenti Hæresis calamitate multi absumerentur, & tanquam ex parva scintilla magnus ignis accenderetur; malum incipiens ab Alexandrinorum Ecclesia, plures alias Civitates atque Provincias percurrebat. Postremò cum videret Alexander malum in pejus progredi, Synodum subjectorum sibi Episcoporum convocans, & Arium Sacerdotio dejiciens, suis Collegis rationem reddit; & quæ contra Arium fusiùs exponens, studiumque exstirpandæ Hæreseos iis injiciens, ut ad Judicium præpararentur, ipsos adhortatur, in hunc modum ad eos scribens.* Per Synodalem Epistolam.

Lib. 2. cap. 1.

Cap. 2.

Gelasius affirmat varia. Primò, quod solus Arius fuit auctor hujus Tragediæ, Episcopatus ambitu tumida ejus mens per Alexandri beneficia evasit pejor. Quia hujus Episcopatum per prætexta Personæ aut Elationis vitia non potuit, arietandum duxit per nova adversùs Divinam Majestatem Dogmata. Et certè non solus Achillas, sed & Alexander per memorata in Arium beneficia omninò deliquit. Uterque mandatum, quod Divinitùs acceptum sanctus Petrus utrique per Prophetiæ Charisma insinuarat, est infelicissimè prævaricatus. Gelasius secundò dicit, quod palam insanientem Arium sanctus Alexander studuerit omni modo & conatu pacare & reducere. Nempè per binum Consistorium. Tertiò, quod etiam per has Paternas instructiones ac admonitiones Arius assiduè in pejus profecerit. Etenim non solummodò Alexandriæ, sed etiam per alias Ægyptiacæ Diæceseos Civitates ac Provincias multis & Clericis & Laicis affricuit suam scabiem. Et his motus

motus ac tandem compulsus Alexander indixit totius sui Patriarchatus Synodum, atque Hæresiarcham cum suis Blasphemiis & Asseclis damnavit Anathemate. Audiamus ipsius Alexandri verba in Synodalibus ad omnes sub cœlo Orthodoxos Episcopos Litteris: *Ario igitur, & ejus fautoribus, qui ista asserunt, & de eisdem tam impudenti ore loquuntur, unà cum illis, qui ejus opinioni assentiuntur, nos cum aliis ferè centum Ægypti ac Lybiæ Episcopis in unum convenientes, Anathema denunciavimus.* Et infrà: *Quapropter illis Ecclesia interdictum est, atque adeò Anathema denunciatum.* Et rursum: *Non sine causa ejus generis hominibus Anathema denunciavimus, eosque ab Ecclesia Catholica & Fide palam alienos declaravimus.* Et in Litteris ad sanctum Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum: *Nos igitur ad ea, quæ & vita eorum, & nefarius conatus postulat, seriùs, quia latebant, incumbentes, communibus illos suffragiis ab Ecclesia, quæ Christi Divinitatem adorat, ejecimus.* Notanda sunt verba: *Ab Ecclesia Catholica: quæ Christi Divinitatem adorat.* Haudquaquam est superflua Parenthesis. Affirmat Arii Dogma non solis Sacris Literis, sed insuper perpetuæ omnium Ecclesiarum Traditioni ac Disciplinæ adversari, ideoque esse meritò anathematizatum. Est tale pro adoranda & Consubstantiali Dei Verbi Divinitate testimonium, quale pro eadem Spiritus Sancti Divinitate Synodus Constantinopolitana indidit suo Symbolo: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.*

His omnibus consonat in Nicænorum Patrum Encomio Gregorius Cæsaræensis in Cappadocia Ecclesiæ Presbyter: *Videns Divinus Alexander malum hoc instar morbi Sacri depascere, siquidem vicinas Ægyptum, Thebaidemque, & Lybiam invaserat, veritus ne universum corriperet fidelium corpus, post multas coràm monitiones efferato paternè adhibitas, post varias ex Divinis Scripturis probationes, quibus vetus pariter ac novum Testamentum abundat, sciens impium erroris calligine adhuc implicatum, ad Dominum JESUM CHRISTUM, quem ille afficiebat contumelia, confugit, quò is Christianæ rei adversùs impiam molitionem auxilio esset. Jejunio, vigiliis ac lachrymis eum invocat adjutorem, qui inspector est veritatis. Verùm cum impius magis efferaretur & effervesceret, evocat Alexander plures futuros periculi socios, dirigitque Litteras ad Episcopos per ea constitutos loca, ac prodigiosos cordis Arii fœtus adversùs Orthodoxam Fidem denunciat. Quam ob rem præmunit quidem eorum aures, ut ne qui ab hiatu sensus Arii sinistrè arriperentur; incitat verò, ut communi consilio, citra moram de his Optimum Dominum certiorem facerent.* Hæc fecit in Synodo. Damnavit Arium, adversùs ejus blasphemias firmavit omnes suos Episcopos, & ipsos rogavit, ut omnes unanimiter & conformiter omnia referrent ad Optimum Dominum, ad Magnum Constantinum. Et Nicænæ Synodi, quæ ex Christianissimi Regis Codice vulgavit Franciscus Combesis Acta habent: *Postquam Alexander, quà monendo, quà obsecrando spem omnem emendationis Arii despondisset, depositionis gladio eum ab Ecclesia exscindit. Eusebius autem, qui contempto Beryto, Nicomediensium Ecclesiæ oculos adjecerat, animo elatus, postquam non dedisset suæ rapinæ pœnas, Arii ac Sociorum hæresis patrocinium suscepit. In quorum numero erant olim Episcopi, Secundus & Theonas: Inter Diaconos autem & Presbyteros, cùm Arius principium hæresis, tum Achillas, & alter Arius, quidamque alii ejusdem honoris & collegii, novem numero, quos etiam Synodus centum circiter Episcoporum, qui ex Ægypto & Lybia, convenerant, Anathemati subjectos proscripsit.* Alexander tunc vidit sancti Petri Patriarchæ Prophetiam fuisse verum Charisma: Hinc ejus Anathema reduxit in Arium. Eum & Communione exuit, & omni Gradu, citrà spem reparationis.

Novem, quos unà cum Hæresiarcha Ario damnavit sanctus Alexander hac in Synodo, nominatim exprimit Theodoretus: *Sunt autem Hæretici Anathemate damnati, ex Presbyteris Arius, ex Diaconis Achillas, Euzojus, Æthales, Lucius, Sarmatas, Julius, Menas, Arius alter, & Helladius.* De hiscè plura dixi superiùs. Sanctus Epiphanius affirmat Sarmatam fuisse Presbyterum & ipsi adjungit Presbyterum Carponam. Et rectè. Hæres. 69. c. 2.
Etenim Epistolæ, quam ad sanctum Alexandrum scripserunt omnes anathematizati, subscribunt hi sequentes: *Arius, Æthales, Achillas, Carponas, Sarmatas, Arius; Presbyteri. Diaconi: Euzojus, Lucius, Julius, Menas, Helladius, Gajus. Episcopi: Secundus Pentapolis, Theonas Africanus, Pistus, qui Alexandriæ ab Arianis collocatus est.* Sunt numero plures, ac diversi ordine. Et adduntur duo Episcopi. Et Hæreticum Spectrum Patriarchæ Alexandrini. Hæc Epistola exstat apud laudatum Epiphanium, estque irrefragabilis. Cap. 8.
Eandem Epistolam suo de Ariminensi ac Seleuciensi Synodis Libro inseruit sanctus Athanasius. Verùm de-est subscriptio, grandi Eruditionis damno. Interim inter sancti Hilarii Pictaviensis Episcopi Fragmenta habemus Epistolam sancti Liberii Pontificis ad Imperatorem Constantium; in qua habemus testimonium dignum aureis Litteris: *Manent Literæ Alexandri Episcopi olim ad Sylvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significavit, ante ordinationem Athanasii undecim, tam Presbyteros quàm etiam Diaconos, quod Arii hæresim sequerentur, se Ecclesia ejecisse.* Ex Alexandrino Clero dicit fuisse undecim præter Arium. Et tot habet exstans apud sanctum Epiphanium subscriptio. Et totidem & eosdem numerat Encyclica, ad omnes sub cœlo Episcopos ex hac præsenti sancti Alexandri Synodo, missa Epistola: *Qui autem defecerunt ab Ecclesia, sunt Arius, Achillas, Æthales, Carponas, Arius alter, Sarmatas, Euzojus, Lucius, Julianus, Menas, Helladius, Gajus, Secundus item ac Theonas, qui dicti sunt olim Episcopi.* Palam affirmat etiam Secundum ac Theonam fuisse damnatos ab hac Synodo. At omittit Pistum. Damnati sunt & plurimi utriusque sexus, ac variarum Civitatum atque Provinciarum Laici. Etenim in sola Alexandrina Metropoli Arius seduxerat septingentas Sacras Virgines. Verùm sunt conglobatim damnati. Nemo fuit nominatim expressus.

Aureis Litteris in laudata sancti Liberii Epistola scribendus articulus est, quod Arii & Congerronum damnationem, & reliqua hujus Synodi Acta sanctus Alexander retulerit ad sanctum Sylvestrum Pontificem ac Romanam Ecclesiam.

Ex

Ex his lucet, quod ista Patriarchatuum in Romanæ Ecclesiæ supremum Primatum Reverentia sit antiquissima, adeoque Institutum Apostolicum. Et hinc de Provincialium Synodorum, & criminalium istic de Episcopis & Clericis Judiciorum auctoritate rectè scripsit ad sanctum Victricium Rhotomagensem Episcopum, secundæ Lugdunensis Metropolitam, sanctus Papa Innocentius: *Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata Consuetudo exigit, post Judicium Episcopale, referantur.* Hincmarus Remensis per Synodum intelligit Sardicensem. Hæc enim statuit Episcoporum, à Provincialibus Synodis factas damnationes, esse Romam referendas. At certum est ab Innocentio intelligi Nicænam Synodum. De hac enim statim antea dixerat in eodem Capite: *Secundùm Synodum Nicænam.* Et hinc Quæstio est, quo in Canone hæc Synodus firmavit Romanas Relationes? Respondeo per hæc sexti Canonis verba: *Suis Privilegia serventur Ecclesiis.* Etenim omnia sancti Alexandri in Arium & Congerrones Acta fuerunt Nicææ discussa, probata, & firmata; Adeoque & ista Relatio. Et hæc omninò est unum è Romanæ Ecclesiæ Privilegiis, per beatam Consuetudinem Apostolicam. Isthæc Relatio, quam periisse aut latere non possumus non dolere graviter, posset nos multa docere.

Epist. 2. cap. 3.

Hoc suæ Synodi Judicium sanctus Alexander etiam denunciavit omnibus sub cœlo Orthodoxis Episcopis atque Ecclesiis. Synodalis Epistola exstat apud Socratem. Et edicit hujus Denunciationis causam: *Vestram Pietatem fecimus certiorem, Charissimi & honoratissimi Fratres, qui estis nobiscum in Ecclesiæ Ministerio conjuncti, ut si fortè quidam ex illis temeritate impulsi ad vos venire non vereantur, ne eos admittatis; nevè Eusebio vel alteri cuiquam, qui eorum causa ad vos scribat, omninò attendatis. Nam par est, ut nos, qui sumus Christiani, omnes qui contra Christum loquuntur, & ab eo sunt alienato animo, tanquam Dei hostes & corruptores animorum devitemus, neque id genus hominibus, sicut præcepit beatus Joannes, vel Ave dicamus, ne quando illorum peccatis communicemus.* Illustrat hæc sanctus Epiphanius: *Arius divortium ac dissidium ubique faciens, & in uniuscujusque animos callidè sese insinuans, multos perdidit. Sed ubi deprehensus, & in Urbe convictus, atque omnium preconio traductus est, Alexandria fugiens in Palestinam abiit. Ibi singulos Episcopos adire ac prensare, adularique cæpit, quò plures sibi suffragatores adjungeret. Et ex his quidam illum receperunt, alii verò repulerunt. Quæ mox ut ad aures Alexandri Episcopi perlata sunt, Encyclicas ad singulos Episcopos Litteras dedit, quæ hodieque Studiosorum in manibus versantur, numero ferè septuaginta. Scripsit inter alios ad Eusebium Cæsareæ Episcopum, qui adhuc super-erat: Et ad Macarium Hierosolymorum, Asclepium Gazæ, Longinum Ascalonis, Macrinum Jamniæ Episcopum, & alios. Item in Phœniciam ad Zenonem quendam antiquum, Tyri Episcopum, & alios. Scripsit & in Selesyriam. Missis his Epistolis, quibus eos incusabat, qui Arium receperant, rescripsere ad Alexandrum singuli; quidam dissimulanter & callidè, alii ex animo & sincerè. Ac nonnulli exceptum à se hominem negabant; alii admissum per ignorantiam. Erant & qui eo consilio se recepisse faterentur, ut eum lucri-facerent. In summa, varia Litterarum Argumenta fuerunt.* Proh dolor, quantus Ecclesiasticæ Eruditionis ac Antiquitatis Thesaurus periit aut latet! Septuaginta Epistolæ S. Alexandri, & totidem, aut forsan plura, variorum Episcoporum ad ipsas Responsa. Et Synodalis ad S. Sylvestrum Relatio videtur in ipsis non fuisse comprehensa. Ex eis non habemus nisi unicam Encyclicam ad omnes sub cœlo Episcopos. Nam & ad S. Alexandrum Constantinopolitanum Antistitem Epistola videtur esse posterior istis omnibus, adeoque & distincta. Hanc nobis in sua Ecclesiastica Historia custodivit Theodoretus. Etiam omnia ad istas Litteras Rescripta latent, aut perierunt.

Lib. 1. cap. 3.

Hæref. 69. c. 4.

Quæstio est, an ista sancti Alexandri ad omnes sub cœlo Episcopos atque Ecclesias Epistola missa non fuerit, nisi post fugam Arii? Sanctus Epiphanius videtur adfirmare. Et favet ex Urbani Quinti jussu celebrata, ac per Stephanum Balusium vulgata Vaurensis Synodus: Cap. 31.
Ex quo per propriam Civitatem & Diœcesim per Prælatum aliquem Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti Sententia fuerit publicata, & ibidem exigente rebellione ac inobedientium duritia per decem dies exstiterit solemniter & publicè aggravata, licitum sit eidem Prælato hujusmòdi auctoritate Concilii, cæteros Episcopos ac Prælatos requirere, ut dictas Sententias, quarum tenores & causas declaret in Scriptis, in suis Districtibus servent, & faciant observari; publicent, & faciant diebus ad hoc congruentibus publicari. Et Prælatus super hoc requisitus obtemperare teneatur. Affirmat & sancit Excommunicationem non nisi post decem Rebellionis & Contumaciæ dies posse mitti ad alias Ecclesias, aut istic promulgari. Quod ipsum adfirmant & sanciunt in suæ Provinciæ Synodis Petrus Narbonensis, Gisbertus Arelatensis, Bertrandus Ebredunensis, & Armandus Archi-Episcopus Aquensis. Hi tres simul ita statuerunt in Synodo Avennionensi. Hinc videntur statuisse ex Cap. 9.
avita Gallicanæ, adeoque & universalis Ecclesiæ Disciplina. Respondeo antiquam Ecclesiæ Disciplinam fuisse, ut Excommunicatio statim mitteretur ad omnes Ecclesias, adeoque & sanctum Alexandrum ita fecisse. Disciplina ista lucet ex Magni Basilii ad Magnum Athanasium, de nescio quo Athanasio, Litteris: *Innotuit & Ecclesiæ nostræ ex Litteris Pietatis tuæ, atque aversandum & execrabilem illum arbitrabuntur omnes, ita ut nec Ignis, nec Aquæ, nec Tecti communionem cum illo sint habituri.* Ex quo vides, quod antiqui Patres Excommunicationem publicarint non dumtaxat per omnem Patriarchatum proprium, sed per omnes. Etenim Magnus Athanasius Ægyptiacæ Diœceseos Patriarcha, sui Subditi Excommunicationem misit etiam ad Magnum Basilium, Exarchum Ponticæ Diœceseos. Et hic ipsam promulgavit ubique, & jussit observari. Et sanctus Synesius Ptolomaidis Episcopus, Pentapolitanæ Provinciæ Metropolita, de excommunicato à se Andronico scripsit ad omnes sub cœlo Ecclesias: *Ob hæc Ptolomaidis Ecclesia ad omnes ubique terrarum Sorores suas Ecclesias, hæc decernenda censuit. Andronico, ejusque Sociis, Thoanti & ejus Sociis nullum Dei Templum aperiatur. Omnis illis reli-*

Epist. 41

Epist. 58

religiosa Ædes ac Septa claudantur. Nulla Diabolo in Paradiso pars est. Qui si clam irrepserit, expellitur. Ac cùm Privatos omnes Magistratus hortor, ut nec ejusdem cùm illo Tecti, neque Mensæ participes esse velint, tùm Sacerdotes imprimìs, qui nec viventes illos salutabunt, nec mortuos funebri pompa deducent. Si quisquam nostram, velut exiguæ Urbis, Ecclesiam contempserit, & ab ea damnatos receperit, quasi pauperi parere nihil necessè sit, noverit scissam à se Ecclesiam esse, quam unam esse vult Christus. Atque hic sive Levita, sive Sacerdos sit, sive Episcopus, apud nos, eodem atque Andronicus, loco censebitur: Neque cum eo dexteram jungemus, neque eadem ex mensa vescemur unquam. Tantum abest, ut cum eis Arcana Mysteria communicemus, qui cum Andronico & Thoante partem aliquam habere voluerint. Etenim Excommunicatio est lepra, quæ ab omnibus communicantibus contrahitur usque in infinitum. Eandem formam præscribit in Litteris ad quosdam Donatistarum Episcopos sanctus Augustinus. *Quod si non fecerint, ibi etiam eorum pravitas & perversitas innotescet, missaque Tractoria super eorum nomine per totum Orbem terrarum, quacumque jam Christi Ecclesia dilatata est, ab omnibus Ecclesiis eorum Communio præcidetur.* Africana Ecclesia istas Epistolas appellat Tractorias. Quod omnem sub cœlo Ecclesiam traherent & cogerent ad latam à quovis Episcopo Excommunicationem venerandam ac observandam. Eadem Disciplina olim viguit in Gallicana Ecclesia. Testem adduco sanctum Augustinum, qui in tertio contra Petilianum Libro de Splendonio, nescio cujus in Gallia Ecclesiæ Diacono, ac istic per suum Episcopum aut Synodum damnato, inquit: Petilianus Splendonium *Diaconum in Catholica damnatum, & à se rebaptizatum, Presbyterum fecit, cujus in Gallia damnationem ad nos à Fratribus missam Collega noster Fortunatus ibidem apud Constantinam publicè legendam proposuit.* Ecce Gallicana Ecclesia suos damnabat, denunciabat, ac denunciari mandabat per Africanam etiam Ecclesiam. Nam quod Fortunatus in sua Constantinensi, haud dubiè sanctus Augustinus fecit etiam in sua Hipponensi Ecclesia: & quisque alius Episcopus apud suos. Et prima Arausicana Synodus statuit: *Si quis Mancipia Clericorum pro suis Mancipiis ad Ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Ecclesias districtissima damnatione feriatur.* Nulla hìc est memoria de decem Diebus contumaciæ, nec apud ullum antiquum Canonem. Etenim hæc Denunciatio olim fiebat, non ad frangendam contumaciam, sed ad Orthodoxam totius Ecclesiæ Communionem præservandam ab omni contagio.

Epist. 162. — Cap. 38 — Can. 6.

Proinde adductus Vaurensis ac aliarum Synodorum Canon est novella Disciplina Gallicanæ Ecclesiæ. Hæc à multis Sæculis cœpit recedere ab antiquo rigore. Etenim adductus Arausicensis Canon non de quavis Excommunicatione, aut Crimine loquitur, sed de quopiam dumtaxat singulari. Et istam Excommunicationem non per omnes sub cœlo Ecclesias denunciari mandat, sed per solam Galliam. Quin & undecimus istius Synodi Canon statuit: *Placuit in reatum venire Episcopum, qui admonitus de Excommunicatione, excommunicato communicare præsumpserit.* Notanda sunt verba: *Qui admonitus de Excommunicatione.* Edicunt istam Admonitionem fuisse in arbitrio excommunicantis Episcopi, & quandoque, immò frequenter, prætermissam fuisse. Et ad septimi Sæculi celebrata apud Bonogelensem in Meldensi agro villam Synodus sanxit: *De Excommunicatis placuit, si quis pro crimine suo fuerit Communione privatus, Episcopus & facinus Excommunicati, & privationem communionis vicinis Civitatibus vel Paræciis studeat indicare.* Non cunctis sub cœlo, nec cunctis per Galliam, sed solis vicinis Civitatibus ac Paræciis. Et in Reginonis Prumiensis Abbatis Capitulari exstat Gallicana excommunicandi forma, habetque inter cætera: *Deinde Epistolæ Presbyteris per Parochiam mittantur, continentes modum Excommunicationis, in quibus jubeatur, ut Dominicis diebus post Lectionem Evangelii Plebibus sibi commissis publicè annuncient ipsam excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam communicet excommunicato. Oportet etiam ut aliis Episcopis ipsa Excommunicatio manifestetur. Præcepit enim Toletanum Concilium, ut invicem mox Scripta percurrant per omnes Provinciæ Episcopos, quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus audiatur. Seniori etiam ejus ipsa Excommunicatio debet nota fieri.* Discimus hinc plura. Primò, quod nono, cujus Disciplinam videtur ista Forma continere, sæculo Excommunicatio apud Francos mitteretur per solam excommunicantis Episcopi Parochiam. Secundò, quod ista Forma studuerit antiquam Disciplinam utcumque reparare, ideoque jusserit deinceps mitti per omnem Provinciam. Tertiò, quod hanc Disciplinam nescierit instaurare ex Gallicanis Canonibus, ideoque se fundarit in Toletanis. Quartò, quod antiqua Disciplina dudum defecerit etiam apud Hispanos. Haud dubiè id provenit ex facta per Francos, Gothos, Burgundos aliosque Barbaros laceratione Romani Imperii. Ex-inde quodvis Regnum cœpit Vicinos habere in hostes, ideoque suos limites munire armato millite, nullum permittere Egressum, nullam Communionem. Hinc etiam Excommunicationes cœperunt mitti intrà solum Regnum. Postmodò per solam Ecclesiasticam Provinciam. Tandem per solam Parochiam. Recentior Gallorum Disciplina etiam hoc fieri vetuit, nisi post decem dies contumaciæ. At verò sancti Alexandri tempore Apostolica forma plenissimè viguit: Hinc nullo modo dubitandum est, quin suas Encyclicas, à Socrate custoditas Litteras, statim transmiserit ad omnes sub cœlo Ecclesias. Statim etiam misit suam Relationem ad Sedem Apostolicam. Alias ferè septuaginta Epistolas misit post Arii fugam: Ad impediendas ejus obreptiones, quibus varios in Oriente Episcopos studuit circumscribere, & aliquos circumscripsit; immò & seduxit. Sanctus Epiphanius hæc omnia conclusit paucorum verborum compendio.

Can. 9.

Encyclicis S. Alexandri Litteris nullus subscripsit Episcopus, sed septemdecim Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyteri, ac tredecim Diaconi. Item sexdecim Mareotidis Presbyteri, ac totidem Diaconi. Ita habemus apud Gelasium Cyzicenum. Nempe istæ Litteræ non ab ipsa Synodo, sed post eam dimissam factæ sunt à solo Alexandro, ideoque solus ejus major Clerus debuit subscribere. Ex istis Subscriptionibus discimus plura. Primo, quod

quod Alexandrina Ecclesia habuerit plures quàm septem Diaconos, adeòque non observarit quartum-decimum Canonem Neo-cæsaraænsis Concilii. Porrò damnati ab Alexandro Diaconi erant numero sex, atque ita erant tunc in vivis novemdecim. An nullus locus per alicujus mortem vacarit, ignoro. Item ignoro quis fuerit consuetus istius Ecclesiæ numerus. Damnati Presbyteri erant item numero sex, qui cum ipsis septemdecim sunt viginti tres. Porrò inter ipsos non reperitur Georgius Laodicensis. Et hic omninò videtur ante Arii Damnationem fuisse in Presbyterio, atque ita fuisse vigesimus quartus. An hic fuerit consuetus numerus, non possum edicere. Secundò discimus, quod Alexandrina Cathedra habuerit etiam Pagenses Parochias, atque in hoc non fuerit æmulata Romanam. Romana enim, quò & ad Patriarchalem & ad Papalem sollicitudinem esset expeditior, nullam unquam habuit Forensem Parochiam. Dumtaxat habuit quædam Suburbana Cœmeteria. Tertiò discimus, quod omnes Mareoticæ Parochiæ spectarunt immediatè ad Alexandrinam Cathedram. Hinc omnis ejus Clerus in Litteris, apud secundam S. Athanasii Apologiam exstantibus ad Philagrium Augustalem profitetur se Regione & Nomo spectare ad Episcopatum S. Athanasii. Et ipse Athanasius addit istic nunquam fuisse Episcopum, immò nec Chorepiscopum. Parochiæ illæ quot fuerint, est incertum. Datis ad Tyriam Synodum Literis quindecim Presbyteri & quindecim Diaconi subscribunt; Hiscè autem S. Alexandri Litteris sexdecim Presbyteri, ac totidem Diaconi. Nempè Tyriæ Synodi tempore sextam decimam Parochiam tenebat calumniator Ischyras. Proinde videntur fuisse sexdecim: Quævis videtur habuisse suum Presbyterum ac suum Diaconum. Sanctus Athanasius in laudata Apologia affirmat fuisse decem, & aliquandò plures. Quartò discimus, quod præter istas Mareoticas Parochias Alexandrina Cathedra nullas habuerit alias forenses. Harum enim solarum Clerus subscripsit sancti Alexandri Litteris. Nempè quò vigilantiùs posset administrare curam Patriarchalem.

Est & alia quæstio: Quare S. Alexander in suis Synodalibus atque Encyclicis litteris expresserit nomen & crimina Eusebii Nicomediensis Episcopi? Ejus transitum è Berytensi Phænicum Ecclesia ad Bithynorum Nicomediensem Metropolim? Respondeo Eusebium, utpote Collucianistam, id est, sub Luciano Antiochenæ Ecclesiæ olim Presbytero ac Doctore Condiscipulum, statim ab Ario dudum ante hanc Synodum fuisse invocatum, & pertinaciter ei favisse. Erat vir Regii sanguinis, ideoque potens verbo & opere. Erat & Sorex Palatinus. Hinc relicta Berytensi transivit ad Regiæ Civitatis Cathedram. Etenim Imperator Diocletianus Nicomediæ ædificaverat Augustum Palatium, atque ita istic fixerat Sedem Orientalis Imperii. Et istum Eusebium, utpote primò Orientalis, tunc Ponticæ Diœceseos Episcopum quem damnari, & auctoritate circumscribi omninò oportebat, S. Alexander damnare non potuit: Hinc censuit ejus nomen inserendum laudatis Literis, atque ita hominis auctoritatem ligandam & abolendam. Hinc ipsum non dumtaxat de hæretico Arianæ Blasphemiæ patrocinio notavit, sed insuper de Apostolici Canonis prævaricatione per Transitum de Ecclesia ad Ecclesiam. Et adjunxit: *Eusebius totum Ecclesiæ statum in sua manu positum arbitratur, cum à nemine, quod Ecclesiam Beryti deseruerit, quod suæ cupiditatis atque ambitionis oculos ad Nicomediensis Ecclesiæ Episcopatum obtinendum adjecerit, in se animadversum esse videat.* Regio sanguine fretus audebat & attentabat omnia. Non solummodò in suo Clero, sed in omnem Ecclesiam superbus dominabatur. Hinc Alexander demonstravit à se non timeri hominis insolentiam: Ei Capistrum injecit. Et ejus Judicium firmavit Nicæna Synodus. Adversùs Eusebium edito Canone damnavit Transitus Episcoporum. Eusebii genus, mores, vitam, & mortem exponam suo loco. Attamen Socratis verba, his omnibus dantia magnam lucem, non possum omittere: *Pestifera Arii Labes ab Ecclesia Alexandrina ducens ortum, per universam Ægyptum & Lybiam, & Superiorem Thebaidem pervasit. Quin etiam per reliquas Provincias & Civitates est passim pervagata. Etquamquam multi alii perversa Arii opinione & errore implicati tenebantur, Eusebius tamen, non Cæsaræensis ille, sed alter, qui anteà fuerat Berytensis Episcopus, id temporis autem ad Nicomediæ Episcopatum callidè irrepserat, illi cum-primis mordicus adhæsit. Quæ cum accepisset Alexander, & res gestas oculis cerneret, iracundia cœpit exardescere: Et Consilio multorum Episcoporum convocato, Arium & ejus opinionis Fautores Presbyterii gradu abdicat.* Palam asserit Eusebium Ario ante hanc Synodum omninò adhæsisse. Palam agit de præsenti Synodo. Lib. 1. cap. 3.

Sanctus Alexander Arium & ejus Congerrones non solummodo damnavit, sed etiam proscripsit, ac Civitate ejecit. Ita testantur in precibus, quas Magno Imperatore Theodosio exhibuerunt, Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Faustinus ac Marcellinus: *Alexander Divinæ Fidei Episcopus in Alexandria, plenus Sapientia ac Spiritu Sancto fervens, Arium primus & detexit, & expulit, & in perpetuum damnavit.* Et in Litteris ad Eusebium Nicomediensem Episcopum scripsit ipse post suam damnationem Arius: *Episcopus noster nos vehementer infestat, atque hostiliter persequitur, nec ullum mali genus non adversùm nos commovit, usque eò ut nos etiam velut impios, ac Deum negantes, ex Urbe expulerit.* Exstat Epistola apud Epiphanium, ac apud Theodoreti Ecclesiasticam Historiam. Et sanctus Epiphanius addit de prima sancti Alexandri Synodo: *Alexander Arium veritati cedere detrectantem ejicit ex Ecclesia, & tota Civitate proscribit.* Affirmat Ario fuisse plurimos Sectatores, & adjungit: *Hinc Ario longiorem in Urbe moram trabente, moritur Confessor Meletius ac Martyr. Interim Arius divortium ac dissidium ubique faciens, & in uniuscujusque animum callidè se insinuans, multos perdidit. Sed ubi deprehensus est, & in Urbe convictus, atque omnium præconio traductus, Alexandria fugiens, in Palestinam abiit.* Quæ an vera sint, est valdè incertum. Etenim Epiphanius sceleratum Meletium infundatè appellat Confessorem ac Martyrem. Æque infundatè affirmat ipsum defunctum ante Nicænam Synodum. Infra audiemus illum dicentem, quod hic sancto Alexandro supervixerit. Quare omninò credo, quod sanctus Alexander suam Sententiam statim

Hæres. 69. c. 6. Lib. 1. cap. 4. Cap. 3.

ſtatim in executionem miſerit, ac Arium cum Congerronibus ſine induciis ejecerit.

Verùm hic oritur Quæſtio, qua auctoritate ſanctus Alexander in Arium & ejus Aſſeclas tulerit Sententiam exilii? Etenim iſto tempore hæc Poteſtas nondum erat Epiſcopis. Privativè ſpectabat ad Imperium. Etenim in Litteris ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham de Joanne Hie-
Epiſt. 62. cap. 3. roſolymæ Epiſcopo ſcribit ſanctus Hieronymus: Joannes *nuper nobis poſtulavit & impetravit exilium, Monachus, pro dolor! Monachis & minatur & impetrat exilium: Et hoc Monachus, Apoſtolicam Cathedram habere ſe jactans. Quid opùs eſt auctoritate publica, & Reſcripti impendiis, & toto orbe diſcurſibus? Tangat ſaltem digitulo, & ultro exibimus.* Palam affirmat Joannem, licet ſe Apoſtolicæ Sedis Patriarcham jactitaret, non potuiſſe proſcribere, ſed illi opus fuiſſe Auctoritate publica ac Reſcripti impendiis. Et inter Articulos, ex quibus S. Joannem Chryſoſtomum damnavit Synodus ad Quærcum, fuit & hic: *Quod Porphyrium Presbyterum Eutropio, ut in exilium pelleretur, tradiderit.* Utique ſine legitima cauſa. Nempè Joannes, licet Regiæ Civitatis Epiſcopus, non poterat relegare. Et de Hæreſiarcha Audio ſcribit S.
Hæreſ. 70. c. 14. Epiphanius: *Audius in Scythiam ab Imperatore relegatus eſt, quod populos paſſim ab Eccleſiæ obſequio retraheret, cum eo nomine eſſet ab Epiſcopis ad Imperatorem delatus.* Et per Jacobum Sirmondum vulgatus Euthychianæ Hiſtoriæ, ſeu de geſtis Acacii Conſtantinopolitani Epiſcopi Breviculus habet: *Scripſit ad Papam Simplicium Timotheus* Salophaciolus Alexandriæ Patriarcha; *dicens Petrum* Mogum, ſibi ſuper-intruſum adverſarium Hæreſiarcham, *olim in Diaconio eſſe damnatum, nunc etiam Chriſtiana ſociecate ſemotum, mandans per Eſaiam Epiſcopum, rogans, ut ſcriberetur Imperatori* Zenoni *de Petro, qui latebat in Alexandrina Civitate, & inſidiabatur Eccleſiæ, ut ad longinquum deportaretur exilium. Per fermè triennium ſanctæ memoriæ Papa Simplicius non deſiit ſcribendo ad Acacium* Conſtantinopolitanum *Epiſcopum, ut ageret cum Imperatore, & fieret de Petro quod Timotheus Epiſcopus poſtulabat. Scriptum eſt etiam Principi, ſed nunquam indè reſcriptum eſt.* Sancti Simplicii & ad Zenonem & ad Acacium Litteræ ex-
13. 14. ſtant in ejus Regeſto. At Petrus non fuit relegatus. Et quotquot olim Hęreſiarchę fuerunt deportati aut relegeti, fuerunt per auctoritatem Romani Imperii. Nam & Magnus Athanaſius non à Tyria Synodo, ſed ad ejus preces ab Imperatore Conſtantino fuit miſſus in Galliam. Ita habes in Apologeticis pro ipſo Litteris Alexandrinæ Synodi. Qua igitur auctoritate S. Alexander proſcripſit Arium ac ejus Aſſeclas? Reſpondeo, Alexandriæ Antiſtiti ſemper fuiſſe ſingularem circa hoc Poteſtatem. Etenim de ſcelerato Lucio, qui meritò appellatur ſecundus Arius, & qui pro ſancto Petro ſecundò invaſit Alexandrinam Cathedram,
Orat. 23 ac de Maximo Cynico, quem Heronem appellat, ſcribit ſanctus Gregorius Nazianzenus: *Quid poſteà? è Patriæ finibus exterminaris, qui nec propriam ullam, nec alienam agnoſcis. Atque Oaſis inhumana illa Solitudo, ad exulandum tibi decernitur.* A ſcelerato Lucio. Et hæc eſt ratio, ex qua iſtum Maximum adeò dilexit laudatus Petrus, ut ipſum poſtea conſecrarit in Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Etiam de ſe-ipſo ſcribit in Epiſtola quadam Ruffinus Prebyter: *Fides noſtra perſecutionis Hæreticorum tempore, cum in ſancta Alexandrina Eccleſia degeremus, in carceribus, & exiliis, quæ pro Fide inferebantur, probata eſt.* Per eundem ſceleratum Lucium. Et in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono Palladius Heleno- 16.
politanus Epiſcopus Theophilum Alexandriæ Patriarcham arguit, quod innoxios Monachos fuerit prædatus, & adjectis Principum minis egerit extra Patrium Solum. Non implorato Principum Reſcripto, ſed *adjectis minis*, utique dumtaxat confirmatoriis. Et ad iſtius Theophili Nepotem, ac in Alexandrina Cathedra Succeſſorem, S. Cyrillum, de Martiniano Peluſienſis Eccleſiæ ſcelerato Presbytero, qui Epiſcopatus mercandi cauſa acceſſerat Patriarchalem Metropolim, ſcribit S. Iſidorus Peluſiotes: *Quod cum Sanctitas tua com-* Lib. 2.
periſſet, pro eo atque eum ab Eccleſia proſcribere debebat, per Litteras comminata eſt, atque affirmavit ſe eum, ſi rurſus idem aggrederetur, ut ingens Diviniſſimæ Religioni dedecus inurentem, in tota Ægyptiaca Regione proſcripturum & abdicaturum. Ep. 127.

Verùm his quædam obſtant. Etenim Ruffino Presbytero, inflictum ſibi à ſcelerato Lucio exilium alleganti, repoſuit S. Hieronymus: *Quæ,* Lib. 2. cap. 1.
malum, exilia, quos iſte carceres nominat? Pudet me apertiſſimi mendacii: Quaſi exilia & carceres abſque Judicum Sententiis irrogentur. Disertè affirmat etiam Alexandriæ Patriarcham non potuiſſe proſcribere. Et Patriarcha Timotheus, quod Petrum Mogum ipſe non poſſet proſcribere, coactus fuit Sacrum Reſcriptum implorare, ſicut ſuprà audivimus. Reſpondeo hæc non concludere. Etenim ſanctus Hieronymus ex nimio in Ruffinum impetu quandoque exceſſit. Quod à Lucio Ruffinus fuerit proſcriptus, eſt longè certiſſimum. Quod enim Alexandriæ Patriarcha potuerit proſcribere, lucet etiam ex Actis Patriarchæ Dioſcori. Adversùs hunc in exhibitis pleno Chalcedonenſi Concilio Libellis ſcripſit Theodorus Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconus: *Dioſcorus me Clericatu privavit, comminans & à magna Civitate fugare.* Et ejuſdem Eccleſiæ quis Diaconus: *Ab Epiſcopo Dioſcoro aliquorum ſunt vaſtata prædia, aliorum domus deſtructæ, alii in exilium pulſi, quidam & ab Alexandrina magna Civitate, ſicut de propria ejus Poſſeſſione, excluſi ſunt.* Et ejuſdem Eccleſiæ Presbyter Athanaſius: *A nominatiſſima Alexandria nos quadam intentione excluſit.* Et infra: *Et ab ipſo neque in Eccleſiis, neque in Monaſteriis habitare permiſſi ſumus.* Nempe violentus Dioſcorus ſuos exules excludebat etiam à gratia Eccleſiaſtici Aſyli. Canopus ſplendidum Alexandriæ ſuburbium ſpectabat ad Monachos, ideoque gaudebat ſingularibus Privilegiis, ſingulari Aſylo. Etiam inde Athanaſium ejecit Dioſcorus: Præcepit neque publicum Balneum exhiberi, neque panem tranſmitti, aut aliquem alium cibum ibidem venumdari, ad hoc unum reſpiciens, quatenùs ſub anguſtia famis & non lavandi ille periret. Et illic, quod inde extrahere aut ejicere non auderet, interdixit aqua & igni. Addit in ſuo Libello Alexandriæ Civis Sophronius: *Reverendiſſimus Epiſcopus Dioſcorus, omnia indevotè agens, arbitratuſque ſe ſuper omnes eſſe, neque Imperialia Decreta, neque magnificas concedit exequi Præfectorum*

rum Sententias, suam magis Provinciam, quàm Imperatorum esse dicens. Hinc & Sacra Augusti Marciani Laureata projecit ex Alexandrina Civitate. *Molestè enim ferebat, eò quod omninò talis Orbis terræ Dominus prædicaretur. Se-ipsum enim magis Ægyptiacæ Diœcesi imperare volebat.* Temporalem suæ Sedis in omni sua Diœcesi Potestatem nolebat esse Romani Imperii Beneficium, ideoque palam rebellabat. Istius Potestatis originem, modum, ac limites suo loco exponam. Ex his interim lucet proscribendi Auctoritatem fuisse aliquam ejus portionem. Et adductus Palladii locus ipsam omninò confirmat. Etenim Theophilum arguit, quod totius Ægyptiacæ Diœceseos Pontifex proprios Monachos accusarit apud Augustalem Præfectum, & per ipsum postularit expelli. Eum accusat quod semet-ipsum ex Judice in Accusatorem degradarit. Etiam Timothei Factum his non adversatur. Etenim Petro Mogo favebat Augustus Zeno, & honorabat ut Patriarcham; hinc ille hunc sine istius Rescripto non fuit ausus invadere. De Præfati Theophili in quosdam Monachos odio scribit laudatus Palladius: Theophilus sumptis *ab accusatoribus in conspectu Ecclesiæ Libellis, ingreditur ad Augustalem, & contra Monachos ex persona propria proponit accusationem Ægyptiæ Diœcesis Pontifex, qui & Libellos calumniæ conscripserat, oratque ut militari manu viri illi tota Ægypto pellerentur.* Quod nempe ipse non posset expellere.

Secunda Synodus Sancti Alexandri.

SEcundam sancti Alexandri Synodum laudat in secunda Apologia S. Athanasius, scribens de Georgio illius Presbytero, qui postmodò in
Fol.567 prima Syria fuit Episcopus Laodicensis: *Numquid non de Georgio probatum fuit, eum ab Ordine sui Sacerdotii à Beato Alexandro rejectum fuisse?* Et infra scribit de Synodo Sardicensi: *Theodorum* Heraclæensem, *Narcissum* Neroniadis, *Acacium* Cæsaræensem, *Stephanum* Antiochenum, *Ursa-*
Fol.595 *cium* Singidunensem, *Valentem* Mursiensem, *Menophantem* Ephesinum, *ac Georgium* Laodicensem *Episcopum, per metum huc ab Oriente non audentem venire, sed tamen à Beato Alexandro depositum, tùm quia iste & cæteri illi Sectatores sunt Arianicæ Rabiei, tùm ob reatum criminum omnes Sacro-sancta Synodus communi calculo exauctoratos omninò ab Episcopatus*
Fol.683 *officio submovet.* Et in Libro de Ariminensi & Seleuciensi Synodo: *Georgius, qui nunc Laodicææ est, & per id tempus Presbyter Alexandriæ erat, & Antiochiæ commorabatur, ita ad Alexandrum Episcopum scripsit.* Ex ejus Apologetica pro Ario ad Alexandrum Epistola adducit quædam scelerata verba & concludit: *Ipse porrò Georgius ab Alexandro ob alia quædam crimina, sed potissimùm tamen ob impietatem rejectus est, cum esset illius Presbyter.* Et
Fol.116 in prima contra Arianos Oratione: *Georgius, qui nunc Laodicææ agit, cum antea ab ordine Presbyterorum revulsus esset, postmodum impietatis commendatione Episcopus appellatus.* Prior Synodus, quæ Arium damnavit cum undecim ex Alexandrino Clero Congerronibus, nullam facit memoriam hujus Georgii, adeoque tunc necdum sectabatur Arium: Alioquin enim omninò fuisset & ipse damnatus. Proinde postmodo sectari cœpit, adeoque damnatus est posteriùs. Et quin Synodaliter id fuerit factum, non est dubitandum. Quænam ejus crimina fuerint, ignoratur. Existimo hominem ad evadendum horum Judicium, declinasse ad Arium, atque ita præsertim ob impietatem, cujus omnia germina statim exscindere maturavit sanctus Alexander, fuisse damnatum.

Et ut profundam scelerati hominis impietatem videas, volo ex ejus Epistola adductum à sancto Athanasio Fragmentum adducere: *Conquereris de* Fol 683
Ario, cum dicit, erat, quando non erat Filius. Certè Esaias filius fuit Amos, & Amos priùs fuit, quàm gigneretur Esaias. Neque Esaias priùs erat, sed postea substitit. Ita Antiochia Alexandriam scripsit ad S. Alexandrum, jam damnatus & proscriptus. Athanasius adducit & Fragmentum ex alia ejusdem Epistola ad Congerrones Arianos: *Quid expostulatis cum Alexandro Papa, sermocinante ex Patre esse Filium? Immò ne vos quidem reformidare debetis, Filium dicere ex Deo esse. Nam si Apostolus scripsit cuncta ex Deo esse, & certum est, cuncta ex non Entibus ad essentiam producta & facta esse, Filiumque creaturam esse, & unum ex rebus conditis, rectè ad eum modum dici potest Filium ex Deo esse, quemadmodum omnia ex Deo esse dicuntur.* Omnes passim Hæretici sunt dolosi lupi in ovium vestibus. Orthodoxas Ecclesiæ voces admittunt, probant, profitentur: Verùm scelerata eorum mens ipsas restringit, & sub eis occultat sua Sensa venenosa. Hac arte non valuit Arius. Etenim per ipsam potuisset S. Alexandrum fallere, & evadere Damnationis infamiam. Fuit impietatem revelata facie professus. At verò posteriores Ariani fuerunt istarum futelarum peritissimi; docti ab hoc Georgio. Etenim S. Athanasius adducto Epistolę Fragmento subnectit: *Ex hoc homine didicerunt Ariani simulanter agnoscere hoc Dictum; Ex Deo esse, & Verba quidem pronuntiare, sed tamen ut animo malè sentiant.* Eadem arte tentarunt Nicęnam Synodum circumscribere. Verùm hæc ad ipsos intra veritatis Septa circumscribendos suo Symbolo inseruit varias voces, præsertim vocem, *Consubstantiale.* Istam Epistolam sceleratus Georgius, non ad Arium, aut jam damnatos suos Congerrones scripsit, sed ad illos qui etiamnum tunc degebant intrà Communionem Alexandrinæ Ecclesiæ, & quos S. Alexander, nisi profiterentur Deum Verbum esse ex Deo Patre, minabatur ad Arium proscribere. Et optimus Episcopus intelligebat de Existentia ex Deo Patre per Generationem. Hinc illis ista Vulpes dolosa suasit, ut profiterentur illa verba; Verùm ipsa de existentia per Creationem intelligerent, atque ita & damnationis molestiam ac infamiam evaderent, & Arianas blasphemias custodirent integras. Ex quibus lucet, quod neque Arii & primorum Congerronum, nec item hujus cum Congerronibus Georgii damnatio Alexandrinam Ecclesiam liberaverit ab horrendis hiscè blasphemiis. Et quidem quod Georgius, & in Impietate, & in Damnatione, licet nominare nequeam, Congerrones habuerit, videtur non esse dubitandum.

Hac item in Synodo possit damnatus fuisse Pistus, qui Arii & damnatorum Congerronum ad sanctum Alexandum Epistolæ subscripsit hoc modo: *Pistus qui Alexandriæ ab Arianis collocatus est.* Ejusdem Pisti amplissima est memoria in Litte-

ris sancti Julii Papæ ad Antiochenam Eusebianæ
Epist. 3. factionis Synodum: *Id ipsum quoque ex Macario Presbytero, & Martyrio & Hesychio Diaconis didicimus, qui, antequam Judicio se sisterent Athanasii Presbyteri, Auctores nobis fuere, ut scriberemus Alexandriam cuidam Pisto, quo tempore etiam-dum Athanasius Episcopus Alexandriæ versabatur. Hunc autem Pistum Athanasii Presbyteri supervenientes docuerunt Arianum esse, ac eo nomine & ab Alexandro & Synodo Nicæna reum factum, gradusque Ordinis sui à quodam Secundo, quem Magna Synodus ut Arianum rejecerat, accepisse. His verò nec Martyrii quidem Sodales contradicebant, neque Pistum à Secundo fuisse constitutum negabant. Videtis igitur vel ex hac causa, qui potiùs in culpa habendi sint; nosne, qui persuaderi non potuimus ut Ariano Pisto Litteras scriberemus; an illi qui mihi consilium dedere, ut contempto Magno Concilio, ad impios Hæreticos, veluti ad pios homines, litteras darem? Certè Macarius Presbyter, cum Legatus ab Eusebio* Nicomediensi Episcopo, *venerat, ubi audivit Athanasii Presbyteros Pisto obsistere, nosque ejus præsentiam non admittere, unà cum Martyrio & Hesychio, quamvis gravi valetudine, de nocte profectus est, ut non inconcinnè divinaremus eum impatientia refutati Pisti fugam arripuisse. Impossibile enim est Secundi Ordinationem, utpote Ariani, vim ullam in Catholica Ecclesia habere. Id enim verè ad Synodi, & ad Episcoporum, qui in Synodo fuere, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & cura, veluti Deo præsente, egissent, à nobis ut vana, futiliaque abrogarentur.*

Ad Hæres. 69. Dionysius Petavius in eruditis ad sanctum Epiphanium Scholiis scribit: *De Pisto mentio est in Epistola Julii Papæ, quam Apologiæ secundæ Athanasius inseruit. Ubi damnatus esse dicitur ab Alexandro Episcopo Alexandrino, & Nicæna Synodo; atque à Secundo Pentapolitano restitutus. Neque cujus Ordinis fuerit exprimitur. Episcopum fuisse docet Epiphanius, quem etiam Alexandriæ collocatum esse ab Arianis scribit. Verùm nullus eo nomine Alexandrinam Ecclesiam tenuit. Sed quod inter Episcopos ab Epiphanio referatur, excusari non potest.* Censet Epiphanium manifestè errare. Respondeo non errare. Etenim Pistus fuit contra S. Alexandrum ab Arianis intrusus in Alexandrinam Cathedram: Consecratus à Secundo Ptolomaidis in Pentapoli Episcopo, pertinacissimo Arianæ perfidiæ sectatore, & damnato cum ipso Ario in prima S. Alexandri Synodo. Et S. Julius non dixit ipsum fuisse *restitutum* à Secundo, sed *constitutum*: Ipsum esse Secundum Ordinatorem. Quod sanctus Alexander Arianos assiduè damnaret, cuncta noviter pullulantia germina mox exscinderet, & ad nullas preces esset placabilis, Ariani sunt ipsum adgressi, & Alexandrinæ Ecclesiæ istud Pseudo-Episcopi Spectrum ac Idolum intruserunt. Fecerunt illud ipsum, quod antea apud Carthaginem scelerata Felicissimi Diaconi factio, & postmodò apud Almam Urbem fecit factiosus Donati grex: Crearunt Patriarcham Rupitanum aut Meritensem. Hinc & ipsum S. Alexander damnavit. Et ejus Judicium firmavit Nicæna Synodus. Et quod ab unico Secundo, alienæ Provinciæ Episcopo intrusus esset, adversùs similes audacias laudata Synodus sanxit, ut deinceps nemo promoveretur Episcopus, nisi per plenam propriæ Provinciæ Synodum, & non consecraretur à paucioribus quàm à tribus. Post sancti Alexandri mortem omnis Ariana factio aversata est sancti Athanasii electionem, & ipsum infamavit horrendis calumniis. Hinc Pistum reduxit Alexandriam, & tentavit in Episcopum stabilire. Et quoniam firmari hæc non poterant nisi per Romanam Ecclesiam, Eusebii Nicomediensis Episcopi factio Romam legavit Macarium Presbyterum, ac Martyrium & Hesychium Diaconos, tentavitque à sancto Julio Communicatorias ad Pistum, seu Episcopatus confirmatorias Litteras extorquere. Pontifex addit: *Dum Athanasius Alexandriæ Episcopus versabatur.* Affirmat hæc fuisse tentata ante primum sancti Athanasii exilium. Cur Antiochena istius factionis Synodus non Pistum hunc, sed Georgium Cappadocem intruserit in sancti Athanasii Thronum, ignoro. Possit tunc fuisse mortuus. Etiam possit ista fuisse reverita Nicænam Synodum: Noluisse & ab ipsa damnatum, & Romanæ Ecclesiæ tunc notissimum hominem intrudere, atque ita novis prævaricationibus hanc offendere. Quidquid sit, Pistum damnavit sanctus Alexander. An in præsenti Synodo, non possim ex Authenticis Testimoniis demonstrare. Item affirmare non possum an sit ille idem Pistus, qui inter Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconos tertius subscripsit Encyclicis S. Alexandri Litteris adversùs Arium. Possit esse. Possit ad damnatum à se Arium apostatasse. Subscriptio exstat apud Gelasium Cyzicenum. Alii censent hosce Pistos esse diversos. Diaconum, qui in Arium subscripsit, censent esse illum, qui postmodò datis pro sancto Athanasio ad Tyriam Synodum Litteris subscripsit inter orthodoxos Presbyteros. Est res incerta. Hæ litteræ exstant in secunda Apologia sancti Athanasii. Lib. 2. cap. 3.

Verùm his potenter obstat ipse Epiphanius. Etenim affirmat sanctum Alexandrum mox à Nicæna Synodo fuisse defunctum, Sanctum ejus Diaconum Athanasium fuisse tunc in Comitatu, & prosequitur: *Cum moriens Alexander nullum sibi alium suffici præter Athanasium mandasset, Meletius occasionem nactus Theonam quendam substituit. Quo quidem post tertium mensem mortuo, paulò post Athanasius advenit. Tum undiquè coacto Orthodoxorum Concilio in Alexandrina Sede constituitur.* Et adjungit: *Nam Alexandria nunquam, ut aliæ Civitates duos Episcopos habuit.* Proinde Pistus istic non sedit contra sanctum Alexandrum. Respondeo sanctum Epiphanium hac in re non consistere firmum, nec sibi ipsi cohærere. Etenim in alio loco scribit; *Eodem* post Nicænam Synodum *anno, mortuo Alexandro Alexandrinam Ecclesiam Achillas obtinuit, contra quem Meletiani Theonam opposuerant. Achilla autem post tres menses defuncto Athanasius successit Alexandri Diaconus, ab eo ad Comitatum missus, cui moriens Alexander Episcopatum committi mandaverat.* Quæ omnia unde sanctus Epiphanius hauserit, ignoratur. Etenim istius Theonæ ac illius Achillæ nulla est authentica apud alios memoria. Quin immò Alexandrina totius Ægyptiacæ Diœceseos Synodus in Apologeticis pro sancto Athanasio, ac Encyclicis ad omnes sub cœlo Ecclesias Litteris disertè affirmat hunc

Hæres. 68. c. 6.

Hæres. 69. c. 11.

hunc proximè Alexandro successisse. Et Epiphanius hìc ipsum Theonæ, illic affirmat ipsum successisse Achillæ. Item affirmat Alexandrinam Ecclesiam fuisse tunc divisam in duos Episcopos. Præterea affirmat Meletium ante Alexandrum fuisse defunctum. Quin immò supra affirmavit fuisse defunctum ante Nicænam Synodum. Quomodo igitur ille post hujus mortem possit intrusisse Theonam? Etenim tunc nec Ariana, nec Meletiana factio tentavit Pistum intrudere. Ejus Nicæna damnatio erat nimiùm recens. Hoc tamen Machinati sunt ante primum, quod istius sæculi anno trigesimo sexto contigit, exilium: Forsan in Synodo Tyria. Et proximè sequenti, qui fuit primus sancti Julii Papæ, anno sunt hunc Pontificem conati circumscribere. Tantus Pontifex est testis irrefragabilis.

Hæref. 68.c.5.

Tertia sancti Alexandri Synodus.

DE sancto Alexandro scribit Hermias Zozomenus: *At verò cum multa Concilia de hac re*, hæresi Ariana, *celebrata fuissent*, &c. Eorum Numerum, Tempus, Acta, distinctè ignoramus. Interim in horum uno damnatus omninò fuit & Colluthus, de quo S. Patriarcha Alexander scribit ad S. Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum: *Arius & Achillas, conjuratione nuper facta, Colluthi ambitionem, multò quàm ille deteriùs æmulati sunt. Nam hic quidem hos ipsos culpans pessimi consilii sui prætextum invenit. Isti verò illum quæstui habere Christum cernentes, non amplius Ecclesiæ subjici se passi sunt; sed speluncis latronum sibi constructis assiduos in his Conventus agunt, noctes diesque Christo & nobis maledicè obtrectantes.* Eadem de re scribit sanctus Epiphanius: *Harum*, Patriarchalium Alexandriæ Ecclesiarum, *unam Colluthus administrabat, aliam Carponas, aliam Sarmatas; sed & Arius iste unam regebat. Cùm autem singuli commissum sibi Populum per status & solemnes Conventus publicè docerent, dissensiones in vulgus sparserunt. Itaque alii ad Arium adhæserant, alii ad Colluthum, alii Carponæ, alii Sarmatæ partes tuebantur. Et cum in sua quisque Ecclesia alius aliud interpretando proponeret, alii Colluthianos, alii Arianos sese nominabant. Quippè & Colluthus quædam falsa ac depravata docuit. Sed ejus Secta diuturna non fuit; Statimque dissipata est.* Hinc discimus plura. Primò, quod licet essent plures Hæreseon Doctores; tamen non fuerunt nisi duę Hæreses: Ariana & Colluthiana. Etenim Carponas & Sarmatas docuerunt cum Ario, & cum ipso sunt damnati in eadem Synodo. Eadem in Secta & conjuratione fuit damnatus Achillas. Quare hic post S. Alexandri mortem non possit à Catholica Alexandrię Ecclesia fuisse electus in Patriarcham. Secundò discimus, quod Ariani isti fuerint inter se conjurati. Tertiò, quod Colluthus suas videatur ineptias incæpisse ante Arium. Hic enim illum fuit æmulatus. At forsan solummodò videtur. Quartò, quod palmare Colluthi crimen fuerit ambitio: Invasio Alexandrini Episcopatus. Et hinc liquet, quod Alexandrina Ecclesia ante Arium fuerit divisa in duos Episcopos. Quintò discimus, quod Colluthus Arianos culparit, & ex ipsis sumpserit prætextum sui pessimi Consilii. Hæc S. Alexandri verba sunt obscuriora. Quod

Lib. 1. cap. 15.

Hæref. 69.c.2.

ille in Arium & ejus Congerrones fuerit usus multa patientia, & variis modis studuerit reducere, est supra demonstratum. Colluthus videtur hæc culpasse, arguisse Alexandrum de conniventia, immò & de collusione, atque ità ejus Communionem, ut contagionem, deservisse, ac se evexisse in Episcopi idolum. Quidquid sit, non Colluthus Arium, sed Arius Colluthum insaniendo anteçessit. Etenim inter Alexandrinæ Ecclesiæ, qui Encyclicis adversùs Arium Literis apud Gelasium Cyzicenum subscribunt, Presbyteros primus est iste Colluthus. Eum S. Alexander videtur in Arii locum suffecisse. Postmodò etiam ipse erexit separatos Conventus, atque ita optimum suum Episcopum ad se damnandum compulit. Hę Para-Synagogæ omninò præcesserunt damnationem. Disertè hoc testatur Magnus Constantinus in Increpatoriis ad S. Alexandrum ac Arium Literis, quas non solus Socrates suæ Historiæ, sed & Cæsaræensis Eusebius inseruit suis Libris de vita laudati Imperatoris. Et certè damnatus Arius fuit insuper proscriptus, atque ità ejectus Alexandria. Qua in Synodo Alexander Colluthum damnarit, fateor me ignorare.

Lib. 2. cap. 3.

Lib. 2. cap. 67.

Quædam Orientales circà Arium Synodi.

DE damnato per S. Alexandrum, ac proscripto Ario scribit S. Epiphanius: Arius *Alexandria fugiens in Palestinam abiit. Ibi singulos Episcopos adire, ac prensare, adularique cœpit, quò plures sibi suffragatores adjungeret. Ex his quidam illum receperunt, alii verò repulerunt.* Hanc Orientalium Episcoporum discordiam Alexander providerat, ideoque suis Encyclicis, per quas Arii damnationem denunciavit, Literis inseruit: *Vestram Pietatem fecimus certiorem, Charissimi & honoratissimi Fratres, qui estis nobiscum in Ecclesiæ Ministerio conjuncti, ut si fortè quidam ex illis temeritate impulsi, ad vos venire non vereantur, ne eos admittatis, nevè Eusebio* Nicomediensi Episcopo, *vel alteri cuipiam, qui eorum caussa ad vos scribat, omninò attendatis. Nam par est: ut Nos, qui sumus Christiani, omnes qui contra Christum loquuntur, animoque sunt ab eo alienati, tanquam Dei hostes, & animorum corruptores devitemus, neque id genus hominibus, sicut præcepit Beatus Joannes, vel Ave dicamus, ne quando illorum peccatis communicemus.* Alexander prævidit Eusebium non cessaturum ab Arianæ Blasphemiæ patrocinio, ideoque omninò futurum, ut Arius ad ipsum confugeret. Et rectum Alexandria ad Bithynos iter est per Orientalem Diœcesim. Damnatus olim à Patriarcha Demetrio Origenes etiam apud hujus Episcopos invenerat fomenta: Hinc Alexander eadem timuit in Arium. Proinde ejus Episcopos censuit muniendos. Verùm procax Arii lingua fuit potentior. Hæc istis Literis superveniens quosdam ist-hìc Antistites circumscripsit & seduxit.

Hæref. 69.c.4.

Audiamus rem à Socrate: *Cum Alexander ejusmodi Literas ad Episcopos passim in singulis Civitatibus scripsisset, latiùs propterea serpebat malum, quod hi qui erant de illis Literis certiores facti, contentionis & discordiæ incendiis inter se conflagrare cœperunt; Nam alii Literis suffragari,* ac

Lib. 1. cap. 3.

ac eisdem subscribere; Alii penitùs adversari: Maximè verò omnium Eusebius Nicomediensis Episcopus ad dissensionem incitari, quod Alexander ejus nomen suis Literis graviùs perstrinxerat. Atque eo tempore Eusebius plurimùm poterat, quod tunc Nicomediæ, ubi Diocletianus paulò antè Palatium ædificarat, Imperator versabatur. Ob quam caussam multi Episcopi paruerunt Eusebii Sententiæ. Is autem, tametsi ad Alexandrum Literas scribere non destitit, ut Controversiam inter ipsos ortam missam faceret, Ariumque cum suis in Ecclesiam reciperet; Alios tamen, qui alias quasque Civitates incolebant, exhortatus est, ut Alexandri voluntati prorsùs refragarentur. Unde tumultus ingens nusquam non concitatus est. Nam videre licebat non modò Ecclesiarum Præsides maledicis & contumeliosis verbis alium ab alio vexatos, verùm etiam Populi multitudinem in duas partes diremptam, quarum altera in horum, altera in illorum Sententiam inclinavit. Itaque res est eò usque *sceleris & turpitudinis prolapsa, ut Christiana Religio palam in ipsis* Gentilium *Theatris omnium irrisione luderetur.* Itaque Nicomediensis Eusebius, ac ipsius per Orientem Congerrones Episcopi advenam Arium, ac ejus Collegas juxta Canones admiserunt in peregrinam dumtaxat Communionem; conati sunt placare Alexandrum, & ipsi reconciliatos Arianos in Gradum reponere. Hoc studuit & ipse Eusebius. Alexandro scripsit has Lites non ad immobile Christianitatis Dogma, sed spectare ad liberas Quæstiones, circà ipsas unumquemque posse permitti in suo sensu, ideoque Arianos ob illas non fuisse damnandos. Ejus ad Alexandrum Literæ latent aut perierunt. Apud Ecclesiasticam Theodoreti Historiam exstat ejus ad Paulinum Tyri Metropolitam Epistola, in qua exponit Arianum dogma, atque adjungit: *Quas rationes cum acceperis, easque pro gratia, quæ tibi divinitùs suppetit, expoliveris; fac ut Domino meo Alexandro scribas. Nam persuasum habeo, si ad illum scripseris, te eum de Sententia deducturum.* Nec est dubitandum, quin talia ad alios scripserit. Haud dubiè postquam vidit se sperni & nullatenus attendi ab Alexandro. At vide dolosum & versatile hominis ingenium. Altera aquam, altera manu portavit ignem. Etenim sibi illatam ab Encyclicis Alexandri Literis infamiam dissimulavit ac sorbuit, atque per officiosas Literas studuit illum ad mitiora Placita traducere. At verò eodem tempore omnes nervos impendit ad suos Congerrones distrahendos ab Alexandro, & in ipsum obstinandos.

Lib. 1. cap. 6.

Quæstio est: Quinam Episcopi Ario faverint, quinàm fuerint aversati? Sanctus Patriarcha Alexander de hac re scripsit ad sanctum Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum: *Nescio quo pacto in Syria ordinati Episcopi tres, dum illis,* Arianis, *annuunt, in pejus inflammant.* Eos non nominat. Eos in Literis, apud S. Epiphanium exstantibus, ad Eusebium Nicomediensem nominat ipse Arius: *Quoniam Eusebius frater tuus Cæsareæ, & Theodosius, & Paulinus, & Athanasius, & Gregorius, & Aetius, & Orientales omnes Deum adserunt sine ullo principio ante Filium existere, anathemate damnantur, excepto Philogonio, Hellanico, Macario Hæreticis, ac rudimentorum fidei ignaris hominibus, qui Filium partìm Eructationem, partìm Ingenitam Productionem appellant.* Adfirmat sibi adhærere omnes Orientales Episcopos, præsertim tamen jam expressos; & solos tres sibi adversari. Eandem Epistolam suæ Ecclesiasticæ Historiæ inseruit Theodoretus, & adjecit omnium istorum Episcoporum Sedes: *Ex iis, quos* Arius *recensuit, erat Eusebius Episcopus Cæsareæ, Theodotus Laodicææ, Paulinus Tyri, Athanasius Anazarbi, Gregorius Beryti, & Aetius Lyddæ Episcopus. Lydda autem Civitas est, quæ nunc appellatur Diospolis. Hos ergò consentire sibi gloriabatur Arius: Adversarios verò nominavit Philogonium Antiochiæ Præsulem, & Hellanicum Tripolis, & Hierosolymorum Macarium, falsum his crimen impingens eò quod Filium dixerint æternum, & ante sæcula, Patrique honore parem, & Consubstantialem.* Quem Epiphanius Theodosium, Theodoretus appellat Theodotum. Hic est ille Theodotus, cui successit sceleratus Georgius. Inter Orientales Episcopos, ad quos postmodò scripsit sanctus Alexander, sanctus Epiphanius insuper numerat Asclepium Gazensem, Longinum Ascalonensem, Macrinum Jamniensem, & Zenonem quendam Antiquum Tyri Episcopum. Gazensis Asclepius fuit constantissimus veritatis pugil. Ejus virtutes exponam ad Synodum Sardicensem. Ejusdem pietatis Sectatores omninò etiam fuerunt Longinus & Macrinus. Etiam Zenon. Etenim ad ipsos, utì ad veritatis Patronos scripsit Alexander. Ità palam innuit Epiphanius. Nec ob-est, quod inter eos numeret & Cæsaræensem Eusebium. Hic enim, licet Ario faveret, semper vulpem egit, fovens utramque partem. Ita patebit ex ejus Actis in Nicæna Synodo. Zenoni successit Paulinus. Et hinc lucet Nicænæ Synodi subscriptiones, quę & hunc Zenonem habent, esse vitiatas. Etenim hic Zenon ante Nicænam Synodum obierat, & habebat successorem Paulinum. Et hic forsan est unus istorum trium Syrorum, de quibus scripsit S. Alexander: *Nescio quo pacto ordinati.* Forsan ex tunc Ariani cæperunt scabiosos Episcopos intrudere. Ario infestissimus hostis fuit etiam sanctus Eustatius Beræensis Episcopus, successor Nicomediensis Eusebii. Tantarum virtutum vir, ut ipsum Nicæna Synodus in sancti Philogonii apud se defuncti locum crearit Patriarcham Antiochenum, durissimum ac perpetuum flagellum Arianæ impietatis. Cur & ipsum Arius non expresserit, ignoro. Forsan quia tanto Heroi non præsumpsit maledicere. Ex ejus fautoribus quidam videntur postmodò conversi. Etenim Aetius Lyddensis, Gregorius Berytensis, Theodotus Laodicensis, ac Eusebius Cæsaræensis leguntur subscripti Nicænæ Synodo.

Hæres. 69. c. 6.

Lib. 1. cap. 4.

Advectus ergò in Palestinam Arius tentavit ist-hìc omnes Episcopos, & in suas partes seduxit Eusebium Cæsaræensem Metropolitam, ac ejus suffraganeum Aetium Lyddensem. Hinc abiit in Syriam, & illic seduxit Theodotum Laodicensem. Hinc abiit in Phæniciam, & illic Zenonem Tyri Metropolitam tentavit, ac seduxit Gregorium Berytensem. Etiam in Ciliciam transiit, & illic pervertit Athanasium Anazarbi Episcopum. Etiam tunc Cilicia, uti & Phænicia, necdum erat divisa in duas. Et hęc audiens Alexander scripsit suas ferè septuaginta Literas ad diversos Antistites. Et horum unum S. Epiphanius adfirmat fuisse Zenonem Tyriorum. Hujus in suis ad Nicomediensem

Euse-

Eusebium Litteris Arius nullam facit mentionem, sed laudat ejus successorem Paulinum. Quare dum hæc geruntur, Zenon obiit, & Paulinus successit: Et non nisi post hujus promotionem Arius scripsit istas Literas. Suæ Hæresios Patronos & hostes retulit ad suum dilectum Collucianistam. Et nota hominis maledicentiam. Etenim magnum, cujus Encomia videre possis apud S. Joannem Chrysostomum, Magnæ Antiochiæ Patriarcham Philogonium, S. Hierosolymitanæ Ecclesiæ Antistitem Macarium, ac hiscè similem Tripolitanum Hellanicum non erubuit scribere homines hæreticos, ac ignaros rudimentorum Fidei. Eandem arrogantiam notat ac damnat S. Patriarcha Alexander in Litteris ad S. Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum: *Cui porrò mirum videri queat quod Scripturus sum, si fictas contra me ac Religiosissimum Populum nostrum calumnias exponam? Nam qui aciem contrà Dei Filium instruxere, contra nos ingratis animis debacchari non refugiunt. Qui nec ullos secum ex antiquis comparari sinunt, nec eos, quibus ab ineunte nos ætate Magistris usi sumus, pares dici patiuntur. Quin immò nec ullum Collegarum nostrorum, qui ubique gentium sunt, ad mediocrem scientiam pervenisse censent: Solos se sapientes jactant, solos egestatem sectantes, solos Dogmatum inventores, sibique solis ea esse patefacta, quæ in nullius unquam sub Sole cogitationem venire potuerunt.* Hujusmodi superbiam semper fuisse, ac semper fore familiarem omnibus Hæreticis, demonstravi in Scholiis ad Præscriptiones Tertulliani.

Nec soli seducti Episcopi, sed etiam ipse damnatus ac exul Arius scripsit ad suum Patriarcham Alexandrum Literas, conatus ipsum inflectere. Verùm Literas impudentissimas. Audi exordium: *Fides illa, quam & à Majoribus, & à te didicimus, Beatissime Papa, ejusmodi est.* Exponit Fidem suam, & subjungit: *Quemadmodum tu ipse, Beatissime Papa, media in Ecclesia & Consessu frequenter, qui hæc adsererent, refutasti.* Effronti calamo eructat se non dumtaxat cùm Majoribus, sed etiam cum ipso S. Alexandro docuisse semper ac docere, ideoque inique damnatum. Patriarcham arguit, quod sua priora Dogmata jam prævaricetur. Et hiscè Literis subscripserunt omnes cum illo damnati Presbyteri ac Diaconi. Etiam Secundus & Theonas Episcopi. Item *Pistus, qui Alexandriæ ab Arianis damnatus est.* Epistolam nobis servavit S. Epiphanius, & adjunxit: Arius *Nicomedia ad sanctissimum Papam Alexandrum scripsit Epistolam, quasi excusandi se gratia, quæ tota illius est veneno, & contumeliosis in Divinum Numen vocibus referta, quam misit Alexandriam.* Ex quibus aliqua discimus. Primò, quod non solum Arium, sed & alios infectos ab ipso Presbyteros ac Diaconos sanctus Alexander relegarit. Etiam Pistum. Secundò, quod omnis ista Fœx fuerit vagata per varias Ecclesiæ Provincias, ac tandem concesserit Nicomediam. Quare ista Epistola omninò scripta est vafro consilio Eusebii Episcopi. Et est plena dolosis æquivocationibus. Scripta est post datas Ario Instructiones à Georgio Laodicensi. Hic non subscripsit, quod in Syria permanserit. Arius tunc degebat in peregrina adhuc Communione, atque ita Alexandri in se judicium simulat revereri, & supplicat dissolvi. Hascè Scri-

Hæref. 69.c.7.

ptitationes compendio exponit Socrates: *Cæterùm quibus Arii opinio absurda videbatur, hi Judicium Alexandri de Ario datum approbarunt, rectamque & æquam Sententiam contra eos, qui sic sentiebant, esse pronunciatam existimarunt. At Eusebius Nicomediensis, & quotquot Arii opinionem amplexabantur, scripserunt ad Alexandrum, ut abdicationem, quæ erat antegressa, abrogaret; eosque, quibus erat Fidelium Communione interdictum, in Ecclesiam denuò admitteret; Ipsos namque nullam perversam malamve opinionem tenere. Sic igitur cùm Literæ adversariæ ad Alexandrum Alexandriæ Episcopum missæ essent, utriusque Partis Literæ in unum collectæ sunt. Nam Arius eas, quæ pro se faciebant, Alexander autem contrarias simul congessit. Ex quibus Arianorum, Eunomianorum, ac Macedonianorum Sectæ, quæ hoc tempore vigere videntur, ansam ad suam doctrinam tuendam arripiunt.* Hæ Litteræ magno Ecclesiasticæ eruditionis damno perierunt, aut latent. Lib. 1. cap. 3.

Verùm Rete frustrà jacitur ante oculos Pennatorum. Alexander intellexit hæc omnia. Et nullis artibus permisit se inflecti. Sua Acta exponit in Litteris ad sanctum Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum: *Hos, qui ineffabile Christi generationis mysterium enervarunt, aversantes, unanimes & dilectissimi Fratres, suffragamini nobis adversùs furiosam illorum temeritatem, non aliter atque Collegæ nostri, qui ægrè tulerunt, & ad me contra istos scripserunt, Libelloque contra eos edito subscripserunt, quæ & per Filium meum Apionem ad vos misi, partim Ægypti totius & Thebaidis, partim Lybiæ & Pentapolis, & Syriæ, atque etiam Lyciæ & Pamphyliæ, Asiæ, Cappadociæ, & finitimarum circumquaque. Quorum exemplo à vobis* quoque *etiam me accepturum confido. Nam cum auxilia mihi ad eos sanandos, qui læsi sunt, multa suppeterent, hoc etiam Populo ab illis decepto inventum est utile remedium, quo fiet, ut Collegarum nostrorum Consensui obtemperent, & ad pœnitentiam hoc pacto redire contendant.* Discimus hinc plura. Primò, quod Ario per Orientalem Diœcesim vagante sanctus Alexander scripserit suas septuaginta Litteras ad varios Episcopos. Secundò, quod ipsas scripserit non dumtaxat in Palestinam, Phœniciam, Syriam, Ciliciam, ac alias Orientalis Diœcesis Provincias; sed etiam in Asiam, Lyciam, Pamphyliam, Cappadociam, aliasque Asiaticæ ac Ponticæ Diœcesis Provincias. Quod nempè istic Ariani pervagarentur. Tertiò discimus, quod non solas Literas Alexander miserit, sed simul Fidei adversùs Arianas blasphemias Tomum seu libellum, nec non sua adversùm illas Acta Synodalia, & postularit ipsis subscribi. Quartò, quod plurimi ubique Episcopi istis subscripserint, atque ita Ariana Hæresis fuerit ex tunc damnata. Quintò discimus, quod hæc Alexander fecerit ad Arium sanandum. Quò is videret se non à solo Alexandro damnatum, sed à cunctis sub cœlo Ecclesiis. Quis fuerit Apion Diaconus, ignoro. Non est ex illis, qui Encyclicis contra Arium Litteris subscripserunt. Ex quo vides omnes non subscripsisse.

Hæc S. Alexandri Constantia, & felix rerum successus Arium, ac ejus Patronos Episcopos egit in rabiem. Hinc evenit quod scribit Hermias Sozomenus: *Ubi verò res Alexandriæ* per Arii Lib. 1. cap. 14.

damnationem *essent hoc loco constitutæ, Ariani benevolentiam Episcoporum, singulas Civitates administrantium, sibi necessariò antè colligendam arbitrati, mittunt Legatos ad eos cum Litteris de Fide sua, contenduntque ab illis, ut si rectum ipsis videretur ita de Deo sentiendum, significarent Alexandro, ut ipsis minimè succenseret: Sin minùs, docerent eos quemadmodum sentiendum esset. Qui quidem Conatus non parùm eorum causam adjuvit. Nam hac illorum opinione in omnes ferè dispersa, ab omnibus passim Episcopis de ea disputari cœptum est: Quorum Pars scripsere ad Alexandrum, ne admitteret Arianos in Ecclesiam, nisi suam de Fide opinionem abjicerent: Pars autem oravit, ne istud faceret. Quare cum Alexander quàm plurimos videret, tum specie bonæ vitæ graves, tum probabiliter dicendo per-disertos, Arianis subsidio venire, & maximè omnium Eusebium eo tempore Nicomediæ Episcopum, virum illustrem, & in Imperatoris aula magno in honore habitum, scripsit ad omnes ubique Episcopos, ne cum illis communicarent. Unde ardor utriusque Partis multò magis accensus est, & acrior, ut assolet, excitata contentio. Nam ubi fautores Eusebii Alexandrum sæpius orantes, minimè exorare possent; veluti contumelia affecti, iniquo animo ferre, & Arii opinionem longè majori animorum contentione defendere cœperunt. Atque Concilio in Bythynia coacto, scribere ad omes Episcopos, ut cum Arianis, tamquam de Fide rectè sentientibus communicarent: Efficerentque, ut & Alexander ipsorum amplecteretur Communionem. Verùm ubi Conatus eorum parùm successit ex sententia, propterea, quod Alexander haudquaquam ipsis cederet: Arius mittit Legatos ad Paulinum Tyri Episcopum, & Eusebium cognomento Pamphylum, Ecclesiam Cæsareæ Palestinæ gubernantem, & Patrophylum Scytopolis Episcopum, petitque ut potestas sibi, utpote gradum Presbyterii ante adepto, unà cum suis permittatur populum sibi faventem ad Conventus vocandi. Nam consuetudo cum fuisset Alexandriæ, sicuti nunc est, ut licet unus omnibus præ-esset Episcopus, Præsbyteri tamen separatim Ecclesias retinerent, ac sibi commissum populum ad Conventus cogerent. Isti cum aliis etiam Episcopis in Palestina in unum congregati, postulationi Arii suffragati sunt; Jusseruntque ut primùm ipsi inter se Conventus quidem agerent, sed tamen se subjicerent Alexandro, & ut de pace cum eo facienda, deque communione mutua agere non desisterent.* Notanda sunt Sozomeni de Solemni Presbyterorum apud Alexandriam Prædicatione verba: *Sicuti nunc est.* Aliud dicit in septimo Operis sui Libro: *Apud Alexandrinos verò solus Civitatis Episcopus* in Ecclesia docet. *Ajunt tamen hanc consuetudinem non priùs inolevisse, quàm ex quò Arius Presbyter, de Doctrina disserens, insolitam introduceret.* Adducta verba affirmant antiquam Consuetudinem fuisse postmodò revocatam, utique post extinctam Arii hæresim. Suo loco elucidabitur. Ab Agrippino Carthaginensis Episcopo motam de iterando Hæreticorum Baptismate quæstionem exponit in secundo contra Donatistas Libro sanctus Augustinus, affirmat in plurimis Provinciarum ante Nicænum Concilium Synodis, fuisse agitatam, atque subjungit: *Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illustrationem, confirmationemque perduci, nisi primò diutius per orbis terrarum Regiones, multis hinc atque hinc Disputationibus & Collationibus Episcoporum pertractata constaret? Hoc autem facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quæruntur; & propter inveniendi difficultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione Sententias, donec ad verum liquidumque perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in Parte præcisa remaneat insanabile vulnus Erroris.*

Cap. 19

Cap. 4.

Hanc Regulam Eusebius Nicomediensis, ac alii Ario faventes Episcopi servandam simularunt, & non servarunt. Primus itaque suæ Provinciæ Synodum coegit Eusebius, Arii causam ac sancti Alexandri Synodum retractavit, probavit istius blasphemias, absolvit ipsum ab injecto per Patriarcham vinculo, & reddidit Communioni. Declaravit istud vinculum fuisse non Synodale Judicium, sed erroneum aut hostile vinculum, ideoque ab omnibus spernendum ac exsufflandum. Quod ipsum fecerunt Paulinus Tyri Episcopus, Phœniciæ Metropolita, Eusebius Cæsaræensis Episcopus, Metropolita Palestinæ, ac Patrophilus Episcopus Schytopolitanus. Blasphemum hominem non dumtaxat in Laicam, sed etiam in Presbyteralem Communionem, ac sui Gradus plenitudinem repararunt, & addiderunt Potestatem celebrandi Conventus: Non quidem publici ex omni Populo, sed privati ex solis Congerronibus: Nam & omnes hos sui gradus plenæ communioni reddiderunt. Eis permiserunt privatam Para-Synagogam. Athanasius Anazarbi Episcopus istis non adnumeratur. Quod nempè Cilicia tunc necdum esset divisa in duas, ideoque Anazarbi Antistes necdum esset Metropolita. Et hinc nascitur Quæstio cur istis adnumeretur Patrophilus Schytopolitanus? An Palestina ex tunc fuerit secta in plures, atque ita Schytopolis fuerit Metropolis? Est res alterius loci. Etiam orthodoxi per varias Provincias Metropolitæ hanc caussam tractarunt in suis Synodis. Et quidem isti Ariani gravissimè excesserunt. Etenim Hæresim firmarunt, arietarunt omne Romanum Imperium, & horrendè prævaricati sunt Apostolicum Canonem, qui vetat alienos damnatos reparari. Omnem Arianæ non tantummodo blasphemiæ, sed etiam damnationis scabiem in se traduxerunt. Et adversùs ipsorum audaciam Nicæna Synodus innovavit Apostolicum Canonem.

Ab ipsis illatas & Romano Imperio & omni Christianitati plagas exponit sanctus Patriarcha Alexander in Literis ad sanctum Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum: Arius & ejus à nobis damnati Congerrones *huc & illuc contra nos excurrentes, ad ejusdem nobiscum fidei Collegas nostros pergere cœperunt, per speciem quidem expetendæ pacis & concordiæ, reverà autem ut illorum aliquos per sermonis lenocinia in sui erroris contagionem pertraherent. Et loquaciores ab eis literas flagitantes, coramque iis quos in errorem induxerunt, has legentes, faciunt ut sine sui lapsus pœnitentia maneant, atque adsuescant ad impietatem, quasi ejusdem secum sententiæ & opinionis habeant Episcopos. Quæ autem pravè apud nos docuerunt vel egerunt, & quorum gratia sunt expulsi, minimè illis confitentur; sed vel silentio premunt, vel fictis Sermonibus, Scriptisque obscurantes deludunt. Itaque probabilibus & blandis colloquiis*

qulis perniciosam suam Doctrinam obtegentes, fraudi expositos in errorem rapiunt, ac Religionem quoque nostram apud omnes calumniari non cessant: Unde fit, ut non-nulli Literis eorum subscribentes, in Ecclesiam illos recipiant. Ex quo quidem maxima, ut opinor, Comministris nostris, qui hoc ausi sunt, imminet infamia, quod neque Apostolicus Canon id permittat, & Diabolicam adversùs Christum operationem, quæ illis in-est, vehementiorem efficiat. Ex quo vides plures ab illis Episcopos esse circumscriptos; præsertim post illis factam à duobus Eusebiis & aliis seductis Episcopis reparationem. Easdem turbas memorat in Ecclesiastica

Lib. 1. cap. 5. Historia Theodoretus: *Cum in hunc modum per Ægypti & Orientis Ecclesias sparsa esset blasphemia, Contentiones de Divinis Dogmatibus, pugnæquè in singulis Urbibus & Vicis oriebantur. Reliquus verò populus, rerum istarum spectator, Judexque Sermonum, pars istis, pars aliis favebat, & tragedia & luctu dignæ res erant. Nec enim externi hostes, sicut olim, Ecclesias oppugnabant, sed Gentis ejusdem homines, Tectique unius ac Mensæ participes, contra se-ipsos hastarum loco linguas acuebant. Immò verò, cum unius ipsi corporis membra essent, adversùs seipsos mutuò armabantur.* Eadem tunc grassari cœpit calamitas, quam, per Ephesini Concilii inter S. Cyrillum Alexandriæ, ac Joannem Antiochię Patriarcham Schisma, fuisse grassatam scribit Ibas Edessenus Archi-Episcopus: *Ob hoc multa tristitia inter eos,* Ægyptios ac Orientales *facta est. Et in contentione erant Episcopi adversùm Episcopos, & Populi adversùm Populos. Et completum est opere, quod scriptum est: Quia erunt inimici hominis domestici ejus. Ex hoc detractiones multæ adversùm nos factæ sunt Paganorum ac Hæreticorum. Non enim audebat aliquis de Civitate in Civitatem, aut de Provincia in Provinciam proficisci, sed tanquam inimicum suum unusquisque Proximum suum persequebatur.*

Acta Magni Imperatoris Constantini circà Arii exordia.

Lib. 2. cap. 3. HAc de re scribit Gelasius Cyzicenus: *Cum Alexander talia passim pèr singulas Civitates scripsisset, malum ipsum deteriùs evasit. Hæc cum rescivisset Imperator Constantinus, magnum animo dolorem cœpit, remque eam suam ipsius calamitatem reputans, & malum jam accensum protinùs exstinguere contendens, Literas ad Alexandrum & Arium mittit per virum fide dignum Episcopum Cordubæ, Civitatis cujusdam Hispaniæ: Siquidem illum diligebat Imperator, & summo prosequebatur honore.* Eadem scribit Theodoretus: *His cognitis sapientissimus Imperator, primum quidem fontem ipsum malorum obstruere conatus est, atque insignem quendam solertia virum Alexandriam misit cum Literis, exstinguendæ contentionis studio, & spe reducendarum ad concordiam Partium.* Socrates ferè repetit verba Gelasii. Amplius quid scribit Hermias So-

Lib. 1. cap. 15. zomenus: *At verò cum multa Concilia de hac re in Ægypto celebrata fuissent, & ita exardesceret Contentio, ut ad ipsam Imperatoris aulam pervaderet, Imperator Constantinus non mediocriter animo commotus est.* Addit quod ad hæc comprimenda Hosium Cordubensem Episcopum miserit cum Literis. Disertè adfirmat hanc Legationem non statim in mali exordio; sed post multas tam in Ægypto, quàm in Oriente ac Bythinia, quæ Arium repararant, Synodis contigisse. Quod ipsum in Magni Constantini vita insinuat Cæsaræensis Eusebius. Gregorius Cæsaræensis in Cappadocia Presbyter addit in Nicænorum Patrum encomio: *Alexander præmunivit Episcoporum aures ne ab hiatu sensus Arii sinistrè arriperentur; incitat verò, ut communi Consilio citrà moram de his Optimum Dominum certiorem facerent.* Quod ipse etiam Alexander ad Principem retulerit, ac Arium compesci postularit, disertè testatur sanctus Epiphanius. Hæres. 69. c. 9.

Paucis exponere oportet, quantus & qualis fuerit Cordubensium Antistes Hosius. Sanctus Athanasius scribit in prima contrà Arianos Oratione: *Magnus ille, & confessor Hosius.* Et in prima Apologia: *Pater Hosius.* Et infra: *De magno illo & gravissimæ ætatis viro, eodemque Confessore Hosio, qui verè Hosius est, id est sanctus, superfluum arbitror mentionem facere. Non enim quidquam latere potest in viro tantæ claritudinis. In qua enim Synodo ille non Dux, & Antesignanus fuit? Quem non ille recta tuendo in sententiam suam pertraxit? Quis illum mæstus adiit, & non lætus abierit? Quis indigens ab eo postulavit, quin postulatum obtinuerit?* Et iterum: *Magnus Hosius Confessor.* Arianos arguit, quod non erubuerint Imperatorem Constantium seducere ad tantum Episcopum vexandum & proscribendum. Et in secunda Apologia: *Hosius ille magnus.* Et in Literis ad suos Monachos, inducit Arianos ad Constantium, quò Hosium proscribi persuadeant, ita perorantes: *Nihil profecimus, quamdiu reliquus est Hosius. Quamdiu ille in suis agit, omnes* Episcopi *in suis Ecclesiis agere videntur. Potest ille & verbis & authoritate fidei suæ omnes contra nos inducere. Hic Princeps est Synodorum: Et si quid scribit, ubique auditur. Hic fidei formulam in Nicæno Concilio concepit: Et Arianos ubique pro Hæreticis traduxit. Quod si ille igitur in suo statu maneat, supervacaneum est cæterorum* Episcoporum *exilium.* Et adducit verè Episcopales Hosii ad Constantium, qui ad lapsum vergebat, Literas, atque subnectit: *Hæc Abrahamicus ille senex, verè Hosius, hoc est sanctus, & sensit & scripsit. Omnibus ille notus erat, ac verus pro suo nomine Hosius, hoc est, sanctus habebatur, vitaque ejus irreprehensibilis, nisi ex odio ejus contra hæresim crimen mutuarentur.* Et in Imperatorem Constantium, qui tantum Virum proscribere & tormentis adficere non erubuit, prosequitur: *Nihil veritus* est *impius, nec Deum, neque Patris sui, quem erga Hosium habebat, affectum, neque senectutem hominis, jam centenarii, inhumanus ille respexit.* Etiam sanctus Gregorius Nazianzenus ipsum appellat *Senem illum & Abrahamicum Patrem,* & adjungit ad Arianos: *Quem ex Exilio redeuntem, medio die, media in urbe, saxis excepistis.* Sanctus item Phæbadius Agennensis Episcopus, & omnis Gallicana Ecclesia ipsum inscribit *Antiquissimum Sacerdotem, & promptæ semper fidei Hosium.* Et adjungit: *Novit Mundus, quæ in hanc tenuerit ætatem, qua constantia apud Sardicam & in Nicæno Tractatu adsensus sit, & damnaverit Arianos.* Adfirmat fuisse

Marginal references (right column): Fol. 121 (prima contrà Arianos Oratione); Fol. 526 (prima Apologia); Fol 547 (De magno illo); Fol. 550 (Magnus Hosius Confessor); Fol. 625 (secunda Apologia); Fol. 648 (Literis ad suos Monachos); Fol. 650 (Hæc Abrahamicus); 25. (Gregorius Nazianzenus).

fuisse ferè centum annorum. Et S. Papa Liberius, dum ab Imperatore Constantio in exilium protrudebatur, omnia sua exposuit Hosio: Utpotè summo apud omnes Episcopo. Ita habes in Fragmentis S. Hilarii Pictaviensis. Et in Illustrium Virorum Catalogo scribit S. Isidorus Archi-Episcopus Hispalensis: *Hosius Cordubensis Civitatis Episcopus scripsit ad sororem suam de laude Virginitatis Epistolam, pulchro & diserto comptam eloquio. In Sardicensi etiam Concilio quàm plurimas edidit ipse Sententias.* Alias ejus ad Imperatorem Constantinum Literas S. Athanasius inseruit suæ secundæ Apologiæ. Et in secundo suæ Historiæ Sulpitius Severus: Hosius *omni ferè ætatis suæ tempore constantissimus* fuit *nostrarum partium. Et Nicæna Synodus authore*, id est, Præside, *illo confecta habebatur.* Ex S. Hilarii testimonio addit fuisse *majorem centenario.* Adversùs illum scripsit Parmenianus Donatistarum Archi-Episcopus Carthaginensis: *Per Hosium Hispanum* est *adjutorium præstitum Cæciliano, ut ad eorum communionem, sanctorum & illibatorum numerus cogeretur. Et huic impietati fides Servorum Dei integra restitit.* Et rursùm: *Quod eos*, Donatistas, *Constantinus ad Campum, id est, ad supplicium duci jussit. Et hoc tanquam immaniter jussit, Hispano Hosio suggerente.* Habemus hæc apud S. Augustini Libros contra Parmenianum. Parmenianus accusat Hosium, quod Romani S. Papę Melchiadis, ac Arelatensis Synodi in Donatistas judicium fuerit executus. Quod insuper Constantinum induxerit ad Donatistas ducendos in sceleratum Campum, & gladio feriendos. Hoc est splendidum nugamentum. Etenim primus, qui Augustum gladium extendit in Hæreticos fuit Imperator Maximus in Hæresiarcham Priscillianum. Reliqua sunt magna Hosii laus. Demonstrat eum Magno Constantino fuisse domesticum Episcopum, quem posterior ætas appellavit Archi-Capellanum. Et quod ista vera sint, demonstrant hæc apud Eusebium, quam ad S. Alexandrum ac Arium Magnus Constantinus per Hosium misit, præsentis Epistolæ verba: *Proinde cum insania quędam intolerabilis, propter temerariam levitatem quorundam, Religionem à Populo observatam in varias Sectas discindere molientium, universam Africam occuparet, hunc morbum cum ipse levare cuperem, nullum aliud remedium ei curando satis idoneum inveniebam, quam ut quosdam ex vestrûm numero adjutores ad conciliationem hominum inter se dissentientium mitterem, quò invidia penitùs restingueretur.* Sensus est, eundem, quem nuper ad componendas Afrorum Episcoporum discordias misi, Hosium nunc vobis mitto ad eundem scopum. Exstant longè plura Hosii Encomia.

Fol.425

Lib. 1. cap. 5. & 8.

Lib. 2. cap. 64.

Imperator Constantinus hęrebat tunc Nicomediæ in Palatio Imperatoris Diocletiani. Ex hoc vicino loco intendebat ædificationi Civitatis Constantinopolitanæ. Hinc igitur Hosium legavit cum communi ad S. Alexandrum & Arium Epistola. Et hìnc quidam censent Arium tunc adhuc fuisse Alexandrię. At certum est labi. Etenim tunc ille proscriptus vagabatur per Orientalem Diœcesim. Hinc Hosius non dumtaxat Alexandriam, sed & in Orientem est legatus: Ut communes literas ambobus insinuaret. Earum contentum fuerunt sequentia Capita. Primò, protestatur sibi nihil esse magis in votis, quam omne Romanum Imperium, immò omnem Mundum impartiri omnigena pace. Se semper hoc ostendisse & Gladio & Verbo. Nempe per Gladium occidendo Tyrannos; per Verbum exhortando omnes ad Christianum & Orthodoxum Divinæ Majestatis cultum. Secundò affirmat sibi esse singulare studium ad exstinguendas omnes Hæreses. Et hoc demonstrat per sua Acta adversùm Donatistas in Africa. Tertiò adfirmat in singulari apud se reverentia semper fuisse Orientalem Ecclesiam. Eò quod ipsam non dumtaxat Apostoli, sed & ipse Christus Dominus proprio ore docuisset. Hinc singulari opera se ipsam liberasse à vexationibus Licinii Tyranni. Quartò adfirmat præsentem ejus Turbationem esse sibi acerbissimam: Acerbiorem omni Tyrannide Licinii. Quintò adfirmat hujus tantæ perturbationis radicem exilem admodùm, ac penitùs indignam, ideoque sibi molestiorem. Sextò & Alexandrum & Arium laudat à prudentia, ac sese offert in arbitrum levium Quæstionum: Eum nuper Donatistæ in Arbitrum postularant: Hinc ille forsan nunc offert se-met-ipsum. Quod nempe Quæstiones crederet levissimas. Septimò, primam harum Quæstionum originem non in Arium refert, sed in S. Alexandrum, ideoque utrumque increpat, & seriò hortatur ad concordiam. Octavò adfirmat has Quæstiones non ad immobile Christianitatis Dogma, sed ad humanam Christiani studii curiositatem spectare, ideoque, propter ipsas, in quibus quisque posset abundare in suo sensu, non fuisse turbandam, longè minùs lacerandam Ecclesiam. Et hæc amplissimè exaggerat. Adfirmat circa hæc non minùs Christianos, quàm circa suas opiniones Philosophos, salvo unitatis vinculo, posse discordare. Assiduè inculcat has quæstiones esse modici ponderis. Nonò affirmat has turbas adeò sibi displicere, ut propter ipsas Orientalem Diœcesim, quò tendebat, noluerit accedere. Se nolle talia aspicere propriis oculis. Sibi nec dies esse tranquillos, nec quietas noctes. Hinc instanter obsecrat sibi à Subditis suis impendi beneficium istius tranquillitatis ac quietis. Et ut Partes inducat ad pacem, adjungit: *Sæpè-numero post inimicitias depositas Amicitia iterùm reconciliata plus solet habere jucunditatis.* Nempè norat Alexandrum antè fuisse Ario addictissimum. Et tandem Literas concludit: *Deinceps igitur vestra concordia patefacite mihi aditum ad Orientem, quem vos vestris dissidiis ultrò citroque ferventibus intercluseratis; & efficite brevi, ut cùm vos pariter, tùm reliquum universum Populum lætitia gestientem cernam, & omnes unà pro communi concordia & Libertate consentientibus laudum præconiis debitas gratias Deo Opt. Max. agamus.*

Hasce Litteras laudat etiam Hermias Sozomenus, atque adjungit: Constantinus *& Arium & Alexandrum in crimen Manifestà vocavit.* De sola Quæstione, non autem de Arii Synodali damnatione facit memoriam. Et Arium & sanctum Alexandrum tractat ut pares. Et palmare Christiani Dogmatis fundamentum appellat futiles Quæstiones. Ad Imperatorem Constantium scribit in prima Apologia sanctus Athanasius: *Nunquam sine comitibus aut arbitris fratrem tuum,* Imperatorem Constantem, *vidi, neque ille unquam mecum solus cum solo verba miscuit, sed semper cùm Episcopo ejus loci, ubi agebat.* Exponit

Lib. 1. cap. 15.

Fol. 526

nit hæc in compendiario Legum Delectu Imperator Leo Sapiens : *Episcopos, qui in Regiam urbem venerint, ex quacumque fuerint Diœcesi, ante omnia abire jubemus ad Beatissimum Constantinopoleos Archi-Episcopum & Patriarcham, atque ita ad nostram venire Serenitatem.* Ad Sacrum Comitatum accedens Episcopus aut quivis Clericus nequibat immediatè, aut solus Principem accedere; Sed debebat sua exponere civitatis Episcopo, ab ipso induci ad Sacras aures, & coram illo sua referre. Quod magnum Munus postmodò Orientalis Ecclesia reservavit soli Constantinopolitano Episcopo. Aliqui ipsum censent inductum à Magno Constantino: Aliqui volunt esse antiquius, & viguisse etiam sub Paganis Imperatoribus. Est quæstio alterius loci. Quidquid sit, hoc Munus dilexit Eusebius Nicomediensis Episcopus, atque ex ejus amore deseruit Bereheensem in Syria Cathedram, & transivit Nicomediam. Illic enim tunc erat Augustum Palatium, atque ita Princeps illic præsertim morabatur. Eadem de caussa, dum Palatium transivit Constantinopolim, ejusdem Episcopatum invasit Eusebius. Et hujus Muneris ab eo gestionem respicit in Panario sanctus Epiphanius: *Arius cùm de Eusebii Nicomediensis Episcopi, qui eadem cum ipso sentiebat, factione esset, ab eo ad Imperatorem perductus est.* Et infra: Meletiani ac Ariani *rem ad Imperatorem Constantinum deferunt, cujus totius Factionis administer ac Satelles fuit Eusebius Nicomediensis Episcopus.* Hinc per ipsum illi omnia ad Principem detulerunt. Eodem jure sancti Alexandri adversùs Arium ad Constantinum Legatos audivit Eusebius, & ad præventum à se Principem induxit. Hinc non est dubitandum quin adductas ipse composuerit Litteras, atque ita Arianas turbas insigniter adauxerit.

Tit. 9. | Hæref. 68. c. 4. | Cap. 6.

Audiamus rem ab Eusebio Cæsaræensi: *Quibus auditis Imperator, animo suprà modum dolens, & rem illam propriæ calamitatis loco statuens, confestim Virum ex numero Piorum, quos circà se habuit, quem modesta fidei virtute satis spectatum, & superioribus temporibus Pietatis Confessione insigniter decoratum intelligebat, mittit, ut pacem inter eos, qui Alexandriæ discordabant, conciliaret: Litterasque ad eam rem inprimis accomodatas per eundem ad seditionis Auctores dat.* Eusebius adducit integras Litteras, & concludit; *Ad hunc igitur modum Deo charus Imperator, his, quæ ad pacem Ecclesiæ facere videbantur, per Epistolam missam diligenter prospexit. Ille verò bonus & spectatus Nuntius non solùm Litteris fideliter perferendis, sed Imperatoris mittentis voluntati pro sua Virili parte inservivit. Et quamquam omninò Pius vir fuit, tamen hoc majus quiddam erat, quàm quod per Litteras administrari posset. Quippe magis magisque dissentientium lis accrevit, & universas Orientis Provincias mali illius Impetus invaserat. Invidia igitur, & perditus Dæmon, qui semper Ecclesiæ commoda ægrè & iniquo animo fert, ista admisit.* Sunt hìc quædam notanda. Primò, quod Eusebius non exprimat nomen Hosii. Nempè hunc oderat, ob Acta in Nicæno Concilio. Deinde, eum variè laudat. Affirmat fuisse Magni Constantini Collateralem, & insignem Confessionis gloria. Quod ipsum suprà audivimus à Magno Athanasio. Tertiò Eusebius dicit & sanctum Alexandrum & Arium, fuisse hujus mali ex æquo Authores. Est horrendum Ariani Scriptoris commentum. Quartò dicit, quod hæc Legatio nihil profecerit. Nec est mirandum. Etenim Litteræ per Nicomediensis Eusebii Vafritiem continebant talia, quæ nec sanctus Alexander audire posset, nec Arius vellet admittere. Erant studio compositæ ad flammas magis incendendas. Porrò tempus, quo Hosius Confessionis gloriam obtinuit, exponit ipse in Litteris ad Imperatorem Constantium: *Ego Confessionis munus explevi, Primùm cum persecutio moveretur ab Avo tuo Maximiano.* Hic est Maximinianus Herculius, cujus filiam Faustam duxit Constantinus Magnus, & ex ipsa genuit Constantinum, Constantium, & Constantem. Ex his vides Maximiniani Herculii persecutionem fuisse etiam in Hispania. Istam Hosii Epistolam sanctus Athanasius inseruit suis Litteris ad suos Monachos. Quid porrò sit esse *Confessorem*, exposui in Scholiis ad Præscriptiones Tertulliani. Fol. 649

Lib. 1. cap. 62. | Cap. 71.

Alexandrina Synodus Hosii, Cordubensis Episcopi.

NOn solas Constantini litteras detulit magnus Hosius, sed insuper magnam Synodum celebravit apud Alexandriam, & omnem Arii ac quorundam aliorum caussam Synodaliter discussit. Hanc Synodum Mareoticus Clerus laudat in litteris ad Flavium Philagrium Præfectum Augustalem, & quosdam alios Romani Imperii in Ægypto Ministros: *Quoniam Theognius* Nicænus, *Maris* Chalcedonensis, *Macedonius* Mopsuestiensis, *Theodorus* Heraclæensis, Item *Ursacius* Singidunensis, & *Valens* Mursiensis Episcopus, *missi ab Episcopis, qui Tyri in Concilium coierant, ad nostram Paræciam profecti, dixerunt sese in mandatis habere, ut inquirerent in quædam Ecclesiastica facinora, & inter cætera de Calice confracto, cum jam anteà ad id Ischyram quendam subornassent, quem secum adduxerunt, hominem minimè Presbyterum, tametsi se eo nomine jactitet, quippe ordinatum à Colluthho quodam, non vero, sed imaginario Episcopo, cui in Generali Concilio ab Hosio, & à cæteris Episcopis, qui unà aderant, jussum fuit, ut se pro Presbytero, qualis anteà fuerat, haberet; atque ideò omnes ab illo constitutos in veterem suum Ordinem recurrissent; Inter quos etiam Ischyras numerandus est, qui dicit se eam Ecclesiam habere, quæ nunquam fuit; Quippe quæ Domuncula sit in Prædiis cujusdam pupilli, nomine Isionis.* Eandem Synodum idem Clerus laudat in Litteris ad Tyriam Synodum: *Admiramur quomodò vel ulla tandem ratione Ischyras pro Ecclesiastico habeatur, de qua re primùm nobis referendum arbitramur, Ischyras enim nunquam ex Sacris Ecclesiæ Comministris fuit; sed primùm jactavit se Colluthi Presbyterum; verùm ita ut neminem haberet, qui ipsi crederet, exceptis dumtaxat Cognatis suis, ut qui nec unquam Ecclesiam obtinuerit, nec Clericus ab ullis, nisi qui longiùs ab illius Pago habitarent, unquam sit creditus, solis dumtaxat ejus Cognatis exceptis. Idemque, cum talem sibi Titulum vendicasset, in Alexandrina Synodo, in præsentia Patris nostri Hosii, depositus est, & cùm Laicis in Ordinem redactus; atque in eo statu*

reliquum jam inde tempus permansit. Ad istum igitur modum inanis illi Presbyterii fama excussa est. Extant hæ Epistolæ in secunda Apologia S. Athanasii. Eandem Synodum laudat Alexandrina pro S. Athanasio Synodus in suis Encyclicis Litteris ad omnes sub cœlo Orthodoxos Episcopos: *Presbyter, qui* fracto per S. Athanasium Calici *fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia ordinatus est Presbyter, neque, cùm à Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus: Quo pacto igitur Presbyter Ischyras? Aut quo tandem authore constitutus? Nunquid scilicet à Colluthо? Id enim restat: Atqui Colluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum Impositionem rescissam, & omnes ab eo constitutos in Laicorum Ordinem redactos esse, & sub nomine Laicorum ad Synaxim admissos, adeò apud omnes constat, ut nemo ea de re dubitandum putet.*

Fol. 616 Fol. 614

Ex his discimus varia. Primò, quod ista Synodus fuerit Alexandrina. Secundò, quod fuerit Generalis, nempe totius Ægyptiacæ Diœcesis. Tertiò quod Hosius fuerit ejus Præses. Ita enunciant hæc verba: *Ab Hosio & à cæteris Episcopis.* Quartò, quod prætensus ac adsumptus à Colluthо Episcopatus fuerit damnatus, ac declaratus esse fictus atque imaginarius. Quintò, quod ipse fuerit rejectus in gradum Presbyterii. Et hæc fuit summa gratia Dispensatoria, forsan quod Arianis blasphemiis constans adversaretur; alioquin merebatur plenè degradari. Sextò discimus, quod omnes ejus Ordinationes fuerint damnatæ & exufflatæ. Septimò, quod inter hos fuerit famosus Ischyras. Octavò, quod Colluthus sit defunctus in gradu Presbyterii. Quare videtur obedivisse Synodali Sententiæ, ac in Ecclesia & gradu ad mortem permansisse. Notanda sunt hæc verba: *In Laicorum Ordinem redactos esse, & sub nomine Laicorum ad Synaxim admissos.* Palam edicunt, quod apud Antiquos fuerit Laica Communio. Quin eadem in Synodo, licet aperto testimonio firmare non possemus, fuerit innovata & stabilita cunctæ Arianæ Blasphemiæ ac factionis damnatio, non est dubitandum.

Quæstio est, qua authoritate Hosius fecerit hanc Synodum, ac ipsi Præsederit? Etenim in sexto Libro de Sacerdotii & Imperii concordia scribit D. Petrus de Marca, Archi-Episcopus Parisiensis: *Extra-ordinarium in Politia Ecclesiastica est mitti in Provincias Legatum, qui Conciliis Provinciarum interesset, quemadmodum ad Celestinum Papam scribit Concilium Africanum.* En verba Concilii: *Nam ut aliqui tanquam à Sanctitatis tuæ Latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum.* Pergit D. Archi-Episcopus: *Unde concludunt non toleraturam diutiùs Africam Faustini Episcopi, Sedis Apostolicæ Legati, præsentiam. De illo enim intelligi debet hic locus, non autem de Apiario, ut censuit Illustrissimus Cardinalis Perronius: Securi sumus quod eum probitate ac moderatione tuæ Sanctitatis, salva fraterna charitate, ulterius Africa minimè patietur. Fatendum quidem est hanc Africanorum Propositionem esse contrariam Concilio Sardicensi: Verùm Afris ignotum erat istud Concilium. Interim Africanorum Regula certa manet, nisi si casus evenerit in Concilio Sardicensi notatus. Unde sequitur necessarium esse, ut si ea tempora incidant; ut necessè sit hanc Disciplinæ Canonicæ Regulam transgredi, Suprema Protectionis Canonum authoritas, quæ penès Reges est, conveniat cùm Suprema Executionis authoritate, quæ ad Summos Pontifices pertinet. Atquè adeò non posse Legatos mitti in Provincias, nisi ita Principes fieri consentiant, ob caussam aliquam, quæ ad statum Ecclesiæ Gallicanæ pertineret.* Quæ omnia in eodem Opere studet firmare variis testimoniis & exemplis. Respondeo hæc omnia everti per præsentem Hosii Synodum. Et istum esse antiquissimum morem firmat in Litteris ad nescio quem Romanum Pontificem magnus Basilius. Rogat mitti Legatos, qui omnem ab Ario devastatam Orientalem Ecclesiam solentur, visitent, atque reparent; & adjungit: *Prorsùs nihil intempestivum cupimus, sed quod Beatis olim viris, & Deo charissimis, in more positum fuit, & omnium imprimìs familiare vobis-met-ipsis. Novimus enim partim beneficio memoriæ per successionem rerum, à Patribus ad nos deductarum, partim per Literas edocti intelligimus, quæ sunt etiamnum apud nos custoditæ, Dionysium illum Beatissimum Episcopum, qui olim apud vos celeberrimus erat, cùm ob fidem sinceram, tùm virtutes reliquas egregias, per Literas suas Ecclesiam nostram Cæsaræensem curasse, ac misisse huc de suis qui Fratres è captivitate liberaret.* Affirmat præsentem sub Ariana Tyrannide captivitatem esse longè duriorem, ideoque digniorem à Romana Legatione curari. Quæ curatio fieri non possit, nisi per Synodum. Hanc proinde præsentem Synodum ex Apostolicæ Sedis authoritate fecit Hosius, ac ipsi præsedit. Etenim non ad Magnum solummodò Constantinum, sed & ad sanctum Pontificem Sylvestrum sanctus Alexander omnia retulit; atque ita ex utriusque authoritate Hosius hæc egit in Ægypto. Hujus rei, licet alia Documenta interierint aut lateant, facta ad Apostolicam Sedem Relatio est abundè sufficiens testimonium. Ad sensa Domini Archi-Episcopi respondi in Scholiis ad Dictatum sancti Gregorii Septimi, & suo loco ipsa uberius attingam. Et certè adducta Africanę Synodi allegatio non facit ad propositum. Hæc enim non quamvis Romanæ Sedis Legationem impugnat, sed dumtaxat illam, quæ fiebat ad audiendas ac judicandas Appellationes Cleri inferioris. Hæc erat singularis Africanæ Ecclesiæ consuetudo, suo item loco exponenda.

Cap. 31 — Epist. 220.

Syra Synodus Hosii, Cordubensis Episcopi.

Hujus Synodi fundamentum edicit in Libris de Magni Constantini vita Eusebius Cæsaræensis: *Morbus porrò alius longè gravissimus istas res ante-gressus est, qui longo tempore Ecclesiæ multùm exhibuisset molestiæ. Dissensionem dico de salutari Paschatis festo ortam. Etenim alii, Judæorum ritum sequendum adseruerunt: Alii temporis quidem articulum in eo Festo celebrando accuratè observandum esse, non tamen imitandam consuetudinem eorum, qui errore cæcati, alieni à gratia Evangelica esse viderentur. Hac igitur in Controversia cum prolixo jam temporis spatio Populus*

Lib. 3. cap. 5.

pulus ubique admodùm dissensisset, Divinæque Leges & Instituta confusione quadam essent permixta, ita ut temporis in uno eodemque Festo observando Varietas & Discrepantia maximam discordiam Paschatis solemnitatem celebrantibus excitaret: Quippe eodem tempore alii jejuniis & corporis afflictatione se exercebant, nonnulli se tradebant otio, & remissioni animorum. Quamquam nemo certè erat, qui huic malo remedium invenire potuerit, præsertim cum contentio dissidentium animos ex æquo exagitaret. Exponit Hermias Sozomenus: Imperator Constantinus, *cum certior factus esset, quosdam esse, qui diem Festum Paschæ alio penitùs more ac modo, quàm cæteri omnes, celebrarent, acerbè quoque tulit. Nam nonnulli, urbes versùs Orientem incolentes, illo tempore ab aliis de hoc Festo agendo dissensere; Qui etsi à Communione mutua minimè temperarint, istud tamen Festum, propiùs ad Judæorum consuetudinem accedentes, celebrare soliti sunt. Qua quidem dissensione splendorem Festi magnoperè obscurarunt. Itaque à Constantino vehementer laboratum est, ut dissensione, de utraque Re,* utique Ariana Hæresi & Paschalis Festivitatis differentia, *suscepta, Ecclesiam prorsùs liberaret. At quoniam hoc Malum, si modò antequam ad plures manaret, coerceretur, sanari posse existimabat; idcircò misit virum, quem circà se habebat, fide & vitæ integritate præstantem, & superioribus temporibus ob varias Religionis Christianæ Confessiones admodùm nobilitatum, Hosium dico, Episcopum Cordubæ, quò illos qui in Æypto de fide digladiabantur, tum bos qui in Oriente de Festo Paschatis dissentiebant, ad concordiam reduceret.* Eadem de re ad decimum-septimum Constantini Annum scribit sanctus Martyr Theophanes: *Hoc anno Magnus Constantinus, cum Arii motum rescivisset, & ægrè ferret, ad Alexandrum & Arium, ut malignum omnem dissidii motum dissolverent, ac pacem inter se gererent, communem Epistolam dedit. Sed & ejusdem Arii caussa Hosium Cordubensem Episcopum misit Alexandriam; & mox in Orientem, ad antiquam Orientalium consuetudinem, qua Judaico vicini Ritui Pascha celebrabant, emendandam. Utraque tamen re infecta reversus est.* Consonat in Ecclesiastica Historia Anastasius Bibliothecarius: *Septimo-decimo Imperii sui anno Constantinus, comperta Arii commotione valdè tribulatus, scripsit Alexandro & Ario communem Epistolam; Consilium dans nequam commotionem solvendi, & ad pacem mutuam redeundi. Misit autem & Hosium Cordubæ Alexandriam contra Arium; Et ad Orientem, correcturus Orientales, Pascha pejùs quàm Judæi ex antiqua consuetudine celebrantes. Reversus est autem ad utrumque inefficax.* Ambarum harum contentionum sopiendarum mandatum dedit Hosio Constantinus. Haud dubiè etiam sanctus Papa Sylvester.

Lib. 1. cap. 15.

Hæc Quæstio est elucidanda. De ipsa in Literis ad Africanos Episcopos scribit sanctus Athanasius: *Syri, Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, nobiscum dissentiebant in temporibus Paschæ celebrandi, quod eodem die cum Judæis celebrabant.* Affirmat ita illic fuisse usque ad Nicænam Synodum. Etiam omnem Asiaticam Diœcesim ita celebrasse, lucet ex Quæstionibus factis inter sanctum Victorem Pontificem, ac Polycratem, Ephesinum Episcopum, Primatem istius Diœceseos. Idem de Pontica Diœcesi, Palestina, ac ipsa Hierosolymitana Ecclesia scribit in famosa ad sanctum Cyprianum Epistola sanctus Firmilianus, Cæsaræensis in Cappadocia Episcopus, Primas Ponticæ Diœceseos: *Eos qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare quæ sunt ab origine tradita, & frustrà authoritatem Apostolorum prætendere, scire quis etiam inde potest, quod circà celebrandos dies Paschæ videat apud illos esse aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur.* Affirmat Romanam Ecclesiam in designanda hujus Festivitatis die discessisse ab Apostolica Traditione, ideoque ab eadem potuisse etiam circà Hæreticorum Baptisma discedere. Circumscriptus atque iratus Firmilianus loquitur. Ponticos suos, licet disertè non exprimat, omninò asserit cùm Hierosolymitanis celebrare. Eos in Literis, pro Nicænæ Synodi executione scriptis ad omnes Ecclesias, expressit Imperator Constantinus, & adjunxit Asiaticis atque Cilicibus. Eundem morem usque ad Nicænam Synodum viguisse in Antiochena Patriarchali Ecclesia testatur in Sermone adversùs eos, qui Pascha jejunant, ejusdem Ecclesiæ Presbyter sanctus Joannes Chrysostomus. Quæ omnia insigniter confirmat S. Epiphanius. Quartodecimanum Audianorum errorem exponit, & adducit hoc ejus fundamentum: Quod videlicet olim hæc in Ecclesiam consuetudo recepta fuerit. Utique consuetudo Pascha cum Judæis celebrandi. Consuetudo varia. Etenim Epiphanius pergit: *Jam pridem, & à primis usque temporibus, variæ in Ecclesia de hac Solemnitate controversiæ ac dissensiones exstiterunt, quæ quotannis risum atque ludibrium adferebant. Nam alii quodam contentionis ardore antè hebdomadem, alii post hebdomadem inibant, alii ante-vertebant, alii medio tempore, alii postremo per-agebant. Et ut uno verbo dicam, mirifica quædam erat, & laboriosa perturbatio. Nec illud eruditis hominibus ignotum est, quàm sæpè diversis temporibus de illius Festi celebritate varii Ecclesiasticæ Disciplinæ tumultus ac contentiones obortæ sint. Præsertim Policarpi & Victoris ætate, cùm Orientales ab Occidentalibus divulsi pacificas à se invicem Literas nullas acciperent. Quod idem & aliis temporibus accidit; Veluti Alexandri Alexandrini Episcopi, & Crescentii: Quemadmodum contra se mutuò scripserint, & accerrimè pugnaverint. Quæ quidem animorum & opinionum distractio, ex quo semel post Episcopos illos, qui ex Circumcisione, ac Judæorum Secta ad Christum se converterant, agitari cæpit, ad nostra usque tempora est eodem tenore perducta.* Istius quarto-decimanæ Consuetudinis radicem sanctus Epiphanius affirmat fuisse Primævos Episcopos, quos Circumcisio seu Synagoga dedit Ecclesiæ.

Fol. 718

Hæres. 70. c. 9.

Aliud ejus fundamentum affirmat fuisse Apostolicam Constitutionem, cujus hæc verba adducebant Audiani Hæretici: *Vos temporum rationes ne subducite; sed eo tempore celebrate, quo Fratres vestri, qui ex Circumcisione prodierunt. Cùm iis Pascha per-agite. Quamvis aberrent ipsi, nihil id vos commoveat.* Epiphanius admittit Constitutionem esse authenticam ac veraciter Apostolicam. Et ipsam interpretatur: Apostoli *non præcipiunt, quo tempore fratres* vestri, *qui in Circumcisione sunt, sed qui ex Circumcisione prodierunt; ut illos ipsos*

Cap. 10

deda-

declarent, qui ad Ecclesiam à Circumcisione transierint, ex eo deinceps tempore Duces & Authores futuros; utque ad aliorum authoritatem adjungerent se-se, ne alii alio tempore obeundum sibi Pascha crederent. Hanc enim omnem illi curam ac diligentiam impendisse videntur, ut pacem ac concordiam adstringerent, nevè dissidia, atque opinionum dissensiones existerent. Porrò post Constitutionem illam quindecim è Circumcisione Episcopi fuerunt, idque Hierosolymis, quorum authoritatem Christianus omnis Orbis sequi, & cum illis Pascha celebrare debuit; Una ut omnium Concordia, una Professio, una Celebritatis obeundę Ratio & Consuetudo firmaretur. Et statim infrà: *In Apostolorum verò Constitutionibus ad concordiam perinde Decretum illud pertinet. Id quod illi ipsi testantur his verbis: Quamvis aberrent ipsi, nihil id vos commoveat.*

De Christiani Paschatis die Quæstio cœpit cum ipsa Prædicatione Evangelica. Variæ statim Ecclesiæ istud Festum egerunt vario die; ac ista varietas cunctis statim apparuit dissona, & Christianæ Religioni ignominiosa. Hinc zelosi ex variis Gentibus Episcopi retulerunt ad Apostolos, & ab ipsis, ut Audianis & S. Epiphanio visum est, istum Canonem impetrarunt. Mandat ille apud omnes Ecclesias esse de hac Festivitate concordiam ac uniformitatem, & ab omnibus observari morem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, matris & originis omnium Ecclesiarum. Hinc Epiphanius rectè dicit de Audianis: *Audiani cum Apostolici illius Decreti sensum minimè perciperent, ex eo sic apud se cogitarunt; Pascha Judæorum more celebrandum videri.* Certè Canon, licet non disertè, ita tamen omninò statuit per consequentiam. Etenim Hierosolymitana Ecclesia tunc regebatur à S. Jacobo Apostolo, aut ejus Successore S. Simeone, viris Judæis, seu ex Circumcisione Christianis, & continua post ipsos successione quindecim similiter circumcisis Episcopis, quos omnes certum est in cunctis judaizasse, atque ita etiam Pascha cum Judæis celebrasse. Et hinc in Opere de Orientalis Ecclesiæ Patribus Petrus Halloix rectè affirmat non solum Joannem Apostolum in Asia, sed ipsum etiam sanctum Petrum Antiochiæ Pascha observasse Luna decima quarta. Et Evodium item ejus successorem, ac Ignatium, & Heronem, clarissimos Martyres, omnesque alios Episcopos istorum Successores usque ad Nicænum Concilium, *per annos circiter trecentos;* etenim etiam Petrus, Evodius, atque Ignatius erant fideles ex Circumcisione. Rei successum colligo ex Ecclesiastica Sulpitii Severi historia: *Sub Hadriano* Imperatore *Judęi rebellare voluerunt, Syriam & Palestinam diripere conati, missoque exercitu subacti sunt. Qua tempestate, Hadrianus, existimans se Christianam Fidem loci injuria perempturum, in Templo ac Loco Dominicæ Passionis, Dæmonum simulacra constituit. Et quia Christiani ex Judæis potissimùm putabantur, (namque tum Hierosolymæ, non nisi ex Circumcisione, habebat Ecclesia Sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arcerent. Quod quidem Christianæ Fidei proficiebat; quia tum penè omnes, Christum Deum, sub Legis observatione, credebant. Nimirum id Domino ordinante dispositum, ut Legis servitus à libertate Fidei atque Ecclesiæ tolleretur. Ita tùm primùm Marcus ex Gentibus, apud Hierosolymam, Episcopus fuit.* (Lib. 2. cap. 45.) Ita Palestina Ecclesia desiit judaizare. Sepulta fuit Synagoga, ac ejus Sacramenta ex mortuis, apud omnes transierunt in mortifera. Qui ipsis tunc adhærere perstiterunt, facti sunt Hæretici Nazarei. Attamen vetustum Paschatis morem retinuerunt Antiochena, Hierosolymitana, Asiatica, Pontica, ac aliæ plures Ecclesiæ. Etiam plures abierunt, secutæ Romanam & Occidentalem Ecclesiam; à qua Paschale Festum semper die Dominico fuisse celebratum affirmat in Nicænæ Synodi executrice Epistola Imperator Constantinus. Occidens arbitratus est in præcipua Christianitatis Festivitate non judaizandum, sed potiùs honorandam Dominicam Resurrectionem, verum Pascha, peractam die Dominica. Utraque pars mansit firma. Etenim Polycrates Ephesiorum Primas à Romana Ecclesia excommunicari maluit cùm omnibus suæ Diœceseos Episcopis, quàm Judaico mori valedicere. Asseruit ipsum esse Apostolicum Institutum. Et habent Astipulatorem sanctum Irenæum, virum quidem Græcum, attamen Lugdunensem in Gallia Episcopum.

Laudata Constantini ad Ecclesias Epistola affirmat Pascha in die Dominico fuisse semper celebratum ab omnibus Occidentalibus, Meridionalibus, ac Septentrionalibus Ecclesiis, atque adjungit: *Ipse in me recepi vestram Sapientiam facilè assensuram, ut quod in Urbe Roma, in Italia, in tota Africa, in Ægypto, Hispania, Gallia, & Britannia, in Lybia, & universa Græcia, in Diœcesi Asiatica, & Pontica, in Cilicia denique, una & consentiente Sententia conservatur, hoc à vobis quoque lubentibus animis approbaretur.* Apud Venerabilis Bedæ Librum de ratione temporis exstat S. Proterii Patriarchæ Alexandrini ad S. Papam Leonem Epistola, etiam adfirmans S. Petrum Romæ, ac ejus Discipulum S. Marcum Alexandriæ sanxisse, ut Pascha die Dominica ageretur. (Cap. 42.) Et certè quod sanctus Petrus Romæ, ac sanctus Marcus Alexandriæ plantarint eosdem Sacræ Religionis ritus, novimus ex authenticis Testimoniis. Discipulus traduxit Disciplinam Magistri. Et hinc vides S. Petrum aliud apud Antiochiam, aliud plantasse apud Almam Urbem; ob varias rationes Loci & Populi. Apud Antiochiam plurimi, Romæ, ac per omnem Occidentem erant paucissimi ex Judæis fideles: Horum moribus se sanctus Petrus dispensatoriè accommodavit. Ex Magni Constantini verbis lucet Cilices, Asiaticos, & Ponticos etiam antè Nicænam Synodum in Romanum ritum transiisse. Certum est id non esse factum per præsentem Hosii Synodum. Est factum antea. Tempus & Auctorem statim inquiremus.

Opponi his possint duo. Primò, sancti Ignatii Martyris, & Antiocheni Patriarchæ authoritas in Epistola ad Philippenses: *Siquis cum Judæis celebrat Pascha, aut Symbola Festivitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt, & Apostolos ejus.* Altera est auctoritas Apostolicarum Constitutionum, collectarum per S. Clementem Pontificem Romanum: *Neque ampliùs cum Judæis tempus celebrandi Pascha observetis. Nulla enim nobis nunc cum eis communitas est.* (Lib. 5. cap. 16.) Et inter vulgares Apostolorum Canones

hic

hic est septimus: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus sanctum Paschæ diem antè vernum Æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur.* Ad primum respondet in superius adducto loco Petrus Halloix, à S. Ignatio damnari non eos, qui Luna decima-quarta Christianum Pascha agerent, sed qui tunc eadem in mensa cum Judæis Judaicè Agnum ederent, aut ad se missas ejus partes manducarent. Non diem interdici, sed Judaici Ritus hostiam. Est responsio devia. Etenim Judaicum Agnum, præsertim in eadem cum Judęis mensa, sacrificare, aut ejus à Judæis sacrificati transmissas partes admittere nulla Ecclesia potuit, nisi sola Hierosolymitana, atque ità universalem de hac re pro omni sub cœlis Ecclesia, aut etiam pro omni sua Patriarchali Diœcesi Canonem deifer Ignatius frustrà statuisset. Proinde ex ipso verba omninò sanciunt adversùs Judaicum diem Paschatis. Et hinc quæritur, quomodò ille diem, quem ipse celebrabat, potuerit damnare? Hoc opus, hic labor est. Respondeo Epistolas ejus à Posterioribus Græcis, suorum Rituum adulatoribus, esse multis in locis interpolatas ac vitiatas: Verba ista esse illis intrusa. Hoc in suis ad istas Epistolas Scholiis eruditè demonstrat Jacobus Usserius Armachanæ Ecclesię in Anglicano schismate Archi-Episcopus, vir non longè à Regno Dei, quem eruditi ac Pii dolent fuisse segregatum à legitimo Altari, ac in isto peccato defunctum. Dei judicia sunt abyssus multa.

Porrò Hierosolymitana sub circumcisis Episcopis Ecclesia non solum Judaicum Paschatis diem servavit, sed & Hostiam: Antiquum simul & novum Pascha egit, ut Christus Dominus fecerat in novissima Cœna. Etenim plenè Judaizabat. Et hæc est ratio, cur sub eisdem Episcopis fuerit quidem inter Ecclesias circa Paschalem diem differentia, sed tamen nulla contentio. Etenim in Libris adversùs Faustum Manichæum S. Augustinus rectè docet primos ex Gentilibus fideles ad Circumcisionem aut alia Judæorum Sacramenta, quę tunc dumtaxat mortua Judæis licebant, non potuisse cogi, atque adjungit: *Si iis, qui ex Circumcisione venerant, talibusque Sacramentis adhuc dediti erant, ultrò vellent conferre congruentiam, non prohiberentur.* Ecclesiasticæ Concordiæ caussa Judaizare omninò poterant, vel in totum, vel in parte. Hac enim de caussa, quod ibidem Augustinus advertit, gentilis ac jam adultus Timotheus permisit se à S. Paulo circumcidi. Et Galatas, non quod ex tali pietate, sed quod ex erranti superstitione circumcidi ac Judaizare vellent, damnavit idem Apostolus. Hoc igitur ex fundamento licuit tunc cunctis Gentium Ecclesiis circà Paschatis diem Judaizare. Et quoniam in Palestina, Syria, Asia, Cappadocia, Ponto, ubi passim dispersi, plurimi Judæi admiserant Evangelium, eis ex pietate volentes congruere Gentilium isthìc Ecclesiæ, quoad istum diem passim Judaizabant. Occidens semper habuit paucos Judæos, atque ita ista pietas nobis non fuit necessaria. At verò post destructum ab Imperatore Hadriano Templum, ejectos ab Hierosolymis ac omni Palestina circumcisos Episcopos, ac introductum Marcum gentilem, Legalia Sacramenta ex mortuis facta sunt mortifera, atque ita non sine fundamento Ecclesiæ cæperunt de Paschali die dissentire ac litigare. Romani & Ægyptii moris dilectores Episcopi adfirmarunt Judaicum diem fuisse Judaicam, non nisi dispensatoriè ad tempus permissam, observantiam, cùm Circumcisione ac aliis Judaicis Sacramentis jam omninò mortiferam, ideoque deinceps non posse retineri. Esse cum cæteris Synagogæ Ritibus Sepeliendam.

Lib. 19. cap. 17. (margin note beside "Libris adversùs Faustum")

Ad secundam Respondeo etiam Apostolicas sub S. Clementis nomine Constitutiones esse dubias, posteriores Nicæna Synodo, Opus non per omnia purum, ac de ipsis rectè statui à Trullana Synodo: *Quoniam autem in his nobis Canonibus præceptum est, ut eorundem sanctorum Apostolorum per Clementem Constitutiones susciperemus, quibus jam olim ab iis, qui à fide aliena sentiunt, ad Ecclesiæ exitium adulterina quædam & à pietate aliena introducta sunt, quæ Divinorum nobis Decretorum elegantem ac decoram speciem obscurarunt: Has constitutiones, ad Christianissimi gregis ædificationem ac securitatem conducibiliter, rejecimus, Hæreticæ falsitatis fœtus nequaquam immiscentes, & Germanæ ac integræ Apostolorum doctrinæ inserentes.* Hæ constitutiones nequaquam sunt Apostolicum Opus, postmodò infectum aut falsatum; sed est Opus adulterinum, sub sancti Clementis ac Apostolorum nomine fictum, ac Ecclesiæ suppositum à quodam, licet non imperito, homine. Et hinc Apostolicæ Constitutiones, quas ab Audianis Hæreticis adductas produxit sanctus Epiphanius, ab hiscè Pseudo-Clementinis sunt plurimùm diversæ. Lucet ex hoccè laudati Patris de illis testimonio: *Qui liber tametsi dubiæ apud nonnullos sit fidei, non est tamen improbandus. Nam in eo, quæ ad Ecclesiæ Disciplinam attinent, omnia comprehenduntur: Neque quidquam aut in Fide, ac Catholica professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi, ac Decretis contrarium continet.* Hæres. 70. c. 10. Vides hoccè testimonium à Trullanæ Synodi testimonio plurimùm differre. Deinde Epiphanianæ Constitutiones mandant, Clementinæ autem vetant Pascha eodem cum Judæis die celebrari. Tertiò, Epiphanianæ Constitutiones adducunt varios Apostolicos Canones, quorum nulla est mentio in Clementinis. Primus est hic: *In medio Azymorum tempore pervigilium est obeundum.* Secundus est hic: *Dum Judæi epulantur, vos jejunantes pro illis lugete. Quoniam festo illo die Christum in Crucem sustulerunt.* Cap. 10. Tertius est hic: *Qui afflixerit animam suam Dominica die, maledictus est à Deo.* Cap. 11. Quartus habetur in fine Libri Panarii: *Sacri porrò Conventus & Synaxes ab Apostolis instituti sunt his potissimum diebus quarta & sexta Feria, & Dominica die.* Cap. 22. At verò Clementinæ Constitutiones in solis Dominicis ac Sabbathis mandant Synaxes fieri, atque ita lucet inter ipsas esse non modica discrimina. Quare Franciscus Turrianus temperare debuerat ab hiscè verbis: *Tales habet ætas nostra Apostolorum Constitutiones, sanas scilicet & incorruptas, quales Epiphanii ætas habuit.* Photius in Bibliotheca Apostolicas Clementis Constitutiones arguit de tribus: Lib. 113 de spuria suppositione, de criminationibus in Librum Deuteronomii, ac de Arianismo. Addit, nescio an verè, ipsas ab istis vitiis posse faciliter expurgari. Alios characteres, ex quibus lucet istas Constitutiones non esse Apostolicas, adduxi in secundo Opusculo de Juribus Ecclesiarum Regularium.

Restant aliquot quæstiones. Prima est, an iste ab Audianis Hæreticis adductus Canon, mandans Pascha celebrari die Judaico, sit reverà Apostolicus? Pro parte affirmativa facit auctoritas sancti Epiphanii, istas Apostolicas Constitutiones frequenter laudantis. Etenim scribit adversùm Severianos Hæreticos: *Apostoli in eo Libro, qui Constitutio vocatur, Dei stirpem ac vineam esse Catholicam Ecclesiam produnt.* Ejusdem Libri varios Canones adducit ac laudat in Libro adversùm Aerianos ac Massalianos. Pro negativa autem parte facit S. Firmiliani ad S. Cyprianum famosa Epistola, affirmans Romanam Ecclesiam, Pascha die semper Dominico celebrantem, agere contrà veterem & Apostolicam Hierosolymitanæ Ecclesiæ traditionem, & adjungens: *Secundùm quod in cæteris quoque plurimis Provinciis, multa pro locorum ac nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est.* Affirmat hanc rem esse adiaphoram, proindeque non Canonem Apostolicum. Et hinc in suis ad S. Epiphanium eruditis Scholiis Dionysius Petavius scribit: *Falsum est decrevisse umquam Apostolos, ut Judaico ritu Pascha celebraretur, aut cum iis etiam Christianis, atque Episcopis, qui Judaicè, ac minimè legitimo tempore fungerentur. Quæ enim est ista ratio; aut quid in mentem Epiphanio venit, ut istud ab Apostolis constitutum assereret: Oportere Christianos omnes ac totum Mundum cùm Recutitis Pascha facere? Nimìs hoc absurdum Decretum fuisset. Non negamus aliquot saltem Apostolos initio ad Judæorum se tempus accommodasse; Quod de Joanne Polycarpus & Polycrates, Asiaticique omnes contrà Romanos Pontifices excipere solebant: Ut Eusebius, aliique veteres testantur. Verùm id ulla Constitutione definitum ab Apostolis negamus omninò. Quin potiùs contrarium ab iisdem illis constat fuisse traditum.* Firmat ex Cæsaræensi Eusebio, qui cum Judaicam Asiaticorum consuetudinem dixisset esse veterem, mox subdit cæteris per omnem mundum Ecclesiis fuisse ex Apostolica traditione adversam consuetudinem.

Hæres. 45. c. 2.

Ad hæres. 70.

Respondeo istum Canonem à Dionysio Petavio rectè negari ac exufflari. Existimo esse fictitium ac suppositititum. Etenim Ephesiorum Primas Polycrates pro Judaico suæ Diœceseos more adversùs sanctum Papam Victorem quæsivit quælibet arma: Et tamen hunc Canonem non produxit, sed solum Factum sancti Joannis Apostoli, Philippi Diaconi, sancti Polycarpi Smyrnensis Episcopi, & plurium ac eruditorum in Asia Antistitum. De isto autem Canone altissimum silet, quo tamen nullum poterat habere firmius fundamentum. Nempè iste Canon tunc necdum apparuerat Ecclesiis, aut sanè pro fuco agnoscebatur. Etiam S. Firmilianus, contra Romanam de Hæreticorum Baptismo consuetudinem digladians omnibus nervis, studiosè perscrutatus est omnem angulum, ex quo Apostolicam Sedem ostendere posset Apostolicorum Canonum prævaricatricem, & tamen pro Judaico Paschate nihil producere novit, nisi Hierosolymitanæ morem Ecclesiæ: Adductum ab Audianis Canonem penitùs ignorabat. Eundem nullus produxit Novatianensis, nullus Quarto-decimanus. Nemo item Sanctorum Patrum, nisi unus Epiphanius, vir insigniter sanctus, verùm discretionis spiritu non undequaque plenus. Et produxit cum hac Appendice: *Qui Apostolicarum Constitutionum liber, tametsi dubiæ apud nonnullos fidei sit, non est tamen improbandus.* Certè omnium Patrum de ipso silentium, est fortis præscriptio non existentiæ, aut reprobationis. Et in tertio Hæreticarum fabularum libro scribit de Quarta-decimanis Theodoretus: *Utuntur erroneis Actibus Apostolorum, & aliis spuriis, vel à gratia alienis, quæ Apocrypha vocant.* Erronea ista Apostolorum Acta fuisse possint istæ Constitutiones. Nec pro una, nec pro altera parte fuisse quidquam ab Apostolis Constitutum, disertè testatur Socrates. Attamen Dionysius Petavius perperàm scribit à sancto Epiphanio adseri, quod Canon ille mandet Christianum Pascha Judaico die celebrari. Hoc ipsum adserebant Audiani, à quibus Canonem non intelligi reposuit Epiphanius, atque adjunxit: Apostoli *hanc omnem curam ac diligentiam impendisse videntur, ut pacem ac concordiam adstringerent, & ne dissidia, atque opinionum dissensiones existerent.* Ambiguum, ab Audianis Hæreticis productum, ideoque meritò suspectum, Canonem permittit admitti, utpotè qui sanè intellectus Nicæno Decreto, quod ista fœx per ipsum impugnabat, nullatenus adversetur. Nequaquam Judaicum diem, sed universalem cunctarum Ecclesiarum in Palmari nostra Festivitate concordiam vult Canon; & circumcisos Hierosolymæ Episcopos videns ægrè divellendos à Circumcisionis more, mandat cæteras Ecclesias illis dispensatoriè potiùs conformari, quàm fœdam illam perseverare dissonantiam. Hinc addit: *Quamvis aberrent ipsi*, circumcisi Hierosolymæ Episcopi, *nihil id vos commoveat*: Ast Ecclesiarum in tanta re consonantiam esse legitimo die potiorem, ideoque in hoc potiùs dispensatoriè errandum, quàm illam quovis modo lædendam. Nequaquam perpetuus, sed dumtaxat temporalis fuit Canon, quo-usque in Hierosolymitana Cathedra Circumcisi sederent. Hinc illis exactis statim Dominicam diem assumere cogitavit Hierosolymitana, ac omnis Palestina Ecclesia, & sub Theophilo ac Narcisso Episcopis assumpsit. Assumpserunt & plures aliæ. Et cunctis tandem imposuit Nicæna Synodus. Sanctus Epiphanius nequaquam affirmat istum Canonem esse veraciter Apostolicum, sed solummodò adserit ab illo, qualiscumque sit, Audianos everti, non adjuvari. Hinc etiam de Quartadecimanis, S. Joannis Apostoli in Asia Factum pro se allegantibus, scribit in tertio Hæreticarum Fabularum libro Theodoretus: *Apostolicam traditionem malè* intelligunt. Dispensatoriam ac temporalem traditionem erraverunt esse perpetuam Legem.

Cap. 4.

Lib. 5. cap. 21.

Cap. 4.

Altera quæstio est, quis fuerit circumcisorum Hierosolymæ Episcoporum error, de quo Canon: *Etsi erraverint*: Exponit in Libris de Hebræorum Republica Carolus Sigonius: *Cautum Lege Synedrii fuit, ut traditur ab Hebræis in Libro Seder Olam, ne Pascha celebraretur die septimanæ secundo, quarto, & sexto, si in eos incidisset. Itaque si dies quinta-decima mensis incurrebat in sextum diem septimanæ, Pascha differebatur in posterum diem, qui erat Sabbathum; Quemadmodum factum ajunt eo anno, quo Christus est passus. Ille autem, ut multi opinantur Interpretes, à Lege*

Lib. 3. cap. 9.

Dei nolens recedere, celebravit illud Feria quinta Vesperè. Judæi verò morem novum, aut traditionem Patrum secuti Feria sexta Vesperè, unde solemnitas Sabbathi erat initium ductura. Neque verò Interpretes multi aliter congruere verba S. Joannis cum verbis aliorum Evangelistarum posse arbitrantur; Quorum hi Pascha celebratum esse à Christo Feria quinta vesperè tradunt, ille verò ipsum in Parasceve, id-est, præparatrice Paschæ, id-est, pridiè Paschæ esse passum exponit. Accedit, quod in ipsa Parasceve, quæ dies est sexta, Judæi dixerunt se nolle Prætorium ingredi, ne contaminarentur, & Pascha comedere possent: Id quod eo die, non manè, sed Vesperè erant facturi, qui ad solemnitatem sequentis Sabbathi pertinebat. Eadem de causa S. Joannes Evangelista istius anni Sabbathum appellavit magnum illum diem Sabbathi: Hoc est, duplici Festivitate insignem, sua ordinaria, & extra-ordinaria adjuncti Paschatis. Largiùs hæc ostendi ad Decreta S. Leonis noni. An Judaizans Hierosolymæ Ecclesia Pascha ex Legis & Dominici exempli, an ex istius traditionis Præscripto egerit, est multæ quæstionis. Primum est verosimilius. Illa omninò videtur Dominicum exemplum fuisse secuta. Et hinc edixit Canon, ut & aliæ Ecclesiæ non cum Judæis, sed cum circumcisis ex Judaismo Episcopis ipsum celebrarent. Hinc etiam alii Ecclesiam Hierosolymitanam rectè agere, alii censuerunt errare. Quam rem discutere ac definire nolens, & Ecclesiarum consonantiam omnibus rebus anteponens Canon dixit: *Etsi erraverint, nihil vobis curæ sit.* Quæ Regula vafritiem sonat, & videtur aliena esse ab Apostolica gravitate. Est ars nescio cujus astuti Græci, aut potius Judaizantis Nazaræi, doloso isto Canone conati omnem Ecclesiam in Judaicum morem circumscribere.

Quæstio tertia est, quomodò primam Pentecosten, in qua Spiritum Sanctum acceperunt, Apostoli numerarint? Respondeo diem Pentecosten tunc fuisse in die Dominica. Est constans ac unanimis Sententia omnium sanctorum Patrum. Et Græcorum & Latinorum. Audiamus magni Papæ Leonis Epistolam ad Dioscorum
Epist. 81. cap. 1. Alexandriæ Patriarcham: Dies Dominica *tantis divinarum Dispensationum mysteriis est consecrata, ut quidquid est à Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium. In hac per Resurrectionem Christi & mors interitum, & vita accepit initium. In hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, & inferendum universo mundo Sacramentum Resurrectionis accipiunt. In hac denique promissus à Domino Spiritus Sanctus advenit.* Hanc ob causam Latina Ecclesia semper censuit Sacros Ordines, per quos singulariter datur Spiritus Sanctus, non nisi in Dominica die esse conferendos. Et ista Pentecostes erat tunc tam Judæis, quàm Apostolis, Christianorum Primitiis, communis. Hoc lucidè affirmat sanctus Lucas in Actis. Nempè Judaica Pentecostes erat non secundo Azymorum, primo post Paschalem Festivitatem die numeranda. Isto autem anno Judæi ob relatam à Carolo Sigonio Regulam celebrarunt Pascha non sexta feria, sed Sabbatho, & ita secundus Azymorum dies erat Dominicus, adeoque & Pentecostes feria prima. Et hoc argumentum irrefragabiliter firmat, quod alio istius anni die Christus Dominus, alio Judæi Pascha egerint. Etenim si & Judæi ipsum sexta feria egissent, ipsorum Pentecostes non in Dominicam, sed in Sabbathum debuit incidere. Et hic est error intolerabilis. Interim ex hoc principio & Romana & omnis Latina Ecclesia tam Pascha quàm Pentecosten semper celebravit in die Dominica. Dies, quos Divina Majestas & sui Filii gloriosa Resurrectione, & gratiosa Sancti Spiritus Missione exaltarat, censuit annuatim usque ad sæculi finem esse honorandos. Hinc item vides Pentecosten aliter à nobis, aliter computari à Judæis. Hi à secundo, nos computamus à Primo Paschalis Festivitatis.

Quæstio quarta est, quisnam sit Liber, quem antiqui Scriptores passim appellant Librum Pastoris? Hujus quæstionis intellectus est necessarius ad sequentia. Respondeo hujus Libri memoriam esse frequentem apud S. Clementem Alexandrinum. Etenim ipse scribit in primo Stromatum Libro: *Pastor, Angelus Pœnitentiæ, dicit ad Hermetem.* Fol. 311. Et infra: *Divinè* dixit *Potestas illa quæ Hermæ loquitur in revelatione.* Fol. 356 Et in secundo Libro: *Dicit quæ Hermæ in visione apparuit Potestas.* Fol. 360 Et in sexto Libro: *An non quæ Hermæ quoque in visione apparuit Potestas in typo Ecclesiæ, dedit Librum legendum, quem voluit annuntiari Electis?* Fol. 679 Etiam Tertullianus scribit in Libro de Oratione: *Hermas ille, cujus Scriptura ferè Pastor inscribitur.* Cap. 12. Et Origines in Philocalia: *Hoc nos in Libro, vulgaris apud aliquos pretii, qui Pastor inscribitur, quod datum esset Hermæ negotium, ut duos Libros scriberet, ipseque postea Senioribus Ecclesiæ annuntiaret, quæ à Spiritu didicerat, de eo sic disseruimus.* Cap. 1. Et adducit hæc Libri Verba: *Scribes duos Libros, & trades unum Clementi, & unum Graptæ. Et Grapta quidem instituet Viduas & Orphanos, Clemens autem mittet ad externas Civitates. Tu verò renuntiabis Senioribus Ecclesiæ.* Et in Ecclesiastica Historia Eusebius Cæsaræensis: *Quoniam Apostolus in Salutationibus, quas extremæ Epistolæ ad Romanos perscriptæ attexit, inter alios etiam Hermæ cujusdam (cujus Opus esse ferunt, qui Pastoris Libellus inscribitur) mentionem facit, intelligendum est, istum, tametsi in quæstionem à nonnullis vocatur, ac propterea Scripturis omnium assensu approbatis, nullo modo annumerandus ducitur, ab aliis tamen per-necessarium, eis præsertim qui jam primis Fidei elementis imbuendi sunt, indicatum esse.* Lib. 3. cap. 3. Et infra scribit: Sanctus Irenæus *Librum item Pastoris non modò legendo cognovit, sed etiam approbatione confirmavit. Præclarè, inquit, loquitur Liber (cùm Librum Pastoris intelligit,) qui sic loquitur: Primùm omnium credito unum Deum esse, qui omnia condidit, omnia coagmentavit: Et quæ sequuntur.* Lib. 5. cap. 8. Centuriatos Magdenburgenses, scribentes ista Hermetis Verba non reperiri hodie apud sanctum Irenæum, insigniter hallucinantur. Hodiernus S. Irenæi textus ita habet: *Benè ergò Scriptura dicit, primò omnium crede, quoniam unus est Deus, qui omnia Constituit, & consummavit, & fecit ex eo quod non erat, ut essent omnia, omnium capax, qui à nemine capiatur.* Lib. 4. cap. 37. Titulus, *Scriptura*, fortiter suadet Librum tunc fuisse Antiquum & Canonicum, aut sanè eminentis ac eximiæ arthoritatis. Eadem istius Libri verba adducit in Tractatu de Nicænæ

Synodi Decreto sanctus Athanasius, atque adjungit: *In Pastore quoque Scriptum habetur. Nam &* Ariani *inde etiam, quamquam is Liber in Canone non sit, allegationes faciunt.* Ex adductis verbis concluserunt Deum Verbum esse ex non entibus Creaturam. Ejusdem Magni Doctoris Paschalis Epistola inter Libros, quos in priori post Canonicos Classe tunc venerabatur Ecclesia, ponit & Librum Pastoris. Et in illustrium Virorum Catalogo scribit sanctus Hieronymus: *Hermas, cujus Apostolus ad Romanos scribens meminit: Salutate Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt Fratres, asserunt Authorem esse Libri, qui appellatur Pastor. Reverà utilis Liber, multique de eo Scriptorum veterum usurpaverunt testimonia. Sed apud Latinos pænè ignotus est.* Quæ verba sanctus Ado Viennensis Episcopus inseruit suo Libello de Festivitatibus Primitivorum Sanctorum. Etiam in suo Martyrologio scribit Sanctus Pius Papa: *sedit in Episcopatu annis octodecim. Sub hujus tempore Hermes Librum scripsit, qui appellatur Pastor: Quia in habitu Pastoris ei Angelus apparuit.* Consonat in vita sancti Pii Papæ Liber Pontificalis: *Pius natione Italus, frater Pastoris, sub cujus Episcopatu frater ipsius Hermes Librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu Pastoris, ut sanctum Pascha die Dominica celebraretur.* Ejusdem Libri auctoritate fuit usus ad firmandam suam Pelagianam Hæresim Joannes Cassianus, & ex ipso ostendere voluit inter boni & mali contrarias suasiones ita omnem hominem naturali judicio & propriæ discretioni esse commissum, ut ei non plus à Deo præsidii, quam à Diabolo sit periculi. Verùm S. Prosper in Libro contra Collatorem Respondit: *Nullius auctoritatis testimonium disputationi suæ de Libello Pastoris inseruit.* Et S. Prosperi judicium firmavit in sua Romana Synodo sanctus Papa Gelasius: *Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus.*

11. Julii. — Cap. 30.

Hæc omnia testimonia sibi mutuò non plenè cohærent. Etenim Liber Pontificalis hunc Herman S. Pontificis Pii fratrem, & sub ipso Librum ex apparentis Angeli mandato dicit conscriptum, at verò Eusebius Cæsarensis ac S. Hieronymus affirmant Herman fuisse S. Paulo coætaneum, & Origenes addit Librum esse directum ad Clementem, & Graptam. Quod ipsum palam affirmant S. Irenæus, S. Clemens Alexandrinus, ac Tertullianus. Palam supponunt Librum esse antiquum, adeoque S. Pii, cui S. Irenæus convixit, Pontificatu longè antiquiorem. In Ecclesiasticorum Scriptorum catalogo rectè scribit Dominus Robertus Cardinalis Bellarminus: *Sanctus Irenæus Scripturam absolutè non vocaret Librum Authoris sui temporis, & qui Apostolus, vel Apostolorum auditor non fuisset.* Sancti Pauli ad Romanos Epistola creditur scripta Anno Christi Domini quinquagesimo octavo, & Hermas tunc erat aut Presbyter Romanæ Ecclesiæ, aut certè vir similis ætatis; at verò sanctus Pius non nisi centum post annis, Anno Domini centesimo vigesimo octavo iniit Pontificatum. Et quidem Herman fuisse ejus fratrem adfirmat apud Tertullianum etiam Author Carminis contra Marcionem:

Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater,
Angelicus Pastor, quia tradita verba locutus.

Herman cum Libro Pontificali appellat etiam Pastorem: Pastorem Angelicum. Ob memoratam apparitionem. Quo-circa aut Carmen illud cum Libro Pontificali fallitur, aut fuerunt duo Hermæ, & duo ab illis sub eodem titulo scripti Libri ex mandato apparentis Angeli. Et hoc postremum probat in Laudato Catalogo D. Robertus Cardinalis Bellarminus: *Existimo diversos esse Authores, & diversos eorum Libros, quamvis idem ferè nomen gererent. Nam qui ab Apostolo Salutari jubetur, vocatur Herman; frater Pii, dicitur Hermes. Deinde Liber, qui dicitur scriptus à fratre Pontificis, præcipuè continebat Mandatum Domini per Angelum, ut Pascha die Dominico celebraretur; at verò in Libro Pastoris, qui à veteribus citatur, & qui adhuc extat, nulla fit mentio Paschatis celebrandi die Dominico. Quare probabile est Librum Hermetis, fratris Pontificis, citò interiisse; & solum reliquum esse illum celebriorem, quem scripsit Herman discipulus Apostolorum.* Adducit & alia argumenta. Deinde in Illustrium virorum Catalogo S. Hieronymus scribit Librum Pastoris apud Græcos fuisse notissimum, apud Latinos pænè ignotum. *At si Author Libri fuisset homo Latinus, & Romani Pontificis frater, debuisset Liber ipsius notior Latinis esse quàm Græcis.*

Et hinc oritur quinta Quæstio, an reverà fuerint duo Authores, & duo sub eodem Titulo Libri? Respondeo primò, Domini Cardinalis argumenta non esse firma. Non primum. Etenim sanctus Clemens Alexandrinus istum Authorem quandoque appellat Hermen, quandoque Hermetem. Nec secundum. Etenim etiam Herman fuit vir Latinus, & Romanus, ideoque & ejus Liber debet Latinis fuisse notior, quàm Græcis. Et olim omninò ita fuit. Etenim sanctus Iræneus, Latinus Episcopus, ipsum citat uti notissimum. Etiam Tertullianus adfirmat quod quædam Latinorum Ecclesiæ ex ipso probarint suos ritus Christiani Sacrificii. Quare non nisi post hęc tempora cæpit à Latinis negligi. Nam & Joannes Cassianus, qui ejus Authoritatem adduxit, fuit vir Græcus. Tertium, quod alicujus ponderis videtur, Domini Cardinalis argumentum, statim expedietur. Quare respondeo secundò, debet esse & olim fuisse unicus dumtaxat Author, unicus Liber. Et ipsum adhuc existere. Etenim omnia, quæ sanctus Irenæus, sanctus Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Arius, ac Joannes Cassianus ex ipso adduxerunt, testimonia in ipso reperiuntur. A S. Irenæo ac Ario adductum Locum habes in primo Mandato secundi Libri. Adductum ab Origene Locum habes in secunda Visione Libri primi. Titulum, *Angelus Pœnitentiæ*, quem ipsi tribuit sanctus Clemens Alexandrinus, habes in Proœmio Libri secundi. Fol. 311
Primus per eundem Clementem in primo Stromatum Libro adductus Locus est in decimo Mandato secundi Libri. Alter Locus est in tertia Visione primi Libri. Adductus à Tertulliano Locus est in primi Proœmio, ac in tertii Libri postrema similitudine. Adductus à Cassiano Locus est in sexto Mandato Libri secundi. Hoc ergò Opusculum 356.

sum est omninò antiquissimum. Parisienses Doctores ei præfigunt hoc Scholion: *Dubitandum nullo pacto est Libellum hunc Pastoris, ut modò scriptus habetur, ab Herma Pauli Discipulo non esse conscriptum, cum & Hæresibus, & fabulis sit oppletus. Eum sanctus Gelasius in Romano Concilio inter Apocrypha scripta abjicit. Item & sanctus Prosper in Libro contra Cassianum esse nullius authoritatis pronuntiat. Verosimile est ab Hæreticis depravatum.* Quod frivola habeat, negari non potest. Negari potest, quod habeat Hæretica. Marginalis Scholiastes eum frequenter accusat de Novatianensi Hæresi: Eò quod affirmat nullam, aut certè non nisi unicam post Baptisma lapsis restare Pœnitentiam ac Pacem. At sine causa. Etenim Libellus loquitur juxta primitivum Ecclesiæ rigorem, qui Idololatriæ, Homicidio, & Mæchiæ nullam; quibusdam aliis gravioribus delictis non impartiebatur nisi unicam Pacem. Etiam in mortis articulo. Attamen facilis admisero Libellum postmodò esse ab Erronibus depravatum.

Quæstio sexta est, an sanctus Pius Pontifex cæperit Orientales Ecclesias urgere ad Pascha celebrandum in die Dominico? Dico, *Ecclesias Orientales*. Etenim Occidentales illud semper, à sancto Petro edoctæ, celebrarunt in Dominica die, ideoque non urgeri eguerint. Hybernorum Ecclesia, quæ hac in parte aliud fecit, tunc necdum erat. Respondeo sanctum Pium nihil tale fecisse. Lucet ex sancti Irenæi Lugdunensis Episcopi Litteris, quæ sanctum Papam Victorem à vexandis hac in parte Asiaticis Ecclesiis dehortantur: *Non enim de die Paschatis solùm, sed etiam de Jejunii ratione & modo est constituta ista controversia. Quidam namque unum diem se jejunare oportere existimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta: atque diurnis ac nocturnis horis omnibus numeratis diem suum metiuntur ac statuunt. Atque ejusmodi eorum qui hæc observabant Jejunia, varietas ac discrepantia, non jam nostra ætate cæpta est, verùm etiam longè antè apud Majores nostros, qui non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel privata authoritate aliquid in posterius tempus statuissent, observarunt. Atque nihilominus cum isti inter se Pacem tranquillam retinuerint, tum nos etiam inter nos retinemus. Et sic varia ac discrepans Jejunii ratio concordiam Fidei plurimùm commendat.* Adfirmat Ecclesiæ, utpotè varietatibus circum-amictæ Reginæ, esse ac semper fuisse varios hinc inde Ritus: Hos esse varia ejusdem Fidei vestimenta. Eadem ratione tractari suadet diversum diem Paschalis Festivitatis. Et adjungit: *Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui tu jam præes, præficiebantur, & Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, licet neque ipsi hoc festum eo die, quo Episcopi Asiæ, observarent, neque aliis, post se ita observare permitterent; nihilominus tamen cum Episcopis illarum Ecclesiarum, in quibus ita observabatur, ad se accedentibus (& quid quæso magis repugnat, quàm ut hi hoc, illi illo modo observent) Pacem inter se & concordiam perpetuò retinuerunt, ac nunquam propter istum varium illius Festi observandi modum fuerunt ulli aliquando ex Ecclesia ejecti. Sed Presbyteri illi, qui te anteiverunt ætate, tametsi minimè illud ita observabant; his tamen Episcopis, qui in aliis Ecclesiis idem sic observabant, Eucharistiam miserunt. Atque cum Beatus Polycarpus, Aniceto Episcopatum administrante, Romam adventaret, cumque ille & Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim Pax fuit inter eos conciliata. Quin pro hoc Festo observando, quod controversiæ caput videbatur, charitatis vincula neutiquam ruperunt. Neque tamen Anicetus Polycarpo poterat persuadere, ut suum observandi morem deponeret. Quippe qui cum Joanne Discipulo Domini Nostri, & cum reliquis Apostolis, quibuscum multùm versatus fuisset, semper ad illum eundem modum observasset. Neque contrà Polycarpus Aniceto persuasit, ut consuetudinem Asiaticam ullo modo observaret. Quippe qui morem Presbyterorum, qui illum erant antegressi, debere sedulò retinere assereret. Quæ cum ita essent constituta, communicabant inter se mutuò, & Anicetus in Ecclesia Ritus, qui in Eucharistia peragi solent, Polycarpo, ob reverentiam videlicet, quam erga illum habebat, obeundi potestatem concessit. Et omnes Ecclesiæ, tum eorum qui decimo quarto die Festum Paschatis observabant, tum eorum qui secùs, placita pace & tranquilla inter ipsas perfruebantur.* Exstat Epistola apud Ecclesiasticam Historiam Cæsaræensis Eusebii. Lib. 5. cap. 14.

Et ex ipsa discimus plura. Primò, quod non sanctus Pius, sed ejus successor sanctus Anicetus cæperit primus Asiaticas Ecclesias urgere ad Pascha celebrandum die Dominico. Secundò, Quod hac præsertim de caussa Anicetus Asiæ Episcopos evocarit Romam: Et quod illæ legarint Magnum Doctorem, sancti Joannis Apostoli Discipulum, sanctum Polycarpum. Eadem de re scribit in Illustrium Virorum Catalogo sanctus Hieronymus: *Polycarpus Joannis Apostoli Discipulus & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ Princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apostolorum, & eorum qui viderant Dominum, Magistros habuerit & viderit. Hic propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in Urbe regente Aniceto, Romam venit.* Has quæstiones, quarum palmaris erat de Paschate, sanctus Anicetus tractavit pacificè, suadere conatus est, ac illud ipsum vice versa fecit sanctus Polycarpus. Et neuter alteri persuasit. Et Anicetus honoravit Polycarpum. Ei advenienti Eucharistiam misit in plenæ Communionis ac Charitatis Symbolum: Et ipsum post disputationem, antequam Roma discederet, invitavit & admisit ad solemne Sacrificium. Ex quibus discimus tertiò, quod uterque hic in advenas Episcopos honor sit antiquissimus. Institutum Apostolicum. Quartò discimus, quod etiam Pius, Hyginus, Sixtus, Telesphorus, aliique ipsorum Antecessores eodem modo tractarint Asiaticos Episcopos. Quintò, quod ita actum sit usque ad sanctum Soterem, proximum successorem sancti Aniceti. Hic cæpit istum morem abrumpere, & Asiaticos Episcopos ad Latinum Paschatis diem potenter urgere. Ipsis Romam adventantibus nec Eucharistiam misit, nec obtulit Locum solemnis Sacrificii. Haud dubiè mors impedivit, ne ad ulteriora procederet. Sanctus Victor, qui ipsi post sanctum Eleutherium successit, ejus Acta resumpsit, ac prosecutus est, & Asiaticam Ecclesiam, quod parere nollet, Catholica communione privavit. Hinc

existimo

existimo nullum sub sancto Papa Pio fuisse Hermetem, cui in Pastoris specie apparens Angelus dederit mandatum agitandi has quæstiones: Omnia hæc esse apocrypha, ac supposititia. Pastoris Liber est illius Hermæ, quem salutari jussit sanctus Paulus: Hinc in illo nulla est memoria harum quæstionum. Est ac semper fuit unicus Liber Pastoris.

Hac de re scribit vetustus per Henricum Justellum vulgatus, Libellus Synodicus: *Synodus Divina & sancta Provincialis, Romæ congregata à Beatissimo Aniceto ejusdem Urbis Papa, & Polycarpo sancto Martyre, Smyrnæ Episcopo, aliisque Episcopis decem, contra eos, qui Judaico more, Luna decima-quarta Divinum celebrabant Pascha, aliisque Ritibus & typis id ipsum perficiebant. Hæc igitur Synodus definivit tremendam & salutarem Domini Nostri JESU CHRISTI & Dei Passionem in sancta Parasceve mysticè celebrandam, Resurrectionem autem, vitæ auctricem, ipsa celebri & magna Dominica omni modo esse peragendam.* Dicit varia. Primo, à S. Aniceto fuisse celebratam Synodum. Est incertum. Etenim hujus Synodi Eusebius non meminit. Quidquid sit, illa non fuit Provincialis. Etenim Romanæ Metropolios Provincia non solummodo decem tunc habuit Episcopos, sed longè plurimos. Si fuerit Synodus, fuit ex advenis Episcopis. Has enim Synodos fuisse semper à Patriarchis usitatas, suo loco demonstrabitur. Libellus iste secundo dicit isthic fuisse definitum, ut Pascha ageretur die Dominico. Nullo modo subsistit. Etenim Eusebius disertè scribit nec Asiaticum Aniceto à Polycarpo, nec Polycarpo ab Aniceto Latinum morem fuisse persuasum. Quare si fuerit Synodus, utramque Ecclesiam permisit in suo sensu abundare. Libellus tertiò dicit, quod ista Synodus sanxerit Dominicam Passionem celebrandam in Parasceve. Supponit ipsam tunc fuisse celebratam in Parasceve. Hoc est omninò verum. Hæc celebratio est Apostolicum Institutum. Suo loco ostendetur.

Porrò motam sub S. Victore quæstionem amplè exponit Cæsaræensis Eusebius: *Quoniam illis temporibus de Festo Paschatis in honorem Servatoris observando non exigua concitata propterea erat controversia, quod omnes Ecclesiæ Asiæ, antiqua quadam traditione adductæ, censebant decimo-quarto die Lunæ, quo Judæis olim præceptum erat, ut Agnum immolarent, festum illud celebrandum, & omninò eo die, in quemcumque hebdomadæ diem fortè incideret, jejuniis finem statuendum: Et quod non in more positum esset, cæteris Ecclesiis per universum orbem terrarum dispersis, quæ consuetudinem ex Apostolica traditione ad hoc usque tempus continuatam tenebant, nimirum ut non alio die, quàm eo, quo Servator à mortuis resurrexerit, jejunia dissolverentur, istum modum observare: Idcirco Concilia & Conventus Episcoporum in unum cogebantur, & omnes una sententia Decretum Ecclesiasticum per Litteras ad omnes Ecclesias scriptas ratum faciebant, nempe ut non alio die aliquando quàm Dominico, Mysterium Resurrectionis Domini à mortuis celebraretur, & ut in hoc solo jejuniorum, quæ circiter Pascha fieri solent, finem faceremus. Decretum autem Episcoporum, qui tum erant in Palestina convocati, ad hanc usque ætatem Scriptis custoditum est. In quorum Synodo Theophilus Cæsaræensis Ecclesiæ Episcopus, & Narcissus Episcopus Hierosolymorum, Præsides fuerunt. Aliud etiam est Episcoporum, qui Romæ similiter conveniebant, de eadem controversia Statutum: Quod quidem Victorem id temporis Episcopum fuisse declarat. Aliud item Episcoporum Ponti, quibus Palmas, utpote antiquissimus & maximè venerandus præsidebat. Aliud Ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat Episcopus. Aliud porrò Ecclesiarum, quæ Osroenam, & reliquas in eo loco civitates incolebant. Aliud separatim Bacchylli, Ecclesiæ Corinthiorum Episcopi. Et alia denique aliorum propè infinitorum, qui uno consensu judicioque uno eandem de illius Festi observatione tulere sententiam. Atque istorum omnium una hæc, quam documus, consentiens erat decisio.* Exponit quæstionis exordium, decursum, ac varium finem, ast non radices & fundamenta. Etenim de Angelici Pastoris apparitione ac Mandato nullam facit memoriam.

Lib. 5. cap. 22.

Interim ex ejus dictis discimus varia. Primò, quod Pascha die Dominico celebrare sit traditio Apostolica. Nempe alii & alii Apostoli aliud & aliud in aliis & aliis Ecclesiis ob alias & alias rationes instituerunt. Secundo discimus quod plures etiam per Orientem Ecclesiæ istam traditionem semper observarint, & postmodò ex hujus quæstionis occasione Synodaliter firmarint. Tertio discimus, quod Palestinæ Provinciæ Synodo non solus Cæsaræensis Metropolita, sed etiam Hierosolymæ Episcopus præsederit. Quod nempe hic inter omnes Comprovinciales esset proto-Thronus. Et hanc dignitatem illi confirmavit Septimus Canon Nicænus. Et erat Dignitas singularis. Nec enim omnes Comprovinciales ille dumtaxat præcedebat, sed & illis simul cum Metropolita præsidebat. Est dignitas sine exemplo. Singularis reverentia sanctæ Civitatis. Quarto discimus, quod etiam Lugdunensis ac Corinthia Ecclesiæ semper fuerint Metropolitanæ, ac habuerint propriam Provinciam. Quinto discimus quod superius per S. Augustinum laudata, circa universalem totius Ecclesiæ Disciplinam motas quæstiones in Provinciarum Synodis agitans, & sic præparans ad œcumenici Concilii Judicium, Consuetudo sit omninò antiquissima. Palestinæ Synodi, quod Eusebii tempore adhuc extabat, Decretum doleamus periisse. Poterat nos plura docere. Sextò discimus, quod Hierosolymitana Ecclesia suum Judaicum Paschatis morem non retinuerit usque ad Nicænum Concilium. Eum deposuit in hac ista S. Theophili ac S. Narcissi Synodo. Et hinc oritur quæstio quomodo ista Synodo longè junior S. Firmilianus in famosa ad S. Cyprianum Epistola constanter ac disertè dicat istam Ecclesiam suo adhuc tempore Judaizasse? Nec cum quibusdam reponi possit, quod loquatur de primitivo ante suam ætatem tempore. Palam loquitur de suo tempore. Et exinde concludit Romanam Ecclesiam non dumtaxat circa Rebaptismum, sed etiam circa Paschalem Festivitatem ab Apostolicis Institutis deviare. Quare aliud nescio respondere, quam quod Hierosolymitana Ecclesia istud Cæsaræensis Synodi Decretum aut nunquam admiserit, aut postmodum ab ipso recesserit.

Ex adductis Eusebii verbis Septimò discimus varias de hac re Synodos, quas oportet elucidari. Prima est Palestina, cui præsederunt Theophilus Cæsaræensis Metropolita, & Narcissus Episcopus Hiero-

Hierosolymæ. De hac scribit præfatus Synodicus Libellus: *Synodus Divina & sacra Provincialis, collecta Hierosolymis à ter Beato illius Archi-Episcopo Narcisso & aliis Episcopis quatuor-decim, super mystico Pascha, secundum sanctissimum Anicetum & Victorem pronuntians.* Et statim prosequitur: *Synodus Divina & sacra Provincialis collecta Cæsareæ Palestinæ, sive Pyrgostratonis, à Theophilo sanctissimo ejusdem Episcopo, aliisque duodecim, quæ de sancto Pascha idem constituit.* Affirmat fuisse duas Synodos: Aliam S. Narcissi apud Hierosolymam, aliam S. Theophili apud Cæsaræam. Et hanc postponit. Item Theophilo solum Episcopi, Narcisso autem adscribit Titulum Archi-Episcopi, id est, Patriarchæ. Nempe Libelli Author est Chalcedonensi Synodo junior, atque ita ejus pro Hierosolymitano Patriarchatu Decretum studet stabilire, & ostendere ipsum niti firmis & antiquis anchoris. Sunt consueta Græcorum commenta. Etenim certum est Hierosolymæ Ecclesiam tunc Cæsaræensi Metropoli fuisse Suffraganeam, adeoque non nisi unicam fuisse Synodum. An hæc Cæsareæ, an Hierosolymę fuerit celebrata, non possum certò definire.

Hanc Synodum insigniter illustrat Eusebius: *Episcopi Narcissus & Theophilus, & unà cum illis Cassius, Ecclesiæ Tyri Episcopus, & Clarus, qui Ptolomaidis rexit Ecclesiam, & qui cum istis in Palestina in unum convenerant, simulatque in Decreto suò de Paschatis traditione, ex Apostolorum successione gradatim ad eos deducta, per multa disseruerunt, in extrema parte ejusdem hæc præterea his ferè verbis adjungunt.* Licet Synodale Decretum interierit, Eusebius tamen servavit hoc Synodalis Epistolæ fragmentum: *Epistolæ nostræ Exemplaria facilè ad quamque Ecclesiam mittantur, ne culpa illorum, qui temerè & inconsultò suas ipsorum animas erroris pravitatę inficiunt, in nos ullo modo transferatur. Illud vos ignorare minimè volumus, quod Alexandriæ etiam eodem die, quo nos, istud Festum agunt. Siquidem tum à nobis ad illos, tum ab illis ad nos perferuntur Literæ, ut cum summo consensu unà istum diem Sacrosanctum augustè ac Religiosè celebremus.* Hæc irrefragabilis fidei verba faciunt me cespitare. Etenim videntur palam adfirmare, quod Cæsaræensis, Hierosolymitana, Tyria, Ptolomaidis, adeoque omnes Palestinorum ac Phænicum Ecclesiæ Paschalem Festivitatem semper celebrarint Latino more. Quod hunc morem acceperint ab Apostolis, & semper servaverint. Quæ certè non cohærent cum scriptis S. Epiphanii, ac S. Firmiliani. Nescio quid affirmem. Existimo laudari non Hierosolymitanæ, sed Romanæ Ecclesiæ factam ab Apostolis Traditionem, hanc ab ista Synodo fuisse prælatam Traditioni factæ apud Hierosolymam, probatam, atque admissam. Quidquid sit, ex istis Eusebii verbis discimus tria. Primò, quod isto tempore Tyria Ecclesia fuerit Phæniciæ Metropolis. Ità fuit à tempore Adriani Imperatoris, qui istam Dignitatem è Damasco transtulit in Tyrum. Secundò discimus, quod ad istam Palestinæ Synodum convenerint etiam Phænicum Episcopi. Tertiò, quod etiam primis Ecclesiæ sæculis plurium Provinciarum Episcopi quandoque convenerint ad eandem Synodum. Ex ista Synodali Epistola discimus quod Alexandrina, ideoque & omnis

Lib. 5. cap. 25.

Ægyptiaca Ecclesia, Pascha semper celebrarit Romano more. Nempe S. Marcus in cunctis secutus est S. Petrum. Hanc Synodum ac ejus Synodales Literas laudat in Virorum Illustrium Catalogo etiam S. Hieronymus: *Theophilus Cæsareæ Palestinæ, quæ olim turris Stratonis vocabatur, Episcopus, sub Severo Principe adversùm eos qui decimaquarta Luna cum Judæis Pascha faciebant, cùm cæteris Episcopis Synodicam valdè utilem composuit Epistolam.*

Secunda per Eusebium laudata Synodus est Romana S. Victoris. Cur ipsam Palestinæ postposuerit, ignoro. Eam præfatus Libellus rectè præponit, & prosequitur: *Synodus Divina & sacra Provincialis Romæ collecta à Beatissimo ejusdem Episcopo Victore, & aliis Episcopis quatuordecim, quæ vetat Judaicè celebrari Luna decimaquarta Sanctum & Mysticum Pascha, sed in sola magna & vitæ præstatrice Dominica.* Ex quo fonte hauserit solos quatuordecim adfuisse Episcopos, non possum divinare. Quidquid sit, hanc Synodum insigniter illustrat Eusebius: *His rebus adductus Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, totius Asiæ Ecclesias, cum aliis finitimis, tanquam alterius fidei & opinionis, simul omnes à communi unitate Ecclesiæ amputare conatur, & in eos per Literas graviter invehitur; atque adeò omnes Fratres, eam incolentes regionem, prorsus à Communione secludendos edicit.* 5. c. 24. Quidam censent hanc non primam, sed fuisse secundam Victoris de hac re Synodum; celebratam post prius Decretum insinuatum Asiæ Episcopis ac populis, ac ab ipsis refutatum. Et rectè censent. Etenim acerba adeò sententia emanare non potuit, nisi in contumaces. Forsan fuerit à tertia aut quarta Synodo. Etenim dubitari non possit quin plures Asiaticę ad Apostolicam Sedem Relationes ac intercessiones intercurrerint, adeoque & plures Romanæ Synodi. Et de ista sententia pergit Eusebius: *Verùm ista cæteris omnibus parum placebant Episcopis. Illum igitur contrà magnoperè adhortabantur, ut pacis, concordiæ, & charitatis erga proximos diligentem curam haberet.* Omninò intelligit Latinos Episcopos. Eos enim inter numerat S. Irenæum.

Pergit Synodicus Libellus: *Synodus divina & sacra Provincialis ab Irenæo sanctissimo ibidem Episcopo, aliisque tredecim Episcopis, quæ similiter de Divino Mystico Pascha constituit.* Hujus suæ Synodi sanctus Irenæus nullam facit mentionem. Eam tamen Eusebius disertè laudat: Inter isto tempore celebratas Synodos ponit ordine quartam. Eandem laudat in consequentibus, adfirmans S. Victori, Asiaticos Episcopos Excommunicanti, plures Latinos Episcopos obstitisse, & adjungens: *Inter quos Irenæus, quamquam per Literas scriptas ex Persona Fratrum in Gallia, quibus præ-erat, tradit Mysterium Resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse: Victorem tamen de hoc, videlicet ne tam multas Ecclesias omninò propter Traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatæ observationem, à corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputet.* Adducit sancti Irenæi ad sanctum Victorem Epistolas, atque prosequitur: *Irenæus, cum nominis sui appellationi pulchrè Respondens, tum moribus, quibus se pacis autorem verè declarabat, ejusmodi pro pace & concordia Ecclesiarum & hortatus est, & magnopere flagitavit. Atque*

Lib. 5. cap. 22.

Cap. 24

que ista, aliaque eisdem congruentia, non ad Victorem solùm, sed etiam ad alios plerosque & diversos Ecclesiarum præsides de ista, quæ tunc jactabatur, controversia, conscripsit. Notanda sunt verba: *Ex Persona Fratrum in Gallia, quibus præerat.* Per *Fratres*, intelligunt Episcopos, adeoque palam laudant sancti Irenæi Synodum. Item adfirmant Lugdunensem Episcopum tunc omninò fuisse Metropolitam. Diversi, ad quos similia S. Irenæus Synodaliter scripsit, Ecclesiarum præsides haud dubiè fuerunt Latini Episcopi, à quibus dura S. Victoris Acta constanter probabantur. Eusebius rectè dicit Irenæum egisse conformiter ad suum nomen: Etenim Irenæus apud nos est *dilector Pacis.* Ex hac Synodo S. Irenæus scripsit istas generosas ad Victorem Litteras, quarum supra adduxi fragmentum. Nec mireris hujus ejus singularem pro Asiatica consuetudine zelum. Etenim ille, licet Latinus Episcopus, fuit tamen vir Asiaticus, Discipulus S. Polycarpi, quem jam audivimus fuisse constantissimum istius consuetudinis defensorem.

Tertia per Eusebium laudata Synodus est Pontica, celebrata per Palmam, Venerandum & antiquissimum Episcopum. Hunc Synodicus Libellus appellat Plasmam, atque adjungit: *Synodus Divina & Sacra Provincialis, collecta in Asia à Plasma Sanctissimo, aliisque quatuordecim Episcopis, quæ similiter de sancto Pascha constituit.* Utique cum Romana Ecclesia. Errat fuisse Asiaticam Synodum. Omnis enim Asiatica Diœcesis pertinax adhæsit suo Primati Polycrati. Porrò Palmam existimo fuisse, non Cæsaræensem in Cappadocia, sed Amasenum in Ponto Episcopum, Metropolitam istius Provinciæ. Et hinc ejus Decretum non est egressum ipsius limites. Quod Cappadocia contrarium fecerit ac retinuerit, evincit famosa Epistola S. Firmiliani. Quinta per Eusebium laudata est Osrhoenæ Provinciæ Synodus, de qua Synodicus Libellus: *Synodus Divina & Sacra Provincialis in Osrhoenæ, cui Edasa, & Adiabenorum Regio subjacet, collecta ab Episcopis octodecim quorum Præses memoriæ proditus non est, de sancto Pascha idem statuens, Commodo imperante.* Et prosequitur: *Synodus Divina & Sacra Provincialis, ab octodecim Episcopis collecta in Mesopotamia, Commodo imperante, quæ de sancto Pascha similiter constituit. Cujus Præsidem Historicorum nemo manifestavit.* Hujus Synodi Eusebius non meminit. Mesopotamia ac Osrhoena erant tunc omninò distinctæ Provinciæ. Etenim sitas ultra Euphraten Regiones Imperator Adrianus redegit in Provincias. Hinc ista Synodus possit fuisse. Eusebius disertè scribit à se non numerari omnes, sed fuisse alias plurimas. Laudat tamen & Bacchylli Corinthiorum Episcopi Synodum. Eandem laudat Synodicus Libellus: *Synodus Divina & Sacra Provincialis, collecta Corinthi à Bacchylide ejusdem Sanctissimo Archi-Episcopo, aliisque octodecim Episcopis, quæ idem de Beato Paschate constituit.* Achaja utpote Illyricanæ Diœceseos Provincia, semper spectavit ad Romanum Patriarchatum, ideoque ab illius Institutis non potuit deviare. Hanc Synodum in Illustrium virorum Catalogo laudat etiam sanctus Hieronymus: *Bacchyllus Corinthi Episcopus, sub Severo Principe clarus habitus, de Pascha ex omnium, qui in Achaja erant, Episcoporum persona elegantem Librum scripsit.* Videtur hic tempore sancti Hieronymi adhuc extitisse.

Restat Ephesina, seu Asiatica Synodus, de qua pergit Eusebius: *Episcopis in Asia coactis, qui morem jam olim ipsis à Majoribus traditum, sedulò observandum constanter asseverabant, præfuit Polycrates.* Fuit coacta ex Apostolicæ Sedis Præcepto, numerosissima totius Diœceseos. Lucet ex Synodalis Epistolæ Fragmento, nobis custodito per eundem Eusebium; *Possem hoc loco Episcopos, qui mihi in Concilio aderant, commemorare; quos ut accerserem, à vobis rogatus, diligenter accersebam. Quorum nomina si subscriberem, nimis multa viderentur. Qui licet me hominem, cum Persona humilem, tum ingenio pertenuem animadverterent; tamen, cum intelligerent me istos canos non frustra gessisse, nec ætatem hactenùs contrivisse temerè, sed semper in Christo Jesu vitam traduxisse, Epistolam hanc sua approbatione confirmarunt.* Sunt Polycratis, Ephesini Exarchi, verba ad S. Papam Victorem. Enunciant illum fuisse Episcopum integræ vitæ ac Famæ. Eadem de Synodo scribit Synodicus Libellus: *Synodus simplex, neque exquisita, Particularis, Ephesi Metropoli Asiæ Congregata à Polycrate Sanctissimo ejusdem Episcopo, quæ dignum censuit & constituit, ut omnes Luna decima-quarta; Judæorum ritu, Mysticum Pascha peragant, tamquam hoc ipsa jam inde à Principio accepisset, à sanctis Apostolis, Timotheo & Philippo confirmatum. Victor autem, Romanorum Ecclesiæ Sanctissimus Papa, Excommunicationem mittit Polycrati, qui huic præfuerat Synodo. Neque hoc solùm, sed Synodicè etiam ea, quæ ad hoc Festum pertinebant, persequitur.* Proindè Victor jussit fieri hanc Synodum, accepit ejus Relationem, hanc improbavit atque damnavit, & omnem Asiaticam Ecclesiam suspendit à Catholica communione.

Synodalis Relationis partem nobis custodivit Eusebius: *Nos diem Paschatis integrè & incorruptè recolimus, neque addendo quidquam, neque detrahendo. Etenim hìc in Asia obdormierunt in Domino præclara illa Ecclesiæ Seminaria, quæ quidem in die Adventus Domini, quo, cum gloria & majestate è cœlis venturus sit, & omnes sanctos Excitaturus, denuò resurgent. Philippum dico, unum è septem Diaconis, qui Hierapoli exiit è vita: Et duas ejus filias, quæ Virgines ad summam senectutem manserunt: & alteram illius filiam, quæ Spiritus Sancti afflatu inspirata vitam piè traduxit, Ephesique obiit in Domino. His accedit Joannes, qui suprà pectus Domini recubuit, qui Sacerdos fuit, qui Laminam auream gestavit, qui Martyr & Doctor exstitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit. Quid Polycarpum commemorem, qui Smyrnæ Episcopus & Martyr fuit? Quid Thraseam Episcopum & Martyrem, Eumeniæ natum, citem, qui Smyrnæ ex hac luce migravit? Quid attinet dicere de Sagari Episcopo & Martyre, qui Laodicææ mortem oppetiit? Quid porrò beatum Papirium, & Melitonem Eunuchum recenseam, qui Spiritus Sancti instinctu afflatus, totum vitæ suæ tempus piè & sanctè exegit; qui Sardis tumulo conditus est, exspectans Christi è cœlo ad universam carnem visitandam adventum, in quo ex mortuis resurget? Isti omnes diem Paschatis*

Lib. 5. cap. 23.

Lib. 5. cap. 23.

chatis decimo-quarto die Lunæ ex Evangelii præscripto observarunt, nihil ab eo Instituto ac more planè digressi, sed secundùm Regulam & normam fidei eum assiduò tenuerunt. Atque ipse etiam Polycrates, qui inter vos omnes postremas sanè fero, ex Majorum meorum & Cognatorum traditione, quorum libenter insisto vestigiis, illud ipsum perpetuò observo. Septem erant Episcopi, mihi cognatione conjuncti; Ego autem octavus sum. Atqui hi Majores mei & Cognati tum diem Paschatis semper celebrarunt, cum sit populo Judaico in more positum Panes Azymos apparere. Ego igitur, Fratres, qui sexaginta-quinque annos in Domino vixerim, qui multis cum Fratribus per orbem terrarum dispersis de Fide communicarim, qui universam Sacram Scripturam studiosè evolverim; his, quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minimè conturbor. Mei enim Majores dixerunt, magis Deo obtemperandum, quàm hominibus. Hæc omnia laudat in Virorum Illustrium Catalogo etiam sanctus Hieronymus: *Polycrates, Ephesiorum Episcopus, cum cæteris Asiæ Episcopis, qui juxta quamdam veterem Consuetudinem cum Judæis decima-quarta Luna Pascha celebrabant, scripsit adversùm Victorem Episcopum Romanum Synodicam Epistolam, in qua docet se Apostoli Joannis & veterum authoritatem sequi.* Adducit adductum Synodalis Epistolæ fragmentum, atque concludit: *Hæc propterea posui, ut ingenium & authoritatem viri ex parvo Opusculo demonstrarem. Floruit temporibus severi Principis, eadem ætate, qua Narcissus Hierosolymæ.* Et revera illud Fragmentum altè clamat Polycratem fuisse summæ doctrinæ, Authoritatis, atque continentiæ.

Discimus hinc varia. Primò, quod sanctus Philippus Diaconus in Asia apud Hierapolim Phrygiæ prædicarit, habitarit cum duabus filiabus, ac sit defunctus. Secundò, quod sacræ Virginitatis Professio tunc in usu fuerit, adeoque sit Institutum Apostolicum ac Evangelicum. Tertiò, quod sanctus Joannes Evangelista fuerit Martyr. Utique ob ferventis olei dolium, ac deportationem in Pathmos. Quartò; quod ob novi Testamenti Episcopatum gestarit Laminam auream. En originem atque antiquitatem Episcopalis Mitræ. Quintò, quod apud Ephesùm sit mortuus ac sepultus. Et certè Polycratis ac tantæ Synodi Authoritas est irrefragabilis. Sextò discimus, quòd Laodicensis Episcopus, ad quem sancti Joannis Apocalypsis loquitur, fuerit sanctus Sagaris, de
Oct. 6. quo habet Romanum Martyrologium: *Laodicææ, Beati Sagaris, Episcopi & Martyris, qui fuit unus de antiquis Pauli Apostoli Discipulis.* Quare videtur non à sancto Joanne, sed à sancto Paulo electus & consecratus in Episcopum. De ipso scribit sanctus Melito Sardensis Episcopus: *Cum Servi-*
Lib. 4. cap. 25. *lius Paulus esset Asiæ Proconsul, Sagaris Martyrii corona donatus fuit.* Exstant verba apud Eusebium. Septimò discimus, quod in Apocalypsi memoratus Sardensis Episcopus fuerit sanctus Melito, laudatissimus apud eundem Eusebium. Hic refert & ejus Epistolam ad sanctum Onesimum Ephesinum Episcopum, qui in eadem Apocalypsi est Angelus Ephesi. Octavò discimus rationes, ob quas Polycrates & omnis Asia noluerint Paschale Festum transferre in diem Dominicam. Quod nempè sanctus Melito Sardensis, sanctus Sagaris Laodicensis, sanctus Polycarpus Smyrnensis, sanctus Traseas Eumeniæ, sanctus Papirus, nescio cujus civitatis, omnes Apostolorum Discipuli, immò & sanctus Philippus, ac ipse sanctus Joannes Apostolus ita fecissent ac tradidissent.

Sanctum Melitonem Eusebius laudat inter pro- Lib. 4.
batos ac Eximios Ecclesiæ Scriptores. Enumerat cap. 25.
ejus Scripta, ac inter ipsa ponit & hæc: *Duo Libri de Paschate. Alter de Dominico die. Alius de Apocalypsi Joannis.* Et adjungit: *In Libris quos* Meliton *de Paschate confecit, tempus quo illos scripserit, in ipso illorum exordio refert.* Et adducit Melitonis verba. *Cum Servilius Paulus esset Asiæ Proconsul, quo quidem tempore Sagaris Martyrii corona donatus fuit, magna apud Laodicæam orta est controversia de Paschate. Quod quidem Festum fortè eodem temporis articulo, quo oriebatur controversia, incidit. Atque illis ipsis diebus etiam ista à me de Festo illo fuerunt perscripta.* Pergit Eusebius: *Hujus Operis meminit Clemens Alexandrinus in Libro suo conscripto de Paschate, quem se contexuisse memorat arrepta scribendi ansa ex Melitonis Opere.* Hic sancti Clementis Liber latet aut periit. Et ejus nulla est memoria in Libris Stromatum. Adeo est nobis sepultus. Posset nos plura docere. Sanctus Sagaris Laodicensis Episcopus est passus sub Marci Aurelii & Lucii Veri Imperio, adeoque sub Pontificatu sancti Aniceti. Igitur & tunc apud Laodicæam orta est quæstio de Paschali Festivitate, & propter ipsam sanctus Melito scripsit istos Libros. Nempe ex Alma Urbe redux sanctus Polycarpus suis in Asia Collegis retulit suas cum sancto Aniceto Disputationes, ac sensum Romanæ Ecclesiæ: & Laodicensis Ecclesia videtur voluisse se accommodare ad Romanam. Sancti Sagaris, quem Melito isto anno fuisse defunctum, Polycrates affirmat Judaico mori favisse, Successor possit à suo Præcessore sensisse contrarium, & Romanis adhæsisse. Hinc forsan Polycrates illum non laudat. Quidquid sit, sancti Polycarpi reditus est vera radix istius controversiæ. Et Polycarpo adhærens Melito scripsit duos Libros de Paschate. Defendit ac stabilivit Asiaticæ Ecclesiæ consuetudinem. Sanctus Joannes in Apocalypsi laudat diem Dominicum: Hac in re Laodicensis Ecclesia, possit se fundasse. Hinc sanctus Melito addidit librum de die Dominico, ac librum de sancti Joannis Apocalypsi. De ipso scribit in illustrium Virorum Catalogo sanctus Hieronymus: Melitonis *elegans ac declamatorium ingenium laudans Tertullianus in septem libris, quos scripsit adversùs Ecclesiam pro Montano, dicit eum à plerisque nostrorum Prophetam putari.* Proinde summa fuit ejus Authoritas. Pervasit & Ægyptum: Et ipsam, quæ Romanæ Ecclesiæ ritum semper secuta fuerat, fecit nutare. Hinc Alexandrinus Clemens fuit compulsus refutare ejus Libros, & avitos suæ gentis & Ecclesiæ mores Scripto stabilire. Hinc memorat scribendi ansam sibi fuisse ex Opere Melitonis. Hinc & Polycrates ac ejus Synodus fundarunt se in illius Authoritate. Et aliorum ipsi adstipulatorum Episcoporum.

Sanctus Clemens, sancto Victori ac Polycrati fuit coetaneus. Etenim in Chronico ad secundi sæculi annum nonagesimum quintum scribit Eusebius:

sebius: *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter in disputatione Dogmatis nostri disertissimus habetur.* Alexandrinam Ecclesiam tunc rexit Demetrius. Videtur & hic tunc fecisse Synodum, atque ita sanctus Clemens Melitonis librum refutasse. Eusebii Chronicon pergit ad sequentem annum: *Narcissus Hierosolymorum Episcopus, & Theophilus Cæsareænsis; Polycrates quoque & Bacchylus, Asianæ Provinciæ Episcopi, insignes habentur.* Et ad annum sequentem: *Quæstione orta in Asia inter Episcopos, an secundùm Legem Moysi quartadecimâ die mensis Pascha observandum esset, Victor Romanæ Urbis Episcopus, & Narcissus Hierosolymorum, Polycrates quoque, & Irenæus, & Bacchylus, plurimique Ecclesiarum Pastores, quod eis probabile visum fuerat, litteris ediderunt. Quorum memoria ad nos usque perdurat.* Notanda sunt hìc duo. Primùm, Bacchylum affirmat fuisse non Achajæ, sed Asiæ Episcopum: Palàm affirmat ipsum cum Polycrate sensisse. Quare tunc duo fuerint contrariæ sententiæ Bacchyli. Quia diversæ Provinciæ. Secundò, Eusebius Narcissum laudat ante Theophilum, & illum solum numerat inter sancti Victoris adstipulatores: Quod nempè apud Orientales Episcopos fuerit Primas in isto Opere. Forsan solus consensit in Asianæ Ecclesiæ damnationem. Eusebius affirmat has Synodos factas secundi sæculi anno nonagesimo-septimo, qui fuit quartus sancti Victoris.

Quæstio septima est, quomodo Hierosolymitana ac omnis Palestina Ecclesia, quam constat hujus Judaici moris fuisse Auctricem, ab illo recesserit? Quæ ipsam movit Authoritas? Respondeo fuisse motam ab Authoritate Romanæ Ecclesiæ. Lucet ex Actis Synodalibus, quorum Fragmentum, dignum scribi aureis Literis, nobis servavit in Opusculo de Vernali Æquinoctio venerabilis Beda: *Papa Victor, Romanæque Urbis Episcopus direxit Authoritatem ad Theophilum Cæsaræensis Palestinæque Antistitem, ut quomodo Pascha recto jure à cunctis Catholicis celebraretur Ecclesiis, innibi fieret ordinatio, ubi Dominus & Salvator Mundi fuerat in carne versatus. Perceptà itaque authoritate prædictus Episcopus, non solum de sua Provincia, sed etiam de diversis Regionibus omnes Episcopos evocavit. Ubi cum illa multitudo Sacerdotum convenit, tunc Theophilus Episcopus protulit authoritatem ad se missam Victoris Papæ, & quid sibi operis fuisset injunctum, ostendit.* Ex quibus verbis aliqua discimus. Primò, quod Cæsaræensis Episcopus tunc fuerit Metropolita totius Palestinæ. Hinc enim dicitur, Cæsaræensis Ecclesiæ ac Palestinæ Antistes. Vox, *Ecclesiæ*, est illic supplenda. Secundò discimus, quod ista Synodus videatur facta non Cæsaræ, sed Hierosolymis. Etenim Christus Dominus numquam fuit Cæsaræ; est verò in carne versatus apud Hierosolymam. Tertiò discimus, quod Apostolica Sedes super omnes istas Ecclesias tunc exercuerit plenam Authoritatem. Quartò, quod plurium Provinciarum Episcopi tunc quidem in unum convenerint, verùm ex Mandato Sedis Apostolicæ. Quintò, quod posteriores Pontifices, sancientes ejusmodi Conventus sine suo Mandato non posse fieri, nitantur antiquis fundamentis. Sextò, quod sanctus Victor suas ad id vices tunc dederit Theophilo. Hæ vices sunt adeò antiquæ. Liber Pontificalis habet: *Victor Collatione facta cum Presbyteris ac Diaconibus, accersitoque Theophilo Alexandriæ Episcopo, constituit ut à decima-tertia Luna primi mensis, usque ad vigesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha.* Est duplex error. Etenim hic Theophilus non Alexandriæ fuit Episcopus, sed Cæsaræ. Et Romam evocatus non fuit, sed in sua Sede accepit & exercuit Vices Sedis Apostolicæ. Synodale Fragmentum est dignum lectu, ac integrè legendum. Et venerabili Bedæ debemus de ipso summas gratias.

Octava quæstio est, an hic vel ille Apostolus aliquid sanxerit de die Paschalis Festivitatis? Etenim Polycrates & ejus Episcopi constanter dixerunt suam consuetudinem esse à sancto Apostolo ac Philippo Diacono. Sanctus Victor Latini Ecclesiæ morem dixit esse à sancto Petro & Paulo. At verò sanctus Firmilianus constanter hoc negavit: *Eos autem qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare quæ sunt ab origine tradita; & frustrà Apostolorum Authoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quod circà celebrandos dies Paschæ videat apud illos esse aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur.* Aliqui censent, quod sanctus Petrus aliud Antiochiæ instituit, aliud Romæ. Socrates de hac re scribit varia. In quarto libro: *Novatus ipse, etsi de severo vivendi modo ab Ecclesia Romana dissentiebat, tempus tamen Festi Paschatis celebrandi omninò non mutavit. Perpetuò enim illud Festum de more illorum, qui in partibus ad Occidentem spectantibus habitabant, observavit, eodemque celebravit modo.* Consonat Hermias Zozomenus: *Novatus tamen non aliter atque Ecclesia Romana post æquinoctium vernum* Paschalem *diem Festum celebravit.* Affirmat & prosequitur Romanam Ecclesiam semper Pascha celebrasse in die Dominico. Pergit Socrates in quinto libro: *Veteres, qui proximè ab Apostolorum temporibus aberant, quamquam de hoc Festo inter se dissidebant; tamen inter ipsos mutuò communicarunt, nec aliquando vincula ruperunt concordiæ.* Et rursùm: *Apostolis propositum fuit, non ut Leges de Festis diebus celebrandis sancirent; sed ut rectè vivendi rationis & pietatis nobis auctores essent. Mihi quidem certè videtur, sicut aliæ res multæ in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt; ita Festum Paschatis ex quadam consuetudine apud singulos populos observationem privatam habuisse, propterea, quod nemo ex Apostolis Legem de eo cuiquam edidit. Et quod ex consuetudine potiùs, quàm ex Lege ab antiquis temporibus sit observari cæptum, rerum eventus perspicuè declarant.* Exponit sancti Victoris ac Polycratis quæstionem, atque prosequitur: *Qui quarto-decimo die mensis Pascha celebrant, eum observandi morem à Joanne Apostolo, ipsis traditum dicunt; qui autem Romam & alias Occidentis partes incolunt, Petrum & Paulum Apostolos, consuetudinem, quam illi tenent, ipsis reliquisse affirmant. Verùm nemo istorum omnium, testimonium de his rebus scriptis proditum proferre potest. Et quod ex consuetudine potiùs in singulis locis, quàm ex ulla alia caussa sit cæpta Festi Paschalis celebratio, hinc facio conjecturam.* Adducit varias variarum Gentium Ecclesiasticas consuetudines, & affirmat ipsas, non ab Apostolis esse, per consuetudinem, quarum origo fuerit quispiam

Cap. 23 Lib. 6. cap. 24. Cap. 20 Cap. 21

piam Apostolis posterior Episcopus. Hinc idem concludit de die Paschalis Festivitatis. Respondeo tamen hanc diversitatem omninò esse ab Apostolis. Etenim Polycrates constanter edixit suæ Ecclesiæ morem esse à sancto Joanne. Et hanc ejus assertionem sanctus Victor non refutavit. Et sanctus Hieronymus disertè scribit Polycratem *id docuisse*. Et sanctus Polycarpus, cum sancto Aniceto disputans, non suo Instituto noluit cedere, sed pro sancti Joannis Opere, à quo erat consecratus in Episcopum. Et quod Romana Ecclesia semper se fundarit in sanctorum Principum Apostolorum Instituto, evincit vel sola Epistola sancti Firmiliani. Et hoc ipsum probat Hermias Zozomenus: *Romani circà hujus Festi celebrationem, Apostolorum Petri & Pauli traditione utuntur.* Addit etiam Ægyptios cum Romanis celebrare. Et certè consuetudinem, quam servamus antiquissimam, & cujus nescimus Authorem, meritò credimus esse ab Apostolis.

Lib. 7. cap. 18.

Nona quæstio est, an sanctus Victor Polycratem, ejus Episcopos, ac omnem Asiæ Ecclesiam reverà excommunicarit? Respondeo affirmativè. Disertè hoc testatur Eusebius: *His rebus adductus Victor, totius Asiæ Ecclesias cùm aliis finitimis, tanquam alterius fidei & opinionis, simul omnes à communi unitate Ecclesiæ, amputare conatur, & in eos per Literas graviter invehitur, atque adeò omnes Fratres eam Regionem incolentes prorsùs à communione secludendos edicit.* Notanda sunt verba: *Tanquam alteriùs fidei & opinionis.* Afferunt non quod Victor aut Polycrates hanc quæstionem censuerint spectare ad immobile Dogma, sed quod ille hunc & ipsius Collegas, ac omnem populum tractarit ad modum, quo tractari consueverunt inobedientes: Etenim adeò vasta Diœcesis non consuevit nisi ob hæresim aut schisma excommunicari. Plura scribit in sancti Irenæi Lugdunensis Episcopi Elogio sanctus Hieronymus: *Feruntur* Irenæi *& aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ Epistolæ, in quibus commonet eum non facilè debere unitatem Collegii scindere. Siquidem Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui à decimaquarta Luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat.* Non solos Asiaticos, sed & plures Orientalium Ecclesiarum Episcopos. Nempe Victor non soli Theophilo Cæsaræensis & Polycrati Ephesino, sed cunctis per Orientem, etiam per Orientale Illyricum Episcopis mandarat celebrare Synodos, & à pristino more cessare: Et quædam Synodi paruerunt, quędam constanter restiterunt. Omnes quæ paruerunt, videtur edixisse Eusebius; ex aliis memorasse solam Ephesinam. Attamen addidit: *Cum aliis finitimis.* Hos sanctus Hieronymus appellat Orientales Episcopos. An solam Orientalem Diæcesim, an verò omnem Orientalem Ecclesiam intelligat, ignoro. Videtur, hanc omnem intelligere. Etenim non sola, totius Orientalis Diœceseos caput, magna Antiochia, sed etiam Cæsaræa Cappadocum, Ponticæ Diœceseos caput, firma perstitit in antiquo more. Existimo & Hierosolymam Theophili Synodo non paruisse. Quidquid sit, has omnes Ecclesias Victor paravit abscindere, & duxit exordium ab Asiatica, & quibusdam vicinis. Eadem de re scribit Socrates; *Plerique in Asia Minore antiquitùs decimo-quarto die mensis, nulla ratione die Sabbathi habita, hoc Festum observarunt. Quod dum faciebant, cum aliis, qui rationem aliam in eodem festo agendo sequebantur, usque eò nequaquam dissenserunt, quo-ad Victor, Romanus Episcopus supra modum iracundia inflammatus, omnes in Asia, qui quarto-decimani appellati erant, excommunicaverit.*

Lib. 5. cap. 24.

Lib. 5. cap. 21.

Sanctus Victor fuit Afer, ideoque possit fuisse natura vehementior. Sub ejus item Pontificatu factum est, quod in illustrium Virorum Catalogo scribit sanctus Hieronymus: Tertullianus, *cum usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, invidia postea & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma dilapsus* est. Et de sancto Irenæo addit sanctus Hiernoymus de præsenti Victoris facto: *In qua sententia ii, qui discrepabant ab illis*, utique Asiaticis Episcopis, *Victori non dederunt manus.* Plures, & Occidentales & Orientales, Episcopi, licet Asiaticorum pertinaciam non probarent, Victoris severum Judicium etiam improbarunt. Etiam Eusebius adjungit: *Verùm ista cæteris omnibus parùm placebant Episcopis. Illum igitur contrà magnoperè adhortabantur, ut pacis, concordiæ, & charitatis erga Proximos diligentem curam haberet. Quorum verba, utpote Victorem acriùs & acerbiùs coarguentium, Scriptis prodita adhuc extant.* Et inter hos affirmat fuisse sanctum Irenæum. Et adducit insigne fragmentum ex ejus Epistola. Etiam Socrates scribit: *Ob quod Factum Irenæus, Episcopus Lugduni, Urbis Galliæ, in Victorem per Epistolam graviter invectus est, tum æstum iracundię illius incusando; tum docendo quod veteres, qui in illius Festi observatione inter ipsos discrepabant, minimè fuere communione sejuncti.* Aliorum Litteræ aut perierunt, aut latent. Et hinc patet Romanum Episcopum, reverenti aliorum Episcoporum consilio posse revocari; ut parcat contumacibus Dispensatoriè. Lib. 5. cap. 21.

Decima quæstio est, quis fuerit horum motuum exitus? An Victor à suo Proposito recesserit? Respondeo recessisse. Hoc disertè affirmat Hermias Zozomenus: *Atque hæ quidem exstiterunt circa hoc Festum diversitates. Sapientissimè autem arbitror solvisse subortam olim de eo controversiam, Victorem tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem. Etenim cum Occidentis Sacerdotes traditionem Petri ac Pauli non esse contemnendam arbitrarentur, & Asiani se Joannem Evangelistam sequi affirmarent, Decreto in communione sancito, singuli, ut consueverant, Festum celebrantes, à mutua inter se communione non recesserunt. Frivolum enim, & quidem meritò, judicarunt, consuetudinis gratia, à se mutuò segregari eos, qui in præcipuis Religionis Capitibus consentirent. Neque enim easdem traditiones per omnia similes, in omnibus Ecclesiis, quamvis inter se consentiant, reperire possis.* Hìc miscetur quis Zozomeni Lapsus. Etenim sanctus Victor & sanctus Polycarpus non convixerunt. Polycarpus ad septimum Marci Aurelii Antonini & Lucii Veri annum est passus; At verò Victor non nisi ad decimumtertium Commodi annum est ingressus Pontificatum. Hinc aliqui volunt pro Victore statuendum esse Anicetum. Verùm hic quidem admisit Polycarpi pro Asiaticis Ecclesiis intercessionem, Lib. 7. cap. 19.

sed nullum edidit communionis seu Adiaphoriæ Decretum. Quare pro Polycarpo substituendus est ejus discipulus, sanctus & magnus Irenæus. Hic impetravit illud Decretum.

Hoc Adiaphoriæ decretum laudat & elucidat Nicephorus Calixtus. Adducit laudatum fragmentum ex sancti Irenæi ad sanctum Victorem Litteris, atque prosequitur: *Quapropter egregius, ut aptissimo nomini suo responderet, pacificator Irenæus fuit, qui sic intercessione sua pacem Ecclesiæ conciliarit, ut non modò cum Victore, sed etiam cum aliis permultis Ecclesiarum Antistitibus, congruentia & convenientia eis quæ diximus, de proposita quæstione adserendo egerit. Quod verò sermo non persuasit, id dies postea perfecit. Nam hac in re Asia vix tandem cessit, & ubique terrarum in orbe Decretum est, ut non cum Judæis, sed ipso Dominico die Mysterium Paschæ peragatur. Quamvis adhuc in Asia reliquiæ quædam maneant, consuetudinem eam in paucis prorsùs inviolatam retinentes. Unde etiam quarto-decimani cognominati sunt, consuetudinem eam, & alia quædam ex illegitimis, & ab Ecclesia rejectis Libris decerpta servantes, & nominibus quorumdam magnorum Apostolorum ea in re abutentes.* Et in alio Libro scribit: *Quarto-decimanos ferunt à Joanne Apostolo decimæ-quartæ diei Lunæ observationem accepisse; Romanis autem & Occidentalibus partibus Petrum & Paulum, Apostolorum maximos, eam quæ ibi frequentatur, tradidisse consuetudinem. Scriptum quidem de hac re Decretum edere nemo potest. Sapienter verò Victor & Polycarpus extinxisse de die Festo contentionem videntur. Quandoquidem autem Occidentales Episcopi traditionem Petri & Pauli minimè dehonestandam duxerunt, & Asiani quoque Joannis Evangelistæ Institutum servandum esse contenderunt, de communi consilio placitum est, ut quique, sicut assueverant, Festum diem agerent, mutuam autem communionem nequaquam rescinderent. Stultum quippe quàm maximè esse opinati sunt, ejusmodi variantium Consuetudinum gratia, à mutua Conjunctione discedere, cum eis de rebus Religionis præcipuis per consentientem concordiam conveniret.* Sanctum Polycarpum ponit pro S. Irenæo. Memoria lapsus.

Lib. 4. cap. 39.

Lib. 12. cap. 33.

Notanda sunt verba: *Quod Sermo non persuasit, id dies postea perfecit.* Etenim postmodò omnis ferè Asiatica Diæcesis sua sponte recessit à Judaico die, & assumpsit Latinum morem. Ante Nicænum Concilium. Etenim Magnus Constantinus in suis ad omnes sub cœlo Ecclesias è Nicena Synodo Encyclicis Litteris inter Orientales Ecclesias, quæ ante Synodum observarant legitimum Festi diem, disertè numerat Diœcesim Asiaticam. Quo tempore, quo Authore, quas ob rationes contigerit iste recessus, ignoro. Dico: *Omnis ferè Asiatica Diœcesis*: Quod ipsum notat Nicephorus Calixtus. Etenim Lydia permansit pertinax. Etiam post Nicænam Synodum aliqui obedire noluerunt, atque ita tandem facti sunt hæretici quarto-decimani. Eos durè persecutus est Hæresiarcha Nestorius. Eorumdem est ampla memoria in Nicæno Concilio. Notanda sunt & hæc Nicephori Calixti verba: *Scriptum hac de re Decretum edere nemo potest.* Utique scriptum per Apostolos. Exponit se in præcedenti ejusdem Libri capite: *Satis liquet, neque Sacrum Evangeliorum Librum, neque ipsum Apostolum, Christianis jugum servitutis legis imposuisse; sed ut Pascha & reliquos Festos dies honorificè, quandocumque eis visum esset, peragant, animi gratitudini eorum, qui beneficio sunt affecti, reliquisse. Proindè quia homines maximè amant Ferias, à laboribus in eis conquiescentes, tum sicuti cuique visum erat, in Regionibus passim, consuetudine quadam per Traditionem accepta, adducti salutiferæ Passionis memoriam colentes celebrarunt. Neque enim vel Servator ipse, vel ejus Discipuli, lege ulla id servandum esse statuerunt: Sed neque in eum, qui hoc ita non perageret, condemnationem, aut pœnam, aut execrationem vel Evangelica vel Apostolica Scripta induxerunt, aut comminati sunt. Ipsis profectò sanctis Apostolis consilium illud propositum non fuit, ut sibi de diebus Festis Judicium sumerent, aut de eis leges ferrent; sed potiùs Deo gratam vitam, virtutem, & veram erga Deum Pietatem traderent, atque inducerent. Mihi quidem videtur, quemadmodum alia plurima plerisque in locis suam obtinuere consuetudinem, ita id quoque de Paschæ Festo accidisse; quod ex more quodam apud Gentes, quæque suam habuit observationem: ut satis manifestum sit, neminem Apostolorum quidquam de Festo hoc die legis Sanctione constituisse.* Nullum ediderunt scriptum Canonem, sed suis Ecclesiis tradiderunt, aut potiùs permiserunt hanc vel istam consuetudinem.

Cap 32.

Undecima quæstio est, unde hunc Judaicum morem Novatianenses hauserint, ac intruserint in Latinam Ecclesiam? An ipsum habeant à Novato? Respondeo hanc audaciam esse Novato posteriorem. Etenim sanctus Cyprianus, qui singulos ejus errores notat in Epistola ad Antonianum Episcopum, istius audaciæ non meminit. Nec item sanctus Cornelius Pontifex in Literis ad Fabium Antiochiæ Patriarcham, exstantibus apud Cæsaræensem Eusebium. Et Socrates scribit: *Novatus ipse, etsi de severo vivendi modo ab Ecclesia Romana dissentiebat, tempus tamen Festi Paschatis celebrandi omninò non mutavit. Perpetuò enim illud Festum de more illorum, qui in Partibus ad Occidentem spectantibus habitabant, observavit, eodemque celebravit modo. Qui autem ibi vitam degunt, à primo tempore, quo fidem Christianam cæpere profiteri, semper post æquinoctium, Festum illud celebrarunt. Et quamquam ipse Novatus, post regnante Valeriano, qui Christianos persequebatur, Martyrio occubuit: Illis tamen qui in Phrygia nomen ab eo ducebant, licet à fide Ecclesiæ aversis, ejus communione uti permissum est. Quo quidem tempore diem Festi Paschatis celebrandi commutarunt. Nam in Pazo vico, ubi fontes sunt Sangarii Fluminis, Concilio coacto, pauci quidam Episcopi Novatianorum in Phrygia, iique obscuri, decidunt morem Judæorum, qui Azyma faciunt, observandum: Festumque eodem tempore, quo ab illis agitur, esse celebrandum. Ista fuerunt nobis à viro quodam ætate admodùm ingravescente nunciata; qui quidem se Filium Presbyteri esse dixit, & simul cum Patre illi Concilio interfuisse.* Adjungit, nec Agelium Constantinopolitanum, nec Maximum Nicænum, nec ullum alium Novatianensis Factionis Primatem Episcopum isti Synodo adfuisse.

Lib. 6. cap. 35.

Lib. 4. cap. 23.

Porrò

Porrò Agelius per quadraginta annos fuit Novatianensium apud Constantinopolim Episcopus. *Hoc est*, inquit idem Scriptor, *à Constantini temporibus usque ad sextum annum Imperii Theodosii.* Addit Paxensem Synodum esse factam sub Valentis Imperio. Quod ipsum scribit Hermias Zozomenus. Lib. 6. cap. 24

Notanda sunt Socratis verba: *Illis, qui in Phrygia nomen ab eo ducebant, licet à fide Ecclesiæ aversis ejus Communione uti permissum est.* Hermias Zozomenus est lucidior: *Non aliter atque Romana Ecclesia post Æquinoctium vernum, istum diem Festum tum ipse* Novatus, *tum ejus successores usque eò celebrarunt, quo-ad quidam in Phrygia Novatiani Episcopi in Vicum Gazum profecti, quoniam ob hanc rem etiam cùm illis, qui doctrinà ab ipsis dissentirent, communicare renuebant, legem tulerunt, ut diem Festum Paschatis, eodem tempore, quo Judæi agerent.* In Panario sanctus Epiphanius Montanistas distinguit in Cata-Phryges & Pepuzianos, hos etiam Quintillianos à Quintilla, & à Priscilla Priscillianos appellat, atque prosequitur: *Ex iis duabus inter se commistis Sectis nova quædam conflata est, & in Orbem introducta, quarta-decimanorum Hæresis.* Plerosque orthodoxi Dogmatis articulos affirmat ab ipsis admitti, & subjungit: *Sed inter hæc tamen non mediocri calamitate conflictantur, eò quod id quod in Lege scriptum est, perperàm accipiunt: Maledictus qui non fecerit Pascha quartà-decimà die mensis:* Hic articulus non est à Montani Paracleto. Etenim ejus Tertullianus non meminit, nec alii veteres istius Pseudo-charismatis Sectatores aut Impugnatores. Montanus sub sancti Aniceti Pontificatu laceravit Ecclesiam: Dum Romana Ecclesia Asiaticam ad Pascha die Dominico celebrandum cæpit urgere. Successit sancti Victoris in eandem hanc Ecclesiam duritia: Ac tandem jam laudatum Adiaphoriæ Decretum. Et Montanistæ præsertim grassabantur in Phrygia, Provincia Asiaticæ Diæceseos. Hinc passim dicuntur Cata-Phryges. Hos animarunt ista discordia, istudque Decretum: Ex inde cæperunt ansam calumniandi omnem Ecclesiam. Dixerunt Decretum Divinæ ac Apostolicæ legis esse prævaricatorium, adeoque & Asiaticam & Romanam Ecclesiam omninò Apostatasse. Et sic Montani Erroribus novam addiderunt hæresim, & facti sunt hæretici quarto-decimani. Hæres. 50. c. 1.

Porrò Montanistæ ac Novatianenses fuerunt vulpes colligatæ per caudas. Hi Idololatricum Lapsum, isti Mæchiam docuerunt esse peccatum irremissibile per Claves Ecclesiæ. Atque ita conjunctis cornibus Ecclesiam arietarunt. Verùm solis caudis, nequaquam capitibus jungebantur: Sese mutuò oderant. Et odii radix tandem fuit sola Paschalis Festivitatis diversitas. Etenim licet Novatus in exordio tradiderit solam Idololatriam esse irremissibilem, postmodò tamen, aut ipse aut ejus Sectatores rigorem extenderunt ad omne crimen, atque ita inter ipsos & Montanistas fuit modica distantia. Hinc tandem quidam Novatianensium in Phrygia Episcopi fecerunt Pazensem Synodum; resumpserunt avitam Asiaticæ Ecclesiæ consuetudinem, facti sunt Quarto-Decimani, atque ita cum Montanistis coaluerunt in unam, non communionem, sed confusionem. Decretum, quod adversùs Adiaphoriam à sancto Victore & Polycrate constitutam, Cata-Phryges fecerunt, omninò probarunt atque admiserunt. Lucet ex subsecutis Actis Sabbatii Presbyteri, de quo Socrates: *Sabbatius quidam ex Judæo factus Christianus, & à Marciano* Agelii *in Novatianensem Constantinopoleos Episcopatum successore, ad Presbyterii dignitatem evectus, nihilominus Judaicæ Religioni servire laboravit. Quin etiam Episcopatus cupiditate incensus fuit. Itaque nactus duos Presbyteros, Theoctistum & Macarium, suæ cupiditatis adjutores, tempus & morem Paschatis Festi celebrandi, qui in Pazo vico Phrygiæ à Novatianis decerni tentatus erat, renovare cogitavit. Ac quamquam primùm simulatione Monasticæ vitæ excolendæ, ab Ecclesia recessit, & sibi non nullos, quos mysteriorum Communione indignos censebat, permagnæ offensioni fuisse docuit: Tamen haud ità multò post, dum Conventus separatim agere institueret, de manifestò aperuit.* Non à Catholica, sed à Novatianensi se separavit Ecclesia. Utique ob Pazensis Synodi Decretum. Omnes ipsum admittere nolentes damnavit uti Evangelici & Apostolici Canonis Prævaricatores. Ex quo vides Pazensi Decreto hunc omninò fuisse sensum. Pergit Socrates: *De quibus rebus certior factus Marcianus, suum ipsius in ordinandis Presbyteris errorem & inscitiam propterea magnoperè accusavit, quod homines inanis gloriæ adeò appetentes ad Presbyterii munus extulerat. Atque graviter sibi succensens dixit, multò fuisse satiùs manus suas in spinas imposuisse, quàm earum impositione Sabbatium designasse ad gradum Presbyterii. Idcircò Angari (est hoc Bithyniæ emporium propè Helenopolim situm) Concilium Episcoporum Novatianorum convocat. Qui cum essent in unum coacti, accersunt Sabbatium, eumque offensi sui animi caussas coram Concilio proponere jubent. Ac simul-atque ille dissensionem de Festo Paschatis celebrando caussam attulerat, illud enim tum ad consuetudinem à Judæis in eo servatam, tum ad præscriptum ac normam eorum, qui in Pazo convenerant, celebrandum esse dicebat, Episcopi in Concilio congregati, suspicantes illum Sedis Episcopalis desiderio eam rem caussatum esse, jure jurando hominem obstringunt, ut Episcopatum nunquam capesceret. Illi tum Canonem edunt de Festo Paschatis, quem Adiaphoron vocabant: Docebantque dissensionem de Paschatis Festo non satis justam esse caussam, cur Ecclesia dirimeretur: Neque eos, qui in Pazo coacti fuissent, præjudicium generali Canoni fecisse. Nam veteres, qui proximè ab Apostolorum temporibus aberant, quamquam de hoc Festo inter se dissidebant; tamen inter ipsos mutuò communicasse.* Miseranda Synodus nè aut profanum Sabbatium offenderet, aut deviam Novati Synagogam laceraret, à sancto Victore & Polycrate stabilitam Adiaphoriam reduxit, & edixit istum fuisse sensum Pazensis Synodi. Quod istam Adiaphoriam reduxerit, disertè affirmat laudatus Socrates. Est insigniter prævaricata. Etenim damnavit Nicænum Decretum, quod etiam ab eorum Episcopo ac Primate Acesio fuisse laudatum atque admissum, idem scriptor testatur. Etiam Pazense Decretum est pravè interpretata. Interim ab hujus Angarensis Synodi tempore Novatianenses cæperunt

Lib. 5. cap. 20. — cap. 24. 25. — Lib. 1. cap. 17.

runt Pascha vel Christiano vel Judaico more ad libitum celebrare, & tamen esse amicæ communionis. Sabbatius tamen sprevit hanc Synodum. Sectari perrexit Pazense Decretum. Seduxit Phryges & Galathas. Tandem se perjurus intrusit in Constantinopolitanum suæ factionis Episcopatum. Ac est fœdè à Populo extrusus. Quæ omnia scribit etiam Hermias Zozomenus. Et ex ipsis discimus laudatum Audiaphoriæ Decretum à sancto Victore fuisse admissum atque sancitum.

Quæstio duodecima est, An Montanistæ fuerint quarto-decimani, juxtà tunc consuetum morem Asiaticæ Ecclesiæ. Respondeo non fuisse. Habuerunt singularem Ritum. Eum exponit Hermias Zozomenus: *Montanistæ, quos Pepuzytas & Phryges appellant, peregrinam quamdam rationem commenti sunt, secundùm quam Pascha celebrant. Siquidem eos, qui in hoc negotio Lunæ cursum curiosè observant, reprehendunt, & solos solares circulos dicunt esse sequendos iis, qui ista volunt rectè ordinare: Et menses singulos esse triginta dierum statuunt, incipere autem diem primam ab Æquinoctio Verno, quæ Romanorum more dicatur nono Calendas Aprilis.* Eorum commenta exponit largiùs Sanctus Epiphanius addit omnes inter se non convenisse: *Sunt inter eos, qui unam eandemque diem observant, & una eademque jejunant, ac Mysteriis operantur. Nam ex Actis Pilati accuratam se hujus Instituti rationem didicisse gloriantur; in quibus scriptum est octavo Calendas Aprilis Salvatorem esse passum. Quamobrem illa ipsa die Pascha celebrare volunt, in quamcumque demùm Lunæ quarta-decima dies incurrerit. At qui in Cappadocia degunt, eandem diem, quæ est octava Calendas Aprilis, celebrant: Tametsi non mediocris est inter illos dissensio. Nonnulli enim Lunam quartam-decimam statuunt, quæ in octavam Calendas Aprilis incidit. Alii ad decimam Calendas Aprilis rejiciunt, sed isti à Proposito exciderunt.* Quæ omnia ad plenum exponere non est hujus loci. Fuerunt alii quarumdam Ecclesiarum circà hujus Festi legitimum diem errores & diversi ritus. Vide Socratem, Nicephorum Calixtum, ac Dionysii Petavii Notas in sanctum Epiphanium. Porrò cur Catholica Ecclesia circà hoc Festum ac ejus appendices non Solis, sed Lunæ cursum attendat, insigniter exponit sanctus Augustinus in Literis ad Januarium. Hæc circà Paschalem diem quæstiones sunt grassatæ ante Nicænum Concilium. Et ad ipsas extinguendas fuit Legatus Hosius. De Crescentio, qui tunc turbavit Ægypti Ecclesiam rectè scribit in laudatis Notis Dionysius Petavius: *Quænam sub Alexandro Alexandriæ Episcopo Paschales illæ turbæ fuerint, nusquam à me lectum vel auditum. Sed neque quis Crescentius ille fuerit. Quærant amplius eruditi.*

Lib. 7. cap. 18.

Hæres. 70. c. 1.

Lib. 5. cap. 21.

Hæres. 50.

Epist. 119.

Sancti Alexandri Patriarchæ Alexandrini Relatio ad S. Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum.

QUod Arius & ejus Asseclæ venerabilem Hosium noluerunt attendere, fecerunt desperata ipsorum malitia, ac etiam memoratæ Constantini Literæ, quæ mali originem referebant in sanctum Alexandrum potiùs, quàm in Arium. Constantinus videtur tunc Nicomedia transiisse Constantinopolim, intenturus ejus perficiendis ædificiis. Hinc ejus Episcopum Alexandrum, virum sanctissimum ac doctissimum, sanctus Patriarcha Alexander censuit implorandum, & optimum Principem instruendum per ipsum, ac à Nicomediensis Eusebii imposturis se liberandum. Ad ipsum ergò scripsit eruditas Literas, quas nobis in Ecclesiastica Historia custodivit Theodoretus. Eas misit per Apionem suum Diaconum. Est ejus extrema adversus Arium Epistola. Lucet ex his verbis: *Suffragamini nobis adversùs furiosam illorum temeritatem, non aliter atque Collegæ nostri, qui ægrè tulerunt, & ad me contra istos scripserunt, libelloque contra eos edito subscripserunt, quæ & per filium meum Apionem ad vos misi, partim Ægypti totius & Thebaidis, partim Libyæ & Pentapolis, & Syriæ, atque etiam Lyciæ & Pamphiliæ, Asiæ, Cappadociæ & finitimarum circumquaque, quorum exemplo à vobis etiam me acceptururum confido.* Tunc ergò ad omnes istarum Regionum Episcopos scripserat, ac suæ fidei Libellum miserat, atque ab ipsis receperat responsum, ac istius libelli subscriptionem. Per has postremas literas expostulabat sancti etiam Alexandri suffragium, utique apud præfatum, ac ab Eusebii susurris jam liberum Principem.

Ista Epistola lucidè laudat Apostolicum Symbolum, plerosque ejus adducit articulos, ac ex ipso refutat Arianos. Incipit: *Credimus, uti Apostolicæ Ecclesiæ placet. In solum Ingenitum Patrem.* Alexandrina Ecclesia videtur habuisse: *Credo in unum Deum Patrem.* Audi etiam secundum articulum: *Et in unum Dominum JESUM CHRISTUM, Filium Dei unigenitum.* Ista Ecclesia hic manifestè adjecit vocem, *unum.* En articulum de Spiritu sancto: *Unum, sicut Divinæ Literæ nos docent Spiritum Sanctum confitemur.* An & hic ista Ecclesia adjunxerit vocem, *Unum*, non possum definire. Interim voces, quas Constantinopolitana Synodus apposuit aut firmavit, *& vivificantem*, Sanctus Alexander egregiè exponit: *Qui innovavit tum sanctos homines veteris Testamenti, tum ejus, quod novum appellatur, Divinos Doctores.* Et pergit: *Unam & solam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam.* Ex quo vides quod istius Ecclesiæ Symbolum habuerit voces, *Catholicam, Apostolicam Ecclesiam.* Adeò antiquum est istud additamentum. Alexander pergit: *Post hæc agnoscimus Resurrectionem mortuorum.* Hìc sistit, & de vita æterna nullam facit memoriam. Ex quo videtur hic articulus illi defuisse, & ejus extremus fuisse *Carnis resurrectio.* Iterum Alexander: *Resurrexit à mortuis, Adscendit ad Cælos, Sedet in dextera*

Majestatis. Clarum est quod laudet Apostolicum Symbolum. De ejus antiquitate, originalibus articulis, ac additamentis, plura dixi in Sholiis ad præscriptiones Tertulliani.

Sanctus Alexander Constantinopolitanus Episcopus est potens iste Ecclesiæ apud Divinam Majestatem Advocatus, cujus postmodò sanctissimę Preces sceleratum Arium exstinxerunt in fætidis locis, effuderunt omnia ejus viscera, & Ecclesiæ Catholicæ immaculatam communionem à macula & contagio liberarunt. Hinc apud Magnum Constantinum est suo officio constantissimè functus, & impetravit novas contra Arium Literas, de quibus scribit sanctus Epiphanius: Hæres. 69. c. 9. *Imperator, Divinæ Fidei ardore commotus, Epistolam benè longam, & Encyclicam ad omnes Romano Imperio subditos, adversus Arium, ejusque dogma scripsit, omni Sapientia & veritate refertam, quæ in hodiernum usque diem eruditorum manibus teritur. Hujus initium est: Constantinus Augustus, Maximus, &c. Arius cum Arianis malus interpres, ipsissima est imago ac simulacrum diaboli. Tum post alia quædam, & longam ex Scripturis Sacris illius refutationem, postremò versum quemdam ex Homero cum indignatione & stomacho contorquet, quem hìc adscribendum putavi.* Audi acerba tanti Principis verba: *Age, Mars Ari, Clypeis opus est. Verùm ne id facias obsecramus: Ac te saltem veneris consuetudo cohibeat.* Arium notavit de contrariis vitiis. De turbulenta crudelitate, ac de venerea libidine. Ex eisdem notatur Nero. Etenim Luxuriosi solent esse mansueti & mites. Epistolam, quæ magno Christianæ eruditionis damno, dudum latuerat, primus vulgavit Fredericus Morellius: Et ipsam, omninò legendam, suis Annalibus inseruit D. Cæsar Cardinalis Baronius. Epistola ad omne quidem Imperium fuit missa; est tamen inscripta ad Arium & Arianos. Quibusdam etiam in aliis S. Epiphanius est isthìc memoria lapsus, de quibus vide Notas Dionysii Petavii. Ista Epistola Arium & Arianos adeò prostravit, ut de ipsis scribat in Libris de Magni Constantini vita Symmieta ipsorum Eusebius Cęsaræensis: Lib. 3. cap. 4. *In singulis Civitatibus Episcopi cum Episcopis dissidere, ac Populus contra Populum tumultus ciere, & impetu quodam repentino, instar Symplegadum, & mutuis pugnis ut se ipsum conciderè cæpit, usquè eò animis insanis ac desperatis impia scelera aggredi, & Imperatoris Imagines contumelia afficere non dubitarent. Verùm Imperatorem non tam ad iram, quam ad immensam animi ægritudinem, qua furiosorum amentiam suprà modum deploravit, incitarunt.* Rectè dicit, *Repentino impetu.* Nempe ob subitam à Principe, quem sibi amicum censebant, mutationem, & sui penitùs damnatricem Epistolam. Hi furiosi nequaquam fuerunt Catholici, sed soli Ariani. Qui Domino Deo ac suo Patriarchæ Alexandro jam dudum rebellarant, ac plurimas irrogarant blasphemias & contumelias; cæperunt jam patrare paria in Augustum Mundi Dominum. Ita consueverunt Hæretici. Quantum porrò crimen sit Principis Statuas invadere, discere possis ex Sancti Joannis Chrysostomi ad Antiochenum Populum sermonibus, in quibus agit de dejectis Statuis Magni Theodosii.

Romanum Concilium sancti Sylvestri de Ariana Hæresi.

DE hac Synodo habemus in Actis sancti Sylvestri: *Temporibus sancti Sylvestri Papæ, & Constantini piissimi Augusti, factum est magnum Concilium in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt regulariter ejusdem Sylvestri Papæ vocatione in id ipsum trecenti decem & octo Episcopi Catholici, qui exposuerunt fidem integram, Catholicam, immaculatam, & damnaverunt Arium, Photinum, Sabelliumque, atque sequaces eorum. Eodem quoque tempore, & decimo-tertio Calendarum Juliarum die, quando memoratum Concilium magnum in Nicæa congregatum est, Canonica jam facta Papæ vocatione in Urbem Romam congregavit & ipse cum consilio præfati Constantini Augusti ducentos sexaginta septem Episcopos, & damnavit iterum tam Calistum, quàm Arium & Photinum, atque Sabellium, & constituit ut Presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet, nisi Episcopus ejusdem Loci eum reconciliaret, & sacrosancto Chrismate per Episcopalis manus impositionem Spiritus Sancti gratia, quæ ab Hæreticis dari non potest, confirmaret.* Eandem Synodum laudat Romanum Breviarium in secundi Nocturni de sancto Sylvestro Lectionibus: *Hoc Pontifice habita sunt duo Concilia; Nicænum, ubi præsidentibus ejus Legatis, præsenteque Constantino, & trecentis decem & octo Episcopis, sancta & Catholica fides explicata est, Ario ejusque sectatoribus condemnatis. Quam etiam Synodum confirmavit, Petentibus Concilii Patribus universis: Et Romanum, in quo interfuere ducenti Octogintaquatuor Episcopi, ubi iterum Arius condemnatus est.*

Quædam in istis Actis deviant. Primò, quod in hoc Romano & in Nicæno Concilio dicant damnatum Photinum. Etenim Photinus Syrmiensis Episcopus tunc necdum apparebat. Et ejus Magister Marcellus, Ancyræ Episcopus, strenuissimè se gessit in Nicæna Synodo. Secundò displicet quod ista Acta dicant Romæ damnatum nescio quem Calistum. Hunc enim inter Arianos penitùs ignoramus. Tertiò displicet, quod dicant Synodum Romanam Nicæna posteriorem. Etenim post Nicænam quid opus erat alia apud Romam Synodo? Nisi fortè ad deliberandum de istius confirmatione. Verùm de hac danda nullus fuit vel scrupulus. Et opus non fuisset tanto Episcoporum numero. Deinde istius Romanæ Synodi apud Antiquos Scriptores nulla est penitùs memoria. Prima, quam ego novi, Lib. 1. memoria est apud Magni Caroli Capitularia. cap. 139 Ejusdem meminit in suis adversùs Photii calumnias Scriptis Venerabilis Æneas Parisiensis Episcopus: Cap. 115 *In Synodo, cui præsedit Romæ beatus Sylvester Papa cùm Episcopis ducentis octoginta quatuor, ubi damnati sunt Victorinus Episcopus, Calistus, Hippolytus Diaconus, adstantibus Episcopis, & Presbyteris, & Clericis Græcorum.* Et rursùm: Cap. 197 *Beatus Sylvester in fine allocutionis, quam fecit in Synodo acta in Trajanis, tertio calendas Junias.* Hìc iterum quædam offendunt. Primò, quod dicat Græcorum Episcopos ac Presbyteros Papali Synodo

Synodo non assedisse, sed adstitisse. Deinde Episcoporum numerus non consonat. Tertiò non consonat Synodi tempus.

Interim hæc testimonia, licet non pleni, sunt tamen alicujus ponderis. Eorum Authores non sunt locuti ex suo cerebro, sed ex prioribus, forsan Authenticis documentis. Primum, atque Authenticum testimonium quandoque perditur, & manent ejus Extracta, aut aliorum de ipso testimonia. Quare existimo fuisse Romanam contra Arii errores Synodum, verùm Nicæna priorem. Sextæ generali Synodo adfuit duplex Romana Legatio: Legati S. Agathonis Papæ, & Legati Occidentalis Synodi. Ad generales in Oriente celebratas Synodos Latini Episcopi raró comparuerunt, aut sanè in modico numero. Hinc ante earum exordium Romanus Pontifex passim cogebat suarum Diœcesion Patriarchalem Synodum, motam ab Hæreticis quæstionem ist-hìc agebat ac decidebat, & non dumtaxat suæ Personæ ac Sedis, sed etiam istius Synodi judicium mittebat ad generalem Synodum; & ipsum ist-hìc erat prærogativa sui suffragii. Mittebat per diversos Legatos: Alii Apostolicæ Personæ, alii erant Legati istius Synodi. Dominus Petrus de Marca in quinto libro de Sacerdotii & Imperii Concordia censuit hanc duplicem Legationem priùs apparuisse in sexto Concilio. Est alibi agitanda quæstio. Cap. 5. & 6. Quidquid sit, ista Occidentalis ante generalem celebrata Synodus est antiquissima. Eam ante Ephesinam S. Celestinus, ante Chalcedonensem celebravit Magnus Leo. Et quia tunc Gallia ipsi adesse non poterat, distinctam ab ipsa Synodum jussit cogi, & ejus etiam judicium parabat cum suæ Synodi Judicio mittere Chalcedonem. Etiam ante quintam Synodum istud ipsum fecit Vigilius. Quare quin & S. Sylvester ante Nicænam Synodum fecerit, existimo non dubitandum. Quia tamen nullo Authentico ac irrefragabili testimonio id demonstrare possum, permitto unumquemque in suo sensu abundare. Quæ hodiè exstat Synodus, est forsan supposititia; hinc ejus Canones & alia Acta, licet penitùs inutilia non sint, desino interpretari.

SYNODORUM GENERALIUM AC PROVINCIALIUM DECRETA ET CANONES, SCHOLIIS ET NOTIS ILLUSTRATI.

SYMBOLUM NICÆNUM.

Redimus in unum Deum, Patrem omnipotentem; omnium visibilium, & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei ex Patre natum unigenitum; idest, ex substantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in Cœlo, & quæ in Terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die. Et adscendit in Cœlos, & iterum venturus est judicare vivos, & mortuos. Et in spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat aliquando, quando non erat, & quia ex iis, quæ non sunt, factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica Apostolica Ecclesia.

DISSERTATIO

De Symbolo Apostolico & Nicæno.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit fidei Symbolum in genere.

Uod nos fidei Symbolum, Tertullianus, ac alii antiqui Latini passim vocant *fidei aut veritatis regulam* matremque Catholicam, ab ejus integra custodia Ecclesiam *authenticæ regulæ*. (1. Cont. Valent.) Vox porrò Symbolum duas significationes habet, de quarum prima Venerabilis Beda in Commentariis Proverbiorum: (l. 2. c. 23.) *Symbolum Græcum nomen est, & interpretatur collatio. Est autem collatio Sermonum, sicut in consiliis solet; est & pecuniarum, sive aliarum rerum.* Etiam convivium ex collatis per varios ferculis conflatum est Symbolum. Altera significatio indicium, signum distinctivum, verbalemque militum tesseram significat, de qua Ruffinus Aquilejensis Ecclesiæ Presbyter, in Symboli Apostolici expositione ad Laurentium Episcopum: *Et in bellis civilibus hoc observari ferunt. Quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est atque instituta bellandi eadem, ne qua doli subreptio fiat, Symbola discreta unusquisque Dux suis militibus tradit, quæ latinè signa vel indicia nominantur: ut si forte occurrerit quis de quo dubitatur, interrogatus Symbolum, prodat si sit hostis, an socius.* Sic, teste Arnobio, ejusdem solemnitatis conscii *Symbola* proferebant, quibus & se se agnoscerent, & secernerent ab aliis. Cur verbalem militum tesseram Ruffinus dicat solis civilibus bellis usitari, nescio: omni expeditione usitatam Romana docet historia, praxisque hodierna. Utraque significatio quadrat nostræ Regulæ, presertim illi quam Apostoli composuerunt, qui & creduntur vocem Symbolum in Ecclesiam introduxisse. *Apostoli,* inquit Ruffinus, *in Mundi regiones ab invicem discessuri normam prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alius ab alio abducti diversum aliquid his qui ad fidem Christi invitabuntur, exponerent. Omnes ergo in uno positi, & Spiritu sancto repleti breve illud futuræ sibi prædicationis indicium, conferendo in unum quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam regulam statuunt. Symbolum hoc multis, & justissimis ex causis appellari voluerunt.* Hæ causæ sunt jam dictæ *Symboli* significationes. Ea enim regula est vera plurium in unum collatio, quoniam *in his sermonibus unusquisque Apostolus in unum contulit quod sensit:* Quisque suum articulum. Est & indicium, signum distinctivum, verbalis tessera. *Idcirco quippe istud indicium posuere per quod agnosceretur is qui Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret, aut crederet,* ut quisquis hanc regulam aut nesciret, aut sper-

sperneret, tamquam à veris Evangelii lineis devius fugeretur. Sic antiquus Tertullianus in libro præscriptionum vocat *contesserationem hospitalitatis*: frater advena hospitio recipiendus rogabatur hanc tesseram, eamque doctrinam non adserenti nullus locus in domo, quomodo mandat Apostolus Joannes. Et hæc posterior significatio jam pridem magis placuit. Etenim Chalcedonensis Synodus in relatione ad Martianum Augustum Symbolum Nicænum vocat *fidei signaculum*, & in fidei definitione *tesseram pietatis*: nullibi collationem. Et meritò: solum quippe Apostolicum Symbolum in quod quisque Apostolus suum articulum contulit, collatio fuit. Cap. 20.

Epist. 12. Sanctus Leo Magnus in epistolam ad Pulcheriam Augustam scribit Symbolum oportere esse *brevem, ac perfectam confessionem*. Ruffinus, *breve prædicationis indicium*, in quo complentur Prophetiæ: *Verbum consummans & breviatum*. Et Cap. 1. Sanctus Augustinus in libro de Symbolo: *Est autem fides Catholica in Symbolo nota fidelibus memoriæque mandata quantum res passa est brevitate sermonis, ut incipientibus atque lactentibus, paucis verbis credendum constitueretur, quod proficientibus, & ad divinam doctrinam surgentibus multis verbis exponendo esset perficiendum.*

Additio posthuma. Et in disputatione cum Arianorum Comite Pascentio: *Symbolum est cautio inter animas nostras & Deum*. Et in libris de Symbolo: *Regula* Epist. 178. *fidei quod Symbolum dicitur*. Et pergit ad Catechu- Lib. 1. c. 1. menos: *Ista verba, quæ audistis, per divinas* Lib. 2. c. 1. *scripturas sparsa sunt, sed inde collecta, & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo possit dicere, possit tenere quod credit*. Et in alio ejusdem operis libro: *Familia Redemptoris accepit Symboli remedium contra antiqui serpentis venenum, ut si quando voluerit Adversarius Diabolus denuo insidiari, noverit redemptus cum Symboli Sacramento & Crucis ve-* Lib. 3. c. 1. *xillo debere occurri.* Et rursus: *Sacramentum Symboli noveritis esse fidei Catholicæ fundamentum*. Et Serm. 119. cap. 1. in authentico sermone de tempore: *Symbolum est breviter complexa Regula fidei, ut mentem instruat, nec oneret memoriam; paucis verbis dici-* Serm. 131. *tur, unde multum acquiratur*. Et in alio Sermone: *Doctrina Symboli est virtus Sacramenti, illuminatio Animæ, plenitudo credentium. Est breve verbis, sed magnum Sacramentis: Parvum ostendens imminutione latitudinis, sed totum continens compendio brevitatis. Exiguum est, ut memoriam non obruat, sed diffusum, ut intelligentiam supercedat; confirmans omnes perfectione credendi, desiderio confidendi, fiducia resurgendi. Quidquid enim præfiguratum est in Patriarchis, quid quid annunciatum est in Scripturis, quid quid prædictum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel de Deo Dei unigenito, vel de Spiritu sancto, quamvis latenter ostensum sit; vel de suscipiendi hominis Sacramento, vel de morte Domini, resurrectionisque mysterio, totum hoc breviter, juxta oraculum propheticum, Symbolum in se continet*. Dicit esse *collationem fidei & gratiæ, professionis mysterium, Symboli sacramentum:* quia nempe complectitur omnia fidei Christianæ mysteria ac Sacramenta. Alterius tituli ratio est, quod sit nostrum, factum Domino Deo, coram multis testibus *militare Sacramentum*. Etiam insigniter exponit nescio cujus sermo in Augustiniana appendice. Quæ omnia in Serm. 59. cap. 1. quinta Catechesi insigniter confirmat Sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus: *fidem in disciplina & promissione posside, & custodi illam à sola Ecclesia nunc tibi traditam, & ex omni scriptura munitam. Cùm enim non omnes possint scripturas legere, & alios quidem inscitia, alios verò occupatio quædam impedit à cognitione, ne ob inscitiam perdas animam, in paucis versibus universam fidei doctrinam comprehendimus, quod in ipsa lectione meminisse vos volo, & apud vos ipsos studiosè recolere. Non in chartas inscribendo, sed in corde memoriam insculpendo, & in meditatione custodiendo, necubi catechumenus ea, quæ vobis tradita sunt exaudiat. Habere autem hanc doctrinam tamquam viaticum omni tempore vitæ, & præter hanc non suscipere aliam decet.*

His obstare videtur magnus Papa Leo, qui in litteris ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum scribit de Attico ejus Presbytero: *Chalcedonensis Symboli de fide definitionem profitea-* Epist. 77. *tur*. Prolixam illam definitionem titulat Symbolum. Et Constantinopolitana Sergii Patriarchæ Synodus ad lectam Imperatoris Heraclii Ecthesim exclamavit: *hæc sunt quinque Sanctorum Conciliorum Symbola*. Etiam Ariminense, Seleuciense, Sirmyense, Antiochenum, nec non & alia Synodalia de fide decreta antiqui Patres, & alii authentici Scriptores titulant Symbola. Dum Sanctus Cyrillus Alexandriæ, & Joannes Antiochiæ Patriarcha pacem inierunt circa natas in Ephesino Concilio quæstiones, formatum fuit instrumentum, ac fidei decretum, & de ipso ad Acatium Melitinæ Episcopum, ac secundæ Armeniæ Metropolitam scribit laudatus Cyrillus: *Objiciunt nobis Adversarii, quod* Epist. 35. *novum Symbolum receperimus*. Quocirca Symbolum nec debet esse breve, nec totius Christianæ fidei compendium. Respondeo his adversari Julianum Coensem Episcopum, magni Leonis in Oriente Legatum, qui in extantibus post Chalcedonensem Synodum litteris scribit de eadem Synodo ad Imperatorem Leonem: *Chalcedo-* Epist. 46. *nense Concilium non aliud dogma introduxit, non alterum Symbolum*. Et Joannes Sebastensis Epi- Epist. 48. scopus, Metropolita primæ Armeniæ; *Judicamus prolatam fidei definitionem à Sancto Chalcedonense Concilio, non sicut fidei Symbolum, sed sicut definitionem esse positam*. Scribit adversum turbulentos Euthichianistas, qui Chalcedonense Concilium de prolato novo Symbolo, ideoque de violato Ephesino Canone calumniabantur. Discernunt Symbolum à Synodali fidei definitione. Et in suo unionis Decreto Imperator Zeno disertè profitetur à nulla, præter Nicænam & Constantinopolitanam, Synodo fuisse editum fidei Symbolum. Nempe vox, Symbolum, quandoque largè, quandoque strictim accipitur. Et quia Nicænum & Constantinopolitanum de fide decretum sunt simul Symbolum, hinc omne ejusmodi decretum à quibusdam eodem titulo honoratur. Verùm larga & impropria est ista significatio, & hodie penitus abolevit. Interim habuit sua, quæ ex dictis facilè possint colligi, fundamenta.

Proinde propriè dictum Symbolum esse debet Additio posthuma. non solummodo brevis, sed etiam esse item de-

bet

bet confessio perfecta verbum consummans; hoc est, omnium omnino credendorum collectio certis vocum finibus circumscripta, uti in Hæronis Philosophi encomio dicit Gregorius Nazianzenus; in qua, ut rectè Ruffinus, nihil poni possit ambiguum, nihil obscurum: Addit ille ita Symbolo Apostolico omnino provisum à Spiritu Sancto. Quomodo filii Noe in gentes dissipandi turrim superbiæ, rebellionis, confusionis; Ita in easdem dividendi Apostoli istud fidei, obedientiæ, unitatis signum posuerunt, tamquam munimentum ex dominicis lapidibus ædificatum, nullis unquam hæreticorum aut aliorum infidelium procellosis arietationibus subvertendum: hinc Augustinus in loco jam memorato: *Sub ipsis paucis verbis in Symbolo constitutis plerique hæretici venena sua occultare conati sunt*, nullus unquam nisi duplicis divinitatis fabulones, ausus est ipsi renunciare. Tertullianus, Praxeas, Arius, Photinus, Nestorius, Euthyches aliud non tentavere, quàm nugas suas Symbolo conformes ostendere; ita rati abundè expurgatas. Et hinc de hæresibus rectè in Populari de diversis Sermone dicit Sanctus Augustinus: *pleræque nostrum Symbolum habent*. Additio posthum. Sermo.45. C. 17.

CAPUT II.

An breve nostrum Symbolum sit revera Apostolorum?

QUidam hodie non tantùm hæretici, sed & Catholici Apostolicam hujus Synodi originem ad apocripha abjiciunt. Primus abjecit Marcus Ephesiorum Metropolita, Latinæ Ecclesiæ hostis infensissimus, eo effugio Juliani Cæsarini, Cardinalis longè doctissimi, argumenta elisum iri credens, uti in Florentini Concilii historia scribit Sylvester Sguropulus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Cruciger, ac in dicto Concilio Comes Josephi Patriarchæ. Adversus illum nolo cum Matthæo Paris adducere testimonium Josephi, Judæi ambulantis: fabulis id adnumero. Nec item Joannis Ragusini in Synodo Basileensi disputatis contra Joannem RocKy-sanam, Hussitarum Primatem. *Nusquam legitur in Sacris litteris, quod Apostoli Symbolum composuerint aut fecerint, vel in duodecim articulos distinxerint, & tamen fideles tenent & credunt, immò & nominant ipsum Symbolum Apostolorum, & hoc non nisi auctoritate Ecclesiæ, & specialiter Concilii Nicæni, cujus etiam auctoritate & articulus de descensu Christi ad inferos tenetur, firmiter creditur*. Etenim de Apostolorum Symbolo Nicæna Synodus omnino non meminit, neque de Domini ad Inferos descensu. Ragusinus hallucinatur. Rectè tamen urget communem fidelis populi sensum; de quo rectè Augustinus: *Vox popularis est quandoque doctrina salutaris* in ejusdem Augustini Appendice extant Sermones antiqui & varii Symbolum istud Apostolis disertè adscribentes. Hincmarus Remensium Metropolita, apocriphorum hostis infensus, hæc scribit in elaboratissima epistola adversus Nepotem suum Episcopum Laudunensem. *Quintam Synodum Apostolorum Patres nostri fuisse tradunt, quando tempus adimpletionis advenit, ut in omnem terram exiret sonus eorum. Et tunc Symbolum, sicut universalis Ecclesia tenet, condiderunt*. Hoc ipsum dicit antiqua satis Synodus Augustodunensis. An. 1228. Ann. 386. Epist. 33. cap. 24.

Et quid multis? Habemus testes multos irrefragabiles. Antiquus Tertullianus in libro præscriptionum hæc dicit: *in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit*. Ea utique Regula, cujus ipse & in hoc ipso libro, & in libro de velandis Virginibus singulos fermè articulos adducit. Sanctus Ambrosius in Epistola ad Siricium Papam: *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat*. Sanctus Hieronymus in Epistola ad Pammachium contra Joannem Hierosolymæ Episcopum: *In Symbolo fidei, & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum non scribitur in Charta, sed in tabulis cordis carnalibus*. Pleta Ephesina Synodus in relatione ad Theodosium Augustum de Nestorii depositione: *Fides initio quidem à Sanctis Apostolis tradita, postea verò à trecentis decem & octo Sanctissimis Patribus in Metropoli Nicæna exposita*: hoc est Symbolum Apostolicum ac Nicænum. Sanctus Celestinus Pontifex in litteris ad Nestorium Constantinopolitanum Episcopum registratis in prima dictæ Synodi parte: *Symbolum ab Apostolis traditum*. Eadem verba repetit ejus Successor Xixtus tertius in litteris ad Sanctum Cyrillum Alexandriæ Episcopum insertis in tertiam Synodi partem. Sanctus Leo Magnus in Sermone de Domini nativitate, *Catholicum, & Apostolicum Symbolum*. In quarto de Epiphania *Apostolicum Symbolum*. In undecimo de Domini passione: *Symbolum per authoritatem Apostolicæ institutionis acceptum*. In Sermone habito ad Sanctam Anastasiam contra Mercatores Alexandrinos Eutychianistas Romam inficere conatos: *Institutum à Sanctis Apostolis Symbolum*. In epistola ad Pulcheriam Augustam contra acta Ephesini latrocinii: *Symbolum ab Apostolis institutum*. Et in alia ad eandem Principem epistola: *Catholici Symboli brevis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata Sententiis*. Ad Solos sanè Apostolos hoc spectabat. Rebellantes Batavos graviter arguit Cornelius Tacitus, quod non solummodo Romanas legiones sibi attraxissent, sed & dare præsumpsissent verbalem militiæ tessaram: Esse dicit piaculum Romano Imperio inauditum. Erat enim solius Principis, aut illo absente Vicarii Ducis. Eodem jure toti mundo Universalem ac perpetuam fidei notam præscribere spectabat ad solum Deum hominem, aut Sanctos Apostolos, ejus Duces. Romanæ enim Reipublicæ forma à Deo præmissa est, ex qua tamquam ex materia Christianæ Regulæ effingerentur quomodo Spiritale ex Animali. Habemus vocem *Symbolum*, quomodo vocem *statio*, de qua Tertullianus in novissimo capite libri de oratione: *statio de militari exemplo nomen accipit, nam & militiæ Dei sumus*. Cap. 37. Cap. 13. Cap. 1. L.1.Epist. 7. Epist. 61. cap. 9. Lib. 1. f. 379. Cap. 18. Cap. 41. Serm. 4. cap. 18. Cap. 3. Epist. 26. Epist. 13. l. 4. cap. 58.

Neque spernenda est jam adducta Symboli expositio ad Laurentium Episcopum. Est antiquissima, per alios Sancto Cypriano, per alios

Sancto Hieronymo adscripta. Hodie constanter Ruffino adscribimus. Ejus sanè auctor profitetur se Aquilejæ baptizatum, peritumque moris Ecclesiastici Romani, quæ omnia Ruffino quadrant. Esse illius cum laude testatur Gennadius Massiliensis: *proprio labore, immo gratiæ Dei dono, exposuit Ruffinus Symbolum, ut in ejus comparatione alii non exposuisse credantur.* At dicet quis: Quare Apostoli Symbolum, si quidem ipsorum, non tradidere scripto, quomodo orationem Dominicam? Idem Ruffinus dat caussam. *Idcirco hæc non scribi chartis atque membranis, sed cordibus retineri tradiderunt, ut certum esset neminem hæc ex electione quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse.* Et supra à Sancto Hieronymo audivimus Apostolicum Symbolum non scribi in charta, sed in tabulis cordis, ut esset Christianæ professionis signaculum certum ac securum, exclusio omnis fictionis, ut quivis illius peritus sine metu tamquam fidus frater in communionem admitti posset, ut pote noscens arcanam solis probatis, & sola voce credi solitam, Christianitatis contesserationem. Jam supra dixi attendisse Apostolos ad naturam Tesseræ
Cap. 7. militaris: ob assiduas Judæorum ac Gentilium in nos insidias, de quibus in libro Apologetico Tertullianus.

Aliam causam scribit Petrus Chrysologus Ravennatum Archiepiscopus hæc declamans ad suos Cathecumenos. *Hoc spei factum, hoc salutis placitum, hoc vitæ symbolum, hanc fidei cautionem mens teneat, conservet memoria, ne Divinitatis prætiosum munus depreciet charta vilis, ne mysterium lucis atrum tenebret atramentum, ne Dei secretum habeat indignus ac prophanus auditor.* Adeo ipsum scribi noluerunt Apostoli eorumque successores Episcopi, ut nec ab ipsis Cathecumenis adjuvandæ discentis memoriæ causa describi paterentur. Nempe ob generalem secreti legem quæ de omni-
L. 1. c. 19. bus fidei nostræ arcanis dici jussit *norunt fideles.* Nicænum Symbolum historiæ suæ inserere putarat Hermias Zosomensis, verùm jam dicta lex vetuit, de qua ipse: *cum pii viri jique amici, & rerum ejus generis periti me docerent res ejusmodi à Sacerdotibus solùm & Episcopis tum debere dici, tum audiri, eorum sanè approbavi consilium; nam verisimile est nonnullos qui non sunt initiati misteriis hunc librum perlecturos.* Hoc Secretum ante datam Ecclesiis à Constantino Augusto pacem nullus Christianus Scriptor libris suis inseruit, nisi unicus Tertullianus: & quidem vocum compendio immutatum. Quæ omnia respiciens Doctissimus Cardinalis Julianus Cesarinus respondit Marco Ephesio ipsum Romæ in Archiviis servari ut primarium monumentum. Creditur ab Apostolo expressum in Epistola ad Hebræos, dictusque *Sermo inchoationis.*

Additio Posthum. Legitimis Apostolici Symboli natalibus attestatur etiam Sanctus Lugdunensium Episcopus Frenaus. Sceleratis Gnosticorum fabulis opponit immobilem veritatis Regulam, quam per
L. 1. c. 1. Baptismum accepimus. Et pergit: *Ecclesia per universum orbem usque ad fines Terræ seminata, & ab Apostolis & à discipulis eorum accepit eam*
L. 1. c. 2. *fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit Cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Et in unum Jesum Christum filium Dei incarnatum pro nostra salute, & in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum, & eam, quæ est ex Virgine, Generationem, Passionem, & Resurrectionem à mortuis, & in carne in Cœlos Adscensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, & de cœlis in gloria Patris adventum ejus ad recapitulanda universa, & resuscitandam omnem carnem generis humani.* Manifestè laudat nostrum Symbolum, & adfirmat esse Apostolicum, quod advertit etiam ejus Commentator Franciscus Feuzardentius: *Symbolum fidei integrum fere hic habet, quod paulo superius vocabat fidei Regulam, quam appellationem ab eo mutuati videntur, Tertullianus Augustinus, Chrysostomus.* Ab Eusebiana Arianorum factione degradatus Marcellus Ancyræ in prima Galatia Metropolitanus Episcopus appellavit Romam, & coram Julio Pontifice fecit hanc fidei professionem. *Credo in Deum omnipotentem, & in Christum Jesum ipsius filium unigenitum, Dominum nostrum genitum de Spiritu Sancto & Maria Virgine. Qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus, & tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit in Cœlum, & sedet ad dexteram Patris, unde venturus est judicare vivos & mortuos: Et in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, Vitam æternam.* Manifestè est Apostolorum Symbolum. Et Marcellus profitetur ipsam esse antiquam à Majoribus acceptam traditionem. Latino Apostolicum, non more græco græcus profitetur Nicænum Symbolum; quia nempe apud Romanam Ecclesiam profitebatur. Exstat Professio in Panario Sancti Hæref. 72.
Epiphanii. Hic scribit etiam in libro Ancorato: cap. 3.
Sanctam Ecclesiæ conservatæ fidem, quam ab Apostolis Domini creditam accepit. Agit de Symbolo Constantinopolitano, & ipsum dicit esse Apostolicum, quia nempe & Nicæna, & Constantinopolitana Synodus non condidere novum Symbolum, sed Apostolico dumtaxat indiderunt quædam additamenta. In quadragesima super primam ad Corinthios Epistolam homilia Sanctus Joannes Chrysostomus hæc Apostoli verba: *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mor-* Cap. 15.
tui non resurgant, commentatur: *Propter hoc baptizaris, mortui corporis credens Resurrectionem, nempe quod non maneat mortuum; & tu quidem per verba dicis: mortuorum resurrectionem.* Adfirmat ab Apostolos per ista verba laudari consuetam ante Baptisma fieri recitationem Symboli, hanc esse institutionem Apostolicam, & in isto Symbolo contineri articulum de Resurretione carnis. Proinde omnino profitetur nostrum Symbolum esse revera Apostolicum. Scio in nostro Symbolo haberi, non *resurrectionem mortuorum*, sed *carnis resurrectionem.* Nempe Sanctus Joannes locutus est juxta facta per Constantinopolitanam Synodum additamenta. Nam hocce Symbolum suis Cathecumenis tunc tradebat Orientalis Ecclesia. Hæc omnis fuit solemnissimè congregata in Calcedonensi Concilio: & hoc dogmaticam, quæ nostrum Symbolum adfirmat esse Apostolicum, Sancti Leonis Epistolam probavit atque evexit in immobilem fidei columnam, nec solam ejus substantiam, sed singulos apices; proinde Apostolicos Symboli natales admisit in Canonem.

Quod

Quod ipsum semper censuit Latina Ecclesia.
Epist. 76. Etenim & Novatianenses & nos Orthodoxos in eodem baptizare Symbolo fatetur in epistola ad Magnum Sanctus Cyprianus, & addit ejus articulos esse de Deo Patre, de Filio, de Spiritu Sancto, de remissione peccatorum, de Sancta Ecclesia, de vita æterna. Quod ipsum repetit in
Epist. 70. litteris ad Januarium Numidiæ Primatem. Istud autem manifestè est Apostolorum Symbolum. In libro ad Imperatorem Constantium Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus in varia per Arianorum varias Synodos conflata, Symbola
fol. 309. graviter invehirur, atque subjungit: *Tutissimum nobis est, primam & solam Evangelicam fidem confessam in Baptismate, intellectamque retinere, nec demutare quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere: non ut ea, quæ Synodo Patrum nostrorum continentur, tamquam irreligiosè aut impiè scripta damnanda sint, sed quia per temeritatem humanam usurpantur ad contradictionem, quod ob hoc sub nomine Novitatis Evangelium negaretur impericulosè, tamquam sub emendatione innovetur*. Facta per Nicænam Synodum Additamenta omnino probat, nihilominus antiquum Symbolum censet in baptismo retinendum, ipsumque adfirmat esse fidem primam, & Evangelicam. Et in litteris, quæ à Sancto Cyrillo Alexandriæ, & Joanne Antiochiæ Patriarcha initam pacem confirmarunt, Xixtus tertius Pontifex scribit, *Symbolo primùm inter Apostolos tradito* non posse derogari. Et fidus Sancti Joannis Chrysostomi discipulus Joannes Cassianus scribit in lento libro adversus Nestorium:
Cap. 3. *Symbolum, ut scis, ex collatione nomen accepit. Quod enim græcè Symbolon dicitur, latinè collatio nominatur. Collatio autem ideo, quia in unum collata ab Apostolis Domini totius Catholicæ legis fide, quidquid per universum Divinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in Symboli colligitur brevitate perfecta, secundum illud Apostoli: verbum consummans, & brevians in æquitate*. Et in sequenti capite: *vides in Symbolo auctoritatem Dei esse. Verbum enim breviatum faciet Dominus super terram. Sed hominum fortasse quæris: ne id quidem deest: per homines enim id Deus fecit. Sicut enim immensam illam scripturarum Sacrarum copiam per Patriarchas & Prophetas maximè suos condidit, ita Symbolum per Apostolos suos, Sacerdotesque constituit. Et quidquid illic per suos larga & redundanti copia dilatavit, idem hìc per suos plenissima brevitate conclusit.* Adfirmat Symbolum Apostolis esse dictatum à Spiritu Sancto, ideoq; pollere divina & canonica auctoritate, & rectè.
Epist. 57. Eosdem Symboli Natales frequenter confirmat Sanctus Augustinus. Ipsum laudat in epistola ad Dardanum: *Memoriter recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam Dominus resurrexit à Mortuis, ascendit ad Cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde venturus est ad vivos mortuosque judicandos*. Et de ipso
Epist. 178. adjungit in disputatione cum Comite Pascentio: *Non in Africa, aut in cuncta Barbaria, sed in Syria, vel Græcia, ubi & ipsa caro voluit de Virgine nasci Dominica, decuit vel oportuit verba fidei compendiosè firmare*, nempe per Apostolicam Synodum: nam non tantùm usque ad Augustini tempora, sed nec usque hodie Syria apud se vidit ullam generalem Synodum. In nonagesimo octavo super Sancti Joannis Evangelium Tractatu laudat Apostolica ad Hebræos verba: *Intermittentes inchoationis Christi Sermonem ad perfectionem feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, & resurrectionis mortuorum, & judicii æterni*, & commentatur: *Hæc est lactis ubertas, sine quo non vivunt, qui jam quidem ratione utuntur ut possint credere, sed bonum à malo non credendo tantùm, verùm etiam intelligendo, quod pertinet ad solidum cibum, separare non possunt. Quod autem Apostolus in lactis commemoratione posuit & doctrinam, ipsa est quæ per Symbolum traditur & orationem Dominicam*. Lucidè adseverat, quod per *Inchoationis Sermonem* Apostolus intellexerit Symbolum: utique conditum ab Apostolis. Cap. 6.

In libris contra Euthychianam hæresim Vigilius, nescio cujus Ecclesiæ in Africa Episcopus, Lib. 4.
laudat nostrum Symbolum, & adjungit: *Romæ, & antequam Nicæna Synodus conveniret, à temporibus Apostolorum usque ad nunc, & sub beatæ memoriæ Cælestino, cui iste*, nescio quis Euthichianus, *rectæ fidei testimonium reddidit, ita fidelibus Symbolum traditur*. Et in præfatione ad libros de Spiritu Sancto Paschasius Romanæ Ecclesiæ Diaconus: *Catholicam fidem Apostolica sollicitudo atque perfectio, sicut per Sanctas Paginas dilataverat, ita per Symbolum salutare mira brevitate collegit, & tamquam per diversas remediorum species disposuit in corpus unum, ac velut ex innumeris aromatibus pretiosum confecit unguentum*. Et hoc ipsum in secundo de Ecclesiasticis officiis libro tradit Sanctus Hispalensium Antistes Isidorus: cap. 1.
Discessuri ab invicem Apostoli, normam prius sibi futuræ prædicationis in commune constituunt, ne localiter ab invicem discedentibus, diversum aliquid aut dissonum prędicaretur his, qui ad fidem Christi invitabantur. Omnes ergo in uno positi, & Spiritu Sancto repleti, breve sibi prædicationis indicium, conferendo in unum quod sentiebant, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam constituunt. Ad firmat titulari Symbolum ob tres causas: propter factam sui articuli à singulis Apostolis collationem, ut nobis esset militaris tessera, & discretio fidelium ab infidelibus. Palam loquitur ex expositione Symboli per Ruffinum Presbyterum. Eadem confirmat in litteris ad Claudium Ducem. At Photianas de Symboli additamento nugas memorat atque impugnat ista Epistola, atque ita altissimè clamat se esse supposititiam, Isidoro longe posteriorem. Sancto Isidoro consonat Mansuetus Mediolanensis Archiepiscopus in litteris ad Imperatorem Constantinum: *Verbum breviatum faciet Dominus super Terram, quod per Sanctos Apostolos vidimus impletum. Quid enim brevius, quàm simplex fidei Symbolum ab Apostolis institutum, in quo mysticum Sacramenti continetur Arcanum?* Cap. 22.

Non solius Mansueti, sed totius Mediolanensis Synodi fuit ista Epistola: Ejus sextæ Synodo transmissum, ejusdem Actis insertum, ideoque & ab ipsa probatum suffragium. Etiam in primo adversus Elipandum Archiepiscopum Toletanum libro Etherius ac Beatus referunt integrè nostrum Symbolum, & adjungunt: *Ecce fidem Apostolicam, in qua baptizati sumus, quam credi-*

credimus & tenemus, & qui ad nos venerint de aliis regionibus, aut certè de nostris finibus, & hanc fidem, & hanc Apostolicam doctrinam adduxerint, recipimus eos in Sanctam Ecclesiam. Alludunt ad Sancti Joannis Apostoli Litteras: *Si quis venit ad vos & hanc Doctrinam non adfert,*
Epist. 2. *nolite recipere eum in domum; nec Ave ei dixeritis.* Affirmant à Sancto Joanne laudari avitam apud primos fideles contesserationem Apostolici Symboli. Ista Sancti Joannis verba laudant inferius, isto modo exponunt, & Symbolum esse ab Apostolis, disertè profitentur: Quod ipsum semper censuit Gallicana Ecclesia. Etenim in libro de Antiphonarii correctione scribit Sanctus Agobardus Lugdunensium Archiepiscopus: *In Symbolo Catholico fidem nostram non nostris, sed Apostolicis verbis profitemur.* Et in secundo, quem omnis probavit Gallia, adversum Photii calumnias libro, Ratramnus Monachus Corbejensis: *Symbolum Apostolorum collatione factum.* Et in famosa adversus suum Nepotem Hincmarum Laudunensem Archi-Antistitem epistola, Hincmarus Remensium Metropolita adfirmat à Sanctis Apostolis fuisse celebratas quinque Synodos, addit quintam fuisse in ipsorum
Epist. 33. cap. 24. divisione actam, & prosequitur: *Et tunc Symbolum, sicut Universalis tenet Ecclesia, condiderunt, singuli singulas sententias proferentes. Sicut & Leo ad Pulcheriam Augustam demonstrat.* Nota voces: *sicut Universalis tenet Ecclesia*; Et in sua, istis omnibus antiquiori, Augustodunensi Synodo statuit Sanctus ibidem Episcopus & Martyr Leodegarius: *Symbolum quod Sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt.* Et in Augustinensium sermonum appendice exstat sermo de traditione Symboli, qui illud adfirmat esse
Serm. 42. Apostolicum, & assignat cuique Apostolo suum
Serm. 59. articulum: Quod ipsum confirmat alius ibidem sermo de expositione Symboli, & utriusque Sermonis author est homo Gallus. Et apud Alcuinum Flaccum Author de Divinis officiis scribit: *Beatus Augustinus, & Majores nostri tradunt, quia postquam Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum, profecturi in omnem terram duxerunt bo-*
Cap. 41. *num esse, quia unum Deum credebant, unam fidem prædicarunt. Duodecim Apostoli fuerunt, duodecim verba composuerunt.* Sanctus Augustinus illud nullibi exprimit. Existimo Scriptorem istum loqui ex jam adductis appendicis sermonibus. Illud ipsum tradunt Rabanus, Maurus, Honorius Augustodunensis, Hugo Victorinus, Jacobus Vitriacensis, & alii probati Gallicanæ Ecclesiæ Scriptores.

Porrò Apostolicam legem, quæ Symbolum scripto tradi vetuit, & sola memoria teneri jussit, & quam à Sancto Hieronymo, Sancto Cyrillo Hierosolymitano, Ruffino Presbytero, ac Sancto Petro Chrysologo laudari audivimus; laudat etiam in Epistola ad Dardanum Sanctus Augustinus: *Memoriter retine Christianam confessionem.* Et in libro de Symbolo scribit, non ab Episcopo, aut Presbytero factam Symboli expositionem, sed ipsum dumtaxat Symbolum esse memoriæ mandandum. Et in aliis de Symbolo libris dicit ad Catechumenos: *Accipite Sym-*
Lib. 1. c. 1. *bolum. Et cùm acceperitis in cordibus scribite. Symbolum nemo scribit ut legi possit; sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio, quod tradidit diligentia. Sit vobis codex vestra memoria.* Et in alio ejusdem operis libro: *Sacramentum Symboli quod accepistis, memoriæque mandatum retinetis:* Et in primo retractationum Libro adfirmat Symbolum esse illam *verborum contextionem, quæ* Cap. 17.
tenenda Memoriter competentibus traditur. Et in Sermonibus de diversis: *ut verba Symboli teneatis, ullo modo debetis scribere, sed audiendo perdiscere;* Serm. 75.
nec cùm didiceritis scribere, sed memoria semper tenere atque recolere. Serm. 131.
Quod ipsum eisdem verbis habet alius Sermo de tempore. Ex quibus inter se collatis testimoniis habemus varia. Primò quod nulla Ecclesia Symbolum à competentibus, dum illud ante Baptisma debebant reddere, permiserit legi; sed omnes jusserit memoriter recitari. Secundò, quod traditum in Ecclesia Symbolum addiscentibus Catechumenis quædam Ecclesiæ permiserint scribi ad juvandam memoriam, quædam non permiserint. Permiserunt non publicè in Ecclesia excipi scripto, sed privatim domi. Tertiò, quod istum morem usitarit Africana Ecclesia. Quartò, quod adducti populares Sermones nullo modo sint Sancti Augustini: Etenim hic vetuit Symbolum etiam domi describi.

Eandem legem laudat in secundo de Ecclesiasticis officiis libro Sanctus Isidorus Hispalensis: Cap. 22.
Idcirco Patres nostri Symbolum non scribi membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, ut certum esset neminem ex lectione ex Scriptorum vitio depravata, hæresim hausisse ut fieri solet, sed ex Apostolorum traditione fidem didicisse Catholicam. Et apud Alcuinum Flaccum Auctor libri de Ecclesiasticis officiis: *duodecim Apostoli fuerunt, duodecim verba composuerunt, & denunciaverunt non* Cap. 41.
ea scripta habere in membranulis, sed in tabulis cordis retinere. Quia corde creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et in antiquo Romano ordine dicit Episcopus ad Catechumenos: *Intentis animis Symbolum discite, & quod vobis sicut accepimus, tradimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi, sed paginis vestri cordis inscribite.* Et hanc hujus Apostolici instituti rationem supra laudavit etiam Sanctus Petrus Chrysologus. Aliam mox edixit Sanctus Isidorus. Tertiam rationem edixit Minutius Felix, Octavio nos accusanti, *occultis se nobis & insignibus noscunt,* respondens: *Nos non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ & modestiæ signo facilè dignoscimus.* Istud innocentiæ signum erat omnino Apostolici Symboli ex memoria recitatio, de qua dixit Sanctus Apostolus: *Si quis hunc sermonem non adfert, nolite recipere eum in domum.* Ea re- Cap. 20.
citatio omninò tunc erat fundamentum trium Christianorum Jurium, de quibus in Præscriptionum libro Tertullianus: *Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis. Quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem Sacramenti una traditio.* Quæ verba rectè commentatur fr. Georgius Capuanus Ambranensis: *tessera olim in jus hospitalitatis servata, sed inter fratres Christianos, non aliud quàm ipsum fidei Symbolum.* Commentarium etiam probat Nicolaus Rigaltius. Quisquis tunc norat Symbolum, poterat tunc toto orbe peregrinari sine nummis: Apud quoscumque Christianos il-

lud recitans censebatur Christianus, atque ita tanquam frater excipiebatur hospitio. Quæ pietas ne esset fraudibus obnoxia, Apostoli sanxerant non scribi tesseram, sed sola memoria retineri. Sic non poterat facilè traduci ad extraneos. Morem sub Justiniani Imperio plenè adhuc viguisse affirmat Facundus Episcopus Hermianensis: *Generali Symbolo fidei Christianæ nihil est fortius, quamvis scripto non tradatur.* Traditionum Ecclesiasticarum authoritatem ex istius non scripti nec scribendi authoritate confirmat. Moris mutatio est alibi exponenda. Lib. 8. c. 7.

Quarta ratio est Apostolicus circa omnia & dogmatum, & Sacramentorum Arcana secreti Canon, cui præter Hermiam Zozomenum, adstipulatur etiam Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus, suo de Synodis libro inserens Nicænum Symbolum, atque adjungens: *Et ipsam quidem tunc religiosè conscriptam fidem, nunc quoque sermoni nostro non irreligiosè inseremus.* Dicit: *non irreligiosè:* Quod secreti Canon adhuc vigeret, & ad hocce illi vulnus infligendum necessitas cogeret. Ex eodem principio Sanctus Joannes Chrysostomus Baptismi ritus, ac præsertim Symboli redditionem expositurus in quadragesima super primam ad Corinthios epistolam homilia præfatur: *Et volo quidem apertè hoc dicere, non audeo autem propter eos, qui non sunt initiati. Hi enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, & qui nos cogant non apertè dicere, aut eis arcanum enunciare. Sed tamen dicam, quoad ejus à me fieri poterit, tectè & adumbratè. Nam post Mysteriorum illorum, & terribilium verborum enunciationem, & horrendas Regulas dogmatum, quæ è Cœlo sunt demissa, hoc quoque in fine addimus, quando sumus baptizandi jubentes dicere: Credo in resurrectionem mortuorum.* Laudat Constantinopolitanum Symbolum, ipsum affirmat esse terribilia verba, & horrendas dogmatum regulas, & efferre apud infideles non audet, nisi tectè & adumbratè. Et in oratione de Sacrosanto Baptismate Sanctus Gregorius Nazianzenus plerosque Symboli articulos exponit paraphrasticè, & subjungit: *habes quæ de mysterio foras exportare atque ad vulgi aures efferre licet. Cætera intus addisces, quæ etiam ipsa apud te ipsum clausa atque occulta habebis, baptismo obsignata atque retenta.* Declamat ad Catechumenos. Eis promittit mystica Symboli verba, tradenda intus, obsignanda baptismo, & non in charta, sed intra pectus retinenda, claudenda, extraneis occultanda. Eadem de re ad competentes declamat in suarum Catecheseon præfatione sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus: *Cùm Catechesis recitatur, si Catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant Doctores, nihil dicas externo. Mysteria enim tibi, & spem futuri sæculi tradidimus. Custodi hoc Mysterium Retributori, nec unquam dicentem aliquem audi: Quid obest, si & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque postulant: Quod si illis intempestivè detur, phrenesim conciliat.* Multis ostendit catechesim non posse credi catechumenis, & addit causas. Per Catechesim omninò intelligit Symbolum. Hoc enim discebatur, & tradebatur non chartæ, sed soli memoriæ. Et tradebatur non quibuscumque Catechumenis, sed solis electis competentibus. Pacatis & plenis Christianæ fidei temporibus Innocentius primus Pontifex à Decentio Eugubino Episcopo rogatus Christianæ confirmationis mysticam formulam, rescripsit: *verba dicere non possum, ne magis perdere videar, quàm ad consultationem respondere.* Et infra: *Reliqua, quæ scribi fas non erat, cùm adfueris interrogati poterimus edicere.* Inter Romam, & Eugubinum modica est distantia, & cujus media Regio erat tunc Christiana: Et tamen vides à scripto abhorrentem, & suis litteris infideles insidiatores timentem Pontificem. Hinc etiam Symbolum scribi olim non potuit.

Orat. 40.

CAPUT III.

Quæstiones Variæ.

QUÆSTIO PRIMA.

PRima quæstio est: *An Orientalis Ecclesia Baptizandis semper tradiderit Apostolicum Symbolum?* Respondeo negativè: Etenim statim à Nicæno Nicænum, statim à Constantinopolitano Concilio cœpit baptizandis tradere Symbolum Constantinopolitanum. Ita jam audivimus à Sancto Joanne Chrysostomo. Etenim è Symboli, quod tunc tradebatur, posterioribus articulis, erat *Resurrectio mortuorum:* Qui palam est Constantinopolitani Symboli articulus. Integrum istud suo Ancorato Libro inseruit etiam Sanctus Epiphanius, & adjungit: *Ejusmodi nobis fidei formula à Sanctis Apostolis tradita, & in Ecclesia in Sancta Urbe ab omnibus Sanctis Episcopis, qui supra trecentos & decem fuerunt, præscripta.* Cap. 120. Constantinopolitanum adfirmat esse Nicænum, atque Apostolicum. Et rectè. Etenim uti Nicæna Apostolico, ita Constantinopolitana Synodus Nicæno Symbolo aliqua dumtaxat addidit, atque ita omnia tria substantia & fundamento sunt idem ac unum. Et iterum Epiphanius; *Idem Catechumenis omnibus, qui ad baptismum se se comparant, inculcate diligenter. Neque filiis vestris id præcipere dumtaxat ut credant oportet, sed & hanc illis formulam expresè ac disertè proponere.* Cap. 119. Adfirmat Constantinopolitanum Symbolum, & tradendum in baptismo, & à cunctis fidelibus quotidie recitandum. Suis ad Antiochenam Ecclesiam Litteris Nicænum Symbolum inseruit etiam Magnus Basilius, & adjungit: *Quam fidem tametsi arbitramur ore tenus & apud vos in usu haberi, non tamen detrectabimus, ne desidiei crimine notemur, ipsa quoque verba litteris adnotare.* Epist. 60. Ista verba adfirmat tradi per omnes Cappadociæ, & Ponti Ecclesias: utique in baptismo. Notandæ sunt voces: *Ore tenus.* Edicunt Symbolum etiam apud Antiochenos soli Christianæ memoriæ, nulli chartæ fuisse inscriptum: Et Basilium dispensatoriè, ob docendi necessitatem ab ista Regula discessisse. Idem Symbolum fuisse à redeuntibus ad Ecclesiam hæreticis exactum tradit in litteris ad NeoCæsareenses, ac in professione quam exegit ab Eusthatio Episcopo Sebastensi. Epist. 75. Et in Ephesino Concilio Charitius, Philadelphiensis in Lydia Ec-

Ecclesiæ Presbyter, Antonium & Jacobum Presbyteros, Hæresiarchæ Nestorii Emissarios, accusant de variis, ac præsertim de hoc articulo: *Cùm oportuisset Evangelicam & Apostolicam fidei traditionem, quam olim Sancti Patres apud Nicæam congregati exposuerunt, proponere his, qui ex errore ad veritatem redire, & è tenebris ad lucem venire quærebant, quandam impiarum dogmatum expositionem, redactam in Symboli formam obtrusisse, utque huic subscriberent, miseros induxisse.* Lucidè affirmat baptizari ab omnibus oportere in Nicænum Symbolum: Et istos Emissarios accusat, quod baptizarent in blasphemum Symbolum, compositum à Theodoro Episcopo Mopsuestiensi: & suo accusationis Libello Charisius subnexuit Constantinopolitanum Symbolum; quod nempe baptizatus esset in illo, & baptizaret. Et adversus Theodori audaciam laudata Synodus rigidissimè vetuit aliud à Nicæno Symbolo componi per quemlibet, & adjunxit: *Qui verò ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre vel afferre converti volentibus in agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex Judaismo, sive ex qualicumque hæresi, hos quidem si sint Episcopi aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clericatu, decrevit sancta Synodus, si verò laici fuerint, anathemati subjici.* Tanto rigore vetat sub alio Symbolo baptizari. Et ad solemniter ab Eunomio Nicomediensi Episcopo recitatum Nicænum Symbolum universa Chalcedonensis Synodus
Act. 1. unanimiter exclamavit: *Hæc Catholicorum fides, in hac baptizati sumus, & in hac baptizamus.* Et in Synodalibus ad Imperatorem, post laudatam Synodum, extantibus litteris scripsit Epiphanius Pergensis Episcopus, Metropolita Pamphiliæ: *nulla alia doctrina à nobis tradita est accedentibus ad salutare sanctumque Baptisma, nisi quæ à San-*
Epist. 43. *cto Nicæno Concilio prolata est.* Et in suæ Synodi litteris Patricius Thyanensis Episcopus, Metro-
Epist. 51. polita secundæ Cappadociæ: *secundum antiquum, sanctum, & universale Concilium Sanctorum trecentorum decem & octo Patrum, in Nicæna Urbe celebratum baptizati sumus, & nosmet ipsos bonæ confessioni tradidimus.* Et in litteris ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ Monachos Theodoretus Cyrensis in Euphratesia Provincia Episcopus, *Eos*
Epist. 145. *enim qui ad Sacrosanctum Baptisma singulis annis accedunt fidem Nicææ à Sanctis Patribus expositam ediscere jubemus.* Nota verbum *Ediscere*: Edicit Symbolum soli memoriæ, non chartæ fuisse inscriptum. Et in Joannis secundi Patriarchæ
Act. 5. Constantinopolitani Synodo ad laudatum item Symbolum exclamarunt omnes Episcopi: *In quo baptizati sumus, & baptizamus.* Quæ exclamatio in illa, quam Constantinopolitanam sub Menna Patriarcha Synodum appellant vulgò variorum Synodalium Actorum congestione, sæpius fuit reperita. Etiam in quinto Concilio omnes Episcopi ad recitatum Theodori Mopsuestiensis blasphemum Symbolum exclamarunt, *unum tantummodo fidei Symbolum scimus, quod Nicæni Sancti Patres exposuerunt & tradiderunt. Hoc est, sanctæ tres Synodi tradiderunt. In hoc omnes baptizati sumus, & nos in hoc baptizamus.* Utique in Nicæno suppleto, & adaucto per Constantinopolitanam Synodum. Hoc enim probarunt, & baptizandis tradi jusserunt Synodus Ephesina, & Chalcedonensis. Et in prima adversus suæ gentis errores invectiva Isaac Armeniorum Patriarcha affirmat omnia Christi Domini Acta non esse Ecclesiæ Canones, & probat Cap. 8.
etiam hoc exemplo: *Christus baptismum suscepturus non recitavit Symbolum fidei trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, nec itaque Armenii profiteantur.* Adfirmat eos ita profiteri. Et hinc Græci Patres nusquam Apostolicum, sed semper Nicænum Symbolum leguntur suis fidelibus & Catechumenis exposuisse. Ita fecit in oratione de fide Sanctus Gregorius Nazianzenus, Cy- Orat. 49.
rillus Hierosolymæ Episcopus, ac in litteris ad suorum Monasteriorum Archimandritas Sanctus Epist. 47.
Cyrillus Alexandrinus. Et morem Romana Ecclesia omninò probavit. Etenim ad Patrum Fullonem, Euthychianum Antiochiæ Ecclesiæ Patriarcham, scripsit Felix tertius: *Accedentes ad* Epist. 3.
Sanctum Baptisma pacta fecerunt, & baptismatis tempore promiserunt credere in unum Deum omnipotentem. Singulos istius Symboli articulos enumerat, & inter ipsos omninò sunt etiam Constantinopolitana additamenta, morem omninò laudat ac probat.

SECUNDA QUÆSTIO.

Secunda quæstio est, *An iste mos fuerit universalis per omnes Orientales Ecclesias?* Videtur non fuisse. Etenim in Libello, quo Acacianum Schisma tandem extingui supplicarunt Orientales Archimandritæ, ad Joannem secundum Patriarcham Constantinopolitanum scripserunt: *Petimus ut Sanctæ Synodi ponantur in Sacris libris, hoc est, Nicæna quæ pronunciavit Sanctum Symbolum, in quo baptizati sumus & baptizamus, &*
Constantinopolitana, quæ ipsum confirmavit, & Act. 5.
Ephesina, quæ similiter confirmavit, atque etiam Chalcedonensis, quæ similiter signavit. Et de harum præcum admissione atque executione habent Acta Synodalia: *Specialiter Symbolum trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, in quo baptizamur, sanctæ tres Synodi*, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensis, *consonanter confirmaverunt.* Quod ipsum in litteris ad dictum Joannem scribit Joannes Hierosolymæ Patriarcha. Videntur palam edicere, quod non in Constantinopolitano, sed in solo Nicæno Symbolo baptizati essent, & baptizarent. Et in libro Ancorato Sanctus Epiphanius, postquam dixisset omnes passim Ecclesias baptizare in Con- Cap. 121.
stantinopolitanum Symbolum, adjungit: *Verùm quoniam ætate nostra aliæ post alias hæreses emerserunt ad hoc usque tempus, præterea tam vos quàm nos ipsi, & orthodoxi omnes Episcopi, & in uno verbo dicam, tota Ecclesia Catholica adversum prodeuntes identidem hæreses, consentaneèque cum exposita paulo ante Sanctorum Patrum fidei formula*, videlicet Constantinopolitano Symbolo, *iis præsertim, qui Baptismo initiandi sunt, præcepit ut hoc modo profiteantur & dicant.* Adducit Constantinopolitanum Symbolum, at multis intertextum additamentis; ideoque penitus diversum. Et in litteris ad Antiochenam Eccle-

siam

siam magnus Basilius adducit Nicænum Symbolum, adfirmans omnem suam Diœcesim in ipso baptizare, atque adjungit: *Fidem autem nos neque recentiorem ab aliis conscriptam acceptamus, neque ipsi mentis nostræ fœtus aliis obtrudere audemus, ne humana verba putentur pietatis verba, sed quæ à Sanctis Patribus edocti sumus, ea nos interrogantibus adnunciamus*. Erant tunc plura per Orientem Symbola, edita per varias Eusebianæ præsertim factionis Synodos; Ariana quædam, quædam Orthodoxa. Et aliæ Ecclesiæ baptizabant in alio: juxta varium sui Episcopi de fide sensum. Et istorum Symbolorum nullum admitti à suis Ecclesiis adfirmat Basilius, & addit: *Neque mentis nostræ fœtus aliis obtrudere audemus*. Ait se posse sed nolle aliud à Nicæno Symbolum componere, & subditis Ecclesiis imponere, quod nempe alii Patriarchæ, Exarchi, Metropolitæ, ac etiam Provinciales Episcopi istud tunc & possent, & passim agerent. Nam & tunc Theodorus Mopsuestiensium in secunda Cilicia Provincialis Episcopus suæ Ecclesiæ condidit singulare Symbolum, & ipsum aliæ etiam Ecclesiæ acceptarunt. Nec illum de potestatis excessu, sed de insertis dumtaxat erroribus damnavit Ephesina Synodus. Et in sexto adversus Nestorium libro Joannes Cassianus, post adducta Sacræ Scripturæ varia Testimonia, pergit: *Nunc ad fidem Antiocheni Symboli virtutemque veniamus. In qua cum ipse Nestorius baptizatus sit ac renatus, suis eum professionibus argui, suis armis conteri oportet*. Et infra: *Symbolum ergo, hæretice, cujus superius textum diximus, licèt omnium Ecclesiarum sit, quia una omnium fides, peculiariter tamen Antiochenæ urbis est atque Ecclesiæ, id est, illius in qua tu editus, in qua institutus, in qua renatus es. Hujus Symboli fides te perduxit ad vitæ fontem, ad salutis regenerationem, ad Eucharistiæ gratiam, ad Domini communionem*. Istud Symbolum neque Nicænum est, nec Constantinopolitanum, neque Epiphanianum. Et quidem non sola Antiochena Civitas, sed omnis Orientalis Diœcesis videtur in ipsa baptizasse. Etenim Nestorius non Antiochiæ, sed Germanicæ in Eufratesia Provincia fuit natus, ac renatus. Quid quid sit, constat Ecclesiam Antiochenam baptizasse in singulari Symbolo. Quod ipsum in publica contestatione, qua Episcopum suum Nestorium cum Paulo Samosatensi delirare demonstrarunt, adfirmant Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ: *Accipe ò sanctæ fidei Zelator, partem quoque doctrinæ Ecclesiæ Antiochenæ, quam hìc tibi assignamus*. Inter cætera ita concionantur: *Deum verum de Deo vero, consubstantialem Patri, per quem sæcula constituta, & omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & natus est ex Maria Sancta Virgine, & sub Pontio Pilato crucifixus. Et reliqua quæ ordine in illo Symbolo consequuntur*. Verba, *in illo Symbolo*, altè clamant ipsum isti Ecclesiæ fuisse singulare. Etenim Nicæno Symbolo addit voces: *sæcula constituta*. Est omnino istud ipsum quod prædicat Joannes Cassianus. Pro istis vocibus ipse legit, aut potiùs è græco transtulit: *sæcula compaginata sunt*. Proinde certum est Orientalem Ecclesiam non ubiquè in Nicæno aut Constantinopolitano Symbolo baptizasse.

Epist. 60.

Cap. 3.

Cap. 6.

Dissert. de Symb. Ap. & Nic. T. I.

Respondeo esse distinguenda tempora, & loquendum est de Orthodoxis Ecclesiis. Etenim varia Eusebianæ factionis post Nicænam Synodum Concilia ediderunt varia Symbola, & varia ejusdem factionis frusta in hoc aut in isto baptizarunt. Errant tamen graviter qui laudatum à Joanne Cassiano Antiochenum Symbolum putant fuisse unum ex istis. Etenim omnia Eusebianorum Antiochena Symbola refert, & damnat in libro de Synodis Sanctus Athanasius, & de illorum optimo, licet non damnet de hæresi: scribit in libro de Synodis Sanctus Hilarius Pictaviensis: *Minus forte expressè videtur de indifferenti Patris & filii fides hæc esse locuta*. At vero à Joanne Cassiano adductum Symbolum disertè prædicat vocem, *Consubstantiale*. Item Alardus Gazeus in suis ad istum Scriptorem scoliis sine fructu inquisivit Antiochenam istius Symboli auctricem Synodum; Est enim Nicænum Symbolum, at auctum variis additamentis. An per aliquam Synodum, an per aliquem dumtaxat Patriarcham sint facta, ignoro. Omnino facta sunt adversum Arianos, post Sancti Eustatii Patriarchæ extrusionem singulariter grassatos in ista Ecclesia. Et quod extra Synodum potuerint condi per Patriarcham evincunt Sancti Basilii testimonium, ac factum Theodori Mopsuesteni. Quod toti Antiocheno Patriarchatui non fuerit Universale, fortissimè suadent dictum Theodori Symbolum, nec non & aliud adductum à Sancto Epiphanio. Nam & secunda Cilicia & Cypri insula erant istius Patriarchatus Provinciæ. Ex his interim lucet, quod quævis tunc Ecclesia, licèt non à sensu, potuerit tamen de Nicænæ fidei verbis discedere, & suis Catechumenis proprium Symbolum formare, ac tradere. Nam quod etiam Constantinopolitana ad Nicænum Symbolum additamenta non sint inducta, sed tantummodo probata, ac firmata per istum Synodum, quod sint inducta à singularibus per Orientem Episcopis, suo loco demonstrabitur. Et ista licentia duravit usque ad Ephesinum Concilium, in quo ob Theodosiani Symboli blasphemias offensi Patres omnia præter Nicænum, seu Constantinopolitanum Symbola proscripserunt, ac insuper rigidissimè vetuerunt illi quidpiam inseri, addi, aut detrahi, ne vel unam vocem. Et exinde omnes Orientales Ecclesiæ in Constantinopolitano Symbolo baptizare debuerunt, ac omninò baptizarunt. Nec aliud volunt adducta ex Constantinopolitanis Synodis Testimonia. Aliud enim non voluerunt laudati isthic Episcopi aut Monachi, quàm se baptizatos esse, & baptizare in Nicæno Symbolo, aucto per Constantinopolitanam Synodum, & confirmato per Ephesinam & Chalcedonensem. Quod quævis tunc Ecclesia, immò & quivis Episcopus potuerit Symbolo aliquid addere, palam profitetur in litteris ad Tarsensis Ecclesiæ Clerum Magnus Basilius. Redeuntes ad Ecclesiam Macedonianos mandat compelli Epist. 204.
ad solum Nicænum Symbolum, nullam ejus dictionem omittendam, & addendum *illi fidei Spiritum Sanctum minimè dicendum esse creaturam*. Quod ipsum scribit in antecedenti ad eundem Clerum Epistola: Quod nempe Nicæna fides de Spiritu Sancto non esset ob rationes satis

expressa. Et quod Constantinopolitana ad Nicænum Symbolum additamenta fuerint facta per singulares Episcopos, & per secundam Sinodum dumtaxat probata & firmata, ex eodem Basilio infra ostendetur. Et in quarta septimi Concilii Actione adducitur singulare ejusdem Patris Symbolum, scriptum ad Apostatam Julianum Imperatorem. Quin Sanctus Tarasius ipsum ex suæ Ecclesiæ Bibliotheca produxerit, ideoque sit illud authenticum, non est dubitandum. Etiam à Sancto Gregorio Nazianzeno Cledomius Presbyter *exegit brevem quamdam sententiæ Regulam & Canonem*. Hoc est novum Symbolum adversus novam tunc Apollinarii hæresim. Et licèt Gregorius tunc aliud à Nicæno componere noluerit, exstat tamen proprium ejus Symbolum, latinè redditum à Ruffino Presbytero. Etiam magnus Athanasius adversus Arianam, & Apolinaristicam hæresim composuit novum Symbolum. Esse verum Athanasii opus, suo loco demonstrabitur. Nihilominus quod in isto per septimam Synodum producto Symbolo magnus Basilius non baptizarit, nec baptizare fuerit ausus, lucidissimè professus est
Epist. 60. supra litteris ad Antiochenam Ecclesiam. Lucidissimè profitetur se baptizare in Nicæno Symbolo. Quod ipsum omninò fecerunt Nazianzenus Gregorius,& magnus Athanasius. Uti hodie Nos in Baptismo solum Apostolicum, in variis autem aliis actibus profitemur Constantinopolitanum, & quidem cum Pii quarti Pontificis additamentis, Symbolum, ita olim variæ per Orbem Ecclesiæ fecerunt.

QUÆSTIO TERTIA.

QUæstio tertia est, *quod Symbolum suis Catechumenis tradiderit Latina Ecclesia?* Respondeo semper mansisse constantem in usu solius Apostolici Symboli. Disertè id affirmat in Apostolici Symboli expositione Ruffinus Presbyter, agens de Romana præsertim, ac de sua Aquilejensi. Adfirmat se esse ibidem in isto Symbolo baptizatum. Istam expositionem esse Ruffini opus testatur in Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo Gennadius Massiliensis: *Ruffinus proprio labore, immò gratia Dei & dono exposuit Symbolum, ut in ejus comparatione alii nec exposuisse credantur*. Et in nono de Sanctissima Trinitate Libro dicit ad Arianos Sanctus Hila-
Fol. 179. rius Pictaviensis Episcopus: *Renascens non confessus es ex Maria Dei filium natum?* Palam sunt verba non Nicæni Symboli, sed Apostolici. Et in Libro ad Imperatorem Constantium laudat *fidem confessam in Baptismate*, ipsamque adfirmat non Synodalem esse, sed primam & Evangelicam, seu Apostolicam. Et in Libro de Synodis scribit de semetipso: *Regeneratus pridem, & in isto Episcopatu aliquanter permanens, fidem Nicænam nunquam nisi exulaturus audivi*. Quod nempe Gallicana Ecclesia non in Nicæno, sed in solo Apostolico Symbolo baptizaret. Quod ipsum in libris contra Eutychianos insigniter docet Vigilius, nescio cujus in Africa sedis
Lib. 4. cap. 1. Episcopus. Nescio quis Eutychianus dogmaticum Sancti Leonis Papæ Tomum est hostilissimè insectatus, & primò hæc ejus verba: *Fidelium Universitas profitetur se credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum filium ejus Dominum nostrum*. Sunt verba Apostolici Symboli. *Huic Capitulo ob id iste* Eutychianus *calumniatur, cur non dixerit in unum Deum Patrem, & in unum Jesum Christum filium ejus, juxta Nicæni decretum Concilii*. Magnum Leonem arguit quod Apostolico, non Nicæno Symbolo uteretur juxta Ephesinum Canonem, nempe calumniator Eutychianus fuit homo orientalis, & profano Photio exemplum præbuit ex diverso Ecclesiarum ritu accipiendi ansas, & fomenta calumniæ. Sanctus vero Vigilius reposuit: *Sed Romæ, & antequam Nicæna Synodus conveniret, à temporibus Apostolorum usque nunc, & sub beatæ memoriæ Celestino, cui iste rectæ fidei Testimonium reddidit, ita fidelibus Symbolum traditur*. Nempe sine Nicænis additamentis, simplex Apostolorum Symbolum, & hunc Sanctus Ambrosius, Sanctus Augustinus, Sanctus Maximus Taurinensis, aliique Latinorum antiqui Episcopi suis Catechumenis semper tradiderunt atque exposuerunt Apostolicum Symbolum, nullus Nicænum. Hinc item Marcellus Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ Metropolita, Romæ apud Julium Pontificem se purgans de hæresi, non Nicænum professus est Symbolum, sed Apostolicum. Nempe homo etiam græcus Romæ profiteri debuit non græco more sed latino. Ista ha- Hæres.72.
bes in Panario Sancti Epiphanii. Et tertia cap. 3.
Bracarensis Synodus statuit: *Catechumeni Symbolum quod est: Credo in Deum Patrem omnipoten-* Can. 1.
tem, specialiter doceantur. Lucidè est Apostolicum Symbolum. Et adversus Elipandum Toletanum Archiepiscopum scribit Etherius Uxamensis Episcopus: *Surgamus cum ipsis Apostolis, & fidei nostræ Symbolum, quod tradiderunt nobis, brevi compendio recitemus. Et fidem in qua baptizati sumus, in hac perversitate & duplicitate hæreticorum non negemus*. Et recitat totum Symbolum Apostolorum. Ipsum adfirmat esse Apostolicum, & omnem Hispaniam in ipso baptizari. Quod ipsum in libris de Ecclesiasticis officiis disertè tradit etiam Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis. Et in populari sermone San- Lib.2.c.22
ctus Eligius Tornacensis Episcopus insectatur varia crimina; adfirmat esse solemniter in baptismo ejerata Diaboli opera, atque adjungit: *Promisistis contra credere vos in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Unicum Dominum nostrum*. Pergit enumerare Apostolici Symboli articulos: Plurima sunt ejusmodi testimonia altissimè clamantia omnem Latinam Ecclesiam semper in Apostolico Symbolo baptizasse.

Rationem dat in Symboli expositione Ruffinus Presbyter: *In diversis Ecclesiis aliqua in Symboli verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum. Quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium, & mos ibi servatur antiquus, eos, qui gratiam Baptismi suscepturi sunt, publicè, id est, fideli Populo audiente, Symbolum reddere, & utique adjectionem unius saltem sermonis eorum qui præcesserunt in fide, non admittit auditus. In cæteris autem locis, quantum intelligi datur,*

datur, propter nonnullos hæreticos addita, quidem videntur per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi. Et Nicæna & Constantinopolitana ad Apostolicum Symbolum additamenta sunt facta adversum Arianos, Macedonianos, Marcellianos, ac Apollinaristas. Et omnes istorum errores fere ignoravit Latina Ecclesia. Hinc ad Italiæ & Galliæ Episcopos scripsit magnus Basilius: *Non una, neque duæ vel tres Ecclesiæ in gravem hanc tempestatem illapsæ periclitantur, sed à finibus*
Epist. 69 *Illyrici ad Thebaidem usque hæreseos malum depascitur, cujus prava semina Arius sparsit.* Et in sequenti ad eosdem epistola: *Hoc hæreseos malum cuncta depascitur, & periculum est, ne vastatis nostris Ecclesiis, & ad sanam vestri Incolatus serpat.* Illiricum erat extrema Occidentalis Imperii Diœcesis: Et usque ad ejus fines Basilius adfirmat Occidentem esse sanum. Nempe omnem scabiem quam eò Constantius Imperator ex Oriente intruserat, extruserat Imperator Valentinianus. Exinde vix novimus. Arianismum novit in Gothis, Vandalis, Svevis & Burgundionibus Romani Imperii laceratoribus. Hinc ista additamenta adeo indicavit sibi non esse necessaria, ut etiam Pictaviensium Episcopus Hilarius tantus Theologiæ gigas illa ignoraret, & ipse scribit ad Imperatorem Constantium: *Inter hæc fidei naufragia cœlestis patrimonii jam pene profligata hæreditate, tutissimum nobis est primam & solam Evangelicam fidem confessam in baptismate intellectamque retinere, nec demutare quod solum acceptum, atque auditum habeo bene credere, non ut ea, quæ Synodo Patrum nostrorum continentur, tamquam irreligiosè aut impiè scripta damnanda sint, sed quia per temeritatem humanam usurpantur ad contradictionem, quod ob hoc sub nomine novitatis Evangelium negaretur impericulosè tamquam sub emendatione innovetur*: Palam laudat Gallicanæ morem Ecclesiæ, quæ in baptismo non Nicænum tradebat Symbolum, sed primum, Apostolicum, atque Evangelicum, & addit id non fieri ex Nicænæ Synodi contemptu, sed ob duas causas. Primò, quod istud Symbolum sit primum & Evangelicum, ideo non facile demutandum, secundò quod ista mutatio malignis ac imperitis pariat offensionem & scandalum. Etenim aut censent aut gariunt Nicænum Symbolum à nobis præferri Apostolico, atque ita & ipsi Evangelio. Porrò antiquum, quo Romana Ecclesia competentes cogit ad publicam Symboli recitationem coram omni Populo, morem laudat etiam in quarto sermone de Dominica Nativitate Sanctus Leo magnus: *Permanete nobiles in ea fide quam confessi estis coram*
Cap. 5. *multis testibus, & in qua renati per aquam, & Spiritum Sanctum accepistis Chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ.* Et statim subjungit istam
Epist. 83. Cap. 8. fidem esse *regulam Catholici, & Apostolici Symboli*. Scribit item ad Palæstinæ Episcopos: *Obliti estis Symboli salutaris & confessionis, quam pronunciantes coram multis testibus Sacramentum baptismi suscepistis?* Omnino laudat Romanum morem, & quasi supponit ipsum etiam in Palæstina viguisse. Eundem laudat atque insigniter exponit in confessionum libris Sanctus Augustinus, scribens de Baptismo Victorini Rhetoris, conversi per San-
Lib. 8. c. 2. ctum Simplicianum. *Denique ut ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retentisque memoriter de loco eminentiori in conspectu fidelis Populi Romæ reddi solet ab eis qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse Simpliciano dicebat Victorino à Presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat, illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri.* Qui mos videtur viguisse etiam in aliis Ecclesiis Latinis. Etenim apud Sanctum Augustinum Auctor quadragesimæ secundæ homiliæ declamat ad competentes: *Quicumque vestrum non bene Symbolum reddiderunt, habent spatium, teneant, quia die Sabbathi audientibus omnibus qui aderunt reddituri estis.* Ista feria quinta Ecclesia Symbolum jubebat reddi. Et in redditione tunc titubantes cogebat sabbatho Sancto ad publicam redditionem. Ita, illos compellebat ad firmam Symboli notitiam. An etiam prior recitatio fieret publicè, ignoro. Orientalis Ecclesiæ morem edicit Laodicensis Synodus: *oportet eos qui illuminantur fidem discere, & quinta hebdomadis feria Episcopo reddere, vel Presbyteris.* Quem Canonem innovavit & Trullana Synodus. Qui mos, viguit etiam in plerisque Latinis Ecclesiis. Hinc Romæ idem indulgebatur verecundis, ac titubantibus.

Verum his omnibus obstat antiquus ordo Romanus. Exponens enim antiquum Baptizandorum & Catechizandorum morem, hæc statuit: *Acolythus accipiens ex ipsis infantibus masculum unum, & tenens in sinistro brachio, ponit manum dexteram super caput ipsius, & dicit ad eum Presbyter: Annuntia fidem ipsorum qualiter credant. Et ponens manum Acolytus super caput Infantis dicit Symbolum decantando his verbis*: Decantat Symbolum Constantinopolitanum prius græcè tum latinè. Quod nempe & Græcos, & Latinos, & adultos & parvulos Romana Ecclesia sic baptizaret. Et antiquæ Wisigothorum leges conversos ad Christum Dominum, & baptizandos Judæos compellunt prius ad totius suæ superstitionis ejurationem, deinde ad Christianæ fidei professionem: Ad professionem Symboli Constantinopolitani Proinde & Gallicana & Hispanica, immò & ipsa Romana Ecclesia in ipso olim baptizarunt. Antiquum enim Romanæ Ecclesiæ ordinem olim servavit Gallia. Respondeo hunc hodie exstantem ordinem non esse verè ac purè Romanum, sed multis Francorum additamentis transformatum. Etenim Constantinopolitano Symbolo inserit de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre Filioque procedit.* Quod additamentum omnes novimus Romanæ Ecclesiæ dudum graviter displicuisse. Quapropter ille ordo non est Carolo magno antiquior. Sub illius enim Imperio aut Regno Francorum Episcopi cœperunt Symbolum cantare ad Missam, & ipsi inserere illud hispanicum additamentum: Nequaquam tamen baptizarunt in illo Symbolo. Lucet ex hisce ordinis ibidem ad Catechumenos verbis: *Intentis animis Symbolum discite, & quod vobis sicut accepimus, credimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis inscribite. At quodnam hoc Symbolum? Evangelici Symboli Sacramentum, à Domino inspiratum, ab Apostolis institutum. Cujus pauca quidem verba*

[Right margin beside "baptizandos Judæos": Lib. 12. tit. 3. cap. 14.]

sunt, sed magna mysteria; Sanctus enim Spiritus, qui Magistris Ecclesiæ ista dictavit, tali eloquio, talique brevitate salutiferam condidit fidem, ut quod credendum vobis est semperque profitendum, nec intelligentiam possit latere, nec memoriam fatigare. Palam laudat Apostolicum Symbolum, affirmatque cunctos in ipso baptizari. Constantinopolitanum Symbolum non per ipsos Catechumenos, sed super ipsos jubet per Acolythum recitari: Qui ritus nec Apostolicus est, nec Romanus, nec antiquus apud Gallos, sed noviter inductus per Francos Magni Caroli Episcopos. Ob easdem causas, ex quibus voluerunt cantari ad Missam, istud Symbolum voluerunt recitari super Catechumenos. Etiam Gothica Eruigii Regis Lex, non de baptismo sancit, sed de conversorum Judæorum admissione ad Catechumenatum. Lucet ex legis titulo: *Professio Judæorum, quomodo unusquisque eorum ad fidem veniens, indiculum professionis suæ conscribere debeat.* Et infra habetur ad professionis finem: *facta est fidei vel credulitatis meæ professio sub die vel anno Regis.* Baptismalis Symboli professio conscribi non poterat, nec habere debebat Consulem, Regem, annum aut diem. Judæorum ad Catechumenos intromissionem Hispana Ecclesia ita censuit adversum ipsorum dolos & fictiones muniendum. Hispania fuit imitata Sanctum Athanasium, Magnum Basilium, Sanctum Gregorium Nazianzenum, & omnem hodie Latinam Ecclesiam, quæ aliud in baptismo, aliud in aliis actibus exigit Symbolum.

CAPUT QUARTUM.

Antiqua Apostolici Symboli Additamenta.

Additiones Posthumæ.

QUæstio est, *an usque ad Nicænam Synodum omnis sub Cœlo Ecclesia baptizandis tradiderit Apostolicum Symbolum?* Respondeo esse incertum. Etenim de ipso ac sua educatrice & Avia Sancta Macrina scribit ad Neo-Cæsareenses Magnus Basilius: *Fidei nostræ, quæ poterit videntior probatio, quàm quod à Nutrice beata fœmina, quæ ex vestro gremio progressa est, Macrinam dico illustrem illam, educati sumus, à qua & beatissimi Gregorii Thaumaturgi verba, quæ memoriæ beneficio ad illius usque ætatem servata ipsa retinuit, edocti sumus, quibus illa nos adhuc infantes tanquam pietatis dogmatibus finxit & formavit.* Et in litteris ad Eustathium Sebastensem, primæ Armeniæ Metropolitam Episcopum: *Licèt reliqua vita nostra digna sit, cujus gratia ingemiscamus, de hoc tamen uno ausim in Domino gloriari, quod nunquam falsas opiniones habuerim de Deo, neque aliter sentiendo animi mei judicium postea mutaverim, sed quam à puero sententiam de Deo à beata Matre, deinde & ab Avia mea Macrina recepi, illam justis incrementis auctam & adultam in me ipso conservaverim. Non enim alias post alias maturescente ratione adsumpsi, sed tradita ab ipsis principia absolvi & ad perfectionem deduxi.* Epist. 79. Hæc à Sancto Gregorio tradita fidei principia per memoriæ successionem acceperat: & in puerum Basilium etiam memoriter tenenda traduxit Sancta Macrina: nempe erant Gregorianum. Neo-cæsareensium Neophitorum Ecclesiæ proprium & congruum fidei Symbolum. Ita videtur. Et possint alii etiam Episcopi in suis Parochiis illud ipsum fecisse. Jam audivimus quosdam etiam post Nicænam & Constantinopolitanam Synodum. Quidquid sit, omnes passim Ecclesiæ ante Nicænam Synodum tradiderunt Apostolicum Symbolum. Abundè lucet ex huc usque dictis. Ruffinus Presbyter addit: *Orientis Ecclesiæ omnes ita tradunt: Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Et rursus in sequenti sermone: *Ubi nos dicimus: Et in Jesum Christum filium ejus Dominum nostrum, illi tradunt, Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Unicum filium ejus. Unum scilicet Deum; & in unum Dominum secundum auctoritatem Pauli Apostoli profitentes. Originale Apostolorum Symbolum habet: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Et vocem,* unum *utrique sui Symboli articulo addidit etiam Nicæna Synodus.* Ruffinus palam agit de Apostolico Symbolo, & adfirmat illi etiam ante istam Synodum fuisse additum ab omni Orientali Ecclesia. Est antiquissimum additamentum: etenim ipsum uti antiquum usurpat Sanctus Irenæus: *Ecclesia per Universum Orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & ab eorum Discipulis accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem.* Lib. 1. cap. 2. Compendio, & paraphrasticè adducit universum Symbolum. Sanctus Irenæus licèt Latinæ Ecclesiæ Episcopus, fuit vir Græcus: hinc Græco more tradidit Symbolum, nec sine rationibus. Etenim vox, *unum*, fuit ad articulum de Deo Patre addita contra Gnosticos, aliosque duplicis Divinitatis fabulones; ad articulum verò de Deo filio fuit addita contra Cerinthum, aliosque Dominicæ personæ divisores. Et hinc utrumque additamentum est longè antiquissimum, videturque factum ab ipsis Apostolis; nam & hi utrumque errorem in suis litteris impugnarunt, & damnarunt. Et certè Sanctus Irenæus fuit vicinus ipsorum temporibus, & sub ipsius Lugdunensi Episcopatu Gnostica Marci Egyptii lepra fœdavit omnem Narbonensem Galliam. Hinc Symbolo istam vocem meritò addidit, & addidit ad utrumque articulum.

Hinc Intelliges fundamentum Eutychianæ calumniæ adversum Sanctum Leonem Pontificem, qui in sua dogmatica ad Chalcedonensem Synodum epistola scripserat: *Fidelium universitas profitetur credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum filium ejus Dominum nostrum.* Hæc verba nescio quis Orientalis Eutychianista apud Vigilium Africanum Episcopum *calumniatur, cur Leo non dixerit, in unum Deum Patrem, & in unum Jesum Christum filium ejus, juxta Nicæni decretum Concilii.* Suos libros in Constantinopolitana Urbe scripserat ille Vigilius, ideoque omnino agit adversum Orientales calumnias. Et hinc calumniator Sanctum Leonem arguit, non quod Apostolico potius quàm Nicæno Symbolo uteretur, sed quod Apostolico Symbolo non daret sua antiquissima, confirmata per Nicænam Synodum, additamenta. Hinc illum arguit

guit de illius Synodi prævaricatione. Et Vigilius reposuit: *Romæ, & antequam Nicæna Synodus conveniret, à temporibus Apostolorum, ita fidelibus Symbolum traditur:* affirmat ista additamenta Romæ fuisse admissa, ideoque & Nicænam confirmationem isthic nihil operari. Et prosequitur: *Magis cum Domini nostri Jesu Christi sententia hæc fidei professio facit dicentis, creditis in Dominum, & in me credite; nec dixit, In unum Deum Patrem, & in unum me ipsum. Quis enim nesciat unum esse Deum Patrem, & unum Jesum Christum filium ejus.* Affirmat Occidentalem simplicitatem esse Orientali additamento antiquiorem, Evangelio conformiorem, ideoque & meliorem. Et istius simplicitatis adeò tenax fuit Romana Ecclesia, ut etiam Marcellus Orientalis in prima Galatia Metropolitanus Episcopus debuerit illi Apostolorum Symbolum sine istis additamentis profiteri. Ita habes apud Sanctum Epiphanium. Ex simili regula scripsit in libro de vitanda hæreticorum communione Lucifer Calaritanus Archiepiscopus: *Videmus Apostolos credidisse in unum Deum Patrem omnipotentem*; omninò laudat Apostolicum Symbolum. Imperator Constantius erat natus ac educatus in Orientali Ecclesia, ac in eadem Lucifer tunc exulabat: hinc ad illum scripsit juxta morem ejusdem Ecclesiæ.

Apostolicum Symbolum habuit & alia additamenta, & variationes. Etenim Aquilejensis Ecclesia post voces, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, addidit: *Invisibilem, & impassibilem*. Ruffinus Presbyter dat rationem: *Sciendum, quod duo isti sermones in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habeantur. Constat autem apud nos additas hæreseos caussa Sabellii, illius profectò quæ à nostris Patri-passiana appellatur, id est, quæ Patrem ipsum vel ex Virgine natum dicit, & visibilem factum, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidisse Majores, & invisibilem Patrem atque impassibilem dixisse.* Verùm qui Majores? eos aperit in libro de Ariminensi ac Seleuciensi Synodo Sanctus Athanasius: *Illos, qui dicunt eundem esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum & de una re ac persona tria ista nomina impiè accipiunt, meritò ab Ecclesia abdicamus, eo quod impassibilem, & nullo loco circumscriptum Patrem, fingant patibilem simul & loco circumscriptum per incarnationem. Tales sunt apud Romanos Patri-Passiani; apud nos Sabelliani.* Et in Panario scribit de Sabelliana hæresi Sanctus Epiphanius: *Hujus sectæ plurimi tum in Mesopotamia, tum Romæ versantur.* Exponit in libro adversus Praxeam Tertullianus: *Primus Praxeas ex Asia hoc genus Sabellianæ perversitatis intulit Romæ; homo & aliàs inquietus, insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum & simplex, & breve carceris tædium, quando, etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens, cujus charismata quoque expugnavit. Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam Prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Phrygiæ & Asiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis & Ecclesiis eorum asseverando, & Præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit & litteras pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit: Prophetiam expulit, & hæresim intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Hæretico more hæresim abjuravit in publico, & clanculò seminavit. Virus serpsit usque Aquilejam, atque ad ipsum sistendum & evertendum, nescio quis Episcopus Apostolico Symbolo ista additamenta imposuit. Quod sit antiqua additio, lucet ex quadragesimo Sancti Augustini tractatu super Sancti Joannis Evangelium: *Hæresis ista nimis antiqua est, & paulatim eviscerata.* Augustinus dudum habitarat Mediolani, adeoque Aquilejensium rerum non poterat esse ignarus.

Hæres. 62. cap. 1.

Eadem Aquilejensis Ecclesia undecimo Symboli articulo addit vocem, *Hujus*, & profitetur *hujus carnis resurrectionem*. Ita in expositione Symboli testatur idem Ruffinus, futuram Carnis resurrectionem, & varios adversus illam errores exponens, atque adjungens: *Et ideo satis cauta & provida adjectione fidem Symboli Ecclesia nostra docet, quæ in eo, quod à cæteris traditur, carnis resurrectionem, uno addito pronomine tradit, hujus carnis resurrectionem. Hujus sine dubio, quam is, qui profitetur, signaculo Crucis fronti imposito contingit, quo sciat unusquique fidelium carnem suam, si mundam servaverit à peccato, futuram vas esse honoris, utile Domino ad omne opus bonum paratum; si verò contaminata fuerit in peccatis, futuram esse vas iræ in interitum.* Humanæ carnis resurrectionis fidem firmat multis sacrarum litterarum testimoniis, & concludit: *Hæc quidem dicta sunt ad comprobationem Professionis nostræ, qua confitemur in Symbolo hujus carnis resurrectionem.*

Quod enim adjunctum est, hujus, vide quàm consonum sit omnibus his, quæ de exemplis divinorum voluminum memorabamus. An ista vox adversum Gnosticos, Manichæos, aut Origenistas sit addita, ignoro. Ejus interim à se facta professione Ruffinus se de objecto Origenis contagio purgat adversus Sanctum Hieronymum: *Calumniosorum necessitate compulsus, singulare ac præcipuum Ecclesiæ nostræ Mysterium pando. Etenim cum omnes Ecclesiæ ita Sacramentum Symboli tradant, ut postquam dixerint, Peccatorum remissionem, addant, carnis resurrectionem: Sancta Aquilejensis Ecclesia Dei Spiritu futuras adversum nos calumnias prævidente, ubi tradit carnis resurrectionem, addit unius pronominis Syllabam, & pro eo quod cæteri dicunt carnis resurrectionem, nos dicimus hujus carnis resurrectionem: Quo scilicet frontem, ut mos est in fine Symboli, signaculo contingentes, & ore carnis hujus, videlicet quam contingimus, resurrectionem fatentes, omnis venenatæ adversum nos linguæ calumniandi aditum præstruamus.* Est ne aliquid hac confessione plenius? Affirmat, & inculcat se baptizatum in Aquilejensi Ecclesia, se tunc reddidisse Symbolum cum isto additamento, semper vixisse juxta ipsum, ideoque de Origenianis circa hunc articulum erroribus esse sine fundamento suspectum. Quod ipsum facit in litteris, per quas se de translato Origenis Peri-archon opere purgat apud Sanctum Anastasium Pontificem, ac in præfatione quam Apologetico Eusebii Cæsareensis Episcopi pro Origenis doctrina libro scripsit ad Symmistam Macarium. Nec enim Sancti Martyris Pamphili, sed istius Eusebii est ista Apologia.

logia. Ex his insuper discimus, quod olim fideles in recitati Symboli finem Sacrosanctum signaculum suæ fronti imprimerent.

Etiam circa *descendit ad inferos*, est apud Latinas Ecclesias magna varietas. De illo scribit Ruffinus: *Sciendum sanè est quod in Ecclesiæ Romanæ Symbolo habetur additum, descendit ad inferna, sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo. Vis autem verbi eadem videtur esse in eo quod dicitur sepultus.* Quod tamen Aquilejensis Ecclesia istum articulum habuerit, Ruffinus disertè affirmat. Etiam habetur in Symbolo, quod suis Catechumenis tradidit, & suis Populis exposuit Sanctus Ambrosius. Et in libro de fide ac operibus Apostolici Symboli, de Christo Domino hos articulos ponit Sanctus Augustinus: *Incarnationem ex Virgine, Passionem, mortem crucis, Sepulturam, tertii diei Resurrectionem, Ascensionem, sedem ad dexteram Patris*, non ponit descensum ad inferos; ideoque etiam Africana, quæ à Romana accepit Evangelium, Ecclesia videtur istum articulum non habuisse. Istud ipsum Augustinus facit in Enchiridio. In libris de Symbolo ad Catechumenos, in libro de eodem ad Episcopos, & sermone de tempore, ac in sermone de diversis, qui omnino videntur esse authentici. Et in Epistola, qua Theodori Mopsuestiensis Episcopi in Catholica pace defuncti, factam à quinto Concilio damnationem demonstrat adversari fundamentalibus Fidei capitibus. Facundus Hermaniensis Episcopus adducit integrum Apostolicum Symbolum, at sine isto articulo. Quare Africana Ecclesia videtur ipsum nunquam habuisse. Ipsum tamen habent varii apud Augustinum suppositìtii sermones: Ostendunt ipsum in variis Ecclesiis viguisse. Eum sub Sancti Agathonis Papatu necdum admiserat Romana Ecclesia. Etenim Romana centum vigintiquinque Episcoporum per istum Pontificem celebrata Synodus in suo ad Sextam Synodum misso Suffragio, Dei hominis mysterium insigniter profitetur, & adjungit, se credere in illum *Crucifixum pro nobis sub Pontio Pilato passum, sepultum, resurgentem, ascendentem in Cœlos, sedentem ad dexteram Patris, iterumque venturum judicare vivos & mortuos.* Non habet articulum de descensu ad Inferos. Eum tamen jam pridem admisit Romana, & omnis Latina Ecclesia. Tempus ignoro.

Cap. 9.

Cap. 53.

Lib. 123. Serm. 75.

Constanter his obsistit in opusculo de Dominico ad Inferos descensu Henricus Vicus, asserit istum articulum esse Symbolo insertum ab ipsis Apostolis & Romanæ & Orientali Ecclesiæ esse antiquissimum, Ruffinum imponere aut hallucinari. De Romana Ecclesia id probat ex litteris Magni Papæ Leonis ad Turribium Episcopum Asturicensem: *Miror cujusquam Catholici intelligentiam laborare, tamquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro ejus requieverit in sepulchro.* De Orientali Ecclesia id ipsum probat ex Sancti Ignatii Martyris Epistola ad Trallianos, quæ inter fidei articulos habet & hunc: *Descendit ad infernum solus, ascendit cum multitudine.* Et in quarta Catechesi Sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus exponit Apostolicum Symbolum, & habet hæc verba: *in monumento saxeo verè situs est Dominus, sed ejus formidine Petræ discissæ sunt, descendit ad inferos, ut illinc justos redimeret.* Et in libro contra Dimeritas Sanctus Epiphanius scribit ex Apostolico Symbolo: *Quin etiam & ad Inferos ipsius divinitas cum anima descendit.* Vicus conglomerat plura istiusmodi testimonia. Respondeo non facere ad rem. Nec enim hìc quærimus: An Romana & Orientalis Ecclesia istum Domini descensum crediderint, & docuerint ut fidei articulum, sed an habuerint in suo Symbolo. Et dico non habuisse. Et hoc lucidissimè asserit Epiphanius. Etenim Apostolicum Symbolum, quod Romæ coram Julio Pontifice professum affirmat Marcellinus Ancyræ in prima Galatia Metropolita, ita adducit: *Qui sub Pontio Pilato crucifixus est, & sepultus, & tertia die resurrexit à mortuis.* Et Sanctus Cyrillus hæc ponit singulorum de Christo Domino articulorum compendia: *De Christo, de Generatione ex Virgine, de Cruce, de Sepulchro, de Resurrectione.* Et sub sepultura affirmat comprehendi descensum ad inferos. Qui ipse est sensus etiam Magni Leonis, & gloriosi Martyris Ignatii. Et hæc est palmaris ratio, cur neque Nicæna, neque Constantinopolitana Synodus istum articulum suis Symbolis non inseruerint. Quod nempe neque Orientalis, neque Romana Ecclesia ipsum habuisset unquam in suo Apostolico Symbolo. Porrò an illum Aquilejensis, Mediolanensis, ac aliæ plures Ecclesiæ habeant ab Apostolis, an ab aliquo suo Episcopo, non possim definire. Cum nostris Sectariis, Erasmus sine competenti fundamento asserit esse Episcopale additamentum. Etiam Henricus Vicus eos male arguit uti de excessu in fidem Christianam. Etenim Christiana fides Domini ad inferna descensum semper credidit, & docuit, at nunquam asseruit ipsum ab Apostolis fuisse insertum Symbolo. Improvidi Ecclesiasticarum controversiarum Scriptores dum etiam veras hæreticorum adsertiones impugnant, se ludibrio exponunt, & istos reddunt in suis erroribus durissimos; fundamenta, & rationes, ex quibus illi istum descensum impugnant, sunt omnino hæretica; alibi refutanda.

Epist. 93. cap. 17.

Noranda sunt verba, quæ in præfata Epistola Facundus Hermianensis habet post articulum de extremo vivorum & mortuorum Judicio: *Certe in hoc articulo nunc omnis consistit quæstio de vivorum mortuorumque Judicio, quod contra nullam aliquando hæresim, ut illud de æqualitate Patris & Filio in Nicæno Concilio contra Arium, vel de omnipotentia Spiritus Sancti in Constantinopolitano contra Macedonium in Symbolo est additum, à nulla unquam hæresi violatum est.* Ex ipsis habemus varia: Primò quod Apostolicum Symbolum apud Orientalem Ecclesiam, licèt amplius non traderetur baptizandis, manserit in plena atque Divina auctoritate, cujus violatio esset hæresis. Has enim litteras non in Africa, sed in Oriente adversum Græcos scripsit Facundus illic exul, & inutilis confessor pro defensione suorum Capitulorum, ac præsertim Theodori Mopsuestiensis Episcopi. Secundò habemus, quod uti Constantinopolitana, ita etiam Nicæna Synodus non composuerit novum Symbolum, sed ad Apostolicum dumtaxat fecerit additamenta. Et hinc habemus tertiò quod hocce Symbolum us-

que ad Nicænam Synodum viguerit, & pro Apostolico fuerit agnitum apud omnem Orientem. Notandum item est, quod Facundus duos priores Apostolici Symboli articulos formet hoc modo: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unum Dominum Jesum Christum.* Contra Africanæ & omnis Latinæ Ecclesiæ morem addit voces *unum:* nempe in Oriente scripsit, ideoque ad ejus morem formavit Symbolum. Noluit dare ansam calumniæ, quam à Græcis Eutychianistis illatam magno Leoni Pontifici purgare debuit Africanæ Ecclesiæ Episcopus Vigilius.

CAPUT QUINTUM.

Recitatio Symboli.

SYmbolum est cunctorum, quæ dicimus necessaria Justificationis media, credendorum compendium, ideoque ab omnibus sciri ac teneri debet ante Baptismum. Gabinianum Catechumenum, quod illud memoriæ mandare neglígeret, aut se non posse simularet, fuisse divinitus percussum, atque ita deductum ad saniora consilia, scribit ad Sanctum Alipium Tagastensem Episcopum Beatus Augustinus: & in suarum Catechefeon præfatione Sanctus Cyrillus Hierosolymæ Episcopus primum justificationis Sacramentum affirmat esse ædificii speciem; ostendit in quovis ædificio singulos lapides debere esse firmos, & firmè compaginatos, atque prosequitur: *Ad eundem modum adferimus tibi quasi lapides cognitionis. Audire oportet de Deo Vivente, audire opus est de Christo, audire necesse est de resurrectione, & alia permulta ex ordine discenda sunt, quæ nunc tamquam summatim recensentur, deinceps verò suo loco satis explicabuntur. Si vel unum ex his non perceperis, etiamsi primorum aut secundorum memineris, Ædificator quidem bene ædificat, tu vero fluxum ac debile habebis Ædificium.* Etiam in quinta Catechesi scribit: *Cum non omnes possint Scripturas legere, & alios quidem inscitia, alios occupatio quædam impedit à cognitione, ne Animam perdat ob inscitiam, in paucis versibus universam fidei doctrinam comprehendimus, quod in ipsa lectione meminisse vos volo, & apud vos ipsos studiosè recolere, non in chartas inscribendo, sed in corde memoriam insculpendo, & in meditationem custodiendo, ne inibi Catechumenus ea quæ vobis tradita sunt exaudiat.* Palam agit de Symbolo. Affirmat ipsum non posse scribi, nec Catechumenis revelari, & singulorum articulorum notitiam esse necessarium salutis medium. Quod ipsum & alii Patres passim affirmant. Audiamus Sanctum Sophronium in Prato Spirituali. *Interrogatus est aliquando Sanctus Athanasius postquam Alexandriæ Episcopus constitutus: an posset quisquam sine fide baptizari secundum ritum & prædicationem Christianorum, aut si credere se simulans, aliquibus aliàs occasionibus baptizatus fuisset, quid de illo sentiendum, aut quomodo suscipiat illum Deus? Et respondit dicens: Audivi aliquando à senioribus nostris, quod Beato Petro Episcopo Martyri cum facta esset mortalitas, & plerique ad baptisma mortis timore confugerent, apparuerit Angelus humana specie dicens: quamdiù hic mittitis marsupia ista, signata quidem, inania autem prorsus & vacua, & nihil intus habentia? Erant itaque, quantum ex Angeli voce conjicere licet, signum habentes baptismi, quoniam & beneficium aliquod existimarunt se consequi, si Baptisma susciperent, atque idcirco baptizati sunt.* Sub Sancto Petro Alexandriæ Patriarcha gravissimam Pestem passus fuit omnis Oriens, & ob mortis metum multi sine plena Apostolici, quod ibi tunc tradebatur, Symboli notitia, fuerunt baptizati, ac ita defuncti: & illos Angelus dixit, vasa quidem signata, sed vacua, utique à gratia remissionis peccatorum. Quod ipsum in suis ad Sanctum Apostolum nostrum Bonifacium rescriptis confirmarunt Gregorius Secundus, & Zacharias Pontifices. Isto enim tempore quidam apud nos Pseudo-Sacerdotes sine Catechismo & traditione Symboli pessimè baptizabant.

Epist. 67. (margin)

Cap. 198. (margin)

Baptizandi ordinem præscripsit in Evangelio Dominus: *Ite docete omnes gentes baptizantes eos.* Quidam olim Errones censebant prius baptizandum, ac deinde docendum; & ipsis in libro de fide & operibus reposuit Sanctus Augustinus: *Sit hoc ubi quemquam fortè dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, Sacramentumque percipiat, ut si ex hac vita migraverit, liberatus exeat de reatu præteritorum peccatorum.* Ista paucissima verba omnino sunt Apostolicum Symbolum, sine cujus notitia etiam Clinicos baptizari nunquam permisit Ecclesia, licèt Clinici ipsum memoriter tenere non debuerint; sine plena tamen ejus notitia nullam habuere spem salutis. Eadem fuit ratio Surdorum, de quorum uno scribit, Hunarici Vandalorum in Africa Ariani Regis persecutiones exponens, in Chronico Comes Marcellinus: *Hunaricus Rex unius Catholici adolescentis, vitam à Nativitate sine ullo sermone ducentis, linguam præcepit abscindi, idemque mutus, quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox præcisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suæ exordio dedit.* Post excisam linguam prima illi vox fuit catholica, quam Ariani pessimè detestantur, glorificatio: Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Ejusmodi mutos Divina gratia eligit, & illuminat. Et hinc in suo Capitulari rectè statuit Venerabilis Atto Vercellensis Episcopus: *Hi, qui ab Infantia muti fuerunt, si aliquibus nutibus aut indiciis Christianos se esse velle, vel Baptismum petere videantur, non est illis vetandum.* Eos præsumimus esse à Deo instructos, quare subsistere non videntur Honorii Augustodunensis verba: *Parvuli, vel muti, vel surdi, vel fatui per petitionem fidelium catechizantur, baptizantur, & per fidem illorum salvantur.* Surdi à nativitate & muti plurimum distant à parvulis ac fatuis, & licèt propriis auribus & linguis careant, habent tamen proprium cor & mentem, ideoque omnino credere debent ad justitiam, ideoque & à divina gratia singulariter illustrari.

Cap. 6. (margin)

Cap. 18. (margin)

Quisque fidelis non solummodo ante Baptisma debet memoriter nosse Symbolum, sed & per omnem vitam firmiter retinere. Hinc in suis Capitularibus statuit Sanctus Theodulphus Aurelianen-

lianensis Episcopus: *Commonendi sunt fideles, ut generaliter omnes à minimo usque ad maximum,*
Cap. 22. *orationem Dominicam & Symbolum discant. Et dicendum eis, quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit, & nisi quis has duas & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sæpissimè frequentaverit, Catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, ut nullus chrismetur neque baptizetur, neque à lavacro fontis illius suscipiatur, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi Symbolum & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum aptos minimè produ-*
Cap. 45. *xerit*. Et sub Caroli Magni Imperio celebrata Moguntina Synodus: *Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem Dominicam discere semper admoneant Sacerdotes Populum Christianum, volumusque ut disciplinam condignam habeant: qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione emendentur. Propterea dignum est ut filios suos donent ad scholam, sive ad Monasteria, sive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè discant & orationem Dominicam, ut domi alios docere valeant, & qui aliter non potuerit, ut in sua lingua hoc discat.* Et sexta Parisiensis Synodus adfirmat olim solos ferè adultos, & plenè catechizatos consuevisse baptizari, ideoque quotidiani Catechismi tantam non fuisse necessitatem, & adjungit: *verum quoniam fides Christi ubique pollet, & parvuli de Christianis parentibus nati, antequam ad intelligibilem ætatem veniant, baptismatis Sacramenta percipiunt, necessè est ut quod imbecillis ætas nequivit, intelligibilis addiscere satagat. Quod quia ab usu Christianæ Religionis propter quorumdam incuriam recessit, quantæ sit negligentiæ, quantique discriminis satis dici non potest.* Plurimos habemus hujusmodi Gallicanos Canones, & vetustos & recentiores. Zosimus Avenionensis Episcopus, ac Apostolicæ sedis ad tertii decimi Sæculi medium per Narbonensem Galliam Legatus,
Cap. 18. dixit in sua Albiensi Synodo: *Comperimus quod propter ignorantiam articulorum fidei plurimi erraverunt utique in vita æterna.*

Eos, qui Symbolum ignorant Sanctus Theodulphus rectè vetuit non tantum baptizari, sed etiam chrismari, ac esse Patrinos. Etiam Anglicanæ Ecclesiæ sub Egdaro Rege editi Canones habent: *Docemus ut quisque discat Pater noster & Credo, priusquam in consecrato sepeliatur Cœmeterio, vel idoneus censeatur Eucharistiæ percipiendæ. Propterea quod Christiani non est dignus nomine, qui hæc noluerit ediscere, nec in Baptismo valeat alios è sacro levare fonte, nec in Confirmatione è manibus Episcopi suscipere, si hæc prius non callucrit.* Quod ipsum statuunt leges Canuti Regis, & adjungit Symboli ac dominicæ orationis imperitos esse pœnitus indignos Christiano nomine. Rationem datin Encheridii libro Sanctus Augusti-
Cap. 7. nus, affirmans Christianam dignitatem consistere in Fide, Spe & Charitate, atque adjungit: *Ecce tibi est Symbolum, & oratio Dominica: quid brevius auditur, & legitur? quid facilius memoriæ commendatur? In his duobus tria illa intuere: Fides credit, Spes & Charitas orant. Sea sine Fide esse non possunt, ac per hoc & Fides orat.* Apostolicum Symbolum ac oratio Dominica sunt nostræ Fidei, Spei, & Charitatis compendia, ideoque sine ipsorum notitia nemo est Christianus, nemo aptus ulli Sacramento, nemo dignus Ecclesiastica sepultura. Horrendum & longè verissimum est Foro-Juliensis, sub Adriani primi Pontificatu celebrati Concilii edictum: *Symbolum & orationem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas, omnis sexus, omnisque conditio. Masculi, Fœminæ, Juvenes, Senes, Servi, Liberi, Pueri, Conjugati, innuptæ Puellæ: Quia sine hac benedictione nullus poterit in Cœlorum Regno percipere portionem.* Et hinc de illo Ivone Franco, cui apud Antiochiam Sanctus Andreas Apostolus revelarat Dominicam lanceam, & qui Arausicensi Episcopo imposuerat mendacium, scribit in sacri belli historia Raymundus Agitensis: *Erat aliquantulum sciens, sed in ipsa hora ita ignoravit, ut nec litteras cognosceret, neque aliquid eorum quæ litteris didicerat, memor esset, exceptis Pater noster, Credo in unum Deum, Magnificat, Gloria in excelsis, Benedictus Dominus Deus Israel. Cætera ita perdiderat, ac si nunquam ea audivisset.* Divina miseratio illi reliquit necessaria salutis media, cum paucis adjutoriis.

Notanda sunt verba Moguntinæ Synodi: *qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.* Franci omnes videntur tunc Symbolum & orationem Dominicam latinè didicisse, ac recitasse, quem morem non probavit Atto Basileensis Episcopus, ac unus è Mongantini Concilii Patribus, ideoque pro sua Ecclesia statuit in suo Capitulari: *Jubendum ut Oratio Dominica, in qua omnia necessaria humanæ vitæ comprehenditur, & Symbolum* Cap. 2. *Apostolicum, in quo Fides Catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus discatur tam latinè quàm barbaricè, ut quod ore profitentur, corde credatur, & intelligatur.* Ad vocem: *Barbaricè*, Lucas Dacherius ponit hoc Scholion: *Germanicè seu Francicè*. Franci enim sunt origine Germani, ideoque originalis ipsorum lingua est Germanica. Et in Clodescovensi Synodo Sanctus Cutbertus Cantuariensis Archiepiscopus est executus varia decreta Zachariæ Pontificis, inter quæ fuit & hoc: *Presbyteri Dominicam Orationem,* 197. *& Symbolum Anglicè discant & doceant.* Exstant acta apud Gulielmum Malesburiensem. Omninò oportet ut Symbolum, & Dominicam orationem quisque calleat in sua lingua. Nostrorum tamen Walonum, qui illa passim sciunt in latino etiam idiomate, consuetudo est plurimum laudanda. Notanda item sunt Moguntini Concilii verba: *Sive ad Monasteria &c.* Palmarem audiendi Catechesim locum affirmat esse Monasteria: Quod ipsum altissimè clamant plures utriusque Ecclesiæ Canones, & perpetua consuetudo. Quare auctoritatem illam non à privilegio habent Monasteria, sed omnino per Canones. Lucidam rem imperitis ac turbulentis Monasteriorum Osoribus suo loco demonstrabo.

Quisque fidelis non tantum scire debet Symbolum, sed & frequenter recitare. Etenim in libris de Symbolo scribit Sanctus Augustinus: *Accipite filii Regulam fidei, quod Symbolum dicitur.* L. 1. c. 1. *Et cum acceperitis, in corde scribite. Et quotidie dicite apud vos, antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro Symbolo vos munite.* Et in populari homilia affirmat Symbolum ab omnibus esse memoria tenendum, ac prosequitur: *Cum* Hom. 42. cap. 11.

tenue-

tenueritis Symbolum, ut non obliviscamini, quotidie dicite, quando surgitis, quando vos collocatis ad somnum, reddite Symbolum, reddite Domino, commemorate vos, vos ipsos non pigeat repetere, bona est repetitio, ne subrepat oblivio, nec dicatis, dixi heri, dixi hodie, quotidie dico, teneo illud bene. Commemora fidem tuam; inspice te: sit tanquam speculum Symbolum tuum. Ibi te vide, si credis omnia, quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua, sint divitiæ tuæ, sint quotidiana ista quodammodo indumenta mentis tuæ. Numquid non quando surgis, te vestis? Sic & commemorando Symbolum tuum vesti animam tuam, ne forte eam nudet oblivio, & remaneas nudus, & fiat quod ait Apostolus, quod absit à te; si tamen vestiti non nudi inveniamur. Vestiti enim erimus fide nostra: Et ipsa fides est Tunica, & Lorica. Tunica contra confusionem, Lorica contra adversitatem. Quisque fidelis assiduam debet in corde suo habere Fidem, Spem, Charitatem virtualem: & ipsas bis de die debet in actum exerere: Mane & Vespere. Quod ipsum ex Augustino docent & plures alii. Ex quo lucet illos, qui istarum virtutum actus docent, aut nunquam, aut raro esse præceptos, insigniter hallucinari.

Præter Apostolicum Symbolum, ac Dominicam orationem cuncti hodie fideles memoriter discunt, ac quotidie recitant etiam salutationem Angelicam, & eandem recitant omnes Concionatores in suæ Concionis exordio. Morem prius laudare cœpit, qui ad quinti decimi sæculi exordium floruit, sanctus Vincentius Ferrerius, semper præmittens suis sermonibus: *salutetur Beata Virgo*, unde quidam existimant illum moris auctorem, aut certè ex primis fuisse ipsius usurpatoribus. Et in suo Christiano Oratore scribit Carolus Regius: *Arbitror esse recens institutum, & inductum forte propter hæreses in Beatam Virginem exortas, cum ipsa sit quæ omnes hæreses interimere queat.* (Lib. 1. cap. 62.) Dum Ariana pestis grassari cœpit, plures Ecclesiæ avitum glorificationis Hymnum cœperunt post singulos Psalmos solemniter cantare in Ecclesia, atque ita omnium trium Personarum Consubstantialitatem, & Coæternitatem publicè profiteri. Et Lucianus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Presbyter suis de Sancti Stephani Protomartyris, & Sociorum inventione ad omnem Ecclesiam litteris dedit hunc titulum: *Lucianus Misericordia Dei indigens, Presbyter Ecclesiæ Dei.* Isto sæculo plures suis Epistolis istum titulum præfixerunt. Nempe tunc grassari incipiebat Pelagiana hæresis, & suam ab ipsa puritatem Catholici Episcopi & Clerici tunc ita passim profitebantur. Eodem modo Sanctus Vincentius Ferrerius adversum Sanctæ Virgini injuriosas hæreses possit laudatum morem Concionibus fixisse. Verùm quæ sunt eæ hæreses? Etenim Sancti Vincentii sæculo nulla hæresis singulariter blasphemavit Deiparam. Et hinc in libris ad Sacrarum Concionum antiquo Ritu Franciscus (Lib. 10. cap. 11.) Bernardinus Ferrarius, licèt Caroli Regii rationem non improbet, mavult salutationem Angelicam primò habitis de Deipara concionibus fuisse præmissam, ac tandem processisse ad omnes Conciones, atque adjungit: *Certe constat appendicem illam salutationis Angelicæ, Sancta Maria &c. ante centum quinquaginta annos additam fuisse.* Errat. Additamentum istud est longè antiquius. Etenim de Mauritii Imperatoris exercitu adversus Persas pugnaturo scribit Theophylactus Simocata: *Pro Symbolo Romani socios pro hostibus cæderent, quandoquidem pugna confusa, maximè proprios distinctè internoscere nequirent.* (Lib. 5. cap. 10.) Pro expulso Rege Castra Romani pro Persis pugnaturi erant adversum Persas: hinc etiam sociis Persis, quo ipsos ab hostibus dignoscerent in Prælio, istud dederunt Symbolum, & ipsum eos docuerunt. Quæ docendi necessitas? quis non statim capiat, ac teneat duas voculas? nempe non solum has, sed omnem cum suo additamento Angelicam Salutationem Persæ debebant memoriter discere. Et nescio quem dissolutum Clericum, quod in dies Sanctæ Virginis Altare accederet, atque hunc Angelicum & Evangelicum versiculum, *Ave Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, cum magna reverentia decantaret, in litteris ad Desiderium Cassinensem Abbatem laudat, & ejus pietatis merito fuisse suo, quod dissolutam vitam (Lib. 2. Epist. 14.) castigans Episcopus abstulerat, beneficio restitutum à Deipara affirmat Sanctus Petrus Damiani. Angelica salutatio omnino videtur tunc habuisse suum additamentum: videtur istud à Græcis venisse ad Latinos. Quidquid sit, adversum Imperatoris Frederici secundi in Ecclesiam violentias Gregorius nonus Pontifex induxit varia pietatis officia. Primò ut horis Canonicis adderetur ab Hermanno Contracto compositus Hymnus, *Salve Regina*, deinde ut mane & vespere, ad dandum Campanæ signum omnes fideles tertio dicerent *Salutationem Angelicam*. Hisce precibus speravit violentum Principem à Sacra Virgine domandum: quare cum moderamine intelligendum est hoc Guilielmi Senonensis ad quarti decimi sæculi medium Archiepiscopi Synodale decretum: *Præcipimus quod observetur inviolabiliter ordinatio facta per Sanctæ memoriæ Papam Joannem vigesimum secundum de dicendo ter Ave Maria tempore, seu hora ignitegii, in qua ordinatione conceditur certa indulgentia dicentibus ter Ave Maria dictis tempore & hora. Et cum hoc Sacro approbante Concilio, omnibus, tum orantibus pro statu prospero & Regni, ac pro Pace, Dominis, Rege & Regina, liberisque ipsorum, ac dicentibus tunc, Pater noster, & Ave Maria, concedimus Indulgentias, quæ sequuntur: videlicet singulis diebus auctoritate nostra triginta dies, & cujuslibet suffragandi viginti dies in Provincia Senonensi.* Guilielmus non debuerat dicere istam ordinationem à Papa Joanne fuisse institutam, sed dumtaxat restitutam. Etiam Zoenus Avenionensis Episcopus, ac noni Gregorii per Galliam Legatus, in sua Albiensi Synodo statuit: *Pueri à septennio & supra* (Cap. 18.) *ad Ecclesiam à Parentibus adducantur diebus Dominicis & festivis, ut in fide Catholica instruantur, atque Credo in Deum, & Pater noster & Salutationem Beatæ Virginis addiscant.* Isto igitur tempore Angelica Salutatio, non minus quam Apostolicum Symbolum ac Dominica Oratio memoria tenebatur ab omnibus fidelibus, & quotidie recitabatur. Et Zoenus hujus pietatis non fuit primus auctor, sed executor dumtaxat & propagator. Prænominatus Juvenis, qui circa sacram Lanceam commisit mendacium, vixit sub Urbano

secundo, & omnium antea cognitorum fuit oblitus, præter *Pater noster*, *Credo in Deum*, *Gloria in excelsis*, *Magnificat*, & *Benedictus*: proinde Ave Maria aut ignoravit antea, aut fuit etiam oblitus, & sic ista in Deiparam Virginem pietas necdum vigebat. Igitur vigere cœpit medio tempore intra dictum Urbanum, ac Innocentium. Ignoro Auctorem. Sanctus Dominicus fuit magnus illius propagator.

Epist.24. Zoenus Episcopus rectè sanxit pueros septennes omnibus Dominicis ac festivis diebus deduci ad Ecclesiam & circa necessarios Fidei articulos erudiri. Est Apostolicum institutum. Etenim in litteris ad suum Clerum Sanctus Cyprianus scribit: *Optatum inter lectores Doctorum audientium constituimus.* Et in sua adversus Sanctum Hieronymum Invectiva Presbyter Ruffinus habet de Eusebio Aquilejensis Ecclesiæ Diacono: *Pater mihi & Doctor Symboli ac fidei fuit.* Et librum de Catechizandis rudibus Sanctus Augustinus scripsit ad Deo-gratias Diaconum & Catechistam Carthaginensis Ecclesiæ. Et inter antiquas Constantinopolitanæ Ecclesiæ Dignitates, est officium Catechistæ. Adeò illic eminens semper fuit istud officium. Rationem dat in tertia super primam ad Corinthios epistolam homilia Episcopus ejusdem Ecclesiæ Sanctus Joannes Chrysostomus, Apostoli verbum: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*, commentans: *Quod erat laboriosus, & multa indigens perpessione & tolerantia, & ferreo animo, & quod omnia continebat, hoc erat. Et ideo id tractabat Paulus. Et quamnam ob causam non missus ad baptizandum baptizabat? non pugnans adversus eum qui miserat, sed hoc faciens ex abundantia. Non enim dixit se esse prohibitum, sed ad hoc non esse missum, verum ad rem maximè necessariam, nam Evangelizare quidem est unius & alterius, baptizare autem est cujuslibet præditi Sacerdotio. Nam nunc quoque simplicioribus Presbyteris hoc munus mandamus, Verbum autem ad docendum pertinens sapientioribus. Illic enim & labor & sudor. Quando Catechesi sunt imbuendi & instituendi infideles, multo labore, & multa opus est sapientia.* Ex quo vides Constantinopolitanæ tunc ac omnis Orientalis Ecclesiæ Catechistas non fuisse Diaconos aut lectores, sed sapientiores Presbyteros. Etenim & Charisius Philadelphiensis Ecclesię in Lydia Presbyter, qui blasphemum Theodori Mopsuestiensis Episcopi Symbolum accusavit apud Ephesinam Synodum, videtur fuisse Catechista ejusdem Ecclesiæ: & Antonius ac Jacobus, qui istas blasphemias ubique catechizabant, erant Presbyteri. Quin immo quidam Constantinopolitani voluerunt Catechismum esse solius Episcopi officium, & omnem tam in civitate, quam in oppidis ac pagis populum ab illo solo baptizandum. Adversum illum declamat in nova super epistolam ad Corinthios Homilia Sanctus Joannes Chrysostomus: *Apud Apostolos non ita erat, sed assiduè transiliebant eos, qui prius discebant, constituentes Magistros aliquorum aliorum, qui discebant: Sic potuerunt obire orbem terræ, quando uno loco non essent alligati. Quàm multos nostros fratres, qui sunt in agris, & eorum magistros, existimatis indigere doctrina? Sed vos me tenetis adfixum. Nam, priusquam caput rectè sit adfectum, est supervacaneum ire ad reliquum corpus. Omnia in nos congeritis, oporteret vos à nobis discere, uxores autem à vobis, filios à vobis. Sed nobis omnia relinquitis, propterea magnus est labor.*

Discimus hinc varia. Primò quod Catechistæ officium sit omnino Institutum Apostolicum. Secundò quod istud officium principaliter spectet ad Episcopum, & non nisi ob ejus apud omnes exequendi impossibilitatem imponatur aliis. Tertiò quod Pagenses Ecclesias visitans Episcopus teneatur catechizare, & earumdem Clerum docere. Quartò quod ante omnia teneatur catechizare Populum suæ Civitatis. Quintò, quod Constantinopolitanus Populus tunc non fuerit bene catechizatus. Etenim pessime per Constantinopolitanam Synodum ejecto, qui illum Populum ab Ario ad Christum Dominum ducere & recta docere cœperat, optimo Nazianzeno Gregorio successit Nectarius, homo Catechumenus & vanus, ideoque ejus successor Sanctus Joannes Chrysostomus inter varios istius Ecclesiæ morbos invenit Populum ignorantem. Sextò discimus quod non solum Episcopus aut Presbyter, sed etiam quisque Paterfamilias obligetur suam familiam catechizare. Quod ipsum Joannes docet in aliis locis. Docet quemvis familiasPatrem esse suæ domi quasi Episcopum, ideoque ad istud officium obligari. Se puerum etiam ab Avia sua Macrina fuisse catechizatum, vobis supra dixit Sanctus Basilius, quæ omnia tradunt etiam alii Patres, ac plurimi quorumvis sæculorum Canones. Beatus Pontifex Pius quintus jussit ubique institui Christianæ doctrinæ Confraternitates, & ipsas munivit magnis privilegiis.

CAPUT SEXTUM.

Solemnis ad Missam decantatio Symboli.

Quæstio est, quando Symbolum cœperit legi & cantari ad Missam? In suis ad Sanctum Irenæum Scholiis Joannes Fevardentius existimat id esse Apostolicum institutum, eo quod Sancti Jacobi Apostoli Liturgia ita jubeat. Longè aliter in Animæ Gemma scribit Honorius Augustodunensis: *Credo in unum Deum, Constantinopolitana Synodus composuit, sed Damasus Papa ad Missam cantari instituit.* L.1. c.88. Quod ipsum scribunt Stephanus Augustodunensis Episcopus, Hugo de Sancto Victore in opere de Sacramentis, ac in libris de Missæ sacrificio Innocentius tertius. In opere de Ecclesiasticis observationibus, Radulphus Tongrensis Ecclesiæ Decanus, Nicænum à Sancto Marco Pontifice, Constantinopolitanum Symbolum vult Propos. 23. jussum cantari à Sancto Damaso. Quod ipsum censet in eruditis ad Græcorum Euchologiam Scholiis Jacobus Goar: *etsi Sanctus Marcus Papa Sylvestri successor in universa Ecclesia Symbolum Nicænum recitari jusserit, quia tamen aut laudanda illa consuetudo in Occidentali ejus portione interrupta videbatur, aut saltem rarius quam par esset canere-*

caneretur, *visum est ideo Concilii Toletani tertii Patribus*, *ut per omnes Hispaniæ & Galliæ Ecclesias*, *Orientali more Constantinopolitanum Symbolum recitaretur*. Et suam assertionem firmat auctoritate Josephi vice Comitis. Istud ipsum in Apologetico pro Florentina Synodo adversum Marci Ephesini Archiepiscopi calumnias responso docet Josephus Methonensis Episcopus: *Schisma centum post septimam Synodum annis ortum est Auctoribus Michaele Imperatore & Photio Patriarcha*, *Symbolum verò post secundam Synodum Romana canebat Ecclesia*, *sicut hodie canit*, *teste Georgio Aristino*, *ut diximus*. Ejus superiora verba, sunt hæc: *Non solùm ante Schisma Ecclesiarum appositum erat Symbolo*, *sed ante ipsas Synodos Oecumenicas*, *septimam dico*, *& sextam*, *ut testatur Confessor maximus in Epistola ad Marinum Presbyterum Cyprium*. *Nec ante illas tantùm*, *sed mox à secunda Synodo*, *tempore Damasi Papæ*, *ut asserit Georgius Aristinus Historicus*. Etiam infra scribit: *Dogma hoc utique Sancti Spiritus processio à Patre & Filio*, *non est novum*, *cùm usque à secunda Synodo sit & cantetur in Romana Ecclesia*. Affirmat duo. Primò quod contentiosum Symboli additamentum Papa Damasus fecerit, atque ita Constantinopolitanum Symbolum correxerit. Secundò quod Symbolum cum isto additamento cantari jusserit. Videtur supponere, atque asserere quod Symboli Romana ad Missam decantatio sit Sancto Damaso antiquior.

Lib. 6. cap. 15. At certum est omnes errare. Etenim de hac re scribit in originum libro Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis: *Secunda Synodus dedit Symboli formam*, *quam tota Græcorum & Latinorum confessio in Ecclesiis prædicat*. Et in Chronico: *Justinus Minor ea*, *quæ adversus Synodum Chalcedonensem fuerant edita*, *destruxit*, *& Symbolum centum quinquaginta Patrum Sacrificii tempore concinendum populo præcepit*. Et in pri-

Cap. 16. mo de Ecclesiasticis officiis libro: *Symbolum quod tempore Sacrificii populo prædicatur*, *Sanctorum Patrum trecentorum decem & octo collatione apud Synodum Nicænam est editum*. Et de Petro Cnapheo, qui sub Zenonis Imperio Antiochenam

Lib. 2. invasit Ecclesiam, scribit Georgius Cedrenius: *Petrus Cnapheus fuit primus auctor*, *ut in mysticæ sinaxeos celebratione quavis Symbolum fidei recitaretur*, *cùm id tantum in magna parasceve diceretur*. Et in Collectaneis scribit Theodorus Lector: *Petrum Cnapheum ut in quavis Synaxi Symbolum diceretur excogitasse*. Verbum, *excogitasse*, sonat vituperium, quod nempe Petrus fuerit fœdissimus Eutychianista. E de Timotheo in Macedonii Secundi Constantinopolitanam Cathedram intruso Eutychianista per Imperatorem Anastasium addit Theodorus: *Timotheus ab amicis rogatus Symbolum fidei trecentorum decem & octo Patrum per singulas Synaxes dici curavit*, *ad reprehensionem videlicet Macedonii*, *quasi ille Symbolum hoc non receperit*, *cùm antea semel tantùm in anno*, *in Parasceve scilicet Dominicæ passionis tempore quo Episcopus Catechizabat recitatum esset*. Et in Ec-

Lib. 15. cap. 28. clesiastica Historia Nicephorus Calixtus: *Petrum Cnapheum reperisse dicunt*, *ut Symbolum Sanctum*, *quod semel tantum antea magno & sancto Parasceves die dici solitum fuerat*, *in Synaxi & Conventu Ecclesiæ quovis decantaretur*. Et in alio ejusdem operis libro, nonnulli, *ut Macedonium*, *perinde atque trecentorum illorum Symbolum non comprobarit*, *calumniarentur*, *Timotheum Constantinopolitanum Episcopum*, *non Petrum Cnapheum instituisse dicunt*, *ut in Synaxi & Conventu Ecclesiastico quovis Symbolum id diceretur*, *quod antea semel tantùm anno quolibet Parasceves Passionis Sancto die in Ecclesia legi solitum fuerat*, *cùm Episcopus primas Religionis nostræ institutiones docere oporteret*.

Ex quibus cunctis inter se collatis testimoniis discimus varia. Primò quod olim Orientales Episcopi in magna Parasceve omnibus competentibus exposuerint Symbolum. Secundò quod exponendum ab illis Symbolum fuerit antea solemniter recitatum. Similem morem fuisse olim in Romana, aut sanè in Gallicana Ecclesia lucet ex antiquo Romano ordine, qui quarta quartæ quadragesimalis septimanæ feria mandat Symboli expositionem inchoari ab Episcopo, aut Presbytero, & ante omnia Constantinopolitanum Symbolum solemniter per Acolythum recitari: ipsum recitari jubet, non ut discatur à Catechumenis, sed ut ipsis per Sacerdotem exponatur. Fuit mox Gallicanus potius quàm Romanus. Quando in Gallia cœperit, & an apud Orientales sit Apostolicus, aut saltem antiquissimus, ignoro. Tertiò discimus quod Nicænum Symbolum solemniter cantari ad omnem Liturgiam primus in Antiochena Ecclesia ac Diœcesi jusserit fædus Eutychianista Petrus Fullo. Quartò quod eundem ritum in Constantinopolitanam Ecclesiam ac Diœcesim invexerit ejusdem Patriarcha Timotheus. Etenim Eutychianistæ admiserunt solum Antiochenum Symbolum adversus Patriarcham suum Apollinarium; facta per Constantinopolitanam Synodum additamenta pertinacissimè refutarunt, ideoque non hujus, sed istius Symboli solemnem cantum induxerunt. Hinc Timotheus illud fecit *ad reprehensionem Macedonii*, *quasi ille Symbolum hoc non receperit*. Et Constantinopolitanum Symbolum, & Chalcedonense fidei decretum de Nicæni Symboli prævaricatione arguebat Eutychiana perfidia, & utriusque constantissimus defensor fuerat Macedonius. Hinc ad ejus reprehensionem Timotheus cantari jussit Symbolum Nicænum. Sextò discimus, quod Imperator Justinus secundus ritum partim probarit, partim alterarit, & jusserit traduci in omnem Orientalem Ecclesiam. Ejus institutum & scopum elucidat in Chronico Joannes Abbas Bicharensis: *Justinus anno primo Regni sui ea*, *quæ contra Synodum Chalcedonensem fuerant commentata*, *destruxit*, *Symbolumque Sanctorum centum quinquaginta Patrum Constantinopoli congregatorum*, *& in Synodo Chalcedonensi laudabiliter receptum*, *in omni Catholica Ecclesia à Populo concinendum intromisit*, *priusquam Dominica dicatur oratio*. Et Eutychianæ blasphemiæ, & ex ipsa nati Acaciani Schismatis cunctas, quæ post Justini primi, & Justiniani Imperatorum labores hinc inde restabant, reliquias destruxit, & ad plenè eradicandas, non amplius Nicænum, sed deinceps Constantinopolitanum Symbolùm jussit in omni Orientali Ecclesia cantari. Ita occultos hinc inde Eutychianistas voluit constringi, prodi, & expelli ab Ecclesiis. Et-

enim uti Arianus Nicænum, ita Eutychianus nunquam cantavit Symbolum Constantinopolinum; ac dicta Sancti Isidori, Theodori Lectoris, Georgii Cedreni, ac Nicephori Calixti testimonia debent hoc modo conciliari. Et hinc lucet Sancti Jacobi, Sancti Basilii, Sancti Joannis Chrysostomi, & aliorum Græcorum Patrum antiquas, in quibus hodie jubetur Symboli decantatio, liturgias esse quidem legitimas, sed auctas & alteratas. Plura præter Symbolum sunt illis à posterioribus Episcopis ingesta additamenta.

Prima inter Latinas Ecclesias Hispania admisit istum morem. Etenim tertia Toletana sub Richaredo Rege celebrata Synodus statuit: *Pro reverentia Sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi & gloriosissimi Domini nostri Richaredi Regis Sancta constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Galliæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum fidei recitetur, ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara id populo decantetur, quò & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant.* Quod decretum firmavit octava Toletana, Synodus Emeritensis, tertia Braccarensis, Toletana duodecima, decima tertia, ac decima quarta. Richaredus adduxit tres suæ pietatis rationes; Primò quod novella Gothorum fides esset ita firmanda: usque tunc suum Ariani Gothi, & Nicænum & Constantinopolitanum Symbolum pessimè oderant; hinc ipsum piissimus ac prudentissimus Rex censuit deinceps ab ipsis solemni cantu profitendum. Secunda ratio fuit mos Orientalis Ecclesiæ. Gothi enim à Constantinopolitana Ecclesia acceperant Christianitatem, ex Oriente venerant in Hispanias, plures Orientalis Ecclesiæ mores semper dilexerant & constanter servabant: hinc & solemnem Symboli cantum Richaredus probavit, & duxit adsumendum. Tertia ratio erat necessaria sumendæ Eucharistiæ pietas. Eucharistia enim dignè non potest sumi nisi per fidem ipsam, & charitatem. Fidem in Symbolo, spem & charitatem exercemus in oratione Dominica. Hinc non solummodo hanc, sed & istud Richaredus rectè sensit communicaturo populo decantandum.

Eadem de re scribit in libro de Ecclesiasticis rebus Walafridus Strabo: *Symbolum fidei Catholicæ rectè in Missarum solemniis post Evangelium recensetur, ut per Sanctum Evangelium,* utique à Diacono cantatum, & auditum à populo, *corde credatur ad justitiam,* per cantatum autem à populo Symbolum, *ore confessio fiat ad salutem. Et notandum Græcos illud Symbolum, quod nos ad imitationem eorum intra Missas adsumimus,* potius quàm alia, *in cantilenæ dulcedinem Deo transtulisse, quia Constantinopolitani Concilii proprium est, & fortasse aptius videbatur modulis sonorum, quàm Nicænum, quod tempore prius est; & ut contra Hæreticorum venena, in ipsis etiam Sacramentorum celebrationibus, medicamenta apud Regiæ suæ Urbis sedem confecta, fidelium devotio replicaret. Ab ipsis ergo ad Romanos ille usus creditur pervenisse. Sed* (Cap. 22.)

apud Gallos & Germanos post dejectionem Felicis hæretici, sub gloriosissimo Carolo Francorum Rectore damnati, idem Symbolum latius & crebrius in Missarum cœpit officiis iterari. Concilio quoque Toletano statutum est, omni Dominica idem Symbolum, secundum morem Orientalium Ecclesiarum recitari. Habemus hinc dico, primò quod Orientalis ad omnem liturgiam, Hispana autem Ecclesia solis diebus Dominicis jusserit recitari Symbolum. Hæc enim illud esse populo voluit præparativum ad sumendam Eucharistiam: Et hæc tunc sumebatur singulis dumtaxat Dominicis. Secundò habemus, quod Hispana Ecclesia illud recitari jusserit statim post Evangelium, ideoque labi illos, qui existimant fuisse cantari jussum proximè ante Communionem: nam & taliter illud decantavit Orientalis Ecclesia. Ratio, ex qua Constantinopolitanum potius cantari quàm Nicænum censet Walafridus Strabo, est frivola. Porrò & Sanctus Isidorus & Hispanæ Synodi nunc Nicænum cantari jubent, nunc Constantinopolitanum: quod nempe sint unum ac idem, & differant solis additamentis. Porrò laudatus Isidorus dicens hanc confessionem in Græcorum & Latinorum Ecclesiis iterari, per Latinas Ecclesias intelligit solas Hispanas. Ejus enim tempore, nec Romana, nec Italica, nec Germanica, nec Gallicana Ecclesia cantabant Symbolum.

Etiam Walafridus Strabo, dicens illum usum à Græcis venisse ad Romanos, circumscribitur, ac labitur. Certum enim est, quod isto tempore Romana Ecclesia nedum ad Missam decantaret Symbolum. Lucet ex Leonis tertii Pontificis cum Caroli Magni Legatis disceptatione de famoso ad Symbolum Constantinopolitanum additamento, & ejus solemni ad Missam cantu: Legatio dixit ad Leonem: *Numquid non à te idipsum Symbolum est data in Ecclesia cantandi licentia? Numquid à nobis huc usus ille cantandi processit? Hinc eum illuc mos idem cantandi non à nobis huc advenit. Et quomodo illud usque hodie cantamus?* Et Papa respondit: *Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando quidpiam addendi, minuendi, seu mutandi. Et ut expressius aliquid, quia vos cogitis, loquar, quamdiu vobis in hoc satis fuit, quomodo in hujuscemodi cantando vel celebrando Sacrosanctis mysteriis Sancta Romana tenet Ecclesia, nequaquam aut nobis in talibus laborare, aut aliis laborandi occasionem necesse fuit ingerere. Quod vero adseritis ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docemus, nec tamen legendo aut docendo addere quippiam eidem Symbolo inserendo præsumimus.* Additamentum esse omnino expungendum Pontifex constanter adfirmat, ac jubet; & pergunt Legati: *Quamquam ergo ut supra ipse dixisti quæritur, quod quæritur, sublatis his quæ vultis, bonum est ut idem Symbolum cantetur.* Et Papa: *Bonum sanè, quod tamen non imperando, sed ut prius permittendo dicimus: Quia illud sicuti tunc, ita & nunc, si sincerè agatur, utile indigentibus esse posse non ignoramus.* Et in hoc circa additamentum perplexo consilium postulantibus Legatis Papa reposuit: *Si priusquam ita cantaretur*

inter-

interrogatus essem, ne insereretur utique respondissem. At nunc, quod tamen non adfirmando, sed vobiscum pariter tractando dico, quantum menti occurrit, ita mihi videtur posse utrumque fieri: ut paulatim in Palatio, quia in nostra Sancta Ecclesia non cantatur, cantandi ejusdem Symboli consuetudo intermittatur, sicque fiat, ut quod id ipsum ut cantaretur non quælibet imperantis auctoritas, sed potius audiendi id fecerat novitas, si dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus: Et ita fortasse, quantum esse potest, non incongruè utrumque fieri possit, ut quod jam nunc à quibusque prius nescientibus, rectè creditur, credatur, & tamen illicita cantandi consuetudo sine cujusque fidei læsione tollatur.

Ex his etiam verbis discimus varia. Primò, quod tunc Regia Francorum Capella ad Missam cantaret Symbolum, & quidem cum famoso additamento de Processione Spiritus Sancti. Secundò, quod istum cantum Capella hæc non induxerit in Gallias, sed acceperit ab aliis Gallicanis Ecclesiis. Tertiò quod hanc novitatem attentare non præsumpserit sine facultate & auctoritate Romanæ Ecclesiæ. Tanta tunc ibi erat, utique plantata per Sanctum Bonifacium, reverentia in Sedem Apostolicam. Quartò discimus, quod istam facultatem Romana Sedes dederit, permittendo tamen, non jubendo. Quintò quod istum cantum probarit ac judicarit utilem. Sextò, quod ipsa illum tunc necdum haberet. Septimò, quod Symboli additamentum omninò improbarit & voluerit expungi. Octavò, quod maluerit omitti cantum Symboli, quàm ipsum cantari cum additamento. Nonò, quod Leo Pontifex illius cantus omissionem suaserit inchoari à Capella Regia, atque ita traduci ad alias Francorum Ecclesias. Verùm Gallicani Episcopi non probavere consilium: Perrexerunt cantare Symbolum, & ritum traduxerunt ad omnem Francorum Monarchiam, ad omnem Galliam, atque Germaniam: etiam Symboli additamentum. Et tunc indignatus Leo Pontifex, in Sancti Pauli Ecclesia fixit famosas Tabulas, in quibus & Græcè & Latinè jussit insculpi Constantinopolitanum Symbolum sine additamento. Ita solemnissimè professus fuit Romanam Ecclesiam istis novitatibus non cõsentire.

Quæstio est quando, & qua occasione Francorum Ecclesia cœperit cantare Symbolum? Respondeo cantus originem posse colligi ex litteris Beati Alcuini Flacci ad Lugdunensem Ecclesiam. *Novas Hispanici erroris sectas tota vobis cavete intentione. Sanctorum Patrum in fine sequimini vestigia, & universali Ecclesiæ sanctissima vos adjungite unitate. Scriptum est: terminos Patrum tuorum ne transgrediaris. Et Symbolo Catholicæ fidei nota nolite inserere. Et in Ecclesiasticis officiis inauditas priscis temporibus traditiones nolite diligere: per Apostolicæ doctrinæ publicum pergite stratum: nec per diverticula cujuslibet novitatis in dextram vel sinistram à via regia declinate.* Hæc ultima de inauditis nobis in Ecclesiastico officio traditionibus omnino videntur notare cantum Symboli. Insignem in Hispanias adversum Saracenos expeditionem fecit magnus Carolus: & non modico tempore istic hæsit. Erat comitatus multis Episcopis, inter quos & Turpinus Remensium Metropolita. Hi illic audierunt cantari, & quidem cum additamento, Constantinopolitanum Symbolum, aliosque à Gallicanis diversos viderunt ritus, & probaverunt. Detulerunt in Gallias, & suis Ecclesiis quidam imposuerunt, obstantibus aliis, & suadentibus suis Ecclesiis, ut & has novitates refutarent, ac manerent in moribus Romanæ Ecclesiæ, ut pote plantatis & firmatis nuperrimè per Apostolum Bonifacium. Hæc omnino videtur esse prima origo istius cantus. Nec refert quod Beatus Alcuinus in libro de Ecclesiasticis officiis affirmet & laudet Symbolum prædicari ad Missarum solemnia. Etenim liber iste non est Alcuini, sed recentioris, qui post firmatum Symboli cantum scripsit in Gallia, Auctoris. Alibi id est abundè demonstratum.

Epist. 69.

Hæc omnia confirmat Magni Caroli Legatio in laudato colloquio cum Leone tertio Pontifice: *Secundum hujus temporis qualitatem, imbecillitatem fratrum nostrorum charitate compatientes, illud quærimus, in eo laboramus, ut quia Mundi finis appropinquat, in quo, sicut prædicta sunt tempora periculosa, etiam ideo inter cætera maximè fratribus nostris prodesse valeamus. Quò ergo fideles in Domino in Sacramento fidei reddere studeamus, & idcirco quia præfatum Symbolum à quibusdam ita cantari reperimus, & quod id Ecclesiasticæ congruere fidei sicut sentimus, utique cognovimus, atque per hoc & nunc jam plurimos doctos, & sine fine usque in finem sæculi de tanto mysterio, si ita teneatur, instituendos esse cognovimus, melius nobis visum fuit cantando tantos instruere, quàm tacendo indoctos relinquere. Si enim sciret Paternitas tua, quanta sunt hodie millia id scientium quia cantatur, qui nunquam scituri essent nisi cantaretur; fortasse nobiscum teneres, & id tuo etiam consensu, ut cantaretur, acquiesceres.* Merovingorum Regum ignavia, & Caroli Martelli in Ecclesiasticas possessiones rapina, omne sacerdotale Ministerium extinxerant in Francia, atque ita miserabilis, de qua questa est etiam postmodo sexta Parisiensis, necessariorum ad salutem articulorum ignorantia per Sanctum Bonifacium non potuit plenè extingui. Constantinopolitanum præsertim Symbolum est omnium istorum optimum compendium: hinc illud, quia & quibusdam aliis cantabatur, etiam apud se cantandum, & populum cantando docendum censuerunt, atque sanxerunt Francorum Episcopi. Per istos *quosdam* omnino intelliguntur Hispani: sicut ex verbis: *Ita cantari*: id est, cantari cum additamento. Eo enim tempore nulla Latina Ecclesia cantabat Symbolum, penitus nulla addebat illi, nisi Hispana sola.

Eisdem annis cœperunt quidam Græci circa sancti Spiritus Processionem contumaciter delirare, & ista de re scribit in Chronico Ado Archiepiscopus Viennensis: *Synodus magna Grani-Aquis congregatur anno Incarnationis Domini octingentesimo nono, in qua Synodo de Processione Spiritus sancti quæstio agitur, utrum sicut procedit à Patre, ita procedat à filio. Hanc quæstionem Joannes Monachus Hierosolymitanus moverat, cùm Regula & fides Ecclesiastica firmet Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere non creatum, non genitum, sed Patri & Filio coæternum & consubstantialem.* Et Regino

gino Abbas scribit ad eundem annum: *Imperator de Ardenna Aquas reversus mense Novembris Concilium de Processione Spiritus sancti habuit. Quam quæstionem Joannes Monachus quidam Hierosolymis primò commovit. Cujus definiendæ causa Bernarius Episcopus Wormatiensis, & Adalardus Abbas Monasterii Corbejæ, Romam ad Leonem Papam missi sunt.* Quis fuerit iste Joannes Monachus, quo anno errorem sparserit Hierosolymis, & an ipse, an quis ejus discipulus illum detulerit in Franciam, ignoro. Interim oppressis per Saracenos Orientalibus Ecclesiis grandes eleemosynas tunc misit Magnus Carolus, & ista occasione Græcorum Clerici, & Monachi venerunt frequentes in Franciam. Existimo hanc fuisse primam cantandi in Francia Symboli originem, & hunc cantum non dumtaxat ad erudiendum, sed etiam ad muniendum adversus ista venena imperitum populum fuisse introductum. Certum est non fuisse factum, nisi post mortem Sancti Bonifacii. Quomodo enim ille in alienum à Romana, quam unicam plantare in Francia fuerat solemniter Romæ ad Corpus Sancti Petri professus, disciplina Ritum consensisset? Hæc interim novitas fuit inducta de consensu Sedis Apostolicæ. Verùm cum aliquo excessu. Inductus enim fuit plenus Hispanæ Ecclesiæ mos, cantans Symbolum cum famoso additamento. Nec sine fundamento. Ita enim cantari exegit hæresis istius Græci Monachi. Et quoniam Alcuinus Flaccus, & magni Francorum alii Doctores potenter recalcitrabant, istam Aquensem Synodum celebrari voluit Imperator Carolus, Romamque legavit Bernarium Episcopum, & Adalardum Abbatem, non ob istius dogmatis, de quo nulla erat apud Latinos cespitatio, sed ad istius novi cantus quæstionem definiendam. Regino Abbas involutè loquitur. Forsan ex studio, ne Franciæ Ecclesiæ revelet contumaciam adversus Romanam Ecclesiam. Hæc omnia lucent ex disceptatione Bernarii, & Adalardi cum Leone tertio Pontifice. Nec tum de dogmate, sed de solo additamenti cantu disceptarunt. Successit Felicis Urgellitani Episcopi, ac Eligendi Primatis Toletani Nestoriana Hæresis. Et quod adversus ipsam plures Francorum Ecclesiæ cœperint cantare Constantinopolitanum Symbolum supra nobis dixit Walafridus Strabo. Et jure meritò. Quod Nicænum Symbolum non tantùm contra Arianos, sed contra omnes eo usque natas hæreses, sit decretum, ac descriptum, testantur Magnus Athanasius, & in Apologeticis pro eodem Athanasio libris Lucifer Calaritanus Episcopus. Quod Nestorianam, quæ tunc sub aliorum errorum nominibus grassabatur, Hæresim singulariter destruxit, frequenter ac insigniter demonstrat Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Quæ omnia sunt omnino vera, etiam de Symbolo Constantinopolitano. De hocce habet in suo adversum Græcorum Photianas calumnias opere Æneas Parisiensis Episcopus: *Fides Catholica, quam die Dominica decantat ad Missam Universalis Galliarum Ecclesia.* Floruit ille, & scripsit sub Regno Caroli Calvi. Tunc ergo omnis Gallia Symbolum, & quidem cum additamento, solemniter ad Missam decantabat. Disertè id Æneas adfirmat: cantabat in sola, & omni Dominica, ad morem Hispanorum. Hæc tamen Æneæ verba: *Universalis Galliarum Ecclesia*, sunt cum salis grano accipienda. Lucet ex Walterii Aurelianensis Episcopi Capitulari, cunctis istius Parochiæ pagensibus Ecclesiis mandante? *Credo in unum Deum, apud omnes ad missam decantetur.* Edictum hoc altè clamat Symbolum tunc in cunctis Pagis non fuisse cantatum: quod nempe quidam ab avito more nollent recedere. Et Walterius fuit Æneæ Coætaneus. Cantus tamen ille pedetentim ad omnes etiam pagos pervenit.

Nec solummodo in Gallias, sed etiam in Germaniam, Longobardiam, ac omnem suam Monarchiam Carolus Magnus, ac ejus posteri hunc morem introduxerunt. Etenim Veronensis in Longobardia Episcopus Ratherius in Synodica ad suum forensem Clerum Epistola mandat, ut omnes memoriter sciant tria fidei Christianæ Symbola: Symbolum Apostolicum, Symbolum Sancti Athanasii, & Symbolum quod cantatur ad Missam. Quod ipsum repetit in suo Romano Itinerario. Statim post extinctum Magni Caroli in Imperio genus sub Hugone Italiæ Rege vixit Ratherius, nec ipse illum cantum induxit in Italiam. Eum igitur illic invenit plantatum, aut ab ipso Carolo, aut ab ejus filio Ludovico Pio, aut à nepote Lothario, aut à secundo Ludovico hujus filio. Hi cuncti studuerunt subjectas sibi Ecclesias cogere ad eundem per omnia ritum. Notanda sunt Ratherii de Apostolico Symbolo verba: *Sicut in correctis Psalteriis invenitur.* Evincunt hodiernum, quo Constantinopolitanum ad solam Missam, Athanasianum ad primam, Apostolicum Symbolum recitamus ad alia Divini Psalterii seu Breviarii officia, morem esse satis antiquum. Per Imperatoris Leonis Isauri, qui omnem Illyricanam Diœcesim, ac omnes Italiæ ad Orientale tunc Imperium spectantes Provincias in Patriarchicam Constantinopolitani Episcopi potestatem transcripsit, violentiam pleræque istæ Provinciæ admiserunt Græcorum Ritum in Divinis officiis: quædam ex integro, quædam mixtim. Quod enim etiam Neapolitana, Romæ vicina, Ecclesia nono Christi Domini sæculo habuerit duplicem Episcopum, duplicem tam Regularem quàm sæcularem cum suo Populo Clerum, duplicemque in Divinis officiis Ritum, Latinum utique & Græcum, habes in vita Sancti Athanasii Episcopi Neapolitani. Proinde omnium istarum Ecclesiarum Græcizantes fideles ad Missam Græco ritu omnino decantabant Symbolum. Et hæc est vera ratio, cur isti Italiæ Populi etiamnum hodie libenter græcizent. An & Latini tunc Symbolum cantarent, ignoro. Existimo non cantasse, nisi post illic stabilitum Francorum Imperium, post expulsos Longobardos.

Porrò Romana Ecclesia, licèt tunc necdum cantaret Symbolum, ejus tamen cantandi passim dabat facultatem. Hanc uti Francis dedit, ita & Moravis, atque Bohemis. Etenim de ipsorum Archiepiscopo Sancto Methodio scripsit ad eorumdem Principem Sfeuto-pulchrum: *Hunc Methodium Venerabilem Archiepiscopum vestrum interrogavimus coram positis fratribus Episcopis, si ortodoxæ fidei Symbolum ita crederet, & inter sacra* Epist. 241.

Missæ

Missarum solemnia caneret, sicut Sanctam Romanam Ecclesiam tenere, & in Sanctis sex Universalibus Synodis à Sanctis Patribus, secundum Evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem, promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est se juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, sicuti Sancta Romana Ecclesia docet, & à Patribus traditum est, tenere & psallere. Hæc omnia probavit Joannes Pontifex, & una cum Methodii Episcopatu firmavit. Notanda sunt verba, *Sicut Sanctam Romanam Ecclesiam tenere constat*. Non additur, *Et psallere*: quia scilicet usque tunc Romana Ecclesia Symbolum non cantabat. Sanctus Methodius erat ex illis Episcopis, qui in famosa de Bulgarorum Provinciis lite fuerat adversus Constantinopolitanam Romanæ Ecclesiæ, atque ita vel sponte deseruerat Bulgariam, vel à Sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano fuerat ejectus. Hinc cum Sancto Cyrillo Monaco cœpit prædicare Moravis, ac Bohemis, ex Barbaris fecit Christianos, Græco more cantavit illis Symbolum ad Missam, Divina officia celebravit in lingua Sclavonica, atque ita Romanæ Ecclesiæ se reddidit suspectum. Evocatus purgavit sua Acta, atque ita Joannes octavus probavit Symboli cantum, dummodo tamen cantaretur, sicuti illud tenebat Romana Ecclesia: hoc est, sine facto per Hispanos & Francos additamento. Vicinam Bavariam tunc possidebant Franci: hinc Pontifex timuit, ne Methodius additamentum inde mutuaretur.

Restat quæstio, quando Romana Ecclesia solemnem Symboli in Sacrificio cantum admiserit? Incognitus & Schismaticus libri de Latinæ & Græcæ Ecclesiæ separatione Auctor scribit additamentum fuisse à Francis Hæreticis injectum Symbolo, ab illis valde vexatam Ecclesiam, adversum illos argentea scuta per Leonem tertium erecta, & adjungit de Benedicto tertio: *Post Leonem hunc Benedictus videns & ipse à prædictis affligi maximis incommodis, Populum Græcè & Latinè cantari Symbolum constituit. Præterea ad quatuor Patriarchas dedit litteras, ne imposterum Romanos Pontifices admitterent, nisi prius ab eisdem accepta Sacri Symboli professione, quemadmodum Sanctæ Oecumenicæ Synodi tradiderunt.*

Utique sine additamento; ac hominem errare, ac Latinarum rerum esse imperitum evincit vel sola Joannis octavi jam laudata Epistola. Veritatem nobis exponit in libro de quibusdam ad missam spectantibus Venerabilis Augiensium Abbas Berno: *Romani Symbolum post Evangelium usque ad hæc tempora Divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram adsistente audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, sed secundum Sancti Petri doctrinam in Catholica fide permaneret inconcussa, & ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea desiit, quam omnium consensu Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servaverit adhuc affirmare non possumus, quia certum non tenemus.* Persuasit ipsum non ad singulas recitari, sed ad solas solemnes Missas cantari. Imperator Henricus Sanctus persuasit Benedicto Octavo Pontifici, in die suæ Augustæ Coronationis, Domini anno post millesimum decimo quarto. Et exinde Romana Ecclesia constanter cantavit Symbolum. Ac tantùm singulis Dominicis, & quibusdam festivis diebus recitare cœpit etiam ad privatas Missas. Etenim Bernoni Coætaneus, qui Romanæ Ecclesiæ præsertim Ritus exponit, Guido Abbas Micrologus scribit in libro de Ecclesiasticis observationibus: *Credo in unum, juxta Canones, in omni Dominica & in omnibus Dominicis solemnitatibus, item in festis Sanctæ Mariæ, & Apostolorum, & Sanctæ Crucis, & omnium Sanctorum, & dedicationis, decet cantari, nec immeritò, nam & de iis singulis in eodem Symbolo aliqua reperitur commemoratio.* Hinc discimus primò, quod nescio quis inter Benedictum octavum, & Gregorium septimum, Pontifex de cantando Symbolo ediderit generalem canonem. Secundò, quod illud cantari jusserit. Tertiò, quod id jusserit in omnibus festivitatibus, quorum in Symbolo est aliqua memoria.

Cap. 2. [margin]

Decretum Fidei, seu Symbolum.

CUncta generalium Synodorum de fide adversus tunc grassantem hæresim decreta titulare fidei Symbola apud antiquos non fuit insuetum. Etenim in litteris ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum scripsit de Attico Presbytero, ab Eutychianismi suspicionibus purgando, Sanctus Leo Pontifex: *Chalcedonensis Symboli de fide definitionem profiteatur.* Et in Constantinopolitana Synodo ad Joannem secundum Patriarcham, & Imperatorem Justinum primum exclamavit omnis Constantinopolitanus populus, *Symbolum Chalcedonense modo prædica.* Acta extant in Synodo Mennæ Patriarchæ. De Chalcedonensis Synodi Episcopis ad Imperatorem Constantinum quartum scripsit etiam Mansuetus Archiepiscopus Mediolanensis: *Sancti Patres, in consilio constituti fidei fundamina statuentes, splendidissimo sermone & elegantia urbanæ scientiæ Symbolum ortodoxæ fidei confecerunt, retro Patrum vestigia sequentes, tam Sancti Nicæni Concilii, quàm Constantinopolitani seu Ephesini primi, quorum Sanctionibus Dei Ecclesia toto orbe decoratur.* Adfirmat ab omnibus istis quatuor Synodis conditum Symbolum. Et ad Lectam Imperatoris Heraclii Eothesim dixit in sua Synodo Sergius Patriarcha Constantinopolitanus: *Hæc sunt Patrum dogmata, hæc Sanctorum quinque Conciliorum Symbola.* Exstant verba in Lateranensi Synodo Sancti Martini Pontificis. Et titulus non caret fundamento. Etenim Symbolum est nobis Latinis collatio: At verò generalis Synodi de fide decretum est collatio omnium Episcopalium suffragiorum. Attamen singularis nequaquam vulgata fuit ista Titulatio, & solum Apostolicum, Nicenum, Athanasianum & Constãtinopolitanum Symbolum propriè, & passim dicuntur Symbola, quia nempe fidei Symbolum esse debet non quævis, sed in brevem totius fidei compendiariam Regulam, & in paucis verbis comprehensam

Epist. 77. [margin]

Cap. 3. [margin]

ſam Chriſtianitatis teſſeram facta collatio, quam habemus in ſolis laudatis Symbolis. Hinc de antiquis Eccleſiæ Patribus, ac ipſorum Synodis in exclamatorio ad Imperatorem Martianum ſermone dixit Chalcedonenſe Concilium: *Hanc pro Symbolo defenſionem contra eos qui calumniam tentaverunt ſtruere, protulerunt non aliud nobis ad confeſſionem proferentes Signaculum fidei, ſed quod malè ab hoſtibus corruptum fuerat inſtaurantes*. Agunt adverſum damnatos à ſe Eutychianiſtas, qui ipſos de novo Symbolo edito, adeoque de violato Epheſino Canone criminabantur. Ajunt à ſe non novum editum, ſed Nicænum Symbolum dumtaxat expoſitum, ac ſtabilitum, ex antiquo Synodorum more. Eodem modo adverſum eaſdem calumnias purgant novum Sancti Leonis Pontificis. Oſtendunt ſimiles à magno Athanaſio, Sancto Gregorio Nazianzeno, Sancto Cyrillo, Sancto Proclo, Joanne Antiochiæ Patriarcha, ac aliis Patribus adverſum varios hæreticos prodiiſſe Epiſtolas, & concludunt: *Non igitur nobis admirandi Romanæ Urbis Præſulis epiſtolam, velut innovationis offendiculum, ſeu novum contra Canones attentatum & Vulgatum Symbolum criminentur*. Etiam fidei profeſſio, quam ad pacificandas poſt exortam in Epheſino Concilio diſcordiam Eccleſias edidit dicti Patriarchæ Joannis Synodus, à Neſtorianis fuit paſſa eamdem criminationem: Et ipſum eodem modo in
Epiſt. 35. litteris ad Acacium Melitinæ ſecundæ Armeniæ Metropolitam purgat Sanctus Cyrillus. Et adverſus Eutychianorum, qui & Chalcedonenſem Synodum, & laudatam magni Leonis Epiſtolam convitiari pergebant, nugas ad Leonem
Epiſt. 43. Imperatorem reſcripſit cum ſua Synodo Epiphanius Pergenſis Epiſcopus Pamphyliæ Metropolita unus è Chalcedonenſis Concilii Patribus. Adfirmat ſe cum ſuis Epiſcopis baptizatum & baptizare in Nicæno Symbolo, ipſum ab omnibus coli & prædicari, omnes in ipſo velle mori, & proſequitur: *Non ergo Eutychianiſtæ mentem ſimplicium ſubvertentes, hæc dicant: Nos enim & Nicænam Synodum debito honore veneramur, & Chalcedonenſem quoque ſuſcipimus; veluti ſcutum eam contra hæreticos exponentes, & non mathema fidei exiſtentem, non enim ad Populum à Papa Leone, & à Sancto Chalcedonenſi Concilio ſcripta eſt, ut ex hoc debeant ſcandalum ſuſtinere, ſed tantum modo Sacerdotibus, ut habeant quo poſſint repugnare contrariis; duarum namque naturarum ſeu ſubſtantiarum unitatem in uno Chriſto declaratam invenimus à pluribus apud nos conſiſtentibus Sanctis & Religioſiſſimis Patribus, & nequaquam velut mathema aut Symbolum his qui baptizantur, hoc tradimus, ſed ad bella hoſtium reſervamus Si vero propter medelam eorum, qui per ſimplicitatem ſcandalizati noſcuntur, placuerit veſtræ Potentiæ Sanctiſſimo Leoni Romanæ Civitatis Epiſcopo, nec non aliorum pariter Sanctitati, propter iſtorum condeſcenſionem, quatenus idem Sanctiſſimus Vir litteris ſuis declaret, quia non eſt Symbolum neque Mathema epiſtola, quæ tunc ab eo ad Sanctæ memoriæ noſtrum Archiepiſcopum Flavianum directa eſt, & quod à Sancto Concilio dictum eſt, ſed hæreticæ pravitatis potius increpatio*. Etiam Julianus Coenſis Epiſcopus, Sancti Leonis apud Orientalem Ec-
Epiſt. 46. cleſiam Legatus, ſcripſit ad eundem Principem: *Pando veſtræ Potentiæ, quid de Sancto Chalcedonenſi Concilio ſentire dignoſcor. Hoc etenim nullatenus à veritate diſcordat, quoniam fidem traditam à Sanctis Beatiſque trecentis decem & octo Patribus firmavit, non dogma aliud introduxit, non alterum Symbolum, non vanam expoſitionem*. Adfirmat varia. Primò, quod Nicænum Symbolum ſit commune totius Eccleſiæ, in quo omnes Orientales baptizent, & baptizentur. Secundò, quod alterius Symboli editio ſit grave ſcandalum, ſeu peccatum: Eſt enim prævaricatio Epheſini Canonis. Tertiò, quod nec magnus Leo, nec Chalcedonenſis Synodus iſtud ſcandalum commiſerint, ut pote qui non notum fidei ſignaculum, Mathema, aut Symbolum, ſed ſolummodo novam Nicæni, ſeu Conſtantinopolitani ſignaculi expoſitionem produxerunt. Nam neque laudatus Pontifex ſuam epiſtolam, neque laudata Synodus ſuam definitionem ad Populum direxit, nec ab ipſo memoriter addiſci illam, aut in illa baptizari ſanxit, ſed uterque illas direxit ad ſolos Epiſcopos, ut iſtis novis expoſitionibus tamquam novis ſcutis, adverſum novas Eutychianorum blaſphemias uterentur, atque pugnarent. Quartò docent, quod & magnus Leo, & cuncti Chalcedonenſis Synodi Patres libentiſſimè iſtud palam profitebuntur, atque ita ſe apud ſcandalizatos puſillos expurgabunt. Proinde licet in quovis Synodali fidei decreto reperiatur aliquid de Symbolis eſſentia, hæc tamen tota non reperitur, niſi in Symbolis Apoſtolico, Nicæno, Athanaſiano, & Conſtantinopolitano.

Nicænum Symbolum, licet ad occultanda Chriſtianitatis arcana ſpectaret, varii Patres ſuis ſcriptis integrum indiderunt, compulſi à convincendis Hæreticis, Sanctus Athanaſius in litteris ad Imperatorem Jovinianum, in litteris ad Epiſt. 60.
Antiochenam Eccleſiam, & in litteris ad Eu- hom. 72.
ſtathium Sebaſtenſem primæ Armeniæ Metropo- cap. 11.
litam Magnus Baſilius, in Panario Sanctus Epiphanius, Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexan- Epiſt. 1.
drinus in litteris ad ſuos Monachos, in litteris ad Epiſt. 15.
Neſtorium Hæreſiarcham, & in libro ejuſdem Symboli expoſitorio, Hermias Zozomenus in hiſtoria Eccleſiaſtica, in libro de Synodis Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, in libro, quo etiam Regibus in Divinam Majeſtatem delinquentibus non parcendum ab Epiſcopali auctoritate demonſtrat, ſcripto ad Imperatorem Conſtantium adhuc Catechumenum, Lucifer Calaritanus Archiepiſcopus, in pœnitentiali ad Liberium Pontificem Epiſtola, Ariani hiſtriones Urſatius & Valens, ac in litteris ad Impe- Epiſt. 97.
ratorem Leonem Magnus Papa Leo. Etiam cap. 1.
apud Eccleſiaſticam Theodoreti hiſtoriam extat Synodalis univerſæ Egyptiacæ Diœceſis ad Jovinianum Imperatorem Epiſtola, in qua refertur integrum Symbolum, nempe aliam Patriarcha Athanaſius, aliam epiſtolam laudato Principi tunc ſcripſit ejus Synodus; more Romanæ Eccleſiæ, quæ etiam inter ſui Pontificis & Patriarchalis Synodi ſuffragia ſtatuit grande diſcrimen. Etiam Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe quintum, ſextum, aliaque plura & generalia, & Diœceſana Concilia referunt Nicænum Symbolum, ipſumque habuerunt uti regulam, & normam omnium ſua-

rum

rum definitionum, & Actionum. In Ephesino, Chalcedonensi quinto & sexto Conciliis, ac item in Ephesino Latrocinio tota quæstio fuit, an Nestorius, Eutyches, Theodorus Mopsuestiensis Episcopus, ac Monothelitæ, an verò Sanctus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, Sanctus Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, Magnus Leo Pontifex, ac alii Romanæ fidei defensores, juxta Nicænum Symbolum credidissent, ac docuissent. Ab Ephesino Concilio Nestorius, ab Ephesino Latrocinio Sanctus Flavianus, à Chalcedonensi Synodo Eutyches judicatus est deviasse à nostro Symbolo, ideoque damnatus. Nulla umquam Synodus tot obices, & recalcitrationes passa est, quot laudata Chalcedonensis. Hinc illa hæc prævidens in Acclamatorio ad Imperatorem Martianum sermone aliud non agit, quàm demonstrare suam definitionem esse per omnia conformem Nicæno Symbolo. Ita scivit omnes rebellantium Hæreticorum machinas à se superandas. Longè majores agitationes passa est dogmatica, quæ istam Synodum instruxit, ac direxit, Sancti Leonis Epistola. Hinc & ipse scripsit ad Palæstinos Episcopos: *In nullo à Sanctorum Patrum*, utique Nicænorum, *Confessione discessi*. Proinde Nicænum Symbolum cunctis semper generalibus Synodis, Apostolicæ Sedi, ac Universæ Ecclesiæ semper fuit, ac semper erit, dux, norma, prælucens fax, regula, protectio, atque tutela. Epist. 83.

Nec admireris hoc; etenim non solam Arianam, sed omnes omnino, & præsentes & futuras, circa Divinæ Majestatis substantiam, aut circa Divini verbi inhumanationem hæreses prostravit, & præfocavit illud Symbolum. Ita testatur in litteris ad Maximum Philosophum Sanctus Athanasius: *Vincant, & robur suum habeant, quæ Nicææ Patrum confessionibus constituta sunt. Recta enim fides est, & quæ sufficiat extercre omnes impias hæreses, & præcipuè Arianam*. Agit in Nestorii præcursores, qui etiam tunc blaterabant Mediatorem esse purum hominem. In epistola ad Antiochenam Ecclesiam demonstrat Sabellii, Arii, Macedonii, Photini, Apollinarii, ac omnium Erronum hæreses damnari à nostro Symbolo. Et in litteris ad Epictetum Corinthi Episcopum scribit: *Fides, quæ Nicææ à Patribus secundùm sacras scripturas tradita, & confessionibus confirmata est, satis mihi & efficax videtur ad omnem impietatem evertendam, & pietatem ejus, quæ in Christo est, fidei constituendam*. Et infra: *Nicæna Synodus omnium hæresum profligatrix, ac imprimis Arianæ, Tropheum habenda est*. Agit in Apollinarii blasphemias Nicæna Synodo posteriores, affirmatque ipsas omnino everti per nostrum Symbolum. Et in libro de Ariminensi, & Seleuciensi Synodis: *Nicænum Concilium adversus Arianam cæterasque hæreses satis valet, quas per sanam fidem condemnavit*. Et confirmat ex totius Ariminensis Concilii ad Imperatorem Constantium Relatione: *Nicæna fides est sola hostis & interfectrix Arianæ hæreseos, per quam non illa sola, sed & reliquæ hæreses sublatæ sunt*. Et in Epistola ad Africanos Episcopos scribit: *Nicæna Synodus revera tropheum, & columna est, ubi omnes hæreses inscriptæ ostentui sunt ac triumphantur*. In litteris ad Eustathium Sebastensem Metropolitam etiam Magnus Basilius adfirmat à Nicæno Symbolo omnia *diligenter determinata: Alia ad correctionem noxiorum, alia ad præmunitionem contra ea, quæ in futuro suboriri possunt*. Epist. 78.
Et in litteris ad Eudemonem Presbyterum Isidorus Pelusiota enumerat plerasque usque tunc grassatas hæreses, atque adjungit: *Sanctæ Synodo, quæ Nicææ habita fuit, adhærere oportet, neque addentes ei quidquam, neque detrahentes. Illa enim divinitus inspirata veritatem dogmatum tradidit*: adversum omnes istas hæreses. Et in Tractatu de fide, quem Ruffinus Presbyter Latinum reddidit, Sanctus Gregorius Nazianzenus scribit de eodem Symbolo: *Jesum Patres nostri viri Apostolici contra universas hæreses, vel maximè Arianam quasi quemdam obicem veritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent, Sancto Spiritu mundati Catholica ratione posuerunt*. Et infrà: *Hunc tractatum scimus contra omnes hæreses, invicta veritate oppositum*. Et in Apologeticis pro Sancto Athanasio libris scribit Lucifer Calaritanus Episcopus: *Apud Nicæam non solùm contra blasphemiam vestram, sed & contra omnes hæreses fides descripta est*. Et in libro de vitanda hæreticorum communione: *Apud Nicæam scripta est fides contra tuam blasphemiam, & contra omnium Hæreticorum tuorum execrabiles conatus*. Et in libro de sustinenda morte pro Dei Filio: *Apud Nicæam contra Hæresim tuam Arianam, & omnes errores videtur esse sacra fides conscripta*. Plurima sunt similia Patrum authentica Testimonia. Lib. 4. epist. 99. Lib. 1.

Et hinc in erudito contra Eutychianistas libro publicato per Jacobum Gretzerum Anastasius Sinaita scribens Arium atque Sabellium damnatos per Nicænam Synodum, rectè adjungit: *Synodus etiam condemnavit Photini hæresim, quæ diceret Christum & Divinitatis, & Humanitatis principium habere à Maria, neque secundùm increatam ipsius Divinitatem sæculis præstare*. Photinus non nisi post Nicænam Synodum desipere cœpit, ideoque & in Syrmiensi Synodo fuit primùm damnatus. Hinc Anastasium aliqui lapsus accusant, & imperitiæ: at sine fundamento. Etenim & Sabellii, & Arii, & Photini hæreses fuisse à Nicæna Synodo damnatas disertè scribit in supra laudato Tractatu de fide Sanctus Gregorius Nazianzenus. In diversis locis etiam Calaritanus Lucifer. Nempe licèt non personam, tamen Photini hæresim nostra Synodus omninò præfocavit. Eodem sensu Paschasius Romanæ Ecclesiæ Diaconus affirmat per verba, *& in Spiritum Sanctum*, damnatum esse Macedonium, & omnino loquitur ex Sancti Athanasii epistola ad Afrorum Episcopos. Et in litteris ad Imperatorem Leonem Magnus Leo Papa constanter scribit, & Nestorianam, & Eutychianam Hæresim damnari à nostro Symbolo. Etiam ipse loquitur ex Athanasii litteris ad Maximum Philosophum, ac ex litteris ad Epictetum Episcopum Corinthiorum. Nestorianæ Hæresis profligator, ac Alexandriæ Patriarcha Sanctus Cyrillus in suis ad suos Monachos adversus Nestorium litteris scripsit vocem, *Deipara*, non haberi in Nicæno Symbolo. Et quid verius? Interim Anastasius dicti Hæresiarchæ Presbyter, ac Syncellus arripuit istam ansam, ebuccinavit Cyrillum sentire secum, atque ita multos infirmos seduxit, firmos turba- Lib. 1. cap. 1. Epist. 75. 78. 97.

vit, & Cyrillum reddidit fœdè suspectum, quod crederet Nestorianas vocum novitates à Nicæno Symbolo fuisse damnatas. Hinc ille ad Constantinopolitanam Ecclesiam scribere debuit hanc Apologiam: *Ego verò ad hunc modum scripsi, quamvis Synodus voculæ hujus, Deipara, non meminerit, non ideo tamen officio rectè functa non fuit. Per id enim tempus nihil ejusmodi in controversiam adducebatur. Quare quæ tum ambigua non habebantur, ea in medium proferre nullum operæ pretium erat. Quamquam si sententiarum vim expendere libeat, sacram Virginem esse Deiparam nequaquam dissimulavit, quandoquidem illum ipsum, qui ex Deo Patre natus est, Incarnatum & hominem factum esse adserit.* Quod Nicæni Concilii tempore nulla fuerit de isto dogmate quæstio, Cyrillus omninò labitur; contrarium enim disertè asseruit Magnus Athanasius, Lucifer Calaritanus, Magnus Basilius, & Sanctus Gregorius Nazianzenus. A grassantibus tunc Erronibus, venenum venit in Diodorum Tarsensem, ab hoc in Theodorum Mopsuestiensem, & ab hoc in Nestorium. Rectè tamen scribit Cyrillus istius vocis substantiam omninò haberi in nostro Symbolo. Quod ipsum demonstrat in litteris ad suos Monachos, in litteris ad Nestorium, ac in litteris ad Acacium Melitinæ Episcopum Metropolitam secundæ Armeniæ. Eodem sensu etiam alii Patres dixerunt alias hæreses esse à nostro Symbolo damnatas. Nam damnari ab isto Symbolo semper fuit firmum inditium, & irrefragabilis præscriptio veritatis. Nempe circa Divinitatis substantiam ac divini verbi Incarnationem.

Epist. 8.

Epist. 1. 4. 35.

Habemus & plurima alia Nicæni Symboli encomia. Etenim in disputatione, quam in ipso Nicæno Concilio fuisse habitam aliqui malè existimant, contra Arianos Sanctus Athanasius affirmat Nicænam fidem esse rectè scriptam, atque adjungit: *Fuit totius orbis sedulum ac sincerum Concilium.* Et in secunda disputatione: *Universale totius Orbis Concilium, Arium ista loquentem ejecit ab Ecclesia., & Anathemate execratum est, non ferens blasphemias, ex quo in reliquum tempus Arii error pro hæresi existimatus, quæ plus mali in se haberet, quàm cæteræ Hæreses, eo quod & perduellis Christi, & Præambulatrix Anti-Christi cognominata sit.* Et in prima Oratione exponit Arii doctrinam, & prosequitur de ejus dilectoribus: *Quod si eam se autument posse defendere, scripto promulgent ea quæ verbis adserunt, omnibusque suam Hæresim velut Lucernam ostendant, apertèque accusent Alexandrum Beatissimæ memoriæ Alexandrinum Episcopum, quasi in Arium ista dicentem cum injuria ejecit, incusentque Nicænum Concilium, quod ista impietate rejecta veram fidem scripto prodiderunt. Sed id eos facturos non esse compertum habeo.* Quod nempe tanta tunc esset Nicæni Symboli auctoritas. Non soli Ariani, sed & ipse Arius, licèt Judaicam suam perfidiam non deposuerint, istum tamen nimis fumigaturum montem non præsumpserunt tangere; omni studio conati sunt sub ejus verbis tamquam sub ovinis lanis lupi latere. Eorum tamen successores deposuere frontem, istum aggerem perruperunt, ac ad ipsorum Augustum Satellitem Constantium scribit Sanctus Pictaviensium Antistes Hilarius; *Anathema tibi trecenti decem & octo convenientes apud Nicæam Episcopi sunt, Anathema deinde omnes, qui variis exinde expositionibus adfuerunt. Ipse quoque pridem jam mortuus Anathema tibi Pater tuus est, cui Nicæna Synodus fuit curæ, quam tu falsis opinionibus infamatam perturbas, & contra humanum, divinumque judicium cum paucis satellitibus tuis prophanis impugnas.* Imperator Constantius iniquitatis viam præformavit Imperatori Andronico primo Paleologo, qui Patrem suum Michaelem, quod cum Latinis Catholicam pacem iniisset in Lugdunensi decimi Gregorii Concilio, tamquam hæreticum damnavit ad sepulturam asini. Eandem Constantii impietatem frequenter memorat, ac exaggerat Calaritanus Episcopus, & in libro de Regibus Apostaticis adjungit: *Tibi in Apostasia atque crudelitate æqualium Regum, Constanti, facta desideravi reserare, quo possit vox illa tua sepeliri quæ dicat, nisi Catholica esset Arii fides, hoc est, mea, nisi placitum esset Deo, quod illam persequar fidem, quam contra nos scripserunt apud Nicæam, nunquam profectò in Imperio florerem.* Et infra in eodem libro: *Audes dicere, si non bene viverem, si non mea essent recta opera, si non fides mea, hoc est, Ariana fuisset Catholica, si non rectè egissem tollere illos Episcopos, qui fidem prædicant descriptam à trecentis apud Nicæam, & eo amplius, nunquam sic eousque fulgerem in Regno, ut & pauco licet tempore, tamen solus intra limitem Romanum imperassem.* Et in Apologeticis pro Sancto Athanasio libris scribit: *Dixisse te*, Constanti, *non negabis, nisi nostra fides, hoc est, quæ à Lucifero dicitur Ariana, fuisset Catholica, nunquam in omnes plebes accepissem potestatem.* Apostolico ad Romanos verbo: An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Hoc inquam Divino verbo pessimè abusus fuit Constantius: Ab ista Divina patientia non pœnitentiæ, sed profundissimæ in Judaica sua Apostasia cæcitatis, & obstinationis sumpsit occasionem. Tot fieri jussit Episcoporum Synodos, ut non tantummodo publicam vecturam, sed & alias tunc amplissimas Romani Imperii opes, & vires acciderit usque ad pauperiem: Et ista omnia, ut Nicænum Symbolum circumscriberet, aboleret, damnaret. Ejus seductores in Oriente Eusebius Nicomediensis, Euzojus Antiochenus, & Eudoxius Germaniciensis. In Occidente præsertim fuerunt Valens Mursiensis, Ursacius Singidunensis, Saturninus Arelatensis, & Epictetus Episcopus Centum-cellensis.

Redeamus ad nostri Symboli encomia. In litteris ad Epictetum Corinthiorum Episcopum Sanctus Athanasius affirmat Nicænam fidem ad Christianam pietatem constituendam, & omnes hæreses avertendas esse idoneam atque efficacem, & prosequitur: *Atque ideo diversis Conciliis per Galliam, & Hispanias, & Romæ celebratis, omnes qui in eo Conventu fuerunt, istos Lucifugas, qui sese etiamnum occultant, & sapiunt, quæ sunt Arii, Auxentium dico Mediolanensem, Ursacium, Valentem, & Gajum Pannonem, communi calculo, unius Spiritus incitatu anathemate percusserunt, eo quod isti sibi nomina vindicarunt Synodorum, cum nulla sit in Catholica Ecclesia Synodus existimanda præ-*

ter

ter Nicænam, quæ omnium hæresum profligatarum, ac imprimis Arianæ, Trophæum habenda est. Et in litteris ad Africanos Episcopos scribit, Nicænum Concilium ex toto habitabili Orbe fuisse congregatum contra Arianos, & adjungit: *Huic certè Concilio universus Orbis adsensum præbuit, & quamquam multæ habitæ sint Synodi, hujus tamen omnes sunt memores, tum per Dalmatiam, Dardaniam, Macedoniam, Epirum, Græciam, Cretam aliasque Insulas, Siciliam, & Cyprum, tum per Isauriam, Pamphyliam, Lyciam, & universam Egyptum, & Lybias, & plerique ex Arabia hanc agnoverunt, & admirati sunt, & subscriptione approbarunt, adeo ut si qui restant ex Ariana radice progerminante amaritiem, per istas ipsas scriptas abscissi, & rejecti comperiantur. Sufficiunt igitur ea, quæ Nicææ confessa fuere, satisque per se virium habent, tum ad subversionem impii dogmatis, tum ad tutelam & utilitatem Ecclesiasticæ Doctrinæ.* Et statim infra: *Oecumenica Nicææ Synodus celebrata fuit à trecentis & octodecim Episcopis, ut de fide agerent convenientibus; idque ob Arianicam impietatem, quò caveretur ne deinceps particulatim cavillationes fidei orirentur, aut si ortæ fuissent, ne auctoritatem haberent. Quid enim in eo Concilio defuit, ut novam aliquam Synodum requirant? Plenum est enim istud Concilium pietatis, & universum jam orbem terrarum adimplevit. Hoc & norunt Indi, & quot quot apud alios Barbaros sunt Christiani. Vanus eorum igitur labor, qui contra illud alia subinde Concilia moliuntur.* Agit adversus Ariminense Concilium, & affirmat nullam ejus fuisse necessitatem, & ab ipso emissum de fide decretum esse inutile, imò & perniciosum. Nam & illa ipsa ante suum lapsum Synodus ad eundem Imperatorem Constantium scripsit Nicænam fidem esse Propheticam, Evangelicam, atque Apostolicam, & adjunxit: *Statutum est, ut eam retinentes coleremus, & colentes usque ad finem conservaremus. Indecens enim & nefarium, aliquid ex rectè & justè decretis, & ex rebus Nicææ publicè cum Illustrissimo Principe Constantino Patre tuo per accuratam deliberationem constitutis immutare velle, in quibus tanta doctrina est, & prudentia, ut ea ubique deprædicata ad omnium aures & animos pervenerit, quæ sola Hostis & Interfectrix Arianæ Hæreseos, & per quam non illa sola, sed reliquæ hæreses sublatæ sunt, in qua certè & addere aliquid temerarium est, & auferre periculosum.* Et hinc Hilarii Pictaviensis Episcopi in libro de Synodis verba: *Regeneratus pridem & in Episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam nunquam, nisi exulaturus audivi.* Hæc inquam verba sunt non parum admiranda, quod cùm pro Nicænæ fidei publicatione & executione etiam Gallia plures fecerit Synodos, ut jam audivimus à Magno Athanasio. Quomodo igitur Gallicanus Episcopus ignoravit, quod etiam India, ac aliorum Barbarorum gentes noverant? Aliquam istius ignorantiæ causam superius adduxi.

Ipse interim in ipso eodem loco Sanctus Hilarius Nicænum Symbolum cunctis aliis per varias Synodos tunc conditis præfert, plenis suæ eloquentiæ viribus deprædicat, affirmat à sanctis etiam apud Dominum quiescentibus Episcopis conditum, & adjungit vocis *Homousion*, de qua omnis lis, substantiam tradi ab Evangeliis &

Apostolis, se ab illis didicisse ipsam, & semper tenuisse. Ejus inter fragmenta exstat Tractatus, qui Syrmiense Symbolum cum Nicæno comparat, & post utrumque recitatum prosequitur: *Fides fidei comparata falsitatum intentiones exponit. Nam quæ apud Nicæam ordinata est, plena atque perfecta est, & omnibus undique, quibus inrepere hæretici solent aditibus observatis, inviolabili inter Patrem & Filium æternæ unitatis soliditate connectitur.* Tractatus est omnino Sancti Hilarii. Est incompletus. Licèt ei Syrmiense Symbolum modò desit, completo omnino adfuit. Et in litteris ad Canonicos Magnus Basilius laudat Bosphorium Episcopum, & pergit: *Idem de fide sentimus uterque, siquidem sumus hæredes eorumdemmet Patrum, qui quondam Nicææ promulgarunt magnum illud præconium pietatis, cujus quidem præconii partes cæteræ omnes nullis impetitæ sunt calumniis, at vocem illam, Homousion, sinistrè à nonnullis acceptam, sunt qui nondum admiserunt.* Epist.300.
Et in litteris ad Innocentium: *Fides illa in magna Synodo conscripta formula, maximi cùm momenti, tum etiam roboris.* Epist.319. Et in litteris ad laudatum Bosphorium affirmat Dianæum Episcopum à se nunquam fuisse anathematizatum, ex pectore se purgat ab hac calumnia, adjungit Dianæum aliquando adhæsisse factioni Georgii Pseudo-Patriarchæ Alexandrini, subscripsisse istius factionis Constantinopolitano Symbolo, adeoque fuisse turpiter lapsum, & prosequitur: *Uti Dianæus decidit in ægrotationem, ex qua & mortuus est, accitis nobis dicebat, testem esse Dominum, quod simplici corde inscriptum Constantinopolitanæ fidei consenserit quidem, verùm nulla in re irritam voluerit eam fidem, quæ Nicææ à Sanctis Patribus exposita est, neque aliud in corde habuerit quàm quod ab initio traditum accepisset. Immò precari se quoque ut non separaretur à sorte Beatorum illorum Episcoporum trecentorum decem & octo, qui piam illam fidei prædicationem promulgaverunt Orbi; atque ista satisfactione nos ita permovit, ut soluta omni cordium nostrorum hæsitatione, ad communionem illius accesserimus, & à concepto mœrore quieverimus.* Et in libris Lib. 1.
contra Eunomium Hæresiarcham germanus Basilii frater Sanctus Gregorius Nyssenus Episcopus refert habitas inter laudatum Basilium & Hæretici Imperatoris Valentis Prætorio-Præfectum disputationes, & asserit Valentem, quod persecutionibus nihil proficeret, ex Leone transiisse in vulpem, spopondisse communicare Ecclesiæ sub hac unica conditione: *Vult hoc fieri sublato exiguo quodam, quod in fidei Symbolo scriptum est, nempe Homousii vocabulo.* Et pergit Gregorius de Basilio: *At Imperatorem in Ecclesiam recipi, respondebat Magister noster, rem esse omnium gravissimam. Magnum enim, inquit, quiddam est animam salvare, non quia Imperatoris est, sed quia hominis. At verò tantum abesse ajebat, ut aliquid vel demeret, vel adderet fidei, ut ne ordinem quidem formulæ fidei mutare cogitaret.* Tanta est illius formulæ Auctoritas. Sanctum Augustinum etiam Beatus Possidius titulat *Magistrum nostrum.* Adeo antiquus est apud Græcos & Latinos iste titulus. Et in oratione de Heronis, id est, Maximi Cynici Philosophi laudibus scribit: *Pius ille* Orat. 23.
Patrum nostrorum numerus, qui tunc Nicæam se contulit, certis finibus ac verbis Divinitatis doctrinam

circumscripsit. Et in sermone de Patriarchæ Abraham ad Famulum verbis, *pone manum tuam super femur meum*. Sanctus Joannes Chrysostomus nostram de trium Personarum consubstantialitate fidem demonstrat esse Evangelicam atque Apostolicam, & prosequitur: *Post Apostolorum tempora Nicæna Synodus eandem fidem confirmavit, & ut palam faceret hanc totius Orbis esse fidem, cùm tot essent convocati, septem tantum dissenserint, qui & abdicati sunt. Totus autem orbis mirabiliter in hanc doctrinam consensit, & conspiravit. Quoniam ex Massa illa Apostolica erat*: Et in dicta adversum illos, qui ex nescio qua superstitione primum Paschalis festivitatis diem jejunabant, homilia Nicænos Patres insigniter laudat, & pergit: *Multæ sapientiæ & fortitudinis specimen ab illis editum fuisse tum temporis, omnia quæ accidere testantur, nam sapientiam quidem illorum, quæ tum edita est, fides indicat, quæ & hæreticorum os obturavit, & tamquam murus inexpugnabilis omnes illorum insidias propulsavit*. Addit fuisse & fortissimos: Quod nempe plerique in nuperrimis persecutionibus fuissent gloriosè confessi, & plures Christi Domini stigmata portarent in suo corpore. Et in libris ad suos Monachos Sanctus Cyrillus: *Patres qui à Spiritu Sancto ne à vero discederent adflati, non enim ipsi loquebantur, sed Christo Salvatore nostro testante, Spiritus Dei & Patris erat, qui in ipsis loquebatur, sinceræ & inculpatæ fidei Regulam ediderunt*. Ex ipsa vult judicari de novello Nestorii dogmate: & Ephesina Synodus omnino judicavit. Hinc scribit Cyrillus etiam ad ipsum Nestorium: (Epist. 35.) *Sacra & magna Synodus tradit unigenitum Dei Filium ex Deo Patre natum, è Cœlo descendisse, Incarnatum esse, & Hominem factum*: Et in libris ad Acacium Melitinæ Episcopum, Metropolitam secundæ Armeniæ: *Expositioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes, nihil eorum quæ in ipsa continentur, labefactantes, sunt enim ea omnia rectè & inculpatè tradita, neque tutum est post illam fidei editionem quidquam adhuc curiosius tractare*. Et de nostri Symboli expositione laudat Evangelicam Apostolorum prædicationem, & prosequitur: *quorum vestigia sequi studuerunt, qui venerabile & universale fidei definierunt Symbolum, in Nicæa olim congregati, cum quibus sanè & ipse Christus consedit, qui dixit, ubi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, illic sum in medio eorum. Nam quod Christus præsederit invisibiliter sanctæ & magnæ illi Synodo, quomodo licet ambigere? Basis enim quædam & fundamentum firmum & inconcussum per universum Orbem imponebatur; illa nimirum sinceræ & irreprehensibilis fidei confessio: quod si ita est, quomodo aberat Christus, cùm ipse juxta sapientissimi Pauli vocem sit fundamentum? Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Quapropter expositam ab illis & determinatam fidem probè servarunt etiam hi qui secuti sunt eos, Sancti Patres populorumque Pastores, & Ecclesiarum luminaria, & solertissimi Mysteriorum Doctores. Nihil autem omnino prætermissum vel contemptum ex his quæ sunt ad utilitatem adferendam necessaria, viderit quis in Patrum confessionibus & expositionibus, quas de recta & minimè adulterata Fide ediderunt ad coarguendas & subvertendas universas hæreses, impiasque blasphemias, & ad eos solidandos atque confirmandos, qui in fide rectè incedunt, & quibus fulgidus ortus est Lucifer, diesque illuxit, sanctique baptismatis gratia veritatis lumen immittit*. Agit præsertim de Generalium Synodorum Patribus, affirmat Nicænam fidem esse ipsis Ducem & Regulam, & pergit: *Ne à quibusdam ignoretur pia Symboli confessio, quod in omnibus Ecclesiis Dei auctoritatem obtinet & prædicatum est, & Sanctorum Patrum sententias, hoc est, expositionem commentarios illic factos retuli*. (Epist. 35.) Ad eundem Cyrillum scripsit etiam Joannes Antiochiæ Patriarcha: *Dicimus breviter, Sicuti ab initio ex Divinis litteris, Sanctorumque Patrum traditione hausimus, fidei in Nicæa à Sanctis Patribus expositæ nihil prorsus adjicientes, illa eum ad omnes pietatis cognitionem, omnisque hæreticæ pravæque doctrinæ depulsionem abundè sat est*. Et ipse etiam Hæresiarcha Nestorius hujus Symboli Conditores titulat: *Divinum illum Patrum Chorum*.

Eandem fidem amplissimè laudat in suis ad Imperatorem Jovinianum litteris Egyptiaca Sancti Athanasii Synodus, & prosequitur: *Scito, Religiosissime Auguste, hanc fidem omnibus sæculis fuisse prædicatam. Hanc professi sunt Patres, qui Nicææ convenerunt. Cum hac consentiunt omnes ubique Gentium Ecclesiæ, quæ sunt in Hispania & Britannia, & Gallia, & quæ in Italia tota, & Campania, Dalmatia, & Mysia, Macedonia & Græcia tota, quæque in Africa universa, & Sardinia, & Cypro, & Creta, & Pamphylia, Isauria, & Lycia, & quæ in tota Ægypto, Thebaide, & Lybia, Ponto & Cappadocia, vicinisque Partibus, & Orientales Ecclesiæ, præter paucos qui cum Ario sentiunt*. Extat epistola apud Ecclesiasticam historiam Theodoreti. (Lib. 4. cap. 3.) Eutychiana perfidia ac turbulentiæ Chalcedonensis Synodi de fide decretum pertinacissimè arguunt prævaricationis, & non tantùm ab Imperatore Leone, sed etiam à Magno Pontifice Leone flagitabant per aliam Synodum retractari. Adserunt formatum non juxtà Nicænum Symbolum, sed juxtà facta à Constantinopolitano Concilio adversus Apollinarium additamenta, & hæc tamquam prævaricatoria & devia, à se refutari. Retractaturam Synodum Leo Pontifex aversatus est, & etiam augustis precibus denegavit constantissimè. Imperator tamen Leo consuluit cunctas Orientalium Provinciarum Synodos, & palmaris quæstio fuit hæc: An Chalcedonense Decretum à Nicæno Symbolo deviasset? Non deviasse unamini & constanti voce rescripserunt omnes Synodi: & secundæ Syriæ Synodus adjunxit: *Prima Synodus post Apostolicam fundationem, velut crepido quædam immobilis trecentorum decem & octo Patrum quæ in Nicæa sub Divæ memoriæ Constantino collecta est, & Arii vesaniam publicavit, & Consubstantialitatis scientiam cunctis aperuit*. (Epist. 34.) Hanc Synodum direxit & primus subscripsit Epiphanius Episcopus Epiphaniensis: Quod Apameensis Metropolitica sedes per Domini Episcopi mortem esset vidua. Non solæ hæ omnes Synodi, sed & omnis Eutychiana factio nostrum Symbolum habuit pro immobili, & prima post Evangelicam & Apostolicam traditionem Regula: Et omnes istarum litteræ habent singulare illius encomium. Et Gregorius Cæsaræensis in

sis in Cappadocia Ecclesiæ Presbyter in erudito Nicænorum Patrum Encomio declamat: *Præclarus ille Patrum cœtus, vivifici Spiritus præsentia roboratus: concordibus animis ad inquirendam ac declarandam Ortodoxæ fidei veritatem procedentium, multisque è veteri, & novo Testamento testimoniis ad serenda Filii cum Patre Consubstantialitate, ceu penetrabili jaculo Arium ferientes, extra rectam fidem ac Sanctam Ecclesiam esse decernunt, unaque cum elucubratis, & dictis ab ipso subjiciunt Anathemati. Ita verò caventes ne ad Divinum verè illud Symbolum ullus unquam hæreticæ pravitatis pateret aditus, illius expositionem ea arte contexunt, ut in dictis singulis singularium Hæreseon aboleant sensum contrarium, quod utique ex Actorum Synodi expositione quæ servatur in Palatio palam omnibus fuerit.* Adfirmat Patres post conclusa acta egisse gratias Magno Constantino pro ipsius Imperio, & Nicæna Civitate solemniter precatos, preces non fuisse irritas, atque adjungit hoc Divinum Testimonium: *Cùm postridie Salvatorem universorum essent precaturi, pro suo Domum reditu, & pro illa qua illos excepit, alacritate, accidit ut ea in parte, quæ medius Umbelicus dicitur, ingressus Orientalis, scaturirent fontes olei circa medium apsidis, circa quam consisterat Sanctorum Chorus. Quæ quidem in hodiernum usque diem apparens, ostendit orationum, quæ tunc fusæ sunt, fructuosos effectus.* Adserit Nicænam Basilicam ob celebratam istic Synodum non tantùm à Christianis, sed etiam ab impiis Saracenis timeri & honorari.

Æqualia Nicæni Symboli encomia, habemus à Latinis Ecclesiæ Patribus. Sancti Hilarii Pictaviensis Episcopi sensum supra audivimus: ejus in exilio Collega Lucifer Calaritanus Episcopus per omnia consonat adversus Imperatorem Constantium, qui Nicænum Symbolum volebat circumduci & aboliri, & assiduè clamat ipsum esse fidem omnium Patriarcharum, Prophetarum, Evangelistarum, Apostolorum, Martyrum, ac omnium justorum, ideoque illi nec demi posse nec addi. Unicum ejus adduco locum ex Libro de non parcendo in Deum delinquentibus: *Sed oro te dicas, Constanti, qua auctoritate viam justorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, ac Martyrum, nos volueris deserere, & comprehendere istam tuam novam, quam per Arium instituit Diabolus? Numquidnam somno es admonitus & dictum ad te ne patiaris Christi nos tenere viam quam tenuerunt Abel, Enoch, Noë, Melchisedec, Abraham, Jsaac, Jacob, Joseph, Moyses, Aaron, Jesus-Nave, Job, Judices, & cæteri Reges, hoc est, David, Josaphat, Ezechias, Josias? Quam tenuerunt cuncti Prophetæ, Apostoli, ac Martyres? Quam tenuerunt omnes qui Deo inveniuntur placuisse?* Demonstrat omnes etiam antiquos justos non dumtaxat implicita, sed omnino explicita fide credidisse & credere debuisse in Sanctissimam Trinitatem, ac ejus consubstantialitatem, hanc esse Nicænam fidem, ideoque omnem ejus adversarium esse Diaboli sectatorem, Arianum, Dei Apostatam, Antichristum. Et è Romana, quæ Pseudo-Episcopi Auxentii, in Mediolanensem Sancti Dionysii relegati Cathedram intrusi ab Imperatore Constantio, causam tractavit, Synodo scripsit ad Orientales Episcopos Sanctus Papa Damasus: *Vestra integritas manifestè videt hanc fidem solam, quæ auctoritate Apostolica Nicææ stabilita est, firmè perpetuò retinendam esse. Atque de hac fide tum Episcopos Orientis, qui se de Catholica Ecclesia esse profitentur, tum Occidentis etiam Episcopos nobiscum una gloriari constat.* Etiam numerosissimæ Ariminensis Synodi Judicium supra adduxi; Et in præfatione librorum de fide scribit ad Imperatorem Gratianum Sanctus damnati Auxentii successor Ambrosius: *De Conciliis id potissimum sequar, quod trecenti decem & octo Sacerdotes tamquam Abrahæ electi judicio, consona fide, virtute victores, velut tropheum toto orbe subactis perfidis extulerunt, ut mihi videatur hoc esse divinum quod eodem numero in Conciliis fidei habemus oraculum, quo in historia pietatis exemplum.* Utique in Patriarcha Abraham, qui cum trecentis & octodecim vernaculis contra alienigenas processit ad Bellum. Et in primo istius operis libro exponit Arii errores, & prosequitur: *Accepisti, Sancte Imperator, eos qui talia adserunt jure damnatos, non humana industria, non compositione aliqua, sed trecenti decem & octo Episcopi ad Concilium convenerunt. Hoc & in Ariminensi Concilio habuit prima confessio, & post Ariminense Concilium secunda correctio. Confessionem Epistola ad Imperatorem Constantium missa testatur, correctionem secuta Concilia confitentur.* Cap. 9. Laudat adductam superius ex Sancto Athanasio Epistolam. Et in litteris ad Imperatorem Valentinianum Secundum exponit Arianum Dogma, & pergit: *Hoc scriptum est in Ariminensi Synodo, meritoque Concilium istud exhorreo, sequens Tractatum Concilii Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare. Quam fidem Parens Clementiæ tuæ Theodosius Beatissimus Imperator & sequitur & probavit. Hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hispaniæ custodiunt.* Lib. 2. Epist. 13. Restant longè plurima gravissimorum Patrum, plurimarum Synodorum, ac omnium sæculorum similia Testimonia. Lectorem nolo ulterius fatigare.

Quæstio est, quis Symbolum composuerit? Sanctus Athanasius in Epistola ad suos Monachos adfirmat compositum ab Hosio Cordubensi Episcopo, Concilii Præside: *Hic*, utique Hosius, *est Princeps Synodorum, & si quid scribit ubique auditur. Hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit.* Scio ista verba non proferri ab Athanasio, sed referri. Sunt Eusebianæ factionis in Syrmiensi Concilio ad Imperatorem Constantium maligna consilia, rogantia & suadentia Hosium etiam per tormenta compellendum ad prævaricationem & lapsum. Ea interim Athanasius omnino adfirmat esse vera: adfirmat compositum Symbolum fuisse fomitem Ariani odii, & Syrmiensis in Abrahamicum senem crudelitatis. At verò de quibusdam sui sæculi Vertumnis Episcopis, & de suo in Cæsaræensi Cathedra Antecessore Sancto Hermogene, scribit in litteris ad Patrophilum Schytipolitanum Episcopum magnus Basilius: Epist. 81. *Arium primò secuti, postea ad Hermogenem sunt mutata sententia conversi, qui ex Diametro hostis erat Arii improbatæ opinionis, quemadmodum manifestum est ex Fide, quæ Nicææ primum ab illo vi-*

ro

ro est pronunciata. Et in litteris ad Innocentium laudat Ecclesiæ suæ Presbyteros, adfirmans ipsos esse *Beati Hermogenis genuinam sobolem: Illius Hermogenis, qui in magna illa Synodo, illam fidei formulam, maximi cum momenti tum roboris conscripsit*. Respondeo hæc conciliari ab Epistola, quam ad nescio quos amicos Episcopos scripsit post editum & firmatum Symbolum ex Nicæna Civitate Eusebius Cesaræensis in Palæstina Episcopus: *Quæ de fide Ecclesiastica in magno Concilio Nicææ celebrato tractata sunt, verisimile est vos aliunde didicisse, cùm accuratam rerum gestarum narrationem prævertere fama soleat. Verùm ne rumore isto aliter vobis, quàm res habeat, veritas nuntietur, necessariò ad vos misimus primum oblatam à nobis fidei formulam, deinde alteram, quam Episcopi quibusdam, ad nostram adjectis, ediderunt*. Compositam à se fidei formulam adducit, atque prosequitur: *Hac à nobis exposita fide nullus erat contradicendi locus. Sed primus ipse Deo Charissimus Imperator rectissima illam continere adfirmavit, seque ipsum ita sentire confessus est, & ut huic omnes adsentirentur decretisque subscriberent, & in his ipsis conspirarent, hortabatur, una dumtaxat adscripta voce, Consubstantialis*. E Doctoribus Episcopis varii varias composuere formulas, ex mandato legationis Apostolicæ, aut etiam totius Synodi, & compositas obtulere Synodo, probandas aut improbandas. Hæc est avita & Apostolica Synodorum consuetudo. Et inter istos Episcopos fuerunt Hosius Cordubensis, Hermogenes Cesaræensis in Cappadocia, Eusebius in Palæstina Cesaræensis, Sanctus Eustathius Patriarcha Antiochenus, & alii plures. Et quidem Palæstini Eusebii compositio, quod vocem, *Consubstantiale*, non haberet rejecta fuit & improbata. An Hosius & Hermogenes de verbo ad verbum ab exordio convenerint, affirmare non possum: eorum interim compositio fuit probata, admissa, subscripta ab omnibus Episcopis, atque ita in Symbolum evecta. Hinc rectè dicitur uterque Symbolum composuisse.

Epist. 319.

Symbolum exponitur.

CRedimus. Sanctus Joannes Chrysostomus in Catechista, quæ Parabolam de conductis in Vineam operariis exponit, oratione legit: *Credo in unum Deum*. Omnes, qui Symbolum suis scriptis inseruerunt, Patres & Synodi constanter legunt, *Credimus*, nempe Synodus dixit & scripsit, *Credimus*. At verò quivis Symbolum apud se recitans Orientalis Ecclesiæ fidelis semper dixit: *Credo*. Hodierna item Sancti Basilii & laudati Chrysostomi Liturgia mandant etiam à Choro dici & cantari non, *Credimus*, sed, *Credo*, ne scilicet Populus aliud, quàm apud semetipsum privatim diceret, audiret in Ecclesia. Laudatus Chrysostomus in laudato loco vocem exponit: *Credo, non scrutor, Credo, non persequor id, quod comprehendi non potest, Credo, non metior id, quod immensum est: si credam mente illuminor, si curiosè inquiram, tenebras rationi meæ offundo, si rectè credam, in Cœlum attollor, si curiosè quæram, præcipitor in profundum*. Agit præsertim de essentia non de Divinæ Majestatis existentia. Hanc enim esse non tantumodo scrutabilem, sed notam per se, ac evidentem, res ipsa clamat, ac demonstrant Patres varii, præsertim Tertullianus in Libro de Testimonio Animæ. Et hinc apud Sanctum Gregorium Nazianzenum dicit adversum Nos Imperator ac Apostata Julianus: *Nostri sunt sermones & nostrum Græcari, vestra autem est infantia & rusticitas; nec quidquam aliud, quàm, Credo, sapientiæ vestræ est*. Palam ridet exordium nostri Symboli. Ita enim censuerunt qui se sapientes & omnium scientes credebant Paganorum Philosophi. Etiam nostri Gnostici, Manichæi, Eunomiani, & alii plures Hæretici. Orat. 3.

In Deum Exponit Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Si Spiritus Sanctus est creatura, quomodo in eum credimus? Neque enim idem est credere in aliquid & credere de aliquo: Illud enim Divinitati congruit, hoc cuilibet rei*. Et Joannis Chrysostomi compendiator Theophylactus asserit Christum Dominum per hæc in S. Joannis Evangelii verba, qui credit in me non credit in me, sed in eum qui misit me, prędicasse suam Patri Consubstantialem Divinitatem, ac demonstrat: *Vide sermonis evidentiam, non dixit, qui credit mihi, sed qui credit in me: quod fidem in Deum significat. Aliud enim est credere cuipiam, aliud credere in quempiam. Nam is qui credit alicui, potest intelligi quod credat ei ut vera dicenti, qui autem credit in quempiam, omnino ut in Deum credit. Ideo rectè quis crediderit Apostolis, at non item in Apostolos*. Quod ipsum constanter docent Latini Doctores. In Epistola ad Comitem Bonifacium S. Augustinus: Donatistæ. *A se quippe dicunt justificari eum, quem baptizaverint, ubi nihil eis restat, nisi dicere illi qui baptizatur ab eis, ut in Baptizatorem suum credat Cur enim non faciat, quando Apostolus dicit: Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ad Justitiam? In ipsum ergo credat, si eum ipse justificat, ut deputetur fides ejus ad justitiam. Sed puto quod etiam ipsi seipsos horreant, si tamen ista vel cogitare dignantur:* Quia nempe & in sacris litteris, & in ipsa natura manifestum sit, credi in neminem posse, nisi in solum Deum. Eundem Apostoli locum laudat adversum Pelagianos in libris de peccatorum meritis, & prosequitur: *Quisquis ergo ausus fuerit dicere, Justifica te, consequens est, ut dicat etiam crede in me. Quod nemo Sanctorum rectè dicere potuit; nisi Sanctus Sanctorum*. Et Psalmi versum: Non est creditus cum Deo Spiritus ejus, commentatur: *Hoc est habere cum Deo creditum Spiritum, non credere Spiritum suum posse facere sine Deo Justitiam, sed cum Deo, hoc est enim credere in Deum, quod utique plus est quàm credere Deo. Nam & homini cuilibet plerumque credendum est, quamvis in eum non sit credendum. Hoc est ergo credere in Deum, credendo adhærere ad bene cooperandum bona operanti Deo*. Addidit Judæos fuisse gentem amaricantem & pravam, atque edicit causam; *Quia etsi aliqua credidit Deo, non tamen credidit in Deum. Non ex fide adhæsit Deo, ut sanata à Deo bene cooperaretur operanti in se Deo*. Et in Tractatibus super Sancti Joannis Evangelium exponens hæc Domini verba: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem

Orat. 37.

Epist. 50.

Lib. 1. cap. 14.

Psalm. 77.

Tract. 29.

quem ille misit, scribit: *Ut credatis in eum, non ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei; Non autem continuo qui credit ei, credit in eum, nam & Dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere: Credo Paulo, sed non credimus in Paulum: Credimus Petro, sed non credimus in Petrum. Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari. Ipsa est fides, quam de nobis exigit Deus, & non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat. Quæ fides, nisi quam alio loco definivit Apostolus plenissimè, dicens: Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Etiam ad hæc Domini verba, Creditis in Deum, & in me credite, commentatur: *Ne discipuli mortem tamquam homines timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos, etiam se Deum esse contestans; Creditis, inquit, in Deum, & in me credite. Consequens est enim, ut si in Deum creditis, & in me credere debeatis, quod non esset consequens, si Christus non esset Deus.* Quæ omnia confirmat in quinquagesimo quarto Tractatu, ac in variis ad Populum sermonibus. In septuagesimo secundo Tractatu affirmat hanc fidem esse illam, quæ ex injustis faciat justos, ideoque ejus infusionem esse proprium Divinæ Majestatis opus, eminentius creatione Cœli & Terræ. Et ita intelliges Sancti Cypriani verba in Libro de unitate Ecclesiæ; *Credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit quod Christus facere præcepit?* Quia nempe in Christum fides involvit dilectionem, quæ adimplet mandata. Romanæ Ecclesiæ Diaconus, quem in Dialogorum libris Magnus Papa Gregorius laudat, Paschasius eruditos libros edidit contra Macedonianos, Spiritus Sancti Divinitatem istic probat ex Apostolici Symboli articulo: *Credo in Spiritum Sanctum*, & dat rationem; *Agnoscimus verbi ipsius privilegium. Credere illi quilibet potest hominum, credere verò in illum, soli debere te Majestati noveris. Sed & hoc ipsum aliud est Deum credere, aliud credere in Deum. Esse Deum, & Diabolus credere dicitur secundum Apostolum: Nam & Dæmones credunt, & contremiscunt; In Deum vero credere, hoc est dicere confiteor illum, collo illum, & adoro illum, totum me in jus ejus ac dominium trado atque transfundo.* Quod ipsum in Monologio tradit Sanctus Anselmus. Hinc ergo & nostrum Symbolum dixit: *Credimus in Deum.* Porro Symboli professionem omnes semper à Baptizandis exegerint, & ex Apostolico præcepto exigere debuerint omnes Ecclesiæ: Quod nempe non quævis, sed sola in Deum fides sit necessaria ad justificationem dispositio. Et hinc lucet insigniter labi illos, qui solam sine charitate servilem attritionem censent sufficere.

(Tract. 67. — Cap. 71.)

Verum his obstat Sardicensis à Sancto Hilario Pictaviensi Episcopo in Libro de Synodis relatum ac probatum Synodi Symbolum, quod post fidei in tres Divinas Personas professionem, pergit: Credimus in Sanctam Ecclesiam, in Remissionem peccatorum, Vitam æternam. Apostoli in sua Synodo dixerunt: Visum est Spiritui Sancto & nobis. Hinc quidam Spiritum Sanctum garriverunt æquari Apostolis, nec esse Deum. Et ipsis in sermone de Fide, Lege naturæ, ac Spiritu Sancto, respondit Sanctus Joannes Chrysostomus: *Si Spiritus Sancti dignitatem imminuit, quod dijuncti sint Apostoli, itaque & Moysen esse conjunctum Deo, Dei imminuit dignitatem. Dicit enim Scriptura: Credidit Populus in Deum & in Moysen.* Et in Commentariis super Apostolicam ad Hebræos Epistolam Theodoretus scribit: *Confitemur nos credere non solùm in Deum Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, sed etiam in Resurrectionem mortuorum, & Vitam æternam, & in Regnum Cœlorum.* Et plures etiam Latinæ Ecclesiæ in Apostolico Symbolo recitarunt, *& in Sanctam Ecclesiam.* Respondeo adductum à Sancto Joanne Chrysostomo sacrum locum haberi in libro Exodi, & nostrum hodie textum esse hunc: *Crediderunt Domino & Moysi servo ejus.* Proinde Sancti Joannis versio, & locutio est liberior; & potius ad ejus sensa attendere nos oportet, quàm ad verba. Eadem est ratio Theodoreti, & per Sanctum Hilarium Symboli, quod nullo modo est Sardicensis Synodi, sed Philippopolitani Conventiculi, quod passim se mendaciter inscripsit Synodum Sardicensem. Sancti Hilarii de isto Symbolo judicium suo loco exponetur. De Latinis Ecclesiis, quæ in Apostolico Symbolo professæ sunt credere in Sanctam Dei Ecclesiam; scribit Paschasius Diaconus: *Quid supponendo exiguam, id est, in, Syllabam ingentem caliginem conaris?* Eruditè, & amplè demonstrat Syllabam istam malè additam, & omnino radendam. Ecclesiam esse credendam, uti regenerationis matrem, non credendum in ipsam, quasi in salutis auctorem. Et Sanctus Ivo Carnotensis Episcopus in suo decreto adducit, ac Sancto Augustino adscribit antiquum sermonem, qui post expositos Apostolici Symboli de tribus Personis articulos, pergit: *Quod interrogavimus: Credis Sanctam Ecclesiam & remissionem peccatorum, & carnis Resurrectionem, non eo modo interrogavimus, ut quomodo in Deum creditur sic in Ecclesiam Sanctam & Catholicam. Propterea Sancta & Catholica est, quia credit in Deum. Non ergo diximus ut in Ecclesiam, quasi in Deum crederetis, sed intelligite nos dicere, & dixisse ut in Ecclesia, & Sancta & Catholica conversantes, in Deum crederetis: Crederetis etiam Resurrectionem Carnis, quæ ventura est.* Quod ipsum apud Sancti Augustini Appendicem scribit sermo quinquagesimus nonus. Ecclesia est Dei habitaculum, domus, Templum, est Templum consecratum & sanctum; & omnium Sanctorum sanctificatrix sanctitas est Spiritus Sanctus. Quare Ecclesia accipi potest & pro sola domo, & pro domo simul cum inhabitante, ac sanctificante Spiritu. Quædam hoc, quædam olim Ecclesiæ acceperunt isto modo. Hinc quædam Sanctam Ecclesiam, quædam professæ sunt se credere in Sanctam Ecclesiam. Prior Professio est congruentior, ideoque hodie apud omnes universalis.

(Cap. 4. — Cap. 14. — Lib. 1. c. 1. — Parte 1. cap. 194. — Cap. 12.)

In unum Deum. Exponit in laudato Catechistico sermone Sanctus Joannes Chrysostomus: *Credo in unum ac verum solum Deum, Deos à Pagants per errorem confictos abnego. Non enim Cœlum incolit multitudo Deorum.* Istam vocem exi-

sti-

ſtimat adjectam contra Paganos, quod ipſum in Symboli noſtri expoſitione tradit Sanctus Cyrillus Alexandrinus. Verùm non tam adjecta eſt iſta vox per præſentem Synodum, quàm confirmata. Quod enim ipſam Orientales Eccleſiæ dudum antea adjecerint Apoſtolico Symbolo, eſt ſupra demonſtratum. Adjectionem hæc Synodus, utpote conſtans ex ſolis ferè Orientalibus Epiſcopis probavit, ac ſtabilivit. Apoſtolica Legatio, licèt Romana, ac omnis ferè Latina Eccleſia ignoraret iſtud additamentum, omnino adſenſit. Legatorum Primas Hoſius concepit Symbolum. Porro adjectio non contra Paganos, ſed contra Gnoſticos, aliosque duplicis Divinitatis fabulones hæreticos, fuit facta per Orientalem Eccleſiam, & omnino contra eoſdem per noſtram Synodum confirmata. Lucet ex verbis ſequentibus: *omnium viſibilium & inviſibilium factorem*. Gnoſtici enim, Manichæi, & ipſorum ſimiles garriverunt eſſe duo principia, bonum, & malum, & ab hoc viſibilia corpora, ab illo proceſſiſſe inviſibiles ſpiritus. Et hinc in litteris ad Pammachium & Oceanum Sanctus Hieronymus adverſus illos, qui Origenem à Nicæna Synodo nullibi expreſſum, ideoque nec damnatum, prætendebant, ſcribens illum per eadem cum Ario verba iſtic damnatum, & adjungens: *Alioquin hoc argumento nec Valentinus, nec Marcion, nec Cataphryges, nec Manichæus damnari debent, quia Synodus Nicæna eos non nominat; quos certè ante Synodum fuiſſe, non dubium eſt*. Lucidè affirmat hos omnes ibi damnatos; & omnes iſtic, præſertim tempore priorem hæreſim fuiſſe damnatam, multo authentico teſtimonio eſt ſupra demonſtratum. Inſigniter confirmat in Apologeticis pro Origene libris Euſebius Ceſaræenſis, in Palæſtina Epiſcopus, unus è Synodi Patribus. Quod Origenes docuerit unum utriuſque Teſtamenti Deum, ideoque de Deo Patre recta ſenſerit, multis ejus teſtimoniis demonſtrare conatur, & concludit: *Poſt hæc in conſequentibus Origenes multis argumentis atque exemplis Scripturarum affirmans oſtendit, quoniam unus atque idem Deus Legis eſt, & Evangeliorum, & Prophetarum, & Apoſtolorum, juſtus, & bonus, viſibilium & inviſibilium, ac totius univerſitatis Creator*. An ante, an poſt noſtram Synodum ſcripſerit iſtam Apologiam, ignoro. Quidquid ſit, ſuo concepto, quod noſtræ Synodo obtulit, Symbolo inſeruit eadem verba: *Viſibilium omnium, & inviſibilium Creatorem*. Quocirca certum eſt iſta verba tam ab Euſebio, quàm à noſtro Symbolo eſſe prolata contra duplicis Divinitatis fabulones.

Epiſt. 65. cap. 1.

Deum Patrem. Exponit in laudato Catechiſtico ſermone Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Arianiſmum odi. Non dico: Erat tempus cùm non erat Pater: Sed Deum ſemper Deum, & ſemper Patrem eundem prædico, qui ſic eſt Pater, ut novit ipſe*. Et in Symboli expoſitione Sanctus Alexandriæ Patriarcha Cyrillus: *Celeberrimi* Nicænæ Synodi *Patres unum Deum agnoverunt & Patrem omnipotentem, ut cum Patre ſimul etiam Filii ſignificatio inferretur, per quem eſt Pater, ſimul ſubſiſtentis, & ſemper coexiſtentis. Neque enim in tempore factus eſt Pater, ſed quod eſt, ſemper fuit, hoc eſt, Pater ultra omne exiſtens, quod factum eſt, & ſumma celſitudine ſublimis*. Et in Apoſtolici Symboli expoſitione Presbyter Ruffinus: *Deus, ſecundùm quod opinari poteſt humana mens, naturæ ipſius vel ſubſtantiæ, quæ eſt ſuper omnia, eſt appellatio. Pater verò, arcani & ineffabilis Sacramenti vocabulum eſt. Deum cùm audis, ſubſtantiam intellige ſine initio, ſine fine, ſimplicem ſine ulla admixtione, inviſibilem, incorpoream, ineffabilem, inæſtimabilem, in qua nihil adjunctum, nihil creatum ſit. Sine auctore eſt enim ille, qui auctor eſt omnium. Patrem cùm audis, Filii intellige Patrem, qui Filius ſupradictæ ſit imago ſubſtantiæ. Sicut enim nemo dicitur Dominus, niſi habeat poſſeſſionem, vel ſervum cui dominetur, & ſicut nemo Magiſter dicitur, niſi diſcipulum habeat, ita & Pater nullo pacto quis dici poteſt, niſi Filium habens. Hoc ergo ipſo nomine, quo Deus Pater appellatur, cum Patre pariter ſubſiſtere etiam Filius demonſtratur*. Quare hæc ſola vox, *Pater*, plenè evertit Arianam hæreſim. Pater enim, nunquam incœpit eſſe, ſed ſemper ſine exordio eſt Pater, adeoque & Filius ſemper ſine exordio eſt Filius. Et hinc haſce blaſphemiæ voces, *Erat quando non erat*, quas Filio per Arium applicatas damnavit noſtrum Symbolum, eodem modo Patri applicari poſſe, & damnari debere, rectè adfirmat Sanctus Joannes Chryſoſtomus.

Ruffino dicenti vocem, *Deus*, eſſe Divinæ naturæ ſeu ſubſtantiæ appellationem, in litteris ad Euſtachium Medicum adverſatur magnus Baſilius: *Ignoro, quo pacto ad naturæ ſignificationem vocabulum Dei trahant, qui omnia ſic adſtruunt, quaſi à Scriptura non audiverint, quod in naturam electio non cadat. Moyſes enim in Deum Ægyptiorum electus & conſtitutus eſt, ita ad illum dicente divino Oraculo: Quoniam Deum te dedi Pharaoni. Poteſtatis itaque alicujus ſive ſacrorum, ſive mundanæ adminiſtrationis ſignificationem vocabulum hoc adfert. Natura verò divina, ut in ſe ipſa eſt, nullis nominibus, quæcumque excogitari poſſint, exprimitur, ſed ut nos arbitramur ignota & abſcondita manet*. Et in Epiſtola ad Ceſaræenſes: *Diſcant primum, quid nomen Deus ſignificet. Ab eo enim quod omnia excitarit, aut certè pervideat omnia & contempletur, Deus dicitur*. Sanctus Gregorius Nazianzenus in ſecunda de Deo Filio oratione, eſt ejuſdem mentis: *Quantum vobis aſſequi conceſſum eſt, Ens, & Deus magis quodammodo eſſentiæ nomina ſunt, ex iiſque etiam Entis vox ad eam judicandam eſt aptior, non hoc ſolum nomine, quod ipſe cùm Moyſi in monte oraculum ederet, quæreretque ille quo nomine vocaretur, ita ſe ipſum appellavit, edicens videlicet ei, ut ad Populum his verbis uteretur, qui eſt miſit me ad vos, ſed etiam quia nomen illud magis proprium eſſe comperimus. Quamvis enim Dei vox vel à verbo THEEIN, vel ab AITHEIN, ut putant, qui in hoc genere ſibi ſciti atque arguti videntur, hoc eſt, à currendo, vel ab urendo rationem ſuæ originis ducat, tum propter ſempiternam agitationem, tum propter vim illam vitioſarum affectionum conſumptricem: (nam hunc quoque ignis conſumens dicitur:) ex eorum tamen numero eſt, quæ ad aliquid referuntur, nec libera & abſoluta eſt, quemadmodum nec Domini vox, quæ Dei quoque nomen eſſe dicitur*. Et multis hæc confirmat. Et per Jacobum Gretzerum publicatus Anaſtaſius

Epiſt. 74.

Epiſt. 141.

Orat. 36.

Cap. 2.

sius Sinaita proponit sibi hanc quæstionem: Num Dei appellatio Essentiam, an Personam, an Operationem denotet? Item utrum propria sit, an metaphorica & translatitia? Et respondet: *Operationem significat, quod per se liquidum. Neque enim ipsam Dei substantiam intelligentiæ nostræ subjicit; fieri namque non potest, ut ea cognoscatur, sed solam potentiam agendi, quam Deo inesse cogitatione apprehendimus, vocabulum Dei nobis repræsentat.* Istud ipsum repetit inferius: & in eodem capite ex Sancto Dionysio Areopagita demonstrat vocabulum esse desumptum ab actione percurrendi, aut inflammandi. Et infra se exponit: *Nomen Dei à quadam operatione dictum est, non tamen significat operationem, sed naturam operantem; si enim nomen, Deus, significat operationem; omne autem nomen cujus habet significationem, illius est nomen; igitur nomen, Deus, est nomen operationis. Quare quod nominatur Deus est operatio Dei. Operatio igitur Dei est Deus, & Deus est operatio sua. Idem igitur est Deus & operatio Dei: quod est impossibile.* Loquitur de operatione transeunte. Quæ omnia favent sententiæ Philosophorum Nominalium, tradentium quævis divina attributa solis extrinsecis operationum connotatis distingui, & ab ipsis importari non ipsam in se divinam Essentiam, sed pro ut substat cuidam istiusmodi connotato.

Ruffino tamen consonat magnus Athanasius in libro, quo nostri Symboli adversum Eusebii Nicomediensis Episcopi Arianos dolos decreta exponit; demonstrat Deum Filium non esse Dei Patris Accidens, sed de ipsa ejus Substantia, & prosequitur: *Si ergo simplex est Deus, ut revera est, certum est, dum dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil nos eorum, quæ circa eum sunt, sed ipsius substantiam significare. Nam temetsi comprehendere, quænam sit illius substantia, nequeas, tamen de substantia illius, hoc est, de ipso Deo sentis & judicas, cùm pro Scripturæ nominibus Deus, & Pater, & Dominus appellatur. Cùm igitur dicit, Ego sum qui sum, & ego sum Dominus Deus, & ubicumque dicit Scriptura, Deus, nos qui hoc vocabulum audimus, nihil aliud nisi ipsam incomprehensibilem substantiam indicari intelligimus, & quod ille ipse est, qui vocabulo Dei significatur.* Quod ipsum repetit, & largius in libro de Ariminensi Synodo, ac Seleuciensi. Hoc ipsum in libro de Idolorum vanitate tradit Sanctus Cyprianus: *Non quæras Dei nomen. Deus nomen est illi. Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo qui solus est, Deus vocabulum totum est.* Ita sentit etiam Sanctus Augustinus, & Latini Patres passim omnes.

Omnipotentem, omnium visibilium, & invisibilium Factorem. Exponit in laudato loco Sanctus Cyrillus, adfirmans Deum Patrem *esse à se & à nemine factum*, atque adjungens: *Esse omnium Potentem ac Dominum, illustrem adeò & incomparabilem ei dat gloriam. Ab ipso autem condita esse dicunt omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris, ut hinc quoque nullam ei cum aliqua Creatura naturæ cognationem esse cognoscatur. Incomparabile enim discrimen est Factoris, & Facturæ, Ingeniti, & Geniti, naturæque sub jugo & servitute positæ, & illius quæ dominii dignitate, & divinam, & omni mundo excellentiorem gloriam sortita est.* Per invisibilia, cœlestes Angelos; per visibilia intelligit terrenas & quasvis corporeas Creaturas. Et rectè. Et per istas voces omnino damnantur cuncti, per solum ferè Orientem grassati, duplicis Divinitatis Fabulones. Vox, *omnipotentem*, damnat Hermogenem, de quo per Gentiles Philosophos seducto scribit Tertullianus: *Hermogenes materiam præponit Deo, & Deum potius materiæ subjicit, cùm vult eum de materia cuncta fecisse. Si enim ex illa usus est ad opera Mundi, jam & materia superior invenitur, quæ illi copiam operandi subministravit: Et Deus subjectus materiæ videtur, cujus substantiæ eguit: nemo enim non eget eo, de cujus utitur. Nemo non subjicitur ei, cujus eget, ut possit uti. Sic & nemo de alieno utendo, non est minor eo, de cujus utitur. Et nemo qui præstat uti de suo, non in hoc superior est eo cui præstat uti. Itaque materia ipsa quidem Deo non eguit, sed egenti se Deo præstitit divitem, & locupletem, & liberalem, minori opinor, & invalido, & minus idoneo de nihilo facere quæ velit. Grande revera beneficium Deo contulit, ut haberet hodie per quem Deus cognosceretur, & Omnipotens vocaretur. Nisi quod jam non Omnipotens, si non & hoc potens ex nihilo omnia proferre.* Apud Gentiles Philosophos fuit famosissimum axioma: *Ex nihilo nihil fit.* Nec intellexerunt, nec agnoverunt Creationem. Hinc materiam crediderunt æternam, & ex ipsa creaturas omnes per divinam artem eductas. Hunc errorem, quoniam Hæreticorum Patriarchæ semper Philosophi, Hermogenes tentavit inducere in Ecclesiam, atque ipsum de eversa divinæ Majestatis omnipotentia Tertullianus rectè arguit. Adversus illum Nicæna Synodus Deum Patrem profitetur *Omnipotentem*. Eundem Tertullianus arguit de duplicis Divinitatis fabula. Et rectè: si namque materia sit infecta, atque æterna, est à se, adeoque est omnino alter Deus. Et sic Hermogenes etiam per vocem, *unum Deum*, fuit damnatus. Item per vocem, *Invisibilium*, non tantùm Sancti Angeli possunt intelligi, sed etiam materia. Est Apostolica phrasis in Epistola ad Hebræos: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Phrasim ac modum, quo ex invisibili materia omnia visibilia corpora produxit divina Gloria multis exponit in libris de Genesi ad litteram Sanctus Augustinus. Proinde & ista vox damnat Hermogenem. Ejus errorem ad tertii decimi sæculi exordium resuscitavit Almericus Carnetensis garriens Deum esse materiam primam, & Patris Omnipotentiam per Filii in carne adventum cessasse. Quidam tamen has blasphemias adscribunt ejus discipulis. Quidquid sit, adversus illas in sua Lateranensi Synodo edixit Innocentius tertius: *Deus sua omnipotenti Virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit Creaturam; spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam.*

Et in unum Dominum Jesum Christum. De Orientali Ecclesia, quæ Apostolici Symboli de Deo Patre verbis addidit vocem, *unum*, scribit Presbyter Ruffinus: *Ubi nos dicimus: Et in*

Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum; Orientales Ecclesiæ omnes tradunt: Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, unicum Filium ejus, unum scilicet Deum, & unum Dominum, secundùm auctoritatem Pauli Apostoli profitentes. Uti prius adversum duplicis Divinitatis fabulones, ita hoc additamentum omninò factum est adversum Domini nostri Jesu Christi Divisores. Hi à Cherinto incœperunt, atque ita per Ebionem, Artemonem, Paulum Samosatensem, Photinum, aliosque erones medios, tandem devenerunt ad Nestorium. Et quidem adversus Cherintum non solummodo primam suam Epistolam, sed & suum Evangelium scripsit Sanctus Joannes Apostolus, atque ita ipse, aut certè quis alius in Oriente Apostolus possit Symbolo addidisse. Quidquid sit, istud additamentum est omnino antiquissimum, & ipsum probavit, atque admisit Nicæna Synodus. Rationem dat in litteris ad Petrum Fullonem Antiochiæ Patriarcham Eutychianum, qui adversus Nestorianam Hæresim Sacro Trisagio blasphemè addebat; *qui crucifixus est pro nobis*, Asclepiades Tralliarum Episcopus. *Et quid, non est intellectus iste junior Nestorio? Incœpit enim hoc à Photino vanæ sententiæ, quem Sancti Patres, qui in Nicæa convenerunt, in vita quidem non invenerunt, Dogma tamen ipsius condemnaverunt. Rursus hæc impietas renovata in tempore Samosateni iterum invaluit, & Sanctæ memoriæ Patres in Constantinopoli congregati, licèt ipsum non invenerint, tamen dogma ipsius condemnarunt, hoc est, non sapere duos Filios. Ideo unum Filium in ipsorum definitione confessi sunt.* Exstat epistola inter Acta Felicis tertii Pontificis. Et non malè loquitur. Rectius tamen dixisset à Nicæna adversus Samosatensem, adversus Photinum autem à Constantinopolitana Synodo vocem, *unum*, fuisse probatam, atque admissam. Et quidem quod Nicæna Synodus Pauli Samosatensis tunc grassantem adhunc hæresim discusserit, atque damnarit, lucet ex ipsius decimo nono Canone. Et in libello quem Imperatori Theodosio adversum Episcopi sui Nestorii errores exhibet, Basilius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus & Archimandrita affirmat ab illo resuscitari Paulum Samosatensem, damnatum olim ab Antiochæna Synodo, atque adjungit: *Magna, & Sancta trecentorum decem & octo Episcoporum Synodus apud Nicæam habita, eorum qui Antiochiæ contra Paulum Samosatensem convenerant, sententiam confirmavit & approbavit.* Exstat libellus in prima parte Ephesini Concilii. In tertia ejusdem parte exstat hic titulus: *De Incarnatione verbi Dei, Filii Patris, definitio Episcoporum, qui in Nicæa in Synodo convenerunt, & expositio ejusdem Synodi adversus Paulum Samosatensem.* Subjungitur expositio, cujus unicus scopus est ostendere Deum & Hominem esse unicum Filium. Et Sanctus Athanasius contra Paulum Samosatensem edidit Librum de Dei Verbi Incarnatione, & in ipso demonstrat Christum Dominum nequaquam alterum, & alterum, sed esse unam Personam, ac unum Filium, & ita esse definitum à Nicæna Synodo, atque adeo supponit vocem, *unum*, in Paulum respexisse.

Cap. 30.

Eadem vox impetit etiam Arium. Apollinarius Laodicensis in prima Syria Episcopus, statim post Nicænam Synodum notus Hæreticus: nos de divisa Christi Domini Persona, adeoque & de resuscitatis Pauli Samosateni erroribus, calumniabatur. Et hinc adversus illum Sanctus Gregorius Nazianzenus in priori ad Cledonium Iconiensis in Lycaonia Ecclesiæ Presbyterum Epistola ponit hos Anathematismos: *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est. Si quis duos Filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex Matre, non autem unum atque eundem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. Quamquam enim Deus & Homo duæ naturæ sint, non tamen duo Filii, nec Dii.* Confirmat hæc multis, atque ita & se, & Catholicam Matrem ab Apollinarii mendaciis expurgat. Etiam in carmine de vita sua exponit Apollinarii errores, & pergit: *Errore quippe labitur non dispari, concinnitatem hanc inferam quisquis ferat, inducit ut qui filios stulte duos: quorum Dei sit unus, alter Virginis.* Fol. 10. Et in litteris ad Archibium Presbyterum Isidorus Pelusiotes Arianis adscribit hunc de Christo Domino articulum. *Nudus fuit homo divina gratia decoratus.* Lib. 4. Epist. 166. Et in vigesimum sextum Sancti Augustini fragmentum habet: *Arianus, & Photianus Dominum Jesum nisi hominem omnino non noverunt: Homuncionistæ dicuntur isti Hæretici, quia non noverunt Christum nisi hominem.* Et in libro de Ariminensi ac Seleuciensi Synodo, Sanctus Athanasius demonstrat Eusebium Cesaræensem consensisse, & subscripsisse nostro Symbolo, & adjungit: *Quin & Eusebius Arianos criminatus est, quod dicentes: non erat Filius antequam nasceretur, eum ne ante Mariam quidem voluerunt extitisse.* Qui omnino est ipsissimus error Photini, ac Pauli Samosatensis. Eum Arianis frequenter adscribit, & à Nicæna Synodo damnatum affirmat etiam Lucifer Episcopus Calaritanus. Et ipse Sanctus Athanasius in litteris ad Adelphium Episcopum, in litteris ad Maximum Philosophum, in litteris ad Epictetum Corinthi Episcopum, & in libro de Dominica Incarnatione contra Apollinarium, constantissimè Arianos arguit de eadem blasphemia. Et adversum illos edidit Orationem, cui hic titulus: *Unum esse Christum.* Errorem solidissimè revincit, ac demonstrat, præsentia nostri Symboli verba adversus illum emanasse, quod ipsum etiam Origenem docuisse adfirmat per Jacobum Gretzerum publicatus Anastasius Sinaita. Cap. 20. Origenis discipulum egit Arius, atque hanc impietatem ab ipso est mutuatus.

Filium Dei. Exponit in Acclamatorio ad Imperatorem Martianum sermone Chalcedonensis Synodus: *Hoc verbum perfectum est, atque sufficiens his, qui ad confessionem fidei devotum animum deferre contendunt, Unam Divinitatis naturam Patris, Filiique significans, ita ut non alterius quidem substantiæ Patrem, alterius verò Filium sensus excogitet, & Arii contra pietatem sentientis, malignitatibus conveniat. Sed quia Photinus atque Marcellus adversus Filium blasphemiam innovarunt, eum prorsus existere audaci calumnia negantes, sed unum eundemque Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum appellatum esse adfirmantes, & usque ad vocabulorum tantummodo*

so-

sonum, *Trinitatis definivere Substantiam*, *contra eos quoque trium Subsistentiarum Patres intulere doctrinam*. Adfirmat illas voces non tantummodo ad Arianum, sed insuper ad Photini Syrmiensis in Illirico, & Marcelli in prima Galatia Metropolitarum, Sabellianum errorem damnandum esse insertas Symbolo. Quod cum salis grano est accipiendum. Etenim Photini error tunc nedum apparuerat; & quod Marcellus in præsenti Synodo strenuissimè contra Arianos decertarit, eorum ideo odia incurrerit, & ab omni calumnia fuerit, & per Julium Pontificem & Sardicense Concilium absolutus, atque purgatus, suo loco demonstrabitur. Proinde contra Ebionem, Noctium, Praxeam, Sabellium, quosdam Montani Sectatores, & contra Paulum Samosatensem, aliosque Sacro-Sanctæ Trinitatis contractores, & eversores, verba ista sunt inserta Symlo. Et quia errorem Photinus & Marcellus resuscitarunt, dicuntur & contra ipsos inserta, utique per extensionem. Quod istum errorem etiam Ebion docuerit, disertè testatur in libris contra Parmenianum Sanctus Optatus Milevitanus Episcopus. Et de Paulo Samosatensi scribit in oratione de salutare Domini adventu contra Apollinarium Sanctus Athanasius: *Sabellius Pauli Samosatensis, cæterorumque gregalium Sententiam approbat. Veritus enim Arii divisionem errori illapsus est, quo Personas tollit*. Et Sanctus Epiphanius: *Paulus Samosatenus ab illa Joannis Sententia, qua scriptum est*: ***In principio erat Verbum***, *erroris occasionem arripuit, ut Dei Filium verè esse Dei Filium nollet agnoscere*. Dei verbum blateravit non Substantivum & Subsistens, sed duntaxat esse prolatitium, adeoque non esse Deum, nec Dei Filium. Igitur adversus hunc errorem Nicæni Patres dixerunt: *Filium Dei*.

Lib. 4.

Hær. 73. cap. 12.

Ex Patre natum Unigenitum, id est, ex substantia Patris. Hæ voces impetunt Arii blasphemias, garrientis Deum Verbum non esse natum ex Patre, sed à Patre creatum ex nihilo, & factum. Et verba *ex Patre natum* omnino sufficiebant. Verùm Eusebii Nicomediensis Episcopi dolosa vafrities compulit addi: *Id est ex Substantia Patris*. Exponit in litteris ad Afrorum Episcopos Magnus Athanasius: *Congregatis Episcopis volentibusque voces impietatis ab Arianis inventas è medio tollere, illud scilicet, quod ajunt: Ex non Entibus, & quod ajunt, Facturam & Creaturam esse Filium, & erat quan do non erat, & quod est commutabilis naturæ, & Sacrarum litterarum voces certas & confessas scripto complecti, nimirum ex Deo esse Filium, & natura Unigenitum, esse verbum, eumque solum virtutem, & sapientiam esse Patris, & verum Deum esse, ut Joannes dixit, & splendorem gloriæ, & formam Substantiæ Patris, ut Paulus scripsit. Hìc Eusebiani pravas suas opiniones sequentes, inter se se mussitare inimus quoque & Nos, inquientes, in vestram Sententiam: Nam & nos quoque ex Deo sumus: Unus siquidem Deus, ex quo omnia: Et vetera præterierunt: Ecce nova facta sunt omnia: omnia verò ex Deo. Et allegabant id quod in Pastore scriptum est: Ante omnia crede unum Deum esse, qui condidit omnia, instauravit & fecit, ut ex non existentibus existerent. Episcopi verò, intellecta eorum vafritie, & dolis adversus pietatem, clarius expresserunt hanc sententiam: Ex Deo scilicet esse, & scripserunt pro iis: Ex substantia Dei esse Filium. Ne verò creaturæ sua sponte, & sine auctore viderentur conditæ, sed Principium Causamque initialem haberent, dictum est, eas ex Deo esse, Filium contra solum esse proprium Substantiæ Patris, id enim proprium Unigeniti, & veri verbi cum Patre, ac proinde de eo solo scriptum esse, quod sit ex Substantia Patris. Atque ista fuit causa istius complexionis verborum*. Contra Eusebium Nicomediensem Episcopum Bithyniæ Metropolitam indefessum Arii defensorem, idem Athanasius edidit singularem librum, eique dedit hunc titulum: *Quod Nicæna Synodus animadversa Eusebii calliditate, congruis & piis verbis decreta sua super Ariana hæresi exposuerit*. Et in ipso adfirmat Eusebii factionem vociferationibus egisse ad Synodum, Catholicos Episcopos reddidisse rationes cum omni modestia, & pergit: *Episcopi sublatis Eusebianorum vocabulis istam formulam sanæ fidei conceperunt, omnibusque subscribentibus scripserunt, & ipsi Eusebiani iis verbis, quæ nunc culpant, loquor autem de vocabulis substantia, & consubstantialitate, approbantes Dei filium nullo modo facturam aut Creaturam esse, sed fœtum verbumque ex Patris substantia*. Addit easdem voces admissas & laudatas fuisse ab altero æquè fædo Eusebio, Cesaræensi apud Palæstinos Episcopo. Et infra demonstrat Eusebianorum de Deo filio verba esse terrena, Creaturis communia, impia, & prosequitur: *Quæ autem à Synodo sunt scripta, & statuta contra eos, si quis diligenter excutiat, inveniet in iis absolutissimè sensum veritatis contineri, & causam intendi istiusmodi vocabuli recta ratione niti, si diligenter audiantur. Causa autem hujusmodi fuit. Cùm Synodus in hoc esset, ut Arianorum impia vocabula tolleret, & voces adhibere vellet, quæ sine controversia sacrarum litterarum essent, nimirum eum Filium esse, & nequaquam ex non entibus esse, sed ex Deo, eumque verbum esse, & sapientiam, & nequaquam Creaturam, aut Facturam, sed germen proprium sui Patris; Eusebiani pro inveterata sua & prava opinione volebant illud ex Deo esse, commune esse, & ad homines quoque pertinere, neque quidquam Christum eo nomine à nobis differre, eo quod scriptum esset, unus Deus, ex quo omnia. Et rursum: vetera trasierunt: Ecce nova facta sunt omnia; omnia vero ex Deo esse. Ibi Patres animadversa ipsorum fraude, & impietatis vafritie, coacti sunt clarioribus verbis exponere, quid sit ex Deo esse, & scribere, Filium ex substantia Dei esse, ne ex Deo esse, & commune esse, & æquè ad Filium & Creaturas pertinere existimaretur. Cætera igitur omnia creaturas dixere, excepto Verbo, quod solum ex Patre genitum esse crediderunt: Et cætera quoque ex Deo esse, verùm non eadem ratione qua Filius. Creaturæ enim ideo ex Deo esse prædicantur, ne temerè & sponte extitisse videantur, aut fortuitam habuisse generationem, secundùm illos qui ex atomorum, & similarium partium connexu procreationem rerum constituunt: aut ne Creaturarum Auctor alius quàm Deus secundùm quosdam Hæreticos putaretur, aut Angeli secundùm alios, Creatores rerum existimarentur, sed ut Deus omnia per Verbum, cùm priùs non essent, ad essentiam pro-*

duxisse intelligentur. Adversum hos errores Synodus dixit, omnium visibilium & invisibilium Factorem. Pergit Athanasius: *Verbum autem cùm Creatura non sit, verè ex Deo & est, & esse prædicandum est: istius rei intellectus iis vocibus concipitur, quibus dicitur eum ex substantia Patris esse: Id enim nulli Creaturarum datum. Certè cùm Paulus omnia dixisset ex Deo esse, statim subintulit: Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, ut omnibus ostenderet Filium esse alium à cæteris rebus creatis: quæ enim à Deo facta sunt, per Filium facta sunt, nec alia de causa ita locutus est quàm ut Deum Creationis Auctorem esse demonstraret, non quod intelligi vellet ita omnia ex Deo esse, ut Filius ex Patre: Neque enim omnia talia, qualis Filius, neque Verbum est ex vulgo omnium, cùm sit omnium & Dominus & Conditor. Ideo enim Sacro-Sancta Synodus liquidius dixit eum ex substantia Patris esse, ut alius à natura rerum conditarum crederetur, cùm solus revera ex Deo, & ut nulla deinceps occasio hominibus impiis ad fraudem relinqueretur. Hæc igitur ratio est, cur Filium ex substantia Patris scriptum esse voluerunt.* Quod ipsum Athanasius compendio repetit in Litteris ad Serapionem Episcopum contra Macedonianos: *Arianæ, quas damnatas Synodus voluit, de Deo Filio voces erant ex non entibus: Erat quando non erat, Factura, Creatura. Adversum ipsas posuit in Symbolo: Unigenitum, qui ex Deo.* Ad hasce voces exultavit Eusebiana factio, quod essent ambidextræ, & non tantùm ad tegendas oves, sed etiam ad occultandos lupos aptæ lanæ. Hinc Synodus posuit: *Ex Patre natum Unigenitum.* Et adjunxit: *Id est ex Substantia Patris.* Et hinc discimus Symbolum nec à solo Hosio, nec à solo Hermogene, sed à plena Synodo contra Eusebianam Factionem disceptante, esse compositum, aut certè ab aliis composito varias particulas esse insertas. Hæc est vetusta Synodorum consuetudo. Existimo illius plenam digestionem Hosio ac Hermogeni fuisse delegatam à Synodo, ideoque ambos rectè dici illius compositores.

Hæc omnia confirmat in Litteris, quas ex Nicæna Civitate & Synodo ad suam Ecclesiam & Amicos scripsit Eusebius Cesaræensis in Palæstina Episcopus: *Cùm ista formula ab Episcopis præscripta esset, illud, ex substantia Patris esse, quomodo esset intelligendum, ab eis diligenter quærere cœpimus. Unde quæstiones, & responsa nata sunt, rationeque accuratè pervestigatum, quæ illis verbis subjecta esset sententia. Fatebantur illi, Ex substantia Patris esse, significare idem quod ex Patre esse, non tamen partem Patris esse. Nobis sanè videbatur pulchrum consentire cum pia doctrinæ sententia, quæ docet Filium ex Patre esse, non tamen esse partem illius substantiæ.* Ex quo lucet non tantummodo Eusebium Nicomediensem ante istarum vocum in Symbolum insertionem, sed etiam Eusebium Cesaræensem post ipsarum factam à Synodo comprobationem de ipsis dubitasse. Istorum Eusebiorum alter Arianæ perfidiæ tympanista, alter fuit vexillifer. Verùm Cesaræensis fuit dolosus Sinon, & pro Deo Verbo, aut potiùs pro Imperatore Constantino, & pro Ario ambidexter. Hinc antiquo Hæreticorum more istas voces non impugnavit apertè, sed sua quasi dubia proposuit. Et revera ex Arianis adversum voces ex substantia Patris, argumentis erat, quod illæ importarent traducem per sectionem ac divisionem. Adducta Eusebii epistola exstat in Ecclesiastica Historia Theodoreti. L. 1. c. 11. Easdem voces eleganter exponit in suo Symboli commentario Sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Porrò cùm Filii mentionem Patres fecissent, ne viderentur commune nomen ipsi attribuere, quod fortè & nobis quoque accommodari posset: (vocati enim sumus & nos filii:) prudentissimè adjiciunt ea, per quæ videre licet dignitatem naturalis Gloriæ, quæ in ipso est supra omnem creaturam, dicunt eum secundùm essentiam in Creaturarum ordine minime censeri, sed exstitisse adfirmant ex ipsa Patris essentia, sine tempore incomprehensibiliter: erat enim verbum in principio.* Quod vocibus: *Ex Patre genitum,* non minus quàm voci, *Consubstantiale*, Nicæna Synodus peremptoriam ad elidendas Arianorum argutiolas vim inesse crediderit ac voluerit, testatur in libro de Nicænis decretis Magnus Athanasius. Et in libro de Ariminensi, ac Seleuciensi Synodis affirmat primum, qui istas orthodoxissimas voces cœperit & docuerit in Arianum sensum dolosè detorquere, fuisse Georgium Alexandriæ Presbyterum, postea Episcopum Laodicænum. Hujus verba superius adduxi. Habemus plurima similia Sanctorum Patrum Testimonia, & Commentaria.

Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cyrillus prosequitur: *Postea verò ut sincerum esse partium significanter exprimerent ipsum Filium dixerunt Deum de Deo natum. Ubi enim omnino vera nativitas, illic omnino sequitur, ut intelligendum & dicendum sit, id ipsum quod genitum est, ab ejus qui genuit, substantia non esse alienum, sed ejus proprium, quia ex ipsa est, juxta rationem ipsi congruentem atque convenientem. Incorporeum enim, non ut corpus nascetur, sed magis sicut lumen ex lumine, ut in coruscante lumine, inde resplendens lumen intelligatur, & ex illo esse secundùm ineffabilem & indicibilem Processionem, & in ipso secundùm unionem, & identitatem naturalem; sic enim esse dicimus in Patre quidem Filium, in Filio autem Patrem. Nam Filius in propria natura & gloria Patrem describit.* Patrem in Filio, & Filium esse in Patre, ideoque Filium & ex Patre nasci, & in Patre manere, demonstrat ex Sacris litteris, ac prosequitur: *Et generationis quidem nomen etiam in creaturis positum inveniemus, juxta id quod à Deo dictum est, Filios genui & exaltavi, sed appellationem hanc gratiæ loco Creatura consequitur ac lucratur. At de naturalis Filio nihil tale per abusionem dictum est, sed omnia verè. Et propter hoc solus ex omnibus dicit: Ego sum veritas; quapropter sivè Generationem, sivè Filiationem de ipso quis dicat, nequaquam mentietur. Itaque muniunt animas nostras celeberrimi isti doctores, Patrem & Filium ubique, & Generationem nominantes, & Deum ex Deo, lumen de lumine effulsisse dicentes, ut illa generatio & incorporea sit, & simplex, & notionem ex ipso procedentis, & in ipso manentis habeat, & uterque existere in propria Persona intelligatur.* Eusebianas de vocibus, *ex Patris Substantia,* calumnias Synodus refutat. Affirmat Deum Filium nasci de Deo Pa-

ne, non corporeo more, per divisionem aut diffluxionem, sed tamquam lumen de lumine. Orthodoxi Patres, qui docuerunt animarum nostrarum traducem, illum non corporeum, sed spiritualem docuerunt, ideoque ipsum eodem etiam exemplo passim elucidarunt. Propagans enim lumen per propaginem non minuitur, non dividitur, non diffluit. Attamen propagatum lumen non manet in propagante, longè minus est hoc in illo. Hinc Sanctus Cyrillus rectè advertit claudicare etiam istam similitudinem. Etenim Deus Filius ex Deo Patre sic exit, ut uterque in utroque sit & maneat modo ineffabili, quem Patres appellant *Circuminsessionem*. Quod
Epist. 1. ipsum Cyrillus repetit in litteris ad suos Monachos, scriptis adversus Nestorium. Et in litteris
Epist. 73. ad suos Monachos Magnus Basilius de Symboli vocibus, *Ex substantia Patris*, scribit: *Filium Dei Unigenitum ejusdem cum Deo Patre essentiæ confitemur. Non quod sit ex una essentia in duas partes divisa; Fratres, absit. Non enim hoc cogitavit sancta illa ac Deo dilecta Synodus, sed quod idem intelligi secundùm essentiam debet Filius, quod Pater est secundùm essentiam. Sic enim nobis ipsi Patres exposuerunt, dicentes: lumen ex lumine*. Et in litteris ad Eustathium Sebastenum
Epist. 78. in prima Armenia Metropolitam: *Confitendum est Consubstantialem esse Patri Filium, quemadmodum in Symbolo scriptum est. Juxta tamen & hoc confitendum est, quod in propria Hypostasi sit Pater, in propria Filius, in propria Spiritus Sanctus, quemadmodum & ipsi Patres exposuerunt: Satis enim hoc, & clarè ostenderunt, ubi dixerunt: Lumen de lumine; nam aliud est lumen gignens, aliud quod gignitur. Lumen tamen, & Lumen utrumque, ita ut unum sit & idem essentiæ Verbum*. Adfirmat istas voces non tantùm ad Divinæ Generationis incorporeum & spiritualem modum elucidandum, sed etiam ad Processionis veritatem, ac inde natam Personarum distinctionem profitendam, esse Symbolo insertas. Quod ipsum pluribus demonstrat in litteris ad Canoni-
Epist. 300. cos, & adjungit: *Vox ista & Sabellii impietatem corrigit: tollit enim Hypostaseos identitatem, & perfectam Personarum intelligentiam introducit*. Præsertim hoc dicit de voce, *Consubstantialis*: omnino tamen etiam dicit de vocibus, *Lumen ex Lumine*. Et è Romana sua, quæ Auxentii Pseudo-Episcopi Mediolanensis causam tractavit, Synodo ad omnem Orientalem Ecclesiam scripsit Sanctus Papa Damasus: *Profitemur Lumen verum de vero Lumine, ne minutum, aut diversum putetur, quod Unigenitus habet splendorem Lucis æternæ: quia naturæ ordine, neque sine splendore Lumen, neque splendor potest esse sine Lumine*. Loquitur ad mentem Sancti Cyrilli. Et revera is fuit directus nostræ Synodi scopus.

Nostra Synodus omnino posuit, *Deum ex Deo, Lumen ex Lumine*. Et istas voces Ariani etiam omnino admiserunt. Omne ipsorum odium fuit adversum voces, *ex substantia Patris*, & adversus vocem, *Consubstantiale*. Inter varias ipsorum rationes, una fuit, quod istæ voces non haberentur in Sacris Litteris. Hinc adversum illos scribit in Oratione de fide Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Quid? quod & aliud tu quod scriptum non est pariter profiteris, id est, Deum ex Deo, & Lumen ex Lumine? Quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omitte. Si* Orat. 49.
unius Substantiæ vocabulum ideo times dicere, quia scriptum non est, timere identidem debes Deum ex Deo, & Lumen ex Lumine profiteri. Sed ego probo Deum de Deo, Lumen de Lumine unius Substantiæ vocabulum, in Scripturis Dominicis contineri, cùm ipse Dei Filius, qui Deus est, in Evangelio suo dicat: Ego de Deo Patre exivi. Jure & merito Deum de Deo profitemur, quia in Deo Patre Filium Dei, verum Deum de Deo vero natum esse cognoscimus. Sed non eo genere ut nos Dii sumus appellati, vel ut Moyses Pharaoni Deus sit dictus, sed quia verus Filius de vero Patre natus, non factus, verè & confidenter Deus de Deo dicendus est, sic & Lumen de Lumine, quod scriptum non est, mecum quidem dicis, sed mecum omnino non sentis. Hasce omnes voces, licèt non quoad litteras, & syllabas, tamen secundùm sententiam ostendit contineri in Sacris Litteris, ideoque rectè admitti etiam ab Arianis: & adjungit etiam de vocibus, *Ex Patris Substantia*, istud ipsum ab illis faciendum. Distinguit voces, *Deum ex Deo, Lumen ex Lumine*, & voces, *Deum de Deo*, & *Lumen de Lumine*, & addit: *Mecum quidem dicis, sed mecum omnino non sentis. Audi rationem: quia Lumen Pater, & Lumen Filius, rectè Lumen de Lumine credimus. Tu autem non Lumen de Lumine, sed Lumen ex Lumine ita asseris, quasi à Patre qui verum Lumen est, aliud Lumen sit factum, quod de ipsa Patris substantia non sit, sed sicut aliud quodlibet Lumen, quamquam à Deo sit factum, longè tamen aliud sit ab eo qui fecerit. Et ideo Lumen ex Lumine non de Lumine dicis. Cùm ergo hæc quæ prolocutus sum, mecum ita non intelligas, tamen ea ipsa, quomodocumque pronuntias, cùm scripta non sint, cur non & unius Substantiæ vocabulum, quod in Scripturis putas non contineri, mecum pariter profiteris, nisi quia tu in illis tuis habuisti, quomodo malignos sensus tuos occulta fraude in utroque contegeres, ut mecum hoc ipsum sono vocis exprimeres, & tamen longe dicti intelligentiam separares?* Uti Apollinaristæ & Eutychiani distinxerunt has propositiones: *Christus est ex duabus naturis, & Christus est in duabus naturis*, primam admittentes, secundam autem negantes; ita Eusebiana Arianorum factio distinxit has: *Deus ex Deo, Lumen ex Lumine; & Deus de Deo, Lumen de Lumine*. Admiserunt primam, alteram penitus refutarunt. Ratio jam est dicta à Gregorio, quia *Deus de Deo, lumen de lumine est unius substantiæ vocabulum*. Istæ voces necessariò important consubstantialitatem, & sunt idem cum his: *Ex substantia Patris*. At verò hæ Deus ex Deo, Lumen ex Lumine sunt versatilis, & ad utrumque pedem aptus cothurnus: apta sylva in qua & oves pascantur, & lupi. Istas voces admittere parata fuit Factio, dummodo hæ, *ex substantia Patris*, circumducerentur. Et hæc etiam disceptatio omnino fuit facta in Nicæno Concilio. Lucet ex sequentibus Gregorii verbis: *Denique & tunc potuissent Homousion, sicut & cætera, verbo tenus nominare, si habuissent quomodo illud ad aliam intelligentiam sævo sensu pervertere. Sed cùm viderent se in hoc*

verbo

verbo concludi, nullam omnino mentionem hujus rei fieri voluerunt, ne aut profitendo crederent, aut credentes professi viderentur, subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset; aut Deum in substantia dici non oporteret, ne corporeus crederetur. Eorum in Concilio dolos exponit per exemplum Gnosticorum: *Sicut & illi Hæretici, qui Resurrectionem carnis negant, & ad decipiendas animas simplices, væ dicunt his, qui non in carne resurgunt, sed si discutias eos, qui hoc dixerint, cùm scias illos carnis Resurrectionem omnino negare, dicent tibi: Væ illi utique erit, qui in carne baptizatus non fuerit, ut anima ipsius, dum in corpore est, de morte delictorum suorum, & sepulchro criminum, per Baptismum in eadem carne Resurrectionem accipiat.* Hosce Gnosticorum consutos dolos Tertullianus largè exponit in Libro de Carne Christi, & in Libro de Resurrectione carnis. Et prosequitur Sanctus Gregorius: *Sicut ergo hi verbo tenus defendunt, nam ipsius carnis salutem excludunt, ita & hi per verisimilem confessionem innocentium mentes occulta fraude seducunt, & ut solet lethale poculum, mellis dulcedine temperatum, suavitate fallente perimere, sic & hoc malum per blandimenta aurium, audientium sensus quadam labe contaminant, contagione adhærentes inficit.* Omne Eusebianæ Factionis in Nicæno Concilio studium fuit ex ambiguis & ambidextris verbis contexere Symbolum: sub illis occultare virus, evadere damnationem, illud postmodo prædicare ubique, jactare probatum à Synodo, atque ita pro Christi Domini Evangelio obtrudere Arii blasphemias. Et quidem sicut Apollinaristicam, atque Eutychianam Constantinopolitana, & Chalcedonensis, ita Eusebianam adductarum Propositionum distinctionem contempsit nostra hæc Synodus; Deum ex Deo, ac Deum de Deo censuit idem, atque in Symbolo posuit: *Deum ex Deo, Lumen ex lumine.* Arianos abundè conclusos censuit per voces: *Ex Patris substantia*; hæ enim voces sunt, de quibus Gregorius in Maximi Cynici Encomio: *Patres nostri, pius ille numerus, qui Nicæam se contulit, certis finibus ac verbis Divinitatis Doctrinam circumscripsit.* Et Nicænam phrasim firmavit Constantinopolitana Synodus, & ipsa scribens: *Deum ex Deo, Lumen ex Lumine.* Eodem modo & Nicænum, & Constantinopolitanum Symbolum sibi recitari, & suis actis inseri curarunt Ephesina Synodus, Chalcedonensis, & cunctæ apud Orientem celebratæ Generales. Exstat duplex Constantinopolitani Synodi latina translatio: Prior *Deum ex Deo, Lumen ex Lumine*; Posterior habet *Deum de Deo, Lumen de Lumine.* Hanc translationem habet etiam Ephesina Synodus. Chalcedonensium Actorum translator primam in Nicæno, secundam phrasim assumpsit in Constantinopolitano Symbolo. Nempe quædam Latinæ Ecclesiæ locutionem, in qua Ariani latitare poterant, refutarunt. Hodie & Romana & omnis latina Ecclesia constanter legit & cantat: *Deum de Deo, Lumen de Lumine.*

Orat. 23.

Quod vox *substantia* corporeitatem, & *substantia Patris* corpoream partitionem, ac defluxionem importent, est quæsita & conficta per Eusebianos calumnia. Veram autem, ex qua isti illas refutarunt, rationem prodit in laudata Oratione laudatus Gregorius: *Ut omne mysterium Hæresis Arianæ tradatur, cur noluit Filium Dei de Patris substantia credi, breviter intimabo. Ajunt enim: Cùm sit Deus Pater Omnipotens, Invisibilis, Inconvertibilis, Perfectus, semper idem, Æternus, Filius verò visibilis, quia sæpe à Patribus visus est, & convertibilis, atque mutabilis, quia variis figuris se se singulis quibusque monstravit. Quia si de Patris, inquiunt, substantia esset, fieri posset ut & carnem assumeret, & invisibilis tamen, atque immutabilis cerneretur, sed potiùs in ea qualitate, qua Pater est, permansisset, ex cujus substantia erat, quia quod de Patre est, nec videri, nec mutari, nec converti posse credendum est. Accedit ad causam, quia cùm illapsus est in Mariam, cùm Virginis uterum opplevit, aliud utique ex illa, quàm quod venerat, natum est. Unde jam, inquiunt, corrupta substantia statum vertit, ordinem perdit, continuò immutatione ipsa formatus de Deo in hominem, de Spiritu in carnem: Et utique Translatio omnis est interemptio pristini. Ac pro hoc, ajunt, si Filius de Patris substantia esset, posset etiam Pater minor videri substantiæ suæ vel translatione vel fine. Et proinde Filium ex alia substantia credere maluerunt, quæ verti, & mutari, & videri posset, quia hæc de Patris substantia credi non liceat. Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis Arianæ, dum non intelligunt virtutem Dei, neque Sancti Sacramenti dispositionem agnoscunt, ut Deum humanis conditionibus comparent.* Deum Patrem esse Creatorem, ideoque immutabilem ac invisibilem, Deum Filium blasphemant esse Creaturam, ideoque mutabilem, & oculis corporis visibilem. Hinc merito noluerunt admittere voces, *Ex Patris substantia.* Porrò quod hisce vocibus impactam calumniam, voces, *Lumen de Lumine*, quidem extenuent, at non plenè auferant, profitetur ibidem Gregorius; atque demonstrat: *Denique de hoc ipso, quod mecum profiteris, Ariane, si aliquam similitudinem velis in Deo conferre, nescio an quod comparaveris, posses expressius definire, ut puta cum dicis, Lumen ex Lumine, si ad explanandum illud scrupulosa narratione cogaris, quæso quomodo Lumen ex Lumine credas, utrum quasi lucernam ex lucerna, vel quasi solem ex sole, aut ut duas lucernas; aut duos soles, quasi duos Deos sub hoc exemplo inducas, in splendorem Luminis ejusdem de Lumine, vel claritatem solis de eodem sole fulgentem, de lumine lumina signes, ut in matrice Luminis Patris figuram assimules, Filium verò in splendorem ejusdem claritatis ostendas, ut ex eo Propheta dixerit: Apud te est fons vitæ, & in Lumine tuo videbimus Lumen. Vel Salomon, cùm dicit: Candor est Lucis æternæ, & speculum sine macula, Dei Majestas, & Imago bonitatis illius: Apostolus hinc prædicaverit Salvatorem nostrum esse Imaginem invisibilis Dei, eo quod & Imago solis lux sua sit, quæ de eodem sole procedit. Sed quanta ad hæc responderi possunt, quæ lites generant, quod Apostolus prohibet longum, est dicere; quippe cùm constet lumen illud quod est, æstimari, comprehendi, & definiri non posse, nec debere ex his, quæ in Mundo sunt, Majestati divinæ aliquid comparari; quia nihil de omnibus istis, quæ videntur*

Orat. 49.

den-

dentur, aut dicuntur, secundùm hoc quod Deus est condigna similitudine æstimari potest, quippe cùm ipsis intellectibus & sensibus major sit. Candidè & eruditè profitetur desumptam ex nostris luminis propagine similitudinem in variis claudicare.

Notanda sunt verba, *Ut aut duas lucernas, aut duos soles, quasi duos Deos sub hoc exemplo inducas.* Edicunt dolosum sensum, quo Eusebiani admiserunt verba: *Deum ex Deo, Lumen ex Lumine;* ut nempe essent duo Dii, aut duo diversa, & inæqualia lumina: Lumen creans, & lumen creatum. Hanc fraudem etiam Africana Sancti Eugenii Carthaginensis Archiepiscopi Synodus notavit in professione fidei, quam Hunerico Wandalorum Regi Ariano exhibuit, amplè demonstrans Filium esse è Patris substantia genitum, & adjungens: *Apparet unam esse Gignentis, Genitique substantiam, quia Deum de Deo, Lumen de Lumine veraciter profitemur.* E sacris Litteris demonstrat & Patrem, & Filium esse Lucem, ac Lumen, ac pergit: *Unde apparet Patrem & Filium unius esse substantiæ, dum Lucis, & Luminis diversa non potest esse substantia, ejus scilicet, quæ de se gignit, & quæ de gignente existit. Denique ne aliquis inter Patrem & Filium diversitatem naturalis Luminis introducat, ideo Apostolus de Filio dicit: Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus. In quo evidentius, & coæternus Patri, & inseparabilis à Patre, & unius cum eo esse substantiæ perdocetur: Dum Luci est splendor semper coæternus, dum splendor à Luce natura, vel substantia nunquam potest esse diversus.* Notat Arianos, quod duo diversæ naturæ Lumina assererent. Proinde voces, *Ex Patris substantia*, unam utriusque Personæ essentiam profitentur, voces, *Lumen ex Lumine* refutant Arianas de istis vocibus calumnias. Quæ omnia etiam ista Synodus amplissimè profitetur, atque demonstrat. Exstat Professio apud Victorem Uticensem Episcopum. (Lib. 3.) Porrò non dicit, *Deum ex Deo, lumen ex lumine, sed Deum de Deo, lumen de lumine.* Hæc profitenda formula est apud Latinos adeò antiqua.

Deum verum ex Deo vero, Genitum non factum, Consubstantialem Patri. Etiam hæc verba invadunt Arii blasphemias, asserentis Deum Verbum esse non rei veritate, sed solo nomine, nuncupatione, & præ cæteris creaturis donata per Dei gratiam dignitate Deum. Et contra eundem est adjectum, *Genitum, non factum*, ad exprimendum, quod non sit Creatura, sed germanum Dei Patris germen, fœtus, & proles. Et hæc omnino sufficiebant. At Eusebii Nicomediensis dolosum ingenium rursus compulit addi, *Consubstantialem Patri.* Exponit in laudata ad Africanos Antistites epistola Sanctus Athanasius: *Episcopis denuò interrogantibus paucos istos: Annè agnoscerent Filium, non Creaturam esse, sed virtutem & unicam sapientiam Patris, & per omnia Imaginem indemutabilem Patris, & Deum verum? deprehensum est Eusebianos inter se consusurrare, & annuere, quasi ista etiam ad ipsos pertinerent. Nam & nos, inquientes, Imago & Gloria Dei appellamur, & de nobis quoque id dictum esse, cùm & omnes qui vivimus, aliæque res complures, appellentur Virtutes. Si quidem egressa est omnis virtus Domini de Ægypto: Erucam quoque & Locustam virtutem magnam nominari: Et Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob: Et nos esse Deos suos ac proprios: quippe qui etiam fratres dicantur: quod si etiam Deum verum filium nuncupent, id & nos quoque non malè habet: Quoniam verus Deus factus est. Hæc Arianorum corrupta & perversa mens. Cæterum Episcopi, intellecta eorum fraude, collegerunt in unum has voces ex Sacris Litteris, splendorem, Fontem, & Fluvium, & Formam cum substantia, & illud item: Et in Lumine tuo videbimus Lumen: & illud quoque: Ego & Pater unum sumus: Et pro majori elucidatione scripserunt, Filium Patri esse Consubstantialem. Nam cùm superiora omnia intellectum hunc adferant, atque ita illorum obmurmuratio, quod hæ voces in Sacris Litteris non reperiantur, vana esse deprehenditur, cùm ipsi ex verbis in Sacra Scriptura non receptis impietatem suam instruant; scriptum siquidem nullibi est illud eorum: Ex non Entibus: Et rursus illud eorum; Erat quando non erat. Sed ipsi interim mirè incusant, quod per voces non in scriptura solemnes, sed tamen piè inventas condemnati sint, cùm ipsi tanquam è stercoribus exorti, verè de terra loquantur, Episcopi contra non has voces ipsi excogitarint, sed eas à Patribus contestatas acceperint, & scriptis suis inseruerint. Siquidem prisci Episcopi ab hinc annis prope centum & triginta, tum qui Romæ in nostra Civitate Pontificatum gessere, accusarunt eos, qui Filium Creaturam dicerent, aut qui eum negarent Consubstantialem Patri. Neque ejus rei ignarus erat Eusebius Cesaræensis Episcopus, qui cùm prius suffragaretur Arianicæ Sectæ, postea tamen Nicæni Concilii decretis subscripsit, & apud suos propriis id ipsum Litteris adfirmavit.* Et adducit Eusebii Litteras. Et in Libro, quem adversum Eusebianæ Factionis blasphemas, ac dolosas voces scripsit pro Nicæno Symbolo, harum vocum, *Ex substantia Patris*, causas exponit & prosequitur: *Episcopis rursum adfirmantibus & hoc quoque scribi debere, Filium veram esse Potentiam & Imaginem Patris, & similem Patri, & indemutabilem per omnia, & inconvertibilem, & æternum, & indivisum in Patre subsistere. Numquam enim non erat, sed semper erat, subsistebatque perpetuò apud Patrem, ut splendor Lucis. Ista quidem eatenus sustinebant Eusebiani, nihil ausi contradicere, ob probrum quod in Dictis suis refutatis passi erant, sed ita tamen ut deprehenderentur inter mussitare, nutus conferre, oculisque sibi invicem applaudere, quasi illud simile esse, & in eo esse & ejus Potentiam esse, communia Filio nobiscum essent, neque obstare quidquam, quominus nobis ea ipsa adaptarentur, eo quod de similitudine nostra cum Deo scriptum habeatur, Hominem esse & Imaginem, & Gloriam Dei. Quod vero spectaret ad hanc particulam,* semper, *in Scripturis reperiri has voces de hominibus: Nos semper qui vivimus, sumus. Jam quod ad illud dictum pertineret, quo Filius in eo, hoc est: In Deo esse dicitur, scriptum esse, quod & nos in eo vivimus, & movemur. Itidem quoque, quod Inconvertibilis dicatur, ne id quidem ab hominibus alienum esse, cùm scriptum reperiatur: Nihil nos separabit à charitate Dei. Porrò quod Potentia Dei appelletur, & id quoque commune esse, cùm Eruca, & Bruchus etiam Potentiæ Dei appellentur. Et*

quod

quod plus est magnæ Potentiæ: quin & de Populo sæpe scriptum est: Egressam esse omnem Domini Potentiam ex Ægypto, atque etiam adeo quasdam cœlestes Potentias virtutesque existere: Dominus enim virtutum nobiscum, Ereptor noster Deus Jacob. Talia enim Asterius, ab ipsis Sophista nominatus scripsit: Talia quoque Arius ante eum. Cæterum Episcopi considerata illorum hypocrisi, & vafricie, ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex Scripturis colligere, & quæ priùs dixerant, apertioribus verbis repetere, & scribere, Filium Consubstantialem esse Patri, ut non solum similem similitudine, sed eundem ea voce, qua ex Patre esse dicitur, significarent, atque aliam Filii similitudinem, ac inconvertibilitatem declararent, diversamque ab ea, quæ in nobis est, imitationem quam ex virtute per observationem mandatorum consequimur. Siquidem corpora interim similia distare possunt, & longè à se invicem disjungi, quales sunt liberi, qui similitudine parentes referunt, quemadmodum scriptum est de Adamo, & ex eo genito Seth, quod fuerit ille specie similis. Cæterum quandoquidem illa Filii ex Patre generatio est, alia à natura hominum, Filiusque non solùm similis, sed indisseparabilis est à Patris substantia, & quia ambo unum sunt, ut ab ipso dictum est, semperque in Patre est, & Pater in eo, quia splendor est respectu Lucis, hoc enim vox illa significat; ideo Synodus, re perpensa rectè eum Consubstantialem esse tradidit, ut & Hæreticorum subverteret malitiam, & ostenderet eum esse alium à rebus creatis. Et statim infra: *In his verbis: ex Patre esse, & Consubstantialem esse, vim peremptoriam Patres voluere contineri, ad eludendas has argutiolas, Filium creatum, aut factum, aut mutabilem esse, aut non fuisse antequam nasceretur.* Pluribus hæc deducit, & demonstrat niti firmis fundamentis. Et ex his discimus varia. Primò, quod divinam Filii Essentiam, Personam, & Generationem tot Synonymis, ac quasi superfluis vocabulis exponere & confirmare Synodus fuerit compulsa à dolosis Eusebianæ Factionis technis, & expositionibus. Quodcumque enim ex insertis Symbolo vocabulis apud simplices & rectas mentes est ad omnia sufficiens. Secundò discimus, quod palmaria Symboli de Deo Verbo vocabula sint hæc: *Ex Patris substantia, & Consubstantialem Patris.* Reliqua enim omnia ad suam pravitatem detorquere tentavit Eusebiana impietas, ista sola fecerunt illis aquam hærere. Hæc sola sustinuere omnem ipsorum persecutionem. Tertiò iterum discimus, quod Symbolum non ab uno Episcopo, sed totius Synodi Collatione, & acri cum Eusebianis disputatione fuerit compositum. Eadem omnia Athanasius amplè repetit in libro de Ariminensi Synodo ac Seleuciensi. Affirmat Arianos ad vocem, Consubstantiale, non dumtaxat scandalizari cum Pharisæis, sed ex ira & indignatione rumpi. Et hinc in Chronico scribit de Nicæna Synodo ipse Cæsaraeensis Eusebius: *Omnes Hæreticorum machinas Homousii oppositione dejecit.* Loquitur ex sancto suo Magistro Gregorio Nazianzeno, qui supra nobis dixit pietatis Doctrinam ab ista Synodo fuisse certis verbis circumscriptam: utique adversus dolos, & mentales restrictiones Arianorum. Quin Sanctos Patres in Nicæa ad *Homousion* constituendum fuisse congregatos, adeoque istius stabilitionem extitisse palmarem Synodi scopum, scripsit ad Sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham Acacius Berrhææ in prima Syria Episcopus. Exstat epistola & in prima parte Ephesini Concilii, & in Regesto laudari Cyrilli. Plura istiusmodi testimonia inferius adducam.

Nolim tamen omittere elogium, & commentarium, quæ vocabulo, *Consubstantiale*, in acclamatorio ad Imperatorem Marcianum sermone dedit universa Chalcedonensis Synodus: *Hoc verbum perfectum est, atque sufficiens his, qui ad confessionem fidei devotum animum deferre contendunt, unam Divinitatis naturam Patris Filiique significans, ita ut non alterius quidem substantiæ Patrem, alterius vero Filium sensus excogitet, & Arii contra pietatem sentientis malignitatibus conveniat. Sed quia Photinus, atque Marcellus aliam adversus Filium blasphemiam innovarunt, eum prorsus existere audaci calumnia negantes, sed unum eundemque ipsum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum appellatum esse affirmantes, & usque ad vocabulorum tantummodo sonum Trinitatis definivere substantiam, contra eos quoque trium subsistentiarum Patres intulere doctrinam, non extra Scripturam Sanctam hanc inventionem sibi confingentes, nec intelligentiam fidei veluti imperfectam penitus transeuntes, sed eam divinitus inspiratis explanantes eloquiis, & pro Homousii, id est, unius essentiæ confessione optimè desudantes, & ostendentes quod unam duarum Personarum nobis essentiam fides ediderit, nequaquam Filii subsistentiam denegarit.* Affirmant vocem Homousion, non tantummodo adversus Arium, sed etiam adversus Praxeam, ac Sabellium, Photini, & Marcelli, qui postea cœperunt delirare, Magistros esse insertam Symbolo, validam atque efficacem. Notanda item est quorumdam Apollinaristarum blasphema audacia, garrientium, humanam naturam fuisse à Verbi Divina absorptam, aut conversam in ipsam, ideoque non de sola Divina, sed de utraque verbi natura esse scriptum à nostra Synodo, *Consubstantialem Patri.* Blasphemiam multis refutat in Litteris ad Epictetum Corinthi Episcopum Sanctus Athanasius, & adjungit: *Hæc quando prodierunt? Immò quis Infernus ista eructavit?* Et infra: *Patres qui Nicææ convenerunt, non corpus, sed Filium ipsum Patri coæternum fuisse asseverant, idque ex substantia Patris, Corpus verò rursum ex Maria secundùm divinas Scripturas ortum traxisse confitentur. Aut repudiate igitur Nicænum Concilium, & ut Hæretici ista inferte; aut si vultis esse Patrum Filii, non debetis sentire diversa ab eis, quæ Patres ipsi conscripserunt.* Synodorum Decretis pessimè abuti est Hæreticis adeo antiquum. Epictetum quod similes blasphemias vel audire sustinuerit Athanasius meritò increpat.

Qui propter nos Homines, & propter salutem descendit, & incarnatus est, & Homo factus. Aliqui putant ad vocem *Incarnatus* fuisse additum ex Maria Virgine. Et probant ex laudatis Athanasii verbis: *Corpus ex Maria secundùm divinas Scripturas ortum traxisse confitentur.* Et infra pergit: *Si Consubstantiale est verbum corpori, superfluum est ut Mariæ vel mentio, vel usus habeatur, cùm corpus illud ante Mariam ab æterno consti-*

stiteret. Lucidum atque efficax videtur hoc Athanasii testimonium. Interim Sanctorum Patrum, qui suis scriptis inseruere Nicænum Symbolum: nullus ista verba illi inseruit, proinde aliud non vult magnus Athanasius, quàm quod Patres ista verba ad verbum, *Incarnatus*, ex Apostolico Symbolo subintellexerint. Verba ista spectant ad additamenta facta, & probata per Synodum Constantinopolitanam. Porrò nostri Symboli adjuncta verba damnant Ebionem, Cherintum, Theodorum Coriarium, Artemonem, Paulum Samosatensem, & ipsorum tunc adhuc grassantes Discipulos. Affirmant ac profitentur ipsum ex Dei Patris substantia non factum sed genitum, ac ipsi Consubstantiale Verbum pro nobis descendisse de Cœlis, esse incarnatum ex Maria Virgine, & hominem factum. Tradit hoc in Litteris ad Maximum Philosophum Sanctus Athanasius Dominicæ Incarnationis Mysterium insigniter exponens, ac prosequens; *Quapropter ne quis irrideat verba dum audit, Puerum, ætatem, incrementum, edere, liberè pati, ne si quæ peculiaria sunt corporis abnegarit, abneget etiam planè ejus ad nos adventum. Et quemadmodum non naturæ ordine Homo factus est, ita tamen ex ordine erat, ubi Corpus assumpserat, ut ea in se ostenderet, quæ propria erant Corporis, ne Phantasiæ Manichæi invalesceret. Rursumque ex ordine erat, corporaliter se gerentem ea, quæ sunt Divinitatis, ne Samosatensis causam sui erroris reperiret, Hominem eum dicens, & diversum à Verbo Deo*. Hæc amplè illustrat, & concludit: *Vincant, & robur suum habeant, quæ Nicææ Patrum Confessionibus constituta sunt. Recta enim fides est, quæ sufficiat exterere omnes impias Hæreses*.

Eundem errorem notat & largè exponit Sanctus Athanasius in quarta Oratione contra Arianos: *Scopus igitur iste, & formula sacræ Scripturæ est, ut sentias ibi duplicem esse de Salvatore historiam, eumque semper & Deum, & Filium esse, quia Verbum sit, & Jubar, & Sapientia sui Patris; postea autem propter nos assumpta carne ex Maria Virgine eundem Hominem esse genitum*. Revera omnium sacrarum Litterarum scopus est nobis prædicare mediatorem Deum Hominem, duas in ipso cum suis diversis operationibus & proprietatibus Naturas, & unam Personam. Ex utroque Testamento demonstrat hæc Athanasius, & pergit: *Cæterum homo factus est, & non in hominem, qui jam erat, supervenit. Nam & hoc quoque cognitu necessarium est, ne quando, qui hic ruinam passi sunt impii, etiam alios secum eòdem præcipitent. Quippe qui existimant eum, quemadmodum priscis temporibus in unumquemque ex Sanctis descendit, ita tum quoque in Mariæ Filium descendisse, ut eum sanctificaret, & in eo se se ostenderet, ut in cæteris sanctioribus hominibus fecit*. Ut in illo habitaret, non per Hypostaticæ Unionis, sed per solam Sanctificationis gratiam, ut habitavit in Patriarchis, & Prophetis. Quem errorem non solummodo in Pauli Samosateni Discipulis, sed etiam in multis Arianis fuisse grassatum, & ab ipso Ario duxisse novam originem, est superius demonstratum. Proinde adducta Synodi verba sunt adversum istos omnes errores inserta in Symbolum.

Esse etiam adversum Manichæos, Gnosticos, & cunctos duplicis Divinitatis fabulones inserta, rectè addit Athanasius. Hi enim omnes adsumptæ carnis veritatem negant, docent solam ejus mendacem, & fantasticam speciem, è virgineo sanguine Conceptionem præsertim destestantur, ideoque Dominicam Incarnationem penitus negant. Eorum stultas blasphemias, ac ipsarum nugacia fundamenta vide apud Sanctum Irenæum, apud Sanctum Epiphanium, ac apud Tertullianum in Libro de carnis Resurrectione, ac in Libro de carne Christi. Plerasque Valentini Gnostici fabulas resorbuit, ac in Romanum Orbem statim post nostram Synodum renovavit Apollinarius Laodicensis, in prima Syria Episcopus. Etiam ipsas fuisse à nostræ Synodi adductis verbis prædamnatas adfirmat atque demonstrat in litteris ad Epictetum Corinthi Episcopum Sanctus Athanasius: quædam ejus verba superius adduxi. Indignatur erroribus, quod Nicænam fidem à se teneri, ac defendi jactitarent, & prosequitur: *Ob istane disceptabant inter se, qui se se efferebant ob confessionem Patrum in Nicæna Synodo? Ego autem demiratus sum tuam pietatem hæc sustinuisse, quod non simul & istos compescuerit, & piam fidem illis proposuerit, ut iis auditis vel in quietem se darent, vel si inquieti contradicerent, hæretici homines judicarentur. Nam ista nec dictu, nec auditu tolerabilia sunt apud Christianos, sed omnibus modis aliena ab Apostolica doctrina*. Et post quædam: *Nihil certè tale in Divinis Scripturis, quæ Deum in humano corpore fuisse, ajunt, reperias. Et Patres, qui Nicææ convenerunt non Corpus, sed Filium ipsum Patri Consubstantialem fuisse adseverant, atque hunc quidem ex substantia Patris, Corpus verò rursum ex Maria Virgine secundùm Divinas Scripturas ortum traxisse confitentur. Aut repudiate igitur Nicænum Concilium, & ut Heretici ista inferte, aut si vultis filii Patrum esse, non debetis sentire diversa ab iis, quæ Patres conscripserunt*.

Notanda sunt verba: *Disceptabant, & decertabant inter se*. Agit de Apollinaristis, qui Christo Domino non humanam, & nobis consubstantialem, sed è Divina aut alia, nescio qua cœlesti substantia factam, & conversam in Divinam naturam, ideoque Deo Patri consubstantialem carnem, aut potius carnis vacuam speciem dogmatizabant. Item & agit de Arii, ac Pauli Samosateni discipulis, qui Christum Dominum non Deum Hominem, nec unam in duplici natura Hypostasim, sed purum à Deo per meram Sanctificationis gratiam inhabitatum hominem garriebant. Agit de hisce inter se, uti juraris inimicis litigantibus, & ambobus profitentibus, ac sibi favere blaterantibus Nicænum Symbolum. Adfirmat & operosè demonstrat utramque insaniam ab isto Symbolo esse patentissimè damnatam. Ab ipso tradi ipsum Deo Patri Consubstantialem Filium descendisse è Patris sinu, esse incarnatum è Maria Virgine, & hominem factum: non dumtaxat inhabitatum, sed Hypostaticè incarnatum & factum hominem: non inane hominis spectrum, sed verum & nobis consubstantialem hominem. Quæ ipsa abundè & eruditè demonstrat in libro de Incarnatione Dei contra Paulum Samosatensem, & in Li-

Libro de humana natura suscepta ab Unigenito Verbo contra Arianos, & Apollinarium.

Istorum Arianorum & blasphemiam, & ex Nicæno Symbolo audaciam resorbuit Nestorius. Exstat ejus ad Sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham epistola, qua admodum loquaciter tentat sui dogmatis cum Nicæno Symbolo consonantiam demonstrare. Et omnium Nestorianorum altissima vox erat, quod vocabulum *DEIPARA*, à Nicæno Concilio non fuisset agnitum. Ita habes in litteris Sancti Cyrilli ad suos Monachos. Et ejusdem alia ad suorum Monachorum Præfectos epistola habet: *Quoniam vestra Pietas scripsit quod nonnulli quæ in Symbolo continentur, eò detorquent, quò non oportet, verborum Symboli vim non intelligentes rectè*. Audiamus Nestorii verba ac fundamenta: *Ajunt* Patres *Credimus in Dominum nostrum Jesum Christum, Filium ejus unigenitum. Observa hìc, quomodo Dominum, Jesum Christum, Unigenitum, & Filium, nomina utique, quæ humanæ Divinæque naturæ ex æquo conveniunt, perinde ac fundamenta quædam substernentes, Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis traditionem illicò subjungant, atque superstruant, nempe quo communibus quibusdam nominibus utramque naturam significantibus propositis, neque ea, quæ Filiationis & proprietatis sunt scindantur, neque ea rursum, quæ naturarum sunt, propter Filiationis singularitatem in confusionis periculum adducantur*. Quædam Christi Domini Idiomata adfirmat unius dumtaxat, quædam esse duplicis naturæ significativa: Prioris generis hæc, Deus, verbum, Homo: Posterioris generis hæc, Dominus, Christus, Jesus, Unigenitus, Filius. Addit Nicænam Synodum non de istis, sed de solis his prædicasse Incarnationem, Inhumanationem, Passionem, ac Resurrectionem, ideoque ex ipso Cyrillo, qui ipsum Deum Verbum volebat incarnatum, & passum, nullum fundamentum esse, nullum præberi fomentum. Adversum hasce nugas Cyrillus à suorum Monachorum Præfectis rogatus, scripsit expositionem Nicæni Symboli, & in ipsa hæc habet: *Porrò* Patres *cùm Filii mentionem fecissent, ne viderentur nomen commune ipsi attribuere, quod fortè & nobis quoque accommodari posset, vocati enim sumus & nos Filii, prudentissimè adjiciunt ea, per quæ videre licet Divinitatem naturalis gloriæ, quæ in ipso est supra omnem Creaturam*. Quod Patres non de assumpto homine, nec de Deo homine, sed de solo naturali, ac Consubstantiali Dei Patris Filio sanctiant adversus Arium amplè demonstrat, ac prosequitur: *Igitur postquam Patres demonstrarunt Consubstantialem, ejusdemque gloriæ, & ejusdem in operando efficaciæ cum Patre Filium, opportunè commemorant ipsum hominem factum, & illius cum carne dispensationis. Sacramentum declarant rectissimè statuentes hanc fore absolutissimam* Ecclesiæ *traditionem. Non enim in ipsum credentibus satis est id solum persuasum habere, ac sentire, quod Deus de Deo Patre sit natus, & illi Consubstantialis, & Character substantiæ ejus sit, sed etiam necessarium est ad hæc scire, quod propter salutem, ac vitam omnium dimiserit se ad exinanitionem, sumpta servi forma, & processerit homo natus, secundùm carnem ex muliere. Propter hoc dicunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, incarnatus, & homo factus est*. Amplè hæc elucidat, & concludit: *Unus est igitur Dominus Jesus Christus, ipsum Unigenitum Dei Patris Verbum, homo factum, non relinquens autem esse, quod erat. Mansit enim etiam in humanitate Deus, & in servi forma Dominus, & in exinanitione nostra plenitudinem habens Divinitatis, & in carnis infirmitate virtutum Dominus, & in mensuris humanitatis habens proprium, quod est super omnem Creaturam*.

Epist. 1.
Epist. 47.

Non solus cum suis discipulis Nestorius, sed & omnis Joannis Antiocheni Patriarchæ Factio Sanctum Cyrillum, & ejus duodecim capitula arguit de lepra Apollinarii: & ipsum uti Apollinaristam in Ephesino suo Conventiculo condemnavit. Adversum has calumnias se se purgat ille, & affirmat non solius Nestorii, sed & Apollinarii nugas esse prædamnatas à Nicæno Symbolo: Orthodoxiam in medio ambulare. Quæ omnia latè confirmat ac repetit in litteris ad suos Monachos, ac in litteris ad ipsum Nestorium, ac in litteris ad Successum, Episcopum Dio-Cesaraææ in Isauria. Ostendit voces, *Deipara*, licèt non Syllabas, tamen sensum, atque substantiam in nostro Symbolo contineri: Et hæc omnia stabilivit & comprobavit plena Ephesina Synodus. Etenim primò Nycænum Symbolum, tum Nestorii scripta, tum Sancti Cyrilli epistolas sibi jussit illa prælegi, & tunc Juvenalis Hierosolymæ Episcopus dedit hoc suffragium: *Sacrum fidei Symbolum, Nicææ quondam editum, & paulo ante hìc recitatum; & Sanctissimi Archiepiscopi Cyrilli epistolam, cæteraque omnia à sancta illa Synodo exposita per omnia sibi consentanea, ac inter se consentientia comperio. Quocirca piis hisce dogmatibus assentior & subscribo*. Quod suffragium omnes omnino Episcopi confirmarunt. Nestorii dicta, & scripta edixerunt deviare ab isto Symbolo, ideoque & hæc; & istum damnarunt. Et huc omnino respexit in Symboli expositione Sanctus Cyrillus; *Jam & sancta Synodus in Epheso congregata, cùm adversus perversam Nestorii opinionem sententiam tulit, & sanctam, & accuratam, simul quoque & pari sententia, & pœna condemnavit aliarum vocum novitates, quotquot post illum forent, vel ante illum fuerunt, qui eadem cum illo saperent, dicereque vel scribere auderent*. Nestorii opinionem, quod Nicæno non cohæreret Symbolo, adfirmat damnatam ab Ephesino Concilio, ideoque & omnem istius detorsionem ibi fuisse percussam.

Epist. 4.
Epist. 39.

Apollinarii fœdum dogma, & ex nostro Symbolo attentatam audaciam resumpsit Archimandrita & Hæresiarcha Eutyches, nam ejus palmaris, quam in sua ad Sanctum Leonem Pontificem appellatione deposuit adversus sui Episcopi Flaviani Synodum, querimonia hæc fuit: *Quod Nicænæ Synodi constituta servans, fuisset de fidei diversitate culpatus*. Ita habes in litteris laudati Pontificis ad Imperatorem Theodosium. Hoc ipsum allegavit in suæ appellationis libello ad Ephesinum latrocinium. Et per istum fucum Præses istius latrocinii Dioscorus illum ab inflicta per Sanctum Flavianum, ac per Sanctum Leonem confirmata damnatione, absolvit. Et ejus in Chalcedonensi Synodo sequaces non juxta facta per Constantinopolitanam Synodum adEpist. 7.

ditamenta, sed secundùm simplices, & puros Nicæni Concilii terminos voluerunt judicari, & adversum hasce imposturas laudata Chalcedonensis Synodus in acclamatorio ad Imperatorem Martianum sermone constanter asserit non solùm Nestorii, sed & Eutychetis nugas esse patenter damnatas à Nicæno Symbolo, & demonstrat ex ejus verbis: *Descendit, & incarnatus est & inhumanatus*. Hæc ita commentatur: *Quod descendit quidem, hæc dicta sunt, spontaneæ potestatis condescensionem describentia, dicens verò incarnatus est, veram adsumptionem nostræ carnis, & ex Virgine per unitatem nativitatis ostendit, quod vero inhumanatus est, in ipso naturæ nostræ plenitudinem ex anima rationali, & corpore manifestat*. Affirmat per voces, *descendit & incarnatus est*, Novatianam, & per voces, *& homo factus est*, Eutychianam perfidiam fuisse prædamnatam. Et revera Nicænum Concilium nobis omnino prædicavit per Incarnationis mysterium non solam carnem, sed omnino totum ex anima, & carne hominem fuisse assumptum. Hinc addit: *Et homo factus est*, utique plenus, atque perfectus. Adsumpsit nostra omnia, dempto peccato. Chalcedonensis Synodi acclamationem probat in litteris ad Imperatorem Leonem Sanctus Leo Pontifex. Et Nestorii, & Eutychetis errorem exponens, demonstrat hunc, ex Valentino ac Manichæo desumptum, & prosequitur: *Quæ impietatis mendacia, quoniam olim Fides Catholica detestatur, & aliarum adsertionum sacrilegia concordibus per totum mundum Beatorum Patrum dudum sunt damnata sententiis; non dubium est eam nos fidem prædicare atque defendere, quam sancta Synodus Nicæna confirmavit dicens: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem*. Recitat universum Symbolum Nicænum, & concludit: *In qua professione hoc evidentissimè continetur, quod etiam nos de Domini incarnatione confitemur, & credimus, qui ad salutem humani generis reformandam, veram carnem nostræ fragilitatis non de cœlo secum detulit, sed in utero Virginis Matris assumpsit*. Lucidè adfirmat hæc definiri per verba: *Descendit, incarnatus est, & homo factus*. Etiam in alia Epistola scribit ad eundem Principem: *Patefacimus in omnibus & probamus non esse omnino inter Catholicos computandum, qui definitiones Venerabilis Synodi Nicæni vel Sancti Chalcedonensis Concilii regulas non sequitur, cùm utrorumque sancta decreta ex Evangelico, & Apostolico sit manifestum fonte prodire, & quidquid non est de irrigatione poculi Christi, poculi esse viperei*. Horum Apostolicorum Rescriptorum fundamentum aperit in Chronico Victor Tunnonensis Episcopus. Leo Augustus, supplicationibus Ægyptiorum permotus ut Synodus fieret, quæ de gestis Synodi Chalcedonensis judicium ferret, ad cognoscendum singulorum fidem, Ecclesiarum Præsulibus unicuique semotim scripsit, & à singulis epistolas tamquam ex una collatione consonas suscepit, id fieri non posse, sed magis ac magis in sua perpetuitate Synodi gesta *Chalcedonensis manere*. Dioscori errore languens, Sancti Episcopi sui Proterii barbara cæde sanguinolenta, & Pseudo-Patriarchæ Timothei Æluri contagio fœda Ægyptus de Nicæni Symboli prævaricatione constanter accusabat Chalcedonensem Synodum,

Epist. 97. cap. 1.

Epist. 78.

Eutychetem & Dioscorum clamabat iniquè damnatos, intrusum Proterium, rectè ordinatum Timotheum, ideoque in nova Synodo postulabat Chalcedonense Judicium retractari. Hinc & Leonem Pontificem, & omnes totius Orientis, cujus soli Episcopi fuerant Chalcedone, Provinciales Synodos Imperator Leo per Encyclicas litteras consuluit: An Chalcedonensis Synodus est prævaricata Nicænum Symbolum, ideoque necessaria esset nova Synodus? Sancti Leonis rescripta jam audivimus. Et omnes istæ Provinciales Synodi istud ipsum unanimiter responderunt. Exstant singularum Epistolæ in tertia parte Chalcedonensis Synodi. Et hinc in prima adversum suæ gentis errores Invectiva Isaac Armeniorum Primas rectè scribit non tantùm à Chalcedonensi, sed etiam à Nicæna Synodo prædicatas fuisse duas in Domino naturas. Sanctus Leo affirmat etiam Valentinum & Manichæum istic fuisse damnatos. Sanctus Athanasius rectè dixit Nicænum Symbolum esse columnam, cui inscripta est damnatio omnium Hæreseon, utique Divinæ Majestati, aut Dominicæ Incarnationis Mysterio adversantium. Cap. 12.

Passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in Cœlos. Uti non solùm assumptum hominem, sed & ipsum Consubstantiale Deo Patri Verbum dixit descendisse, Incarnatum & factum hominem, ita nunc dicit ascendisse in Cœlos, resurrexisse à mortuis, ac esse passum usque ad mortem. Quæ omnia rursum dicit adversus Ebionem, Cherintum, Theodorum, Coriarium, Artemonem, Paulum Samosatensem, Sabellianos, quosdam Arianos, & præsertim adversum Manichæos, Gnosticos, cunctos duplicis Divinitatis fabulones, quorum aliqui adeò de Sacro Sancto Dominicæ Crucis scandalo erubuerunt, atque abjecta mente insanierunt, ut dicerent non ipsum Dominum, sed pro ipso se invisibiliter è Judæorum ac Romanorum Militum manibus subducentem, Symonem Cyreneum, aut nescio quem alium fuisse crucifixum. Adversus Marcionem, qui Domini ex Virgine conceptum & Nativitatem, ut fœda & Deo indigna contagia, detestabatur, profitebatur verò mortem: verùm dolosè. Non enim in vera carne, sed in vacua dumtaxat imaginariæ Carnis specie, uti nobis ostensum, & nobiscum versatum, ita & passum & mortuum profitebatur. Adversus hunc Marcionem declamat in libro de carne Christi, atque ita omnium Gnosticorum blasphema sensa nobis aperit, & apostolicè refutat Tertullianus: *An ideo Passiones à Christo non rescidisti, quia ut phantasma vacabat à sensu earum? Diximus retro, æquè illum, & Nativitatis, & infantiæ imaginariæ vacua ludibria subire potuisse. Sed jam hinc responde, Interfector veritatis, nonnè verè Crucifixus est Deus? nonne verè mortuus, ut verè Crucifixus? nonne verè resuscitatus, ut verè scilicet mortuus? Falsò ergo statuit inter nos scire Paulus tantùm Jesum Crucifixum: Falsò sepultum ingessit, falsò resuscitatum inculcavit. Falsa est igitur & fides nostra: Et phantasma erit totum, quod speramus à Christo, scelestissime hominum, qui Interemptores excusas Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil verè est passus. Parce unicæ spei totius Orbis. Quid destruis necessarium dedecus fidei? Quodcum-* Cap. 5.

que Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo. Qui mei, inquit, confusus fuerit, confundar & ego ejus. Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem, & feliciter stultum. Crucifixus est Dei Filius: non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei Filius. Prorsus credibile est, quia ineptum est, & sepultus resurrexit: Certum est, quia impossibile est. Sed hæc quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus? si non verè habuit in se, quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur, & resuscitaretur? Carnem scilicet sanguine suffusam, ossibus structam, nervis intextam, venis implexam, quæ nasci, & mori novit. Humana sine dubio, ut nata de homine, ideoque mortalis hæc erat in Christo, quia Christus homo, & filius hominis. Plura sunt similia antiquissimorum Patrum testimonia. Audiamus unicum Sanctum Dionysium Patriarcham Alexandrinum. In Encyclica, adversum Pauli Samosatensis errores, Epistola insigniter ostendit ipsum Dei Patri consubstantiale Verbum, esse nobis incarnatum, & cum assumpto homine coaluisse in unicam hypostasin, atque subjungit: *Qui ex Deo est ante sæcula genitus, ipse extremis temporibus ex Matre natus est. Idcirco Dei-cidæ sunt Judæi, quia Dominum gloriæ crucifixerunt. Unde & volens mortuus est, & volens excitatus à mortuis, operatus miracula, qui erat Filius Dei Unigenitus.* Hanc doctrinam pessimè aversatus fuit Hæresiarcha Paulus, & ad ipsam rescripsit: *Existimo, Presbyter, Petrum Apostolum, utpote Discipulum Christi plusquam omnes gloriam Christi vidisse. Hoc verò non te latet, immo magis quàm omnes alii sui. Quod Lucas in Actis Apostolorum confirmat, cùm scribit: Stans autem Petrus cum omnibus Apostolis.* Certissimè *inquit sciat omnis Domus Israel quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos Crucifixistis. Dic igitur nobis, Presbyter, quomodo hic accusabis nos esse extrusos, cùm sic tradat nobis Apostolus, ut scienter, & firmè teneamus factum Christum & Dominum à Deo, quem Judæi crucifixerunt? Quæ enim à vobis scripta sunt, Deum habent Crucifixum, & coæternum Patri. Ipse verò crucifixus dicit Mariæ: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Sed vos dicere non patimini, quod nondum ascendit, sed ubique scribitis coæternum esse Patri illum, qui dicit nondum ascendi ad Patrem meum.* Adfirmat passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem, aliaque similia assumpti hominis Idiomata, de solis, solam humanam, aut certè utramque naturam significantibus vocabulis; nequaquam de vocibus, *Deus*, *Unigenitus*, *Verbum*, aliisque solam Divinam naturam importantibus, posse prædicari, quæ etiam postmodo fuerunt principia Nestorii, quia nempe ambo duas Domini naturas, etiam in duas Personas diviserunt. Et adversum hasce nugas Dionysius constanter respondit: *Scripsi, & scribo, & confiteor, ac credo, & prædico coæternum Patri Christum, Unigenitum Filium, ac Verbum Patris.* Prædicat ipsum Dei Patris Verbum; ac unigenitum Filium esse nostrum Christum, seu unicam cum adsumpta Humanitate Personam, ideoque non summodo Christum, sed & ipsum Deum Verbum rectè dici passum, mortuum, resurrexisse, ascendisse in Cœlos. Utique causa Hypostaticæ unionis. Et multis ista confirmat.

Quæst. 10.

In libris adversum Gnosticos, Apostolicis temporibus vicinus Sanctus Irenæus Lugdunensis Episcopus nervosè demonstrat præter scriptum Dei verbum esse etiam verbum traditum, utrumque pollere pari auctoritate, solum traditum esse necessarium, Ecclesias potuisse ex ipso solo fundari, ac perseverare, & plures Barbarorum Ecclesias ex eo solo regi, & Christianè vivere. Addit ab utroque Dei verbo constanter prædicari, unum Deum Patrem, Creatorem Cœli & terræ, & unicum ejus Filium Jesum Christum; & de hocce adjungit: *Qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex Virgine, generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in charitate receptus in gloria, venturus salvator eorum, qui salvantur, & Judex eorum qui judicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemptores Patris sui, & adventus ejus.* Palam alludit ad Apostolici Symboli de Jesu Christo articulos, & scribit eorum Paraphrasim. Hinc pergit. *Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, Barbari sunt, quantum autem ad sententiam & consuetudinem, & conversationem propter fidem per quam sapientissimi sunt, & placent Deo, conversantes in omni justitia & sapientia. Quibus si aliquis annunciaverint ea, quæ ab Hæreticis adinventa sunt proprio sermone eorum colloquens: statim concludentes aures longè longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium, sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcumque eorum portenti-loquium est. Neque enim Congregatio fuit apud eos, neque Doctrina instituta.* Antiqui Barbari passim ignorarunt litteras; immò & ipsis adeoque & omni scriptura passim caruerunt. Quis, & quando, & apud quos hæc instituerit, atque invenerit, est facile demonstratu, quin & primis Ecclesiæ Conciliis adfuerunt Barbarorum Episcopi, qui nesciebant scribere aut legere; hinc ergo illi Christianam fidem non per Canonicas litteras, sed per solum solo verbo traditum Apostolorum Symbolum didicerunt, & per aliquot sæcula docuerunt. Et interim caruerunt omni hæresi. Et quod ista avita traditio non duntaxat adsumptum hominem, sed etiam Unigenitum Deum Verbum, uti incarnatum & natum de Virgine, ita quoque passum ac mortuum tradat, Sanctus Irenæus rectè adfirmat. Nam & istud ipsum Apostoli atque Euangelistæ scripto ex Prophetis tradiderunt. Ostendi id possit ex variis testimoniis, Patres autem passim probant ex Sancti Petri Apostoli verbo: *Auctorem verò vitæ interfecistis.* Et ex verbo Sancti Pauli: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Ita habes in supra laudatis litteris Sancti Dionysii Alexandrini; in dogmatica epistola quam uti suum Papale suffragium magnus Leo misit ad Synodum Chalcedonensem; in libris Sancti Fulgentii ad Wandalorum Regem Trasimundum. Istam tamen phrasim esse Judæis scandalum, & gentibus videri stultitiam, rectè scripsit ad Corinthios Apostolus, & Evan-

Lib. 3. pag. 3. 4. & 5.

Epist. 10. c. 5. lib. 3.

Evangelium, cujus palmare caput est Dei mors, appellavit stultitiam prædicationis. Et Parentes nostros, quod non tantumodo hominem sed ipsum Deum crederent Crucifixum, antiqui Gentiles fuerunt consueti mordacissimè deridere;
Epist. 1. cap. 15. & hinc Paulus Apostolus, dum Corinthiis Christum pro peccatis nostris mortuum tradidit, statim addidit: *Secundùm scripturas*. Rationem dat in libro adversus Praxeam Tertullianus: *Ut*
Cap. 29. *duritiam pronunciationis Scripturarum auctoritate molliret, & scandalum auditori averteret. Quamquam enim duæ substantiæ censeantur in Christo Jesu, Divina, & humana, constet autem immortalem esse Divinam, sicut mortalem quæ humana est, apparet quatenus eum mortuum dicat, id est, qua carnem, & hominem, & Filium hominis, non qua spiritum, & sermonem, & Filium Dei.* Quod ipsum in decimo de Sanctissima Trinitate libro Sanctus Hilarius, in Marcionitarum Hæresi Sanctus Epiphanius affirmat additum ad excludendas fabulas Gnosticorum. Hi ergo sunt fontes ex quibus Nicæni Patres hauserunt præsentem Symboli articulum. Nec addidere *secundùm Scripturas*, ob duas rationes. Primò, quia istud additamentum non est in Apostolico Symbolo. Secundò, quia Dei Verbi mors, licèt Judæis scandalum, & Gentibus sit stultitia, nobis tamen est Dei virtus, atque sapientia, cujus signum sine omni rubore in ipsa nostra fronte portamus. Servamus hanc Sancti Joannis Chrysostomi in quinquagesima quinta super Sancti Matthæi Evangelium homilia prædicationem: *Si Gentilium quisquam de te petierit: Crucifixum ne adoras? noli dubitare; dic clara voce, & læta facie: Et adorandi nunquam faciam finem. Et si ridebit, largas tu effunde lacrymas de insania ejus. Agas immortales Domino gratias, cujus beneficio hæc suscepimus, quæ nullus absque Divina gratia potest dicere.* Præterea, coram Judæis, Gentilibus, & cunctis extraneis non possumus proferre aut recitare Symbolum: hinc non fuit opus isto additamento.

Præsentem Symboli articulum laudat & exponit multis in locis Sanctus Athanasius. In quarta adversum Arianos oratione demonstrat ex sacris litteris Deum Verbum pro nobis sitiisse, esuriisse, fuisse fatigatum, passum, mortuum, omnia nostra præter peccatum subiisse, hanc Idiomatum communionem in duarum naturarum hypostatica unitate fundari demonstrat, & adjungit: *Ne quis hominum scandalizetur, sed potius agnoscat Verbum ipsum ex natura sua impatibile esse, sed tamen ob carnem quam induit, ista de Deo prædicari, quia & illa propria sunt carnis, & caro illa est proprium Corpus Salvatoris. Et ipse quidem impatibilis ex natura perseverat, nullam noxam ex istis rebus sentiens, sed illas in se profligat.* Nec addit adversus Apollinaristas, quorum tunc novellum dogma garriebat, aut Verbum in carnem, aut carnem esse versam in Verbum, ideoque ipsam etiam conversi Verbi substantiam fuisse passam, & mortuam. Et in litteris ad Maximum Philosophum exponit Samosatensium impietatem, affirmat Crucis mysterium esse illis non minus quàm Judæis, & Gentilibus scandalum, & stultitiam, & prosequitur: *Quod si se Christianos videri velint, discent tandem Christum patibulo adfixum Dominum esse gloriæ, Potentiam Dei, & Dei Sapientiam. Quod si hic addubitent, num Deus sit, ad Thomam cum pudore oculos reiiciant, palpantem Crucifixum, illumque & Dominum, & Deum confitentem.* Et statim infra: *Quapropter neque illorum audacia bona est, qui dicunt ad eum, qui jam homo erat, & factum esse Verbum Dei. Idem enim actitatum est, & in singulis Prophetis, & reliquis Sanctis, ne toties Verbum, quoties ad illum factum dicitur, natum esse, & mortuum existimetur.* Errores hi non solorum Samosatensium, sed erant etiam Arianorum. Arianorum quidam Deum Verbum non statim ab initio in conceptum de Spiritu Sancto ex Sacra Virgine hominem, sed dumtaxat in Baptismo, aut Resurrectione; alii garriebant illud in tunc hypostasim nunquam advenisse. Amborum impietatem nervosè revincit, & concludit: *Vincant & robur suum habeant, quæ Nicææ Patrum confessionibus constituta sunt.* Et in libro, qui pleraque nostri Symboli verba ostendit contra Eusebii Nicomediensis Episcopi blasphemias esse concepta, utriusque Dominicæ naturæ Idiomata distinguit, atque exponit, & prosequitur: *Quemadmodum ergo, dum audimus eum Dominum, & Deum, & lumen verum esse, intelligimus eum ex Patre esse, ita quoque æquum est, dum audimus de eo hanc vocem, creavit me, & quod servus sit factus, & passus sit, ea ipsa non imputari Divinitati, cùm id minimè conveniat, sed carni admetiri, quam propter nos gestavit. Hæc enim propria sunt carnis, eaque ipsa caro non alterius cujuspiam est, sed verbi Dei.* Amplè hæc denuo confirmat, & adfirmat esse decretum, ac fidem nostri Symboli. Et rursus amovet omnem suspicionem Apollinaristici erroris, quæ omnia latè confirmat in libro de Sancti sui antecessoris Dionysii sententia, in Epistola ad Ecclesiam Antiochenam, in Epistola ad Epictetum Corinthiorum Episcopum, & in libro de Dominica Incarnatione contra Paulum Samosatensem. Et hæc ibi addit de istius discipulis: *Increduli procreationem ex fœmina irrisui habent, eamque carnis esse non Divinitatis garriunt. Sacro-Sanctam quoque Crucem cavillis proscindunt, ut Ethnici. Nos autem carnis gratia non segregatæ à Deo, neque in aliam personam divisæ istud dicimus.* Iterum se purgat de Apollinarii contagio, quod Samosatenses improperabant. Eadem amplissimè repetit in libro de Dominica Incarnatione contra Arianos. Demonstrat errorem hunc omnino esse Arianum, & ab Arianis palam prædicari. In libro de salutari Domini adventu adversus Apollinarium demonstrat Deum Verbum non in sua Divina, sed in sola, quam Hypostatica unione sibi fecit propriam, natura esse passum, & mortuum, & adversam Apollinarii blasphemiam esse è Valentino, Marcione, ac aliis Gnosticis haustam. Laudata ad Epictetum Epistola demonstrat nostrum Symbolum ab Apollinarii blasphemia esse alienissimum; affirmat nostri Symboli verba adversum omnes istos blasphemos emanasse. Laudati libri, ac Epistolæ sunt ex integro legendi. Hi namque omnino sunt purissimi fontes, ex quibus sua duodecim adversus Nestorium Capitula Sanctus Cyrillus, & sua adversus eundem Hæresiarcham decreta hausit Ephesina Synodus. Pro nostro Nicæni Symboli articulo adduci possunt

ſunt plurima aliorum Patrum teſtimonia atque elogia. Eſſe ex Apoſtolico Symbolo hauſtum oſtendit Sanctus Leo in epiſtola ad Sanctum Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum.

Epiſt. 10. cap. 8.

Cap. 29. Verùm his obſtat Apoſtolica per Tertullianum in libro adverſus Praxeam interpretata auctoritas: *Obmuteſcat, obmuteſcat iſta*, quæ Patrem garrit paſſum, *blaſphemia. Sufficiat Chriſtum filium Dei mortuum dici: & hoc quia ſcriptum eſt. Nam & Apoſtolus non ſine onere pronuncians Chriſtum mortuum, adjecit, ſecundùm ſcripturas: ut duritiam pronunciationis ſcripturarum auctoritate molliret, & ſcandalum auditori averteret.* Dominicam paſſionem & mortem non Divinæ ſed ſoli humanæ naturæ demonſtrat adſcribi ab Apoſtolo, & adjungit: *Dicendo denique Chriſtus* mortuus eſt, id eſt, vinctus, id quod junctum eſt, mortuum oſtendit, id eſt, carnem. Advertit & affirmat, non hanc, *Deus mortuus eſt*, ſed hanc ſolam propoſitionem, *Chriſtus eſt mortuus*, ab Apoſtolo prædicari: affirmat priorem propoſitionem eſſe pronunciationem duram & ſcandaloſam. Videtur ſupra adductam Pauli Samoſatenſis ac Neſtorii diſtinctionem probare, & aſſerere Apoſtolicam, & ad Dorotheum Comitem exſtat Iſidori Peluſiotę epiſtola cum hac epigraphe: *Contra eos qui dicunt Deum paſſum eſſe, unamque eſſe in Chriſto naturam*, & Epiſtola habet: *Dei Paſſio non dicitur, verùm Chriſti paſſio. Exiſtit enim videlicet Incarnato Deo, ac per aſſumptam carnem ſupplicium perpeſſo. Nuda enim Divinitas non modò pati non potuiſſet, ſed nec teneri, nec cerni, niſi hominum naturæ pro ſua benignitate ac miſericordia copulata fuiſſet.* Et in ſua Bibliotheca Photius Conſtantinopolitanus laudat viginti ſeptem; Theodoreti Cyrenſis apud Euphratem Epiſcopi contra hæreſes libros, & dicit decimum ſeptimum eſſe ſcriptum contra dicentes: *Verbum per carnem paſſum eſt*. Decimum nonum affirmat ſcriptum *in adfirmantes Judæum illum eſſe qui Deum minimè crucifixum adſerat*. Ex quibus lucet hanc propoſitionem, *Deus Verbum eſt paſſus*, ac item hanc longè molliorem, *Deus Verbum eſt paſſus per carnem*, Theodoreto penitus diſplicuiſſe. Viginti & ſeptem illi libri magno Eccleſiaſticæ eruditionis damno perierunt, nihilominus Theodoreti ſenſum abundè retinemus in tertio, cui nomen impatibilis, dialogo, ubi Eraniſtæ ipſam Divinam Dei verbi naturam adſerenti mutabilem, & paſſibilem, & iſtud ex Sancti Petri verbo, *Chriſto igitur pro nobis paſſo in carne* probare conanti, *reſpondet*: *Cum hoc noſtra etiam conſentit oratio. Ex Divina enim Scriptura Dogmatum Regulam didicimus.* Audiamus partem dialogi. Eraniſtes. *Cur igitur non dicitis Deum verbum eſſe carne paſſum?* Orthodoxus: *Quia in Divina ſcriptura hanc vocem non invenimus*. Eraniſtes: *Et tamen ſimilem magni Petri locutionem modò protuli*. Orthodoxus: *ignoras, ut apparet, nominum differentiam*. Eraniſtes: *qualium nominum? An tibi non videtur Deus Verbum eſſe Chriſtus Dominus?* Orthodoxus: *Chriſti nomen in Domino ac Salvatore noſtro verbum hominem factum ſignificat, Emmanuel nobiſcum Deus, Deum & hominem. Deus autem Verbum ſi ſic enuncietur, ſimplicem naturam Mundo anteriorem, tempore ſuperiorem, incorpoream deſignat. Quam ob cauſam Spiritus Sanctus, qui per Sanctos Apoſtolos locutus eſt, nuſquam Paſſionem aut mortem huic vocabulo attribuit*. Eraniſtes: *Si Chriſto Paſſionem attribuit, & Deus Verbum aſſumpta humana natura Chriſtus nominatus eſt, nihil abſurdi, opinor, facit, qui Deum Verbum carne paſſum eſſe dicit.* Orthodoxus: *Audaciſſimus, & valde temerarius eſt hic conatus*. Conſtanter affirmat hanc propoſitionem, *Deus Verbum eſt paſſus*, nullibi haberi in Sacris Scripturis, ideoque nec à nobis poſſe uſurpari. Ne quidem hanc propoſitionem: *Deus Verbum eſt carne paſſus*. Et poſt diuturnum multæ per Theodoretum demonſtrationis conatum, pergit Eraniſtes: Apoſtolus Paulus Dominum gloriæ crucifixum vocavit, & poſt varia ille repoſuit: *Sicut deſcendiſſe quidem è Cœlis Divinam naturam dicebas, filium verò hominis ipſa unionis cauſa vocatum dixiſti, ſic dicere convenit ligno quidem affixam eſſe carnem, confiteri autem minimè ſeparatam ab hac fuiſſe Divinam naturam, ſive in Cruce, ſive in ſepulchro, paſſionis inde nihil ſuſcipientem; quia nec pati, nec mori natura ſua poteſt, ſed immortalem & impatibilem habet ſubſtantiam. Sic & Dominum gloriæ Crucifixum appellavit, impatibilis naturæ nomen attribuens patibili, quia ipſius corpus erat. Hoc verò etiam expendamus. Divinus Apoſtolus dixit: Si enim cognoviſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent. Crucifixerunt ergo naturam quam noverant, non quam penitus ignorabant. Si autem cognoviſſent quam ignorabant, non crucifixiſſent quam noverant, ſed quia Divinam ignorabant, humanam Cruci adfixerunt.* Et ad hoc Eraniſtes: *Sunt hæc quidem probabilia, ſed Patrum qui Nicææ convenerunt, fidei doctrina Unigenitum ipſum, Deum verum, Conſubſtantialem Patri paſſum & crucifixum eſſe adfirmat.* Et rurſum Theodoretus: *Apparet te oblitum eſſe eorum quæ ſæpe confeſſus es, quod poſt unionem uni perſonæ & ſublimia, & humilia tribuat divina Scriptura. Fortaſſe autem & illud ignoras, quod cùm prius dixiſſent celeberrimi Patres incarnatum, Hominem factum, tunc ſubjunxerint, paſſum, Crucifixum: Et cùm capacem paſſionis naturam oſtendiſſent, tum deinde Paſſionis adjecerunt*. Eraniſtes inſtitit: *Patres filium Dei, qui eſt lumen de lumine, & ex Patris inſtantia paſſum, & crucifixum dixerunt.* Et denuo Theodoretus: *Sæpe dixi, quod & divina & humana una perſona recipiat. Ideo & Beatiſſimi Patres cùm docuiſſent quomodo in Patrem credendum ſit, & ad filii perſonam tranſiiſſent, non ſtatim dixerunt, & in filium Dei, etſi valde conſequens erat, ut cùm de Deo & Patre dixiſſent, ſtatim filii appellationem ſubjecerent, ſed voluerunt ſimul & de Divinitate, & de diſpenſatione Doctorum tradere, ne alia Divinitatis, alia humanitatis Perſona exiſtimaretur. Et ideo iis, quæ de Patre dicta erant, ſubjunxerunt quomodo credendum ſit etiam in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium Dei, Chriſtus vero poſt incarnationem Deus Verbum vocatus eſt. Hoc itaque nomen omnia recipit, & quæ Divinitatis, & quæ humanitatis ſunt propria: & tamen agnoſcimus quænam hujus, quænam illius naturæ ſint propria.* Conſtanter adfirmat Dominicam Paſſionem & mortem non de vocibus, Deus, Verbum, Unigenitus Patris, ſed de ſola voce Chriſtus, aut aliis utramque naturam ſignificantibus poſſe prædicari. Et ita eſſe definitum à noſtro Symbolo. Quin & Magnus

Lib. 1. Epiſt. 124.

Lib. 46.

gnus Episcopus & Doctor Quintianus contra Petri Fullonis, Antiocheni Pseudo-Patriarchæ errores edidit hunc Anathematismum : *Si quis confundat duas Christi naturas dicens Deum passum carne, & non passum Christum carne secundùm Apostolum damnetur*. Constanter adfirmat Passionem & mortem non de voce, *Deus*, sed de sola voce, *Christus*, ab Apostolo prædicari, omnem aliter prædicantem anathematizat, & damnat, adeoque firmissimè censet taliter à Nicæno Symbolo non prædicari.

Epist. 8. Respondeo hanc quæstionem amplè examinari à Sancto Cyrillo Alexandriæ Patriarcha in litteris ad discordantes inter se ob novum Episcopi sui Nestorii dogma Clericos Constantinopolitanos. Nestoriana factio contra Cyrillum ediderat duas Epistolas sub hoc titulo : *Adversum eos qui propter unionem aut Unigeniti Deitatem imminuunt, aut humanitatem Deificant*. Earum procemium in Apollinarium præsertim invehebatur, *omnem adhibebat conatum ut corpus hoc ipsum esse quod passum sit ostendat, non autem Dei Verbum*. Et Sanctus Cyrillus respondit: *Quasi verò sint qui impatibile Dei Verbum pati posse unquam dixerint. Nemo* utique Catholicus, *eò infamiæ prolapsus est, ut ejusmodi quidpiam effutiat. Verùm ut sæpe jam monuimus, Sacra* Nicæna *Synodus ipsum Dei Verbum per quod omnia condita sunt passum affirmat*; *passum autem carne secundùm Scripturas. Corpore namque illius patiente*, rectè & ipsum quoque pati dicitur. Successus Dio-Cæsareæ in Isauria Episcopus scripsit Cyrilli Capitula, ac præsertim Phrasim, qua Christum Dominum dixerat non tantùm ex duabus naturis compositum; sed etiam esse unam naturam incarnatam, impugnari à variis, & hoc esse primum argumentum : *Si ex duabus naturis compositus est Emmanuel, & post unionem una intelligatur natura Verbi incarnata, consequitur omnino, ut ipsum in sua natura passum esse dicamus. Accusabant Capitula & Phrasim de lepra Apollinarii*. Et Cyrillus denuo respondit: *Beati Patres nostri qui Venerandum fidei Symbolum definierunt, ipsum dixerunt ex Deo Patre Verbum, ipsum ex ejus essentia, ipsum Unigenitum, ipsum per quem omnia, Incarnatum esse & hominem factum*. Addit & passum, & adjungit : *Frustra nugantur qui dicunt consequens omnino esse, ut ipse in sua natura Passionem sustinuerit, cùm caro subjecti vicem teneat, circa quam contigisse Passionem possit* merito intelligi. Adfirmat Deum Verbum esse Carne passum. Eandem quæstionem examinavit in litteris ad Valerianum Iconiensem Lycaoniæ Metropolitam Episcopum, deciditque nobiscum, & hanc esse Epistolæ præfationem : *Nugantur aniliter nonnulli, omniaque sursum ac deorsum permiscentes, Incarnati Unigeniti mysterium acutè & subtiliter exquirere præsumunt, non quod illud jam intelligant, sed quod illud in id facile detorqueant quod non licet, ac perversa sentiant. Cæterum quod hac in re periculosissimum est, dum se rectè sentire velle fingunt, dumque opinionem, quasi in eam rem sint propensi, velut personam quamdam sibi circumponendo conciliant, Nestorianæ impietatis venenum simplicium animis infundunt*. Et infra : *Ipsis propositum est nescio quo modo per viam gradientibus, quæ ad pietatem recta non est, præcipitari in abruptum inferni & in inferni profundum*. Et tandem: *Quod si sunt qui ob id Passionem secundùm carnem Unigenito adimunt, quod turpis, incongrua, indecensque videatur, adimant ipsi pari ratione & ipsam quoque secundùm carnem ex Virgine Nativitatem. Nam si illi turpe est quod carne passus dicitur, quomodo non ante hoc turpis erit illa secundùm carnem Nativitas, quæ Passionem antecedit, aut ut semel dicam ipsius humanationis modus? Perit itaque hac ratione universum Christianorum Mysterium, & quod hinc consequitur, totius salutis nostræ spes inanis redditur*. Unica enim nostra spes & salus est Dei verbi pro nobis passio & mors. Duæ posteriores epistolæ palam agunt in Theodoretum, ac ejus in Orientali, ubi Isauria, Diœcesi asseclas. Ille enim post Ephesinum Concilium ostentabat se Nestorianæ doctrinæ ac personæ osorem, ac de Dei-hominis Mysterio inconcinnè loquebatur. Hanc, Deus est natus è Virgine, profitebatur, hanc verò propositionem, Deus est passus & mortuus, pertinaciter aversabatur, etiam post initam Ægyptiacarum ac Orientalium Ecclesiarum pacem. Quod enim duodecim, in quibus asseritur & firmatur posterior propositio, Sancti Cyrilli adversus Nestorium Capitula impugnari & aversari nunquam destiterit, abunde lucet ex ejus Epistolis, & actis Ephesini latrocinii. Quod illa post factam unionem etiam scripto impugnarit, testatur in secundo collectaneorum libro Theodorus Rector. Porro tres cum Eutychiano Eranistes dialogos scripsit, non tantum post Cyrilli mortem, sed etiam post Chalcedonensem Synodum, & initam amicitiam cum Sancto Leone Pontifice & Dominis Cardinalibus. Eutychianistæ hac per Ephesinum & Chalcedonensem etiam Synodos firmata propositione, *Deus est passus*, pessimè abutebantur. Buccinebant Deus verbum non tantum in adsumpta carne, sed in propria natura passum. Hinc plures Orthodoxi abstinuerunt à dicta propositione, & maluerunt dicere : *Christus est passus*. Hæc phrasis palam incommodabat Sancti Cyrilli Capitulis: hinc illam probavit Theodoretus, & magno impetu defendit: vano impetu. Quàm enim torqueat, & detorquere non valeat nostri Symboli verba, est per se manifestum. Etiam manifestum est quod Apostoli verba, *Dominum gloriæ non crucifixissent*, pessime tractet. Notanda sunt ejus verba : *Apostolus Dominum gloriæ crucifixum appellavit, Impatibilis naturæ nomina attribuens patibili, quia ipsius corpus erat*. Evertunt suum Auctorem. Nam & nostrum Symbolum, dum Deum verbum prædicat passum, impatibilis naturæ nomina attribuit patibili, vel potius patibilis naturæ idiodema attribuit impatibili, quia illa est hujus corpus. Naturarum confusionem non prædicat, sed idomatum communionem. Etiam manifestum est Theodoretum, dum Passionem & mortem affirmat à sacris litteris nusquam prædicari de Deo verbo, insigniter hallucinari. Et sanè Deum verbum è Virgine natum profiteri, & abnegare in Carne passum, non cohærent. Ista jam à Sancto Cyrillo, & supra audivimus à Tertulliano. Et quidem Theodoretus eandem suam sententiam confirmat in litteris ad Timotheum Epist. 130.

Epi-

Episcopum. Duarum in Domino naturarum hypostaticam unitatem, ac inde natam idiomatum communionem exponit insigniter, atque adjungit: *Unio enim communia reddit nomina, sed nominum Naturas communio non confundit; manifestum enim est iis, qui rectè sentiunt, alia ut Deo, alia ut homini convenire, sic & passibilem esse & impassibilem convenit Christo Domino. Passus namque est secundùm humanitatem, impassibilis verò mansit ut Deus.* Adfirmat non Deum, sed Christum in humanitate passum; At vero in epistola ad Milites nobiscum loquitur. Epist. 144. Etiam illic naturarum hypostaticam unitatem exponit eleganter, & prosequitur: *Et quoniam ipsius Unigeniti filii Dei Corpus appellatum, est corpus quod assumptum est, corporis passionem transfert ad se ipsum.* Hoc est, Corporis cum Deo Verbo hypostatica unio facit istius passiones de hocce prædicari. Istud Corpus non ipsam Divinitatem demonstrat fuisse passam & pergit: *Quod verò sanctis quoque Patribus hæc ita visa sint, audiant Athanasium Alexandriæ laudatissimum Episcopum, qui & Pontificatum confessione sua exornavit, clamantem, vita mori non potest, immò mortuos vivificat: Audiant & celeberrimum Damasum Episcopum Romæ clamantem: Si quis dixerit quod in Cruce pœnam sustinuerit Divinitas, & non Corpus cum Anima, quæ est Dei forma, quam perfectam assumpsit, Anathema sit. Audiant & sanctissimum ac religiosissimum Romanorum Episcopum Dominum Leonem nunc scribentem: Quod passus sit Dei Filius sicut pati poterat, non secundùm naturam quæ assumpsit, sed secundùm eam quæ assumpta est.* Cum Magno Leone palam profitetur non sollummodo Christum, sed & Dei Filium fuisse passum. Magnum Leonem tunc adhuc vixisse, enuntiant verba: *Dominum Leonem nunc scribentem.* Ejus auctoritas duro homini extorsit veritatem. Quintianus Episcopus edicit Anathema adversus Petrum Fullonem Antiochiæ Patriarcham, de quo Theodorus Lector: *Petrus innumeras turbas contra fidem excitavit, eosque Anathemati subjecit, qui non dicebant Deum esse Crucifixum, ita ut populum in dissidium induxerit.* Propositionem illam, quod turbulentissimis Eutychianistis esset passim erroris latibulum atque instrumentum, pro tempore supprimendam Quintianus censuit, & utendum hac: *Christus est passus.* Variam tunc sortem habuit ista propositio. Est quæstio longa, exponenda cum erroribus, & temporibus Eutychianis. Isidorus Pelusiotes loquitur adversus Eutychetis Magistros, Apollinaristas: quoniam etiam hi ista propositione abutebantur eadem nequitia, censuit ab illa abstinendum. Quod Tertullianus Dei Mortem, ac Passionem constantissimè profiteatur, est supra demonstratum. Praxeas fuit Sabellii præcursor & magister, Erro Patri-Passianus: hinc illum rectè confundit ex Apostolo, scribente non Deum, sed Christum esse passum. Adfirmat Passionem & Mortem non semper ac ubique, sed in epistola ad Corinthios prædicari de Christo, atque ita Praxeam abundè everti. Proinde præsens nostri Symboli articulus est omnino fundatissimus. Et ipsum adversus Photini calumnias firmavit, licèt ex Ario leprosa, Syrmiensis Synodus: *Si quis Unicum Filium Dei crucifixum audiens, Deitatem ejus corruptionem, vel passibilitatem, aut demutationem, vel diminutionem, vel interfectionem sustinuisse dicit, anathema sit.* Voces, *si quis audiens*, edicunt istam loquendi formulam fuisse tunc usitatissimam. Et in istius anathematis Commentario scribit Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus: *Verbum quod caro factum est, licèt se passioni subdiderit, non tamen demutatum est passibilitate patiendi.* Passioni se subdidit, quia illi subdidit propriam carnem. Omnem hanc doctrinam insigniter confirmat, & ad Christianum dogma omnino pertinere demonstrat in suorum errorum revocatorio libello Leporius Presbyter. Hypostaticam duarum naturarum unitatem, & inde natam idiomatum communionem amplè demonstrat, & prosequitur: *Quapropter jam non pertimescimus dicere secundùm Deum, & ex homine natum Deum, secundùm hominem, Deum passum, Deum mortuum; sed gloriamur dicere Deum natum, eundemque secundùm hominem Deum passum: Non enim erubesco Evangelium.* Demonstrat Passionem etiam ac Mortem importantia idiomata, de solius Divinæ naturæ significantibus vocibus, per plures Scripturas constanter prædicari. Et istum ipsius libellum comprobavit Carthaginensis ducentorum quatuordecim Episcoporum Synodus, Gallicana Ecclesia, & Pontifex Zozimus. Quare Theodoreti doctrina est penitus respuenda. Ex non recto erga Sanctum Cyrillum, ac ejus Capitula adfectu, horrendè deviavit.

Notanda est phrasis Sancti Petri Apostoli: Epist. 1. cap. 4. *Christo passo in Carne* non sine rationibus addidit: *In Carne.* Addidit contra tunc grassantes, & in imaginaria carne imaginariam dumtaxat Passionem Christo Domino adscribentes, Gnosticos. Quod enim omnis ista fæx, uti è terra fungi, è Simone Mago prodierit, atque ita etiam Apostolica tempora macularit, testatur Sanctus Irenæus. Quod propter eosdem Sanctus Apostolus Paulus propositioni: *Christus mortuus est*, addiderit, *secundùm scripturas*, supra nobis dixit Sanctus Epiphanius. Earum vocum censet esse hunc sensum, non secundùm Gnosticas fabulas. Quidquid sit, Gnosticæ fæcis surculus omnino sunt Apollinarius, atque Eutyches. Hinc horum expugnatores Patres eandem phrasim frequenter usitarunt. Ejus varias Sancti Athanasii locutiones supra adduxi. Et in Encyclica, qui sui ad Sanctam Euphemiam Chalcedonensem è Regia Civitate secessus causam exponit, ad universam Ecclesiam epistola Vigilius Pontifex profitetur: *Passus carne est pro nobis Dei Filius, Crucifixus carne est, mortuus carne est.* Omnino profitetur adversum Eutychianistas. Epistolam cum Theodosiani Codicis appendice vulgavit Jacobus Sirmondus. Et in Paschali ad Populum concione declamat Sanctus Proclus Episcopus Constantinopolitanus: *Deus erat is, qui naturam humanam assumpsit, ac carne in Crucem actus est. Dominus erat qui carne fuit crucifixus.* Orat. 13. Omninò declamat adversum Apollinaristas. Et in erudito adversum Arianos libro Sanctus Phœbadius Agennensis Episcopus: *Non est passibilis Deus, licèt in homine suo passus.* Plurima sunt hujusmodi testimonia. Quin & Sanctus Optatus in Africa, ubi Apollinarii secta nunquam viguit, Milevitanus Episcopus scribit:

Filius

Filius Dei Deus secundùm hominem suum natus est, passus, mortuus, sepultus. Ea phrasi aliquoties
Epist. 102. utitur. Et in epistola ad Sanctum Evodium Uzalensem Episcopum Sanctus Augustinus: *Sepultus est Filius Dei, sed in Cruce sola.* Et infra: *Rectè dicitur Deus crucifixus, cùm hoc eum secundùm carnem passum esse, non secundùm illud, quo Dominus gloriæ est, non habeatur incertum.* Similia Patrum loca attento Lectori assiduè occurrent.

Porrò inter hasce propositiones: *DEUS VERBUM EST PASSUS CARNE, DEUS VERBUM EST PASSUS PER CARNEM*, est magna differentia. Prior orthodoxa, posterior est leprosa ex Apollinario. Lucet ex Sancti Athanasii libro de salutari Domini Adventu adversus Apollinarium: *Cur igitur dicitis Deum per Carnem passum esse, & resurrexisse? ò absurditatem blasphemiæ! Tales sunt Arianorum temeritates. Illi enim istiusmodi blasphemiam proferunt, & Filium nominant Deum fictitium & assimilatitium, cùm scriptura doceat per Deum in carne ejus Passionem contigisse, non Deum per carnem esse passum.* Amplè demonstrat duas in eadem Domini Persona fuisse integras & plenas naturas, & adjungit: *Necessum est vobis aut negotium Passionis, Mortis, & Resurrectionis, opinionem ac apparitionem meram dicere, idque secundùm Marcionem & cæteros hæreticos, aut Divinitatem Verbi patibilem nominare, prout Arius & ejus Gregales voluerunt.* Et infra: *Deum passum*, utique per carnem, *esse* passum *adseveratis. Congrua vox, & quæ optimè vos doceat, & quæ cum Arianis pulcherrimè convenerit. Idem enim ipsi in suis dogmatibus statuunt.* Etenim uti quidam Apollinaristæ, ita & quidam Ariani Christo Domino negant animam & mentem, ipsum componunt ex sola Carne, & Verbo: dicunt à Verbo suppletas vices, & officia animæ. Item sicut quidam Apollinaristæ, ita & quidam Ariani Christum Dominum commiscent ex Carne & Verbo, & inde garriunt emersisse Deum patibilem. Etenim de scelerato Ulyssiponensis Ecclesiæ Episcopo Potamio scribit Sanctus Phœbadius Agennensis in Gallia Episcopus: *Duplicem hunc statum*, utique duplicem Christi Domini naturam, *non conjunctum, sed confusum vultis videri, ut etiam unus vestrum, id est epistola Potamii, quæ ad Orientem, & Occidentem transmissa est, qua adserit Carne & Spiritu Christi coagulatis per Sanguinem Mariæ in unum corpus redactis, passibilem Deum factum.* Adloquitur omnes sui temporis Arianos: Blasphemiæ scopus erat, ut patibilis Deus crederetur, non ex impatibilis Patris substantia genitus, sed ab ejus voluntate factus. Uti ergo in nobis Anima, licèt enim carne non confundatur in aliquod tertium, per carnem patitur, ita Ariani & Apollinaristę censuerunt per carnem pati etiam Dei Verbum. Addit Sanctus Athanasius ad utrosque: *Sed hic rursum mihi dicitis: qui igitur Dominum gloriæ crucifixerunt, ut non una quoque verbum crucifixerint? Aufer mihi ista. Verbum quidem ignominia affecerunt, dum corpus verbi palo affigunt, siquidem Deus erat qui ignominia adficiebatur; ex asse tamen & ex solido passio illa Carnis & Animæ fuerit, eadem nimirum ratione, qua & Mors, & Resurrectio.*

Eadem est ratio hujus propositionis: *Deus est Carni compassus.* Est Ariana, Apollinaristica, Eutychiana. Etenim scelerata epistola, quam per Gallias sparsit Ariana Imperatoris Constantii factio ipsam prædicavit, & adversus eam scripsit laudatus Phœbadius Episcopus: *Filium Dei*, inquiunt, *hominem de Maria suscepisse, per quem compassus est. Congruo igitur omnia fine claudentes, quod mente conceperant, scriptura confessi sunt, respondente ea sensui suo, & occulta eorum venena reservante, dicentes scilicet Filium Dei hominem de Maria suscepisse, per quem compassus est. Primùm non video, cur maluerint compassibilem dicere, quàm liberè passibilem confiteri. Quasi verò aliud sit compati quàm pati Porrò autem si impassibilis* est *Deus, utique* est *& incompassibilis. Tam ergo compassus non est, quàm nec passus est. Ex ea tamen conditione, qua Deus.* Purum putum sub dolosa religiosæ venerationis modestia Arianismum continebat ista scelerata epistola: quod Arius apertè dixerat, prædicabat occultè. Hinc Deum Verbum non ausa garrire passibilem aut passum, garrivit compassibilem, & compassum. Esse blasphemum Syrmiensis Synodi, cujus Symbolum lapsus illic infœlicissimè Hosius Cordubensis Episcopus, & dictus Potamius Ulyssiponensis conceperant, articulum ostendit in libro de Synodis Sanctus Hilarius Pictaviensis, & adducit ejus verba: *Ut Scripturæ omnes docent, & præcipuè ipse Magister Gentium Apostolus Hominem suscepisse, per quem compassus.* Sceleratam istam ad Gallias directam epistolam venisse ex Syrmiensi Synodo, & Hosii nomen illi fuisse præfixum, affirmat in sui libri fine etiam Sanctus Phœbadius. Et adversus istum articulum Sanctus Hilarius pergit: *Passum quidem* Dei Filium *sciebant* Syrmiensis Conventus Episcopi, sed *dicant quæso compassum quomodo cognoverant? Evitant Homousion, atque Homæousion quia nusquam scriptum sit; quæro compassum esse, unde præsumpserint? aut numquid volunt duos esse, qui passi sunt? Illud enim Compassio testatur.* Istam propositionem multis exagitat, & omnem, qui Vasensis Synodi auctoritate prodierat, Sancti Phœbadii librum ex animo laudat, ac probat. Eandem amplissimè exponit, atque damnat in tertio, ad Trasimundum Wandalorum in Africa Regem Arianum, libro Sanctus Fulgentius. Hanc propositionem: *Deus est carne passus*, insigniter elucidat & prosequitur: *Hæc dum quidam minus attendunt, Divinitatem Christi non dubitant subjicere passioni, & audientes Christum in carne passum, putant fuisse Deum compassum, minus attendentes divinam illam atque immutabilem Filii Dei substantiam, & in carne passibili passionem suscepisse, & cum carne passionem sentire non potuisse.* Audi Wandalici erroris fundamenta: *Sed forstan dicetur Christum ideo in carne passum prædicari, quia Divinitas, quæ ante carnem pati non potuit, passibilem suscipiens carnem, passionem quoque cum carne persensit, quia pro susceptione passibilis carnis, ipsa impassibilis in passione permanere non potuit.* Et post varia Fulgentius respondet: *Restat igitur, ut Divinitatem Christi, quam immutabilem Sacra Scriptura commendat, sic passam fateamur in carne, ut eam tamen credamus compassam non fuisse cum carne. Ideo enim Deus in Carne passus est, quia passibilem carnem Deus accepit; ideo autem carni compassus non est, quia in carne patiens impassibilis*

Cap. 9. Cap. 10. Cap. 11.

lis natura Divina permansit. Communem passionem Divinitatis & Carnis unitas Personæ fecit in Christo, non divinæ humanæque naturæ confusio. Hæc enim confusio est præcipuum Arianæ blasphemiæ fundamentum. Hoc ipsum Fulgentius pluribus ibidem repetit, illustrat, inculcat. Nihilominus ad Gondebaldum Burgundiorum Regem Arianum, rectè scripsit Sanctus Avitus Viennensis Archiepiscopus: *Neque nos nitimur, ut inviolabilis Divinitas dolores corporeos perpessa credatur, cùm omnis cunctorum corporum dolor secuturam mortem naturali quodam præcedat officio. Unde sicut & ipsa caro nostra est resurrectionis dono impassibilis futura post mortem, sic Deus, qui sentire obitum non potest, suscepto corpori, cui unitus adhæserat, sine patiendi acerbitate compatiens, nec defuit in salutis nostræ glorioso agone, nec doluit.* Adjunctæ tot expositiones, vocem, *Compatiens*, absolvunt à cacophonia, & faciunt recta sonare.

Notanda est Sancti Fulgentii phrasis, quæ non tantummodo Deum Verbum, sed & ejus Divinitatem adfirmat carne passam. Ipsam Fulgentius desumpsit ex Sancto Augustino, qui in duodecimo super Sancti Joannis Evangelium tractatu exaltat dominicæ mortis mysterium & meritum, & adjungit: *Sed cujus mors? Mors vitæ: si dici potest, mors vitæ. Immò quia dici potest, mirabiliter dicitur. Sed numquid non erit dicendum, quod fuit faciendum? Ego dubitem dicere quod Dominus pro me dignatus est facere? Nonnè vita Christus? Et tamen in Cruce Christus. Nonnè vita Christus? Et tamen mortuus est Christus. Sed in morte Christi mors mortua est, quia vita mortua occidit mortem.* Et in vigesimo sexto Tractatu: *Vita æterna mortem adsumpsit, vita æterna mori voluit. Sed de tuo, non de suo. Accepit à te, ubi moreretur pro te.* Est propositio, de qua ad suum Presbyterum Maram dixit in Berytensi Synodo Ibas Archi-Episcopus Edessenus: *Tu quando dixisti, vita non mortua est, non tibi dixi repentè, Amice: si quidem hoc dicis, quia Caro Domini vivificans est, & Christus noster Vita est, & ego confiteor, si autem de Divinitate sensisti, non recipio.* Ibas censuit propositionem non posse simpliciter admitti. Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus in erudita ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum Epistola fuit adhuc scrupulosior; *Solent Ariani nobis objicere talem propositionem: Passa est Divinitas Filii, aut non est passa? si respondeamus non est passa, dicunt: Pictus homo crucifixus est: si respondeamus, quod respondere debemus, Passa est, sed secundùm carnem, ipsa tamen in hoc quod est impassibilis permanens &c.* Vult illam propositionem non absolutè, sed dumtaxat cum addito secundùm Carnem posse admitti, quod ipsum supra censuit Sanctus Fulgentius, Ferrando coætaneus, amicus, magister. Epist. 144. Theodoretus in epistola ad milites est longè scrupulosior. Censet & ostendit illam propositionem damnari à Sancto Athanasio, Sancto Damaso, ac Sancto Leone, ideoque nullatenus posse admitti. Distingue tempora, & omnia concordant. Libera & secura ab Arii, Apollinarii, ac Eutychetis veneno Augustinus, ab illo infecta aut periclitantia loca, & tempora habuerunt Ibas, Theodoretus, Fulgentius, ac Ferrandus: hinc diversum de ista loquendi formula censuerunt. Et revera aliquid incongrui illa habet, & non nihil declinat à Dialecticis regulis. Dominicorum Idiomatum communioni exprimendæ voces concretæ sunt commodiores. Nihilominus omnis latina Christianitas, quia per Dei gratiam ab illis pestibus est libera, & secura, jam pridem cantat in omni Ecclesia: *O magnum pietatis opus, mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit.* Et nescio quis Fredegisus olim proposuit hanc propositionem, utrum Divinitas cum Carne concepta sit, nata, passa, & cætera quæ humanitatis propria esse noscuntur? Et Beatus Alcuinus Flaccus respondit: *Utique Divinitas suæ Carnis conceptione concepta est, & Nativitate nata, sensitque humani adfectus participatione mortem, quam spontè susceperat, non naturæ suæ potentiam perdens, per quam cuncta vivificat.*

Et in Spiritum Sanctum. Exponit in litteris ad Africanæ Ecclesiæ Episcopos Sanctus Athanasius: *Ipsa Nicæna Synodus revera tropheum & columna est, uti omnes Hæreses inscriptæ ostentui sunt ac triumphantur: Eadem illa Synodus blasphemantes Spiritui Sancto, dicentesque eum esse Creaturam subvertit. Nam cùm Patres statuissent de fide in Filium, id statim adjectum voluere, Credimus, & in Spiritum Sanctum; ut perfectam, & plenam de Sancta Trinitate Fidem, & Confessionem absolventes, formam ejus, quæ in Christo est, Fidei, & Doctrinam Catholicæ Ecclesiæ exhiberent, cùm & vobis, & omnibus sit notum, neminique unquam Christianorum dubium fuerit, nos in Deum, non in Creaturam fidem habere. Deum, inquam, Patrem Omnipotentem, omnium visibilium, & invisibilium Conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium ejus Unigenitum. Et in Spiritum Sanctum, Unum Deum in Sancta & perfecta Trinitate agnoscentes, in qua baptizamur, & in quo cooptamur Deitati, credimusque nos possessuros Regnum Cœlorum.* Licèt solam Dei Verbi Divinitatem relevata fronte impugnarit Arius, quin tamen etiam de Spiritu Sancto pejora senserit, non est dubitandum. Hinc omnes tres Personas esse Consubstantiales definire voluit Synodus, atque ita etiam Macedonii, tunc necdum natam Hæresim, præfocavit. Quod voces, *Credo in Deum*, soli Divinitati quadrent, est supra demonstratum. Cur autem tanto compendio hìc sit usa Synodus, edicit in litteris ad Antiochenam Ecclesiam magnus Basilius: Epist. 69. *Quoniam verò doctrina de Spiritu Sancto indefinita est, propterea quod nondum comparerent bellum contra Spiritum gerentes, quod condemnandi sint, qui Spiritum Sanctum creatæ ac servilis esse naturæ dicunt, in Nicæna Synodo nulla facta est mentio. Nihil enim prorsus creatum est in Divina, ac Beata Trinitate.* Adfirmat Spiritum Sanctum Trinitati adnumerari à nostro Symbolo, ideoque ejus Divinitatem abundè definiri. Et in epistola ad Eustachium Sebastenum primæ Armeniæ Metropolitam Episcopum, hominem Macedonianum: *Quoniam igitur in Nicæna fide, reliqua quidem satis diligenter determinata sunt, alia ad correctionem noxiorum, alia ad præmunitionem contra ea quæ in futuro suboriri possent, sententia verò de Spiritu Sancto in transcursu, sine omni di-*

ligentia posita est, propterea quod nondum mota esset
ista quæstio, sed credentium mentibus securus, ac
nullis objectus insidiis inesset de Spiritu Sancto intel-
lectus: Loquitur adversum Macedonianos, qui
hocce nostri Symboli compendio ad suum erro-
rem firmandum abutebantur. Et in litteris ad
Epist.328. Epiphanium Episcopum: *Misi ad ipsorum quæsita*
responsionem: nihil nempe nos posse, ne vel sylla-
bam unam, ad Nicænam illam fidem adjicere,
excepta de Spiritu Sancto Doxologia, cujus rei Ma-
jores illi nostri, velut in transcursu, meminerunt,
nondum nota de Spiritu Sancto quæstione. Et in
litteris ad Eupaterium extollit Nicænum Symbo-
Epist.387. lum, affirmat omnibus aliis præponendum,
atque adjungit: *Quoniam verò illa quæstio, quæ*
nuper emersit in disquisitionem apud eos, qui sem-
per innovare aliquid contendunt, silentio prætcrita
apud sæculum prius, eo quod non erat à quoquam
contrarium, indiscussa prorsus relicta est: intelligo
illam de Sancto Spiritu. Et Macedonianis obji-
cientibus; *Nos eam fidei formulam, quæ in Ni-*
cæna Synodo exposita est, & ipsa profitemur;
doce igitur ex illa Spiritum Sanctum in Divini-
tate numerari: Respondit Sanctus Epiphanius:
Hæres.74. *Etiam ex illa ipsa confessione refelluntur.* Quam-
cap. 11. quam nulla tum de Spiritu Sancto fuerat institu-
ta quæstio. Quippe de his, quæ singulis tempori-
bus occurrunt, cavere Synodi, ac decernere so-
lent. Quare cùm Arius in Filium maledicta con-
jiceret, propterea uberiori quadam disputatione
argumentum istud est acuratissimè tractatum.
Verùm ex eadem fidei professione animadvertere
licet, ne in hac parte quidem contumeliosos in
Spiritum Hæreticos ac Spiritus impugnatores, &
ab ejus Sanctitate ac donis alienos, quidquam
omnino dicere; siquidem expositio ipsa verita-
tem subinde profitetur, nec negat. *Credimus*,
inquit, *in unum Deum Patrem omnipotentem.* Ubi
vox ista, *credimus*, non simpliciter accipienda, sed
de fide in Deum intelligenda venit. *Et in unum*
Dominum Jesum Christum. Neque hoc utcumque
dictum, sed ad fidem in Deum est referendum.
Et in Spiritum sanctum, quod neque simpliciter
usurpatum est, sed in unam prædicationem ac
gloriam, in unam Divinitatis conjunctionem, in
unam Consubstantialitatem, in perfecta tria,
unam Divinitatem, unam gloriam, unam sub-
stantiam, dominationem unam. Quod eæ vo-
ces, Credimus, & Credimus, & Credimus, de-
clarant. Etiam ipse urget virtutem vocum, *Cre-*
do in Deum. Eandem urget in litteris ad suos Mo-
nachos Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandri-
nus. Nostri Symboli de sua in Patrem, & Filium
fide professionem exponit, & adjungit: *His au-*
tem Spiritu Sancto adnumerato Sacra illa & Con-
substantialis Trinitas absolvitur, & in una eademque
Divinitatis natura consociatur. Et in Epistola ad
Monachorum Præfectos: *Posteaquam Beatissimi*
Epist. 47. *Nicæni Patres sermonem de Christo absolverunt,*
Spiritus Sancti mentionem faciunt; Credere namque
se in illum dixerunt. Simili modo videlicet, ut in
Patrem, & Filium. Est enim ipsis Consubstantia-
Lib. 2. *lis.* Quo argumenti genere utitur in Apologeti-
cis pro Sancto Athanasio libris etiam Lucifer
Calaritanus Episcopus. Et in Epistola ad Pam-
machium, & Oceanum scribit Sanctus Hierony-
mus. *An, idcirco Spiritus Sancti neganda maje-*

stas est, quia in Nicæna Synodo super ejus sub- Epist.65.
stantia silentium fuit? De Filio tunc, *non de Spi-* cap. 1.
ritu Sancto quæstio fuit. *Confessi sunt, quod nega-*
batur; tacuerunt, de quo nemo quærebat. Eos au-
tem, qui dicunt, Erat aliquando, quando non erat, &
antequam nasceretur non erat, & quia ex iis, quæ
non sunt factus est, aut ex alia substantia vel essen-
tia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel
convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholi-
ca & Apostolica Ecclesia. Hæc omnia sunt blasphe-
ma Arii verba, adducta superius atque exposita.
Porrò pro vocibus, substantia, vel essentia in
originali græco habentur, *Hypostasis*, & *Usia*, quæ Lib. 3. c. 5.
nos passim dicimus, *substantia*, & *essentia*. Et de
istis scribit in Ecclesiastica historia Socrates:
Episcopi, qui in Concilio Alexandrino, per Sanctum
Athanasium pro Nicæni Concilii executione ce-
lebrato, *aderant, hanc de Usia, id est, essentia,*
& hypostasi, id est, substantia seu persona controver-
siam excusserunt. Nam Hosius Episcopus Cordubæ
ab Imperatore Constantino ad tumultum ab Ario con-
citatum sedandum missus, dum Sabellii Afri dogma
explodere cogitaret, de Usia, id est, essentia, & hypostasi,
id est, substantia, seu persona, disceptavit: Unde
materia alteri contentioni suppeditata est. Verùm id
temporis in Concilio Nicæno de ea controversia ne
verbum quidem factum est. Nempe verbum exa-
minis aut disceptationis. Ubi certum est Socra-
tem hallucinari. Etenim non solummodo singu-
las Symboli nostri voces, sed & singulos apices
fuisse maturissimam discussione conceptos & pro-
batos, jam abundè dictum est, & est adhuc lar-
gius suo loco demonstrandum. Synodi mentem
exponit in libris de fide Sanctus Ambrosius:
Arius dicit: Ex alia substantia. Quæ igitur alia sub- Lib. 1. c. 9.
stantia æquatur Dei Filio, ut ex ipsa Dei Filius
sit? Aut quomodo reprehendunt, quia nos in Deo,
aut Usiam græcè, aut latinè substantiam dicimus,
cùm ex alia dicendo substantia Deum esse Filium,
etiam ipsi substantiam esse Dei confirment? Sed si
de nomine substantiæ aut naturæ Divinæ voluerint
dicere, facilè revincuntur, quia & Usiam græcè,
& substantiam latinè Scriptura frequenter memora-
vit. Deum verbum non ex Patre, aut Patris sub-
stantia genitum, sed ex non entibus, seu ex ni-
hilo factum esse Arius constantissimè blasphema-
vit. Quandoque tamen confusus, & contusus
fassus est, esse ex alia sibi ignota Substantia,
atque ita vocem, substantia, cujus usurpatio-
nem damnavit in nobis, ipse vel invitus usita-
vit, ac probavit. Et adversum istas nugas
Synodus eis, qui Dei Filium ex alia essen-
tia, aut substantia garriunt, dixit Anathe-
ma. Insigniter elucidat in litteris ad Eu- Epist.78.
stathium Sebastenum in prima Armenia Epi-
scopum Magnus Basilius: *Et nonnulli ex il-*
lis, qui impietatem Sabellii Lybici sectantur,
Hypostasin, & Usitan idem esse arbitrati,
illinc argumenta suam ad tuendam blasphemiam
trahunt, quod in Nicæna fide ita scriptum est:
si verò quispiam ex alia essentia vel subsisten-
tia Filium esse dixerit, hunc Anathemate rejicit
Catholica & Apostolica Ecclesia. Non enim idem
esse dixerunt Patres illi essentiam & subsistentiam.
Si enim voces illæ unam ac eandem significationem
haberent, quid alterutram ponere opus fuisset? Sed
liquet ideo positas, quod cùm alii quidem Filium

esse ex Patris essentia negarent, alii verò & ipsi non esse ex Patris essentia Filium dicerent, sed ex alia quoque esse subsistentia quadam, ita ipsi utramque opinionem, tamquam alienam à sensu Ecclesiastico rejecerunt. Alioquin ubi mentem suam simpliciter declararunt, ex Patris essentia Filium esse dixerunt, nec adjecerunt: Et ex illius Hypostasi. Itaque illud quidem ad reprobandum malum sensum est positum, hoc verò declarationem habet salutaris dogmatis. Quæ omnia altè clamant istas voces ipsarumque in significando discrimen fuisse in præsenti Synodo disceptata, ac definita. Earum discrimen amplè exponit Basilius in litteris ad suum germanum fratrem Sanctum Gregorium Episcopum Nyssenum. Arii in errore cespitationes,& nostri Symboli de illis scopum eleganti compendio exponit in translata per Ruffinum Presbyterum oratione de fide Sanctus Gregorius
Orat. 49. Nazianzenus: *Arianæ labis adsertio ideo Patrem, & Filium unius essentiæ denegavit, quia Filium Dei, modo ex nihilo, modo ex Patre, sed ab alia substantia, quando voluit, & quomodo voluit, & inde voluit, factum inducit, dummodo aliunde eum, & non de eo, quod Pater est, extitisse confingat.* E infra: Ariani *Filium ex alia substantia credere maluerunt, quæ verti, & mutari, & videri posset, quia hæc de Patris substantia credi non liceat. Hæc est causa erroris.* Huc etiam respicit in sermone de operarios conducente Patre-Familias Sanctus Joannes Chrysostomus: *Credo in Jesum Christum, qui sine tempore è substantia Paterna resplenduit, non exterius advenientem aliunde, non suppostititium, non spurium Filium, sed genuinum splendorem genuini Patris.* Hoc est, non factum ex alia substantia. Nostrum igitur Symbolum orthodoxam de Sanctissima Trinitate, ac Dei verbi Incarnatione fidem est professum; hæc autem ejus clausula omnes adversas Arii blasphemias damnat anathemate.

Hanc clausulam laudat Sanctus Joannes Chrysostomus in sermone de sigillis: *Utinam etiam Hæreticorum soboles respiciat, & lucem illam veritatis aspiciat, cognoscatque eum, qui in principio fuit Deus, qui Deus est, & qui Dei verbum existit. Rursumque illud in Joannis Evangelio, ERAT, audiant, desinantque dictitare illud, NON ERAT. In principio erat verbum.* Et in sermone de Sancta Trinitate: *Eos autem, qui dicunt Filium, aut Spiritum Sanctum versum, vel mutatum, vel alterius substantiæ, vel ex nihilo factum, vel quod fuerit tempus quando non erat, Anathemate punit Ecclesia.* Et in Sermone adversum Macedonianos: *Joannes clamat suum illud, erat, ante illud, non erat.* Et in Sermone de Sancto Joanne Apostolo laudat voces: *In Principio erat verbum,* & prosequitur: *Hæc vox Orbem terrarum piscata est, eumque concussum stabilivit. Hæc vox Mundum illuminavit, & contra adversarium corroboravit. Hæc vox est plerumque resurrectio, & salutis conciliatrix, quorumdam verò ruina & eversio propter signum cui contradicitur: Eorum, qui credunt eum in principio fuisse, resurrectio; eorum verò, qui dicunt eum fuisse creatum ex nihilo, ruina, & silentium. Magna enim tunc Hæreticorum multitudo insurrexerat, qui Ecclesiam turbabant, & iniquitatem adversus Excelsum loquebantur, dicebantque fuisse tempus cùm non esset, & antequam fieret eum non fuisse, & ex non extantibus eum factum esse. O' improba ora, & linguæ detestandæ!* Utique Arianorum. Eandem clausulam laudat in prima contra Arianos disputatione Sanctus Athanasius, singulas Arii blasphemias enumerans, atque adjungens: *In Nicæno Conventu omnes, quotquot ibi aderant, Episcopi aures suas ad ista verba obturaverunt: omnesque communi suffragio istam Hæresim damnaverunt, & Anathemate detestati sunt, dicentes, esse alienam, ac diversam ab Ecclesiastica Fide.* Hujusmodi plurima aliorum Patrum Testimonia occurrunt sedulo ipsorum lectori.

Porrò de vocibus, *Anathema*, & *Anathematizare* scribit in Apostolicæ ad Galatas Epistolæ Commentario Sanctus Hieronymus: *Anathema verbum propriè Judæorum est, & positum tam in Jesu Nave, quàm in Numeris, quando omnia, quæ erant in Hiericho & Madianitarum detestationi, & Anathemati habenda Dominus imperavit.* Hanc igitur vocem Apostoli ex Synagoga traduxerunt in Ecclesiam, & ad Hæreticis, & Schismaticis significandam ac infligendam pœnam, præsertim instituerunt, atque usitarunt. Est pœna adeò tremenda atque efficax, ut Sanctus Paulus Apostolus non tantùm sibi ipsi, sed sanctis Angelis, si aliud ab Evangelio docere præsumerent, ipsam intentarit. Admirandam hanc loquendi speciem exponit in dicto loco laudatus Hieronymus: *Propterea* Apostoliis *& sibi, quem aliud in Judæa facere, aliud docere in Gentibus criminabantur, & Angelo, quem majorem etiam Prædecessoribus suis Apostolis esse constabat, Anathema denunciavit, ut non magna Petri, & Joannis putaretur auctoritas, cùm nec sibi liceret, qui eos ante docuerat, nec Angelo aliter prædicare, quàm semel didicerant. Se itaque & Angelum nominatim posuit, alios verò absque nomine.* Utique Petrum & Joannem Apostolos, Ecclesiæ columnas. Ista horribili & stupenda loquendi formula inculcavit, nec ipsum Apostolorum Coryphæum Petrum posse verbo, vel facto aliter docere. Porrò suam Epistolam, Notarii manu consuetam scribi, calci aliquid propria manu adjungere consuetus Apostolus, addidit primæ ad Corinthios Epistolæ: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit Anathema, Maranatha.* Exponit in disputatione cum Pascentio Comite Sanctus Augustinus. *In novissi-* Epist. 178. *mis partibus ad Corinthios epistolæ, ubi plebem arguit Apostolus, simul Græco & Syro utitur verbo: Si quis, inquit, non amat Dominum, sit Anathema, Maranatha. Anathema græco sermone dixit, Condemnatus: Maranatha definivit, donec Dominus veniat.* Anathema & Maranatha esse Syriacas, & istius significationis voces adfirmat etiam in Etymologiarum fragmentis Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus. Ex quo lucet Anathema esse ex Apostolico Canone perpetuam damnationem, quæ nec in mortis articulo solvi consueverit per Ecclesiæ claves, sed in Domini adventum reservari, per ejus supremum Episcopatum laxanda tunc, aut confirmanda. Hinc in præscriptionum libro scribit de Hæresiarchis Marcione & Valentino Tertullianus: *Ob inquietam sem-* Cap. 30. *per curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum ejecti, novissimè in perpetuum discidium sunt relegati.* Hoc est, perpetuo Anathemate

sint

sint ab omni Ecclesiæ communione, & christiano nomine abscissi & proscripti. Addit de Marcione: *Postmodum Marcion Pœnitentiam confessus cùm conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus; si cæteros, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est*, sine pace, quod duram conditionem non explesset, quia etiam ita conditionata pax erat singularis gratia. Hinc item in Scorpiaco libro idem Tertullianus Gnosticos ostendit esse scorpios, & adjungit: *Tu scorpio pro solea Anathema inlidito, & relinquito in suo sapore morientem*. Quod nempe Anathema esset Hæreticis usque ad mortem inflicta damnatio. Omnem hanc doctrinam confirmat in sermone de Anathemate Sanctus Joannes Chrysostomus. Hic est sermonis titulus: *Quod neque vivi, neque mortui sint anathemate plectendi*. Hoc est exordium: *Age nunc ut de Anathemate, quæ convenit in medium fideliter adferamus, demonstraturi vim mali, quod plerique neque inter mala computant, ut detegatur morbus eorum, qui hoc malo laborant, compescanturque ora perpetuò frænum respuentia*. Anathematis naturam à multis ignorari lamentatur, & pergit: *Et specto viros, qui nullum ex sacris Litteris germanum sensum, immò nihil omnino sacrarum Litterarum tenent, & ut pleraque transeam, nam erubesco dicere, furibundos, nugaces, contentiosos, qui neque sciunt quæ dicunt, neque de quibus adfirmant, in hoc uno tantùm audaces, quod dogmata statuunt, & Anathema declarant ea, quæ maximè ignorant. Hinc est quod exteris, hostibusque fidei nostræ ludibrio sumus, habemurque perinde quasi nobis nulla sit honestæ vitæ cura, & nunquam bene facere didicerimus*.

Christi Domini in nos peccatores Charitatem, & Clementiam ex pectore laudat, atque commendat, demonstrat exemplis & prosequitur: *Cùm igitur & hæc à Domino gesta sunt, & horum typos exprimit Ecclesia, quotidie pro omnibus preces faciens, quomodo tu audes talia loqui? Quin dic, quid est istud ipsum, Dicere Anathema? Vide quid dicis, cognosce quid loqueris. Nosti verbi vim? Quamvis invenies in Sacra Scriptura, quod dicitur contra Hierichο: Et anathematizabis totam Civitatem Domino Deo tuo. Et invaluit apud nos omnes consuetudo, quæ in hodiernum usque diem durat, ut anathema dicatur, quod certo loco suspensum. An hoc tu dicis Anathema? Sed hoc plerumque in bonum sonat, & est interdum oblatum Deo: Quid ergo illud, quod Anathema tu dicis nisi adferatur Diabolo, nec ultra locum salutis obtineat, sed alienus sit à Christo?* Adfirmat anathema esse duplex, seu vocem Anathema esse duplicis significationis. Quandoque enim rem Deo consecratam, & solemniter adpensam, quandoque significat scelerati hominis sacerdotalem executionem qua tradatur Diabolo. Nota voces: *Nec ultra locum salutis obtineat, sed alienus sit à Christo*. Evincunt Anathema esse damnationem perpetuam, atque irrevocabilem per Claves Ecclesiæ; seu consuetam nunquam revocari. Hasce duas significationes elucidat, & ita invicem opponi, ut tamen etiam valdè conveniant, ostendit Sanctus Doctor in sexta decima super Apostolicam ad Romanos Epistolam Homilia. Apostoli, qui pro suis secundùm carnem fratribus Judæis optat esse à Christo Anathema, charitatem & sensum exponit, atque adjungit: *Quid igitur est Anathema? Audi ipsum Apostolum ita loquentem: si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum is Anathema sit, hoc est, ab omnium commercio segregetur: Alienus ab omnibus sit. Nam quemadmodum Anathema, donumque id, quod Deo oblatum dedicatur, nemo est qui temerè manibus contingere audeat, neque ad id propius accedere; sic & eum, qui ab Ecclesia separatur, ab omnibus abscindens, & tanquam longissimè abducens, hoc nomine, à contrario scilicet appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo ut separentur, ac pedem referant. Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat, ab eo autem qui ab Ecclesia abscissus erat, ex opposita omnes sententia separabantur. Quapropter separatio quidem, tum hæc, tum illa, ex æquo à vulgo abalienatio erat, separationis verò modus non unus, sed illi contrarius. Ab illo enim abstinebant tamquam Deo dicato, ab hoc autem decedebant tamquam à Deo alienato, & ab Ecclesia abscisso*. Rursum docet Anathema fuisse damnationem per Canones jussam non solvi ab Ecclesiæ clavibus. Etenim uti de eo consecrata dona non nisi ex gravissimis causis possunt in alios transferri usus, ita & homo Sathanæ traditus, non nisi ex maximis rationibus poterat in libertatem revocari. Tradebatur enim usque ad Carnis interitum; ut Spiritus fieret salvus in die Domini, tunc per magnum illum nostrum in Dei Patris dextera Pontificem solvendus, aut in vinculo firmandus.

Redeamus ad priorem Sancti Joannis Chrysostomi sermonem: *Quid ergo illud, quod Anathema tu dicis, nisi adferatur Diabolo, nec ultra locum salutis obtineat, sed alienus sit à Christo?* Confirmat Anathema esse damnationem perpetuam, & pergit: *Heu, qui tu tantæ auctoritatis? Qui tantam tibi usurpas potentiam? Tunc enim sedebit Filius Dei, & statuet oves à dextris, & hædos à sinistris. Cur igitur dignitatem tantam adsumis, quæ Apostolis tantùm communicata, & his qui illorum idonei successores verè pleni gratia & virtute? Jam Apostoli diligenter id mandati servarunt. Sic enim hæreticos ejiciebant ex Ecclesia, quasi effodiendus esset dexter oculus: Quia tempestiva membri defectione magnum suæ compassionis, & doloris indicium præ se ferebant. In qua re, sicut & in aliis, admodum diligentes fuere, Hæreses quidem redarguendo, & ejiciendo, nulli autem Hæreticorum hanc pœnam adhibendo. Porrò Apostolus in duobus dumtaxat locis vocem hanc quasi coactus adfert, nec tamen certæ & determinatæ personæ illam intentat. Nam Corinthiis scribit:* Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum anathema sit. *Et Galathis: si quis* vobis evangelizaverit aliquid præter id quod accepistis Anathema sit. *Cur igitur quod nullus eorum, qui potestatem acceperunt, vel facere, vel declarare ausus fuit, tu facere audes, planè adversarius mortis Dominicæ, & præoccupans Judicium Regis? Vultis discere qualia de hoc Sanctus quidam dixerit, qui & Apostolorum temporibus Martyrium meruit? Monstraturus hujus verbi gravitatem, tali utebatur exemplo: Sicut privatus homo, regiam sibi ipsi purpuram circumponens, una cum omnibus, qui se juvant, punitur ut tyrannus, ita & qui Dominicam sententiam fert, &*

hominem facit Anathema Ecclesiæ, abducit semetipsum in extremam perniciem, usurpando dignitatem filii Dei. Sic ille dicebat. Putatisne hanc parvi momenti rem esse, ante Judicem Judiciique tempus aliquem ejusmodi sententiæ condemnare? Anathema enim omnibus modis à Christo separat. Ad hæc quid respondent illi malitia potentes? Hæreticus, ajunt, ille factus est, inhabitantem habet Diabolum, adversus Deum injustitiam loquitur, multos in profundum perditionis abducit eloquentiæ suæ efficaci suadela & deceptione, sanè propter hoc à Patribus ejectus est, maximè quia ejus Magister quoque partem Ecclesiæ abstulit, Paulinum vel Apollinarium designando. Anathematis inflictionem Christianæ Charitati, & Mansuetudini repugnare demonstrat multis exemplis & testimoniis, affirmat illius nullam esse in Ecclesia jam amplius potestatem, & concludit: *Nam is, quem tu anathematizare decrevisti, vel vivit, & adhuc in mortali vita hac superest, vel mortuus est: quod si adhuc superest, impiè agis, qui eum, qui à malo in bonum se vertere potest, crudeliter obsecas; sin mortuus est, multo magis es crudelis. Cur nam? Quia Domino suo stat, vel cadit, non jam sub jure humano existens. Et de eo, quod occultatum ac reservatum sæculorum Judici pronunciare tutum est solum ei, qui mensuram scientiæ, & quantitatem Fidei cognoscit.* Et post alias hujus nimiæ severitatis exaggerationes: *Ea propter vos oro, ne vobis verba hæc mente excidant. Dogmata enim impia, & quæ ab Hæreticis profecta, arguere & Anathematizare oportet, hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.*

Ad hunc Sancti Joannis Chrysostomi locum scribit in Præfatione ad Gangrensis Synodi Canones Theodorus Balsamon: *Lingua aureus Orbis terrarum Doctor, præcipiens ne homo fidelis Anathematizetur, hæc dicit expressè.* Producit à nobis adducta Sancti Joannis verba, & pergit: *Propterea ergo, ut est verisimile, exolevit etiam Synodalis decisio, facta sub Imperio Domini Constantini Porphyrogenetæ, & tempore Patriarchæ Domini Alexii de anathematizandis defectoribus & tumultuariis, & qui adversus Imperium arma excitant, & Tyrannidem moliuntur. Si autem quæ à magno Patre & Doctore nostro Chrysostomo scripta sunt, debent esse superiora eis, quæ à Chalcedonensi Synodo & Gangrensi definita sunt, quid dicent, qui horum componendorum & ordinandorum habent potestatem?* Videtur asserere hæc sequentia. Primò, quod Sanctus Joannes doceat solos fideles non esse anathematizandos. Secundò, quod ob ejus auctoritatem Synodica Patriarchæ Alexii Constitutio, Augusto Principi rebelles anathematizari mandans, non sit recepta in mores, aut certè abolita. Tertiò, dubitat an Sancti Joannis sententia sit majoris ponderis, quàm auctoritas Gangrensis Synodi, ac præsertim Chalcedonensis. Hæ enim non solis Hæreticis, sed etiam Fidelibus dixerunt Anathema. Gangrensis quidem cunctis novam & peregrinam Eustatii Sebastensis Episcopi Disciplinam sectantibus: Chalcedonensis autem Dioscoro Patriarchæ Alexandrino, quem non propter hæresim, sed propter latratum excommunicationis in Sanctum Leonem Pontificem fuisse damnatum dixit ad plenam Synodum Anatolius Episcopus Constantinopolitanus. Hinc hasce solas, non autem Nicænam aut Ephesinam, quæ solos Hæreticos anathemizant, Synodos Theodorus Balsamon adducit. Et quidem hoc in puncto errat. Etenim Ephesina Synodus Laicos, qui aliud à Nicæno Symbolum componere & vulgare præsumerent, subjecit anathemati. Et ista audacia esse omnino possit absque hæresi. Theodori Balsamonis sententiam probat in litteris ad Constantinum Harmenopulum, Venerabilem Nomophylacem & Judicem generalem, etiam Philotheus Patriarcha Constantinopolitanus. Adfirmat Sanctum Joannem agere de solis Catholicis fidelibus, Alexii Patriarchæ, & Imperatoris Constantini Constitutionem censet fuisse ipso facto irritam, & adjungit: *Etiam duo alii, Tomi postea* contra rebelles *facti, tum Domini Manuelis Comnæni, tum Paleologi tempore, necessariò corruunt. Deinde præter hoc* Balsamon *etiam illud innuit, quod videlicet ne illarum quidem Synodorum anathematismi valeant, licèt magnis & necessariis in negotiis promulgati sint, siquidem communi Patri Chrysostomo, & aliis sanctis Doctoribus obsequendum sit, qui eadem cum illo sentiunt, & docent, maximæque Christi Clementiæ potius patrocinantur: sed enim de his quidem hæc alii fortasse diversa prolaturi sunt, Conciliis illis semet adjungentes.* Censet quod nec Chalcedonensis, nec quævis alia Generalis Synodus possit fidelem anathematizare: Anathematizari posse ob solam Hæresim, & ita juberi à Sancto Joanne Chrysostomo. Fatetur tamen circa Generalis Synodi auctoritatem à quibusdam dubitari. Exstat epistola in quarto libro Juris Græco-Romani. Verùm & ipse, & Theodorus errant in palmari principio. Errant, quod Sanctus Joannes doceat solos fideles non esse anathematizandos. Palam enim loquitur, etiam de Hæreticis. Et nominatim de Apollinaristis, quos tunc anathemate percusserat Synodus Constantinopolitana. Non malè tamen Theodorus docet solos Hæreticos, sub quibus comprehende & Schismaticos, esse anathematizandos: Non malè laudat Alexianæ in læsæ Majestatis reos Constitutionis caducitatem, aut abolitionem. Etenim ejus coætaneus Sanctus Petrus Damiani apud nos Latinos idem docuit in litteris ad Alexandrum Secundum Pontificem, improbans usitatum tunc Romanæ Ecclesiæ morem, qui non solis in Hæreticos editis, sed cunctis decretalibus Paginis addebat in prævaricatores anathema. Adfirmat antiquis Romanæ Ecclesiæ moribus adversari, ideoque omnino abolendum, utpote *immane salutis periculum, infinitè patentem labentium voraginem, perniciem animarum.*

Sancti igitur Joannis sententia est elucidanda, & ante omnia notandum, quod iste sermo sit dictus & scriptus Antiochiæ post Constantinopolitanum Concilium, sub Patriarchatu Flaviani, à quo Sanctus Joannes fuit ordinatus in Presbyterum, & jussus ad populum concionari. Lucet ex anathemate, quod improbat inflictum Apollinario & Paulino. Paulinus enim est ille Antiochenus Patriarcha, quem in Sancti ab Arianis iniquissimè degradati, Eustatii successionem & thronum ordinavit, ex Romanæ legationis auctoritate Lucifer Calaritanus Episcopus, cujus ordi-

ordinationem improbavit Constantinopolitana Synodus, & quem varii Græci Patres damnant etiam de Hæresi. Quod nempe Romanæ Ecclesiæ decretis, ac loquendi formulis constanter adhærens nollet cum aliis Græcis admittere in Sacrosancta Trinitate *tres Hypostases*. Ita habes in
Epist. 57. litteris Sancti Hieronymi ad Damasum Pontificem. At verò omnis Latina Ecclesia illum constantissimè defendit. Lucet ex litteris Aquilejensis Concilii, & ex plurium Romanorum Pontificum generosis Actis adversus ejus Adversarium Flavianum. Ab illo Sanctus Hieronymus fuit ordinatus in Presbyterum, & ipsum adeo constanter defendit, ut ejus alium adversarium, qui Flavianum proximè anteceffit, Meletium in suo Chronico scribat semper fuisse Arianum. Sancti Gregorii Nisseni Episcopi sensa, qui illum in dicta ad Constantinopolitanam Synodum funebri Panegyri comparavit Apostolis, adeo non curavit. Et de Paulino, & de Meletio, ac etiam de Flaviano contrariissima apud Græcos, & Latinos Patres habemus Elogia. Porrò Sanctus Joannes Chrysostomus, licèt à Meletio ordinatus in Diaconum, hasce lites sprevit, censuit Paulinum esse Catholicum, ideoque iniquè anathematizari. Lucet id ex hisce verbis: *En specto viros, qui nihil omnino sacrarum Litterarum tenent, furibundos, nugaces, contentiosos, qui neque sciunt quæ dicunt, neque de quibus affirmant, in hoc uno tantùm audaces, quod Dogmata statuunt, & Anathema declarant ea, quæ maximè ignorant.* Omnino agit in illos, qui trium Hypostaseon in Domino Deo Inficiationem damnabant de Hæresi, ideoque & Paulinum anathematizabant. Cur illos de audacia, contentione, nugacitate, ignorantia, ac furore notet, elicere possis ex laudata Hieronymi Epistola: *Nunc prò dolor, post Nicænam Fidem, post Alexandrinum juncto pariter Occidente. Decretum, trium Hypostaseon ab Arianorum Præsule & Campensibus novellum à me homine Romano, nomen exigitur.* Istud Alexandrinum suo loco exponendum decretum, seu Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ Concordatum, suo adhuc tempore sperni à quibusdam Sanctus Joannes cum stomacho indignabatur. Proinde videtur non quodvis, sed solùm injustum aut certè indiscretum in veros de Hæresi temerè notatos fideles Anathema improbasse.

Ast aliud clamant hæc ejus verba: *Paulinum, vel Apollinarium designando.* Quis enim nesciat Apollinarium non tantùm à Sancto Athanasio, aliis istius seculi Patribus, ac Romana Ecclesia, sed etiam à Constantinopolitano Concilio fuisse magno cum examine damnatum? Proinde Theodorus Balsamon Sancto Joanni Chrysostomo rectè opposuit Gangrensem, & Chalcedonensem Synodum. Opponi possint etiam Nicæna, Constantinopolitana, & aliæ plures, quæ Arium & alios Hæresiarchas Anathematizarunt. Et ipsas perpetua Ecclesiæ consuetudo constanter sequitur. Quis ergo est sensus Sancti Joannis? Respondeo esse scabrosam quæstionem: Sanctus Joannes videtur ab omni lapsu non excusandus: Videtur ex parte amplexus Tertulliani Dogma in libro de Pudicitia. Tertullianus illic discutit antiquam Ecclesiæ consuetudinem, quæ Idololatriæ, Homicidii, & Mechiæ peccatis Sacramentalis reconciliationis pacem negabat, etiam in mortis articulo. Adfirmat illam non ad Disciplinam spectasse, sed ad Dogma: ideoque Zephyrinum Pontificem, qui pœnitentibus Mechis pacem dedit, & ab omni Episcopo dandam jussit, fuisse non Apostolicum Evangelici depositi Custodem, sed Apostolicum Dissipatorem. Verùm obstabat incestuosus Corinthius, quem prius sathanæ traditum, seu anathematizatum, postmodo Apostolus recepit in gratiam, & per Corinthi Episcopum jussit sacramentaliter reconciliari. Tertullianus hìc hæsit, vertit se in omne latus, & urget Apostoli verba: *Ego quidem absens corpore,* Epist. 1.
præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, cap. 5.
eum, qui sic operatus est, In Nomine Domini Nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum Carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Adducit Catholicorum Episcoporum de ipsis
sensum: *Hìc jam carnis interitum in officium pœni-* Cap. 13.
tentiæ interpretantur, quod videatur jejuniis, & sordibus, & incuria omni, & dedita opera malæ tractationis, carnem exterminando satis Deo facere, ut ex hoc argumententur Fornicatorem non in perditionem Sathanæ ab Apostolo traditum, sed in emendationem, quasi postea veniam ob interitum, id est, conflictationem carnis consecuturum, igitur & consecutum. Hanc interpretationem acerrimè, ac variè impugnat, tandem dat longè aliam. Adducit hæc ejusdem Apostolicæ Epistolæ verba: *Et vos*
inflati estis: & non magis luctum habuistis ut tollatur Cap. 14.
de medio vestrum, qui hoc opus fecit: & prosequitur: *Pro quo lugerent? Utique pro mortuo. Ad quem lugerent? Utique ad Dominum. Quomodo ut auferatur de medio illorum? Non utique, ut extra Ecclesiam detur. Hoc enim non à Deo postularetur, quod erat in Præsidentis officio; sed ut per mortem hanc quoque communem & propriam carnis ipsius, quæ jam cadaver, quæ capulum esset immunditia irrecuperabili tabidosum plenius de Ecclesia deberet auferri. Et ideo quomodo interim potuit auferri, judicavit dedendum hujusmodi Sathanæ in interitum carnis, Maledici enim eam sequabantur, quæ diabolo projiciebatur, ut sacramento Benedictionis exauctoraretur, nunquam in Castra Ecclesiæ reversura.* Hanc traditionem facturus Apostolus congregari jussit omnem Corinthiæ Ecclesiæ Synodum, ei suum Spiritum fecit præsidere, invocavit virtutem Dominici nominis per verba solemnia. Hanc terribilem, & feriendæ excommunicationi nullatenus necessariam Paraturam Tertullianus urget, & ex ipsa concludit illic non simplicem censuram fuisse fulminatam ab Apostolo, sed anathematizantem Maledictionem, quæ hominem omnino Dei Benedictione spoliet, & nunquam permittat regredi in Ecclesiam: quin & quæ hominem temporali morte percutiat, atque ita de Ecclesia ablatum præcipitet in infernum, uti Sancti Petri Apostoli Maledictio percussit Ananiam & Saphiram. Et talem maledictionem Tertullianus censuit non posse solvi per Ecclesiam, ideoque in secunda epistola solutum ab Apostolo Corinthium fuisse alium ab hoc incestuoso.

Tertullianum in exponendo Apostoli testimonio secuti sunt Navatianenses, utpote sectatores ejus-

ejusdem erroris. Ita in primo de pœnitentia libro affirmat ac ostendit Sanctus Ambrosius, eis opponens interpretationem, quam Tertullianus improbat, & adscribit Catholicis. Eandem cum aliis Ecclesiæ Patribus sequitur variis in locis Sanctus Augustinus. Attamen à Tertulliani interpretatione non est per omnia alienus. Etenim in tertio adversus Parmenianum Donatistarum Carthaginensium Episcopum libro verba Apostolica: *Et non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit*, interpretatur: *Quare luctum potius, & non iram, nisi quia si patitur unum membrum compatiuntur omnia membra? & non luctum, quia tollebatur. Id est, ut lugentium dolor ad Deum ascenderet, & ipse tolleret hoc opus de medio eorum, sicut ipse sciret, ne fortè illi per humanam imperitiam eradicarent simul & triticum*. Et ad alia Apostoli verba ibidem scribit: Quid *ergo agebat Apostolus, nisi ut per interitum carnis saluti spirituali consuleret, ut sive aliqua pœna, vel morte corporali, sicut Ananias & uxor ejus ante pedes Apostoli Petri ceciderunt, sive per pœnitentiam, quoniam Sathanæ traditus erat, interimeret in se carnalis carnis concupiscentiam?* Sanctus tamen Augustinus istam primam mortem credidit esse anathematis non dumtaxat initium, sed finem: Esse pœnam, quæ divinam offensam placaret, & à secunda morte redimeret. Ananiam & Saphiram credidit ista pœna salvatos. Proinde ira in quibusdam Tertulliano consonat, ut tamen inter ipsos sit grande intervallum.

Cap. 17. Proinde Tertulliano magis accessisse, & anathema esse æternæ damnationis inflictivam Maledictionem credidisse videtur Sanctus Joannes Chrysostomus. Ita suadent hæc ejus verba: *Quid ergo illud, quod anathema tu dicis, nisi adferatur Diabolo, nec ultra locum salutis obtineat, sed alienus sit à Christo?* Et hæc: *Anathema omnibus modis à Christo separat*. Hęc verba laudat in prima adversum suæ gentis errores Invectiva Armeniorum Primas Isaac, & ex ipsis probat ipsos esse in plena Diaboli potestate, ideoque nec datum ab ipsis Baptisma esse validum, ac ratum, & ibi sistit. Hodierni Græci defunctum in excommunicatione hominem, quousque per Sacerdotum claves absolvatur, existimant salvari non posse: hoc ipsum hìc videtur de anathemate sensisse Sanctus Joannes. Adeo antiqua vestigia habet error. Notanda sunt & hæc verba: *Cur dignitatem tantam assumis, quæ Apostolis tantùm communicata, & his qui illorum idonei successores, verè pleni gratia & virtute?* Edicunt anathemati Gaudi potestatem non spectare ad Claves, sed olim fuisse Charisma, datum solis Apostolis, & ipsorum non cunctis, sed solis proximis, idoneis, gratia & virtute plenis successoribus, qui per discernendorum spirituum Charisma norant distinguere electos à reprobis, ideoque & norant quos à Deo anathematizatos possent, ac deberent & ipsi anathematizare. Hinc addit, quod nullus Apostolus ista potestate fuerit unquam usus: quod quidem plures Hæreses, nullum autem hominem Apostoli anathematizarint. An Anathema esse dissolubile crediderit tunc etiam Sanctus Joannes, ignoro. Decimum-tertium, qui cunctis criminibus mandat in exitu donari Sacramentalis pacis viaticum, Nicænum Canonem multo post tempore non admisit Cæsaræensis Cappadocum Metropolitana Ecclesia cum quibusdam aliis: Hunc tamen morem non scio fuisse apud Antiochenos. Quædam etiam Latinæ Ecclesiæ dudum noluerunt anathematizatos in exitu absolvere. Etenim mediis sæculis celebrata in Ticinensi Palatio per Francorum Episcopos, Synodus mandat enormes peccatores compelli per Episcopos ad publicam pœnitentiam, & hujus duris detrectatoribus adjungit: *Magis abjiciendi sunt, anathematizandi scilicet tanquam putrida & desperata membra ab universalis Ecclesiæ corpore dissecandi, cujusmodi, jam inter Christianos nulla legum, nulla morum, nulla Collegii participatio est, & quibus neque in ipso exitu communicatur, & quorum neque post mortem saltem inter fideles defunctos commemoratio fit. Sed si ad hoc irrevocabile judicium obdurati cordis contemptus trahit, non sine magna tamen examinatione veniendum est, & omnia Sacerdoti prius experienda, nec absque Metropolitæ cogitatione & Provincialium Episcoporum communi judicio quemlibet anathematizandum esse permittimus*. Cap. 12. An similem disciplinam tunc tenuerit Antiochena Ecclesia, non possum dicere. Certè Sanctus Joannes videtur ejus populum non nisi ex ipsius regulis docuisse. Quod si ita sit, Anathema illic erat irrevocabilis damnatio, & ne quidem per plenam Provinciæ Synodum poterat inlidi. Dico, *similem disciplinam*; Etenim Anathematis irrevocabilitatem non ad disciplinam, sed ad Dogma pertinere, est ab Ecclesia damnatus Montanistarum, & Novatiensium error; ideoque omnis orthodoxus est, ac semper fuit ab ipso alienissimus. Et hæc possit esse causa, ex qua in dictis super Apostolicas ad Corinthios epistolas Homiliis Sanctus Joannes anathematizatum à Sancto Paulo incæstuosum adfirmet, & laudet postea fuisse ab eodem absolutum, aut sanè jussum absolvi, quod nempe Constantinopolitana, ad quam Episcopus dixit istas Homilias, Ecclesia haberet alios de Anathemate sensus & mores. Incerta & ignota sunt hæc omnia. Quidquid sit, ob unicum Sancti Joannis obscurum sermonem non possumus damnare aut improbare antiquissimum haud dubiè traditum ab ipsis Apostolis morem totius Ecclesiæ; Et Sanctus Paulus non solummodo incæstuosum Corinthium, sed etiam Alexandrum, & Hymenæum Hæreticos tradidit Sathanæ; id est, damnavit Anathemate. Nec ista egit ex Charismate, sed ex Apostolico, quod omnino in successores Episcopos transiit, Officio.

Quid sit *Anathema*, discere etiam possumus ex Sardicensis Synodi Epistola ad omnes sub cœlo Episcopos: *Decernimus eos*, utique quosdam Arianorum Coryphæos, *non modò Episcopos non esse, sed ne dignos quidem fidelium communione. Æquum est eos ab Ecclesia Catholica separari, & alienos ac indignos haberi christiano nomine. Sint vobis igitur Anathema*. Consonat in Relatione ad Imperatorem Theodosium Constantinopolitana Synodus: *Perversas Hæreses, ac pravas opiniones extrema cum execratione ac detestatione reprobavimus*. Simplicem excommunicationem ab Anathemate discernit etiam Chalcedonensis Synodus. Etenim sextus-decimus Canon sacram ex simplici Professione Virginem, quæ

quæ fuerit lapsa in nuptias, excommunicat solummodo, & mediante pœnitentia, dat illi fiduciam reconciliationis. At vero quintus decimus Canon similiter lapsam, quæ per manus impositionem fuerit consecrata, Diaconissam anathematizat, nullamque pœnitentiæ aut reconciliationis facit memoriam. Et in Constantinopolitana Joannis secundi Patriarchæ Synodo dixit de Severo Antiochiæ Patriarcha, & Joanne Apameensi Episcopo, Joannes Ptolomaidis in Phœnicia Episcopus: *Anathematizamus eos, & aversamur eorum communionem, & alienos ipsos vocamus ab ipso nomine christiano. Sint ergo anathema à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto in Cœlo, & in Terra, in hoc sæculo, & in futuro. Amen.* Quod ipsum alii istic Episcopi confirmarunt. Habes hæc in Synodo Mennæ Patriarchæ. Act. 5. Et apud Nicephorum Calixtum exstat Epistola, qua Innocentius primus Pontifex Imperatorem Arcadium, ob patrata in Sanctum Joannem Chrysostomum facinora non tantùm à communione arcet Ecclesiæ, sed penitus privat christiano nomine, hoc est, anathematizat. Et ad nescio quem Cyrillum scribit Sanctus Synesius Ptolomaidis in Pentapoli Episcopus: Epist. 12. *Vade ad Matrem Ecclesiam, à qua minimè abscissus, sed ad tempus separatus es, quod pro criminum merito definiri solet.* Simplicem excommunicationem esse temporalem separationem, Anathema autem adfirmat abscissionem perpetuam. Et de Photianis, qui nollent resipiscere, Episcopis & Clericis, dixit ad octavam Synodum Apostolica legatio: *Anathematizamus & maledicimus eis, & ab omni sorte Christianorum separamus, sed & Ethnicis, & Publicanis transmittimus eos.* Proinde Anathematismus est non tantùm Ecclesiasticæ communionis temporanea & medicinalis suspensio, aut abstentio, sed pœnalis, plena, perpetua, ac irrevocabilis abscissio & proscriptio à christiano nomine, & omni consortio veræ Christianitatis. Notanda sunt Romanæ Legationis verba: *Transmittimus ad Ethnicos & Publicanos.* Edicunt per Dominica verba, *Sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus*, esse Ecclesiæ datam anathematizandi potestatem, ideoque hanc non esse Charisma, sed partem Apostolici, ac Episcopalis officii. Porrò eisdem Legatis mandantibus Photium cum sui schismatis sequacibus anathematizari respondit Leo Consul: Act. 9. *Quis sum ego ut anathematizem? Anathematismus in causa fidei fit, at verò Photius orthodoxus est, & ut quid anathematizabo eum?* Et Legatis urgentibus, *opera ejus pejora sunt omni hæresi, quia Diaboli operarius est*, Leo rursum reposuit: *Cùm vos judicetis fieri, & excepta hæresi Anathematismum anathematizo, & ego cunctos, quos anathematizavit Sancta hæc, & Universalis Synodus.* In solius fidei caussa esse faciendum Anathematismum non malè dixit, ita eum omnino convenire, jam ostensum est, & suo loco largius ostendetur. At sine fundamento recusavit anathematizare Photium. Hic enim erat horrendi Schismatis Auctor: Et quis nesciat Schisma æquari Hæresi? Quis item nesciat Photium etiam Hæresi laborasse? Et quædam horrenda citra Schisma aut Hæresim crimina Mater Ecclesia frequenter, & meritò anathematizavit. Nec etiam de solis Hæreticis, sed de cunctis Matri Catholicæ Ecclesiæ Rebellibus dixit Dominus: *Sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus.* Quàm porrò omnis etiam Romana Ecclesia in solvendo Anathemate fuerit difficilis, lucet ex Pelagianorum Goliath Juliano Episcopo, de quo Chronicon Sancti Prosperi: *Hac tempestate Julianus Heclancusis, jactantissimus Pelagiani erroris adsertor, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis speciem præferens, molitus est in Ecclesiæ communionem irrepere. Sed his insidiis Xistus Papa, Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit. Et ita omnes Catholicos dejectione fallacis Bestiæ gaudere fecit, quia tunc primum fallacissimam Hæresim Apostolicus Gladius detruncavisset.* Per Sanctum Celestinum Pontificem percussus Anathemate, & in ipso per Concilium Ephesinum firmatus Julianus, per pœnitentiæ fucum ambiebat solam laicam Communionem, seu solam solutionem Anathematis, atque ita pedetentim, & gradatim repere in Communionem Episcopalem, & hunc aditum Xistus illi clausit. Plura sunt istiusmodi exempla.

Quæstio est, cur nostra Synodus suo Symbolo non inseruerit Articulos de Ecclesia, Sanctorum Communione, Remissione peccatorum, Carnis resurrectione, ac Vita æterna? Nec enim novum Symbolum condidit, sed Apostolico dumtaxat nova adversum Arianos blasphemias additamenta inseruit: Cur igitur expunxit laudatos articulos? Et ratio dubitandi est: quia additamenta hæc fecit eo fine ut deinceps Baptizandis traderentur, & ab ipsis exigerentur: at verò illis tradi debent omnes & singuli ad salutem necessarii articuli: Et laudati articuli sunt omnino necessaria media. Quomodo enim quis esse possit verus Christianus, ac membrum Ecclesiæ, quomodo possit sperare carnis Resurrectionem, ac Vitam æternam, nisi ista omnia credat? Respondeo, palmarem Synodi scopum fuisse istorum circa Sanctissimæ Trinitatis substantiam, & Dominicam Incarnationem, errorum damnationem, ideoque reliquos Apostolici Symboli articulos non indiguisse novo fulcimento. Quod Synodus suum Symbolum intenderit Catechumenis tradi nullo possit ostendi argumento, nullius antiqui Patris testimonio, nam Romana & omnis Latina Ecclesia, quæ Synodum religiosissimè venerata observavit, & jussit observari, istum morem nunquam admisit. Proinde iste mos est quorumdam Orientalium Episcoporum spontaneum Institutum, paulatim admissum à multis istic Ecclesiis. Quod omnes non admiserint, fortiter suadet dogmatica Magni Papæ Leonis ad Sanctum Flavianum Episcopum, & omnem Chalcedonensem Synodum Epistola: *Quam eruditionem de Sacris novi & veteris Testamenti paginis acquisivit Eutyches, qui nec ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum Mundum omnium Regeneratorum voce depromitur, istius senis corde non capitur.* Epist. 10. cap. 1. Et statim infra: *Universitas Fidelium profitetur*, utique in Baptismo, *Credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum Filium ejus Unigenitum Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* Cap. 2. Hoc manifestè

festè est Apostolicum Symbolum. Et Epistola est scripta ad Orientalem Ecclesiam: Palam supponit plures illic in Apostolico adhuc Symbolo baptizasse. Et quin istæ, quæ in Nicæno baptizabant, Ecclesiæ omissos ab illo articulos tradiderint Catechumenis non est dubitandum. Lucet ex antiquis Græcorum Patrum Catechistis sermonibus. Et licet non in baptismo, tamen suis fidelibus constanter perrexerunt tradere Apostolicum Symbolum. Et hæc est omnino una causarum ob quam Constantinopolitana Synodus omissos articulos reddidit suo Symbolo, quod alii intra, alii articuli Catechumenis traderentur extra Symbolum judicavit inconveniens, ideoque omnes necessarios, & in Apostolico Symbolo expressos articulos denuo congregavit in unum. Et hinc omnes, quæ usque tunc Nicænum tradiderunt, Orientales Ecclesiæ cœperunt tradere Symbolum Constantinopolitanum. Et hinc varios errores continent hæc verba Orationis, quam de utriusque speciei Communione ad Basilæensem Synodum dixit Joannes Ragusinus: *Nusquam legitur in Sacris Litteris, quod Apostoli Symbolum minus, quod in diversis horis diurnis silentio dicitur, composuerint, aut fecerint, vel in duodecim articulos distinxerint, & tamen Fideles tenent, & credunt, immò & nominant ipsum Symbolum Apostolicum; & hoc non nisi ex auctoritate Ecclesiæ, & specialiter Concilii Nicæni, cujus etiam auctoritate & Articulus de Descensu ad inferos tenetur, & firmiter creditur. Ipsum etiam Sacrum Nicænum Concilium secundum, & majus Symbolum edidit, in quo plurima fidem continentia declaravit, quod & publicè, & aperta voce ubique in cunctis Ecclesiis Catholicis dicitur, & cantatur.* Etenim Nicæna Synodus nihil definivit de Apostolorum Symbolo, nihil de Domini ad inferos Descensu. Et istud majus Symbolum est Synodi Constantinopolitanæ.

CANONES CONCILII NICÆNI.

CANON PRIMUS.

SI quis à Medicis propter languorem desectus est, aut à Barbaris abscissus, hic in Clero permaneat. Si quis autem seipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his, qui hanc rem affectant, audentque seipsos abscindere, dictum sit; sic eos, quos aut Barbari, aut Domini castraverunt, si inveniantur aliàs dignissimi, tales ad Clerum suscipit Regula.

SCHOLION.

EVirandi hominis ars pessima, pessimum habet auctorem: Ammiano Marcellino teste, (Lib. 14. cap. 17.) Reginam Semiramidem; teste Sancto Basilio in Libro de vera Virginitate, ipsum Diabolum, non solius animi nostri, sed & corporis inimicum. Quod istud hominis monstrum etiam nascatur, omninò est una ex pœnis delicti originalis. Hinc & gentilibus fuit semper exosum. Ælius Lampridius esse dicit reipublicæ cladem, Principum circumscriptores & perditores, laudatque Alexandrum Augustum, (Cap. 66.) quod Eunuchos nec in officiis, nec in ministeriis habuerit. Et Constantinum, quod nec chlamyde uti permiserit, (Cap. 67.) sed deputarit necessitatibus domesticis. Licinius Augustus, teste Aurelio Victore, omni domo sua ejecit, (Cap. 47.) utpotè sorices & tineas palatiorum. De Domitiano Augusto scribit ex Ammiano Marcellino Cassiodorus in Chronico: *Eunuchos fieri prohibuit.* Adrianus Augustus addidit pœnam capitalem *in Medicum, qui exciderit*, (Lib. 18. cap. 8. l. 4 8. ff. ad l. Cornel.) nec non *in ipsum, qui se spontè excidendum præbuerit.* Quæ omnia Justinianus ac Leo Imperatores confirmarunt, innovarunt, auxerunt. (novell. 142. Novell. 60.)

Huc respicit Justinus Martyr in secunda Apologia. *Extitit quidam è nostris, qui ut vobis persuaderet non esse nobis sacram & mysterium obscœnum, & impudicum concubitum, libellum Felici Præfecto Alexandriæ obtulit, petens, ut medicum sineret testes suos præcidere. Hoc enim sine Præfecti permissu fieri nefas esse, medici, qui illic erant, asseverabant.* Nempe ob dictam Legem Adriani. Hæ sunt Romanæ Leges, quas in Homilia trigesima prima supra primam ad Corinthios prædicant Sanctus Joannes Chrysostomus, (Lib. 3. c. 3.) Sanctusque Hieronymus in Commentariis Epistolæ ad Galatas. Addit hic in Commentariis Oseæ Prophetæ. (Lib. 1. c. 4.) *Effœminatos hodie Romæ, matri non Deorum, sed Dœmoniorum servientes, Gallos vocant: Eò quod de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Athis, quem Eunuchum Dea Meretrix fecerat, Sacerdotes illius mancipařint. Propterea autem Gallorum gentis homines effœminantur, ut qui urbem Romam ceperant, hac feriantur ignominia.*

Nihilominus Eunuchos, fide, & moribus integros semper ad Clerum admisit Ecclesia. Etenim

Etenim Candacis Reginæ Eunuchum ab ipsis Apostolis ordinatum Episcopum, constans est sententia Patrum. Melithonem Sardensem Episcopum, tamquam in Spiritu Sancto Eunuchum, laudat plurimùm Polycrates, Ephesiorum Episcopus, in litteris ad Victorem Pontificem, relatis ab Eusebio, ac Sancto Hieronymo in Catalogo virorum illustrium. Idem Eusebius æquè commendat Dorotheum, Eunuchum natum, Presbyterum Ecclesiæ Antiochenæ. Lib. 7. cap. 28.

At Domini verbum de Eunuchis ob cœleste regnum seipsos castrantibus pravè intelligens ad litteram, ac violentas manus, servandæ castitatis fuco, sibi ipsi inferens Origenes, excitavit in Ecclesia novam quæstionem. Facinus auctoritatem habuit ex patrantis eminenti persona; ex Demetrii Alexandrini Episcopi, licèt admirantis, tamen quasi ex fidei impetu profectum solantis tolerantia; ac præsertim ex Theoctisto Cæsaræensium apud Palæstinos Metropolita, ac Alexandro, Hierosolymæ Episcopo, deferentibus homini mutulo Presbyteratum. Verùm Demetrius postea sententiam vertit, Theoctistum & Alexandrum durè incusavit apud Ecclesias, atque ita per omnem Orientem natæ sunt graves contentiones, variæque Synodi, invicem uti affectibus, ita decretis impugnantes. Quin immò facinus transiit in sectam, quam Epiphanius & Augustinus vocant Valesiorum, non seipsos tantùm, sed & quosvis advenas violenter exsecantium, idque ob idem Domini verbum carnaliter & stultè acceptum. Etiam de rerum Principiis errarunt. Quæ omnia palam olent Origenis discipulatum.

Quidquid sit, Nicæam lis deducta est ad plenum Ecclesiæ judicium, finitaque hoc nostro Canone, uti insinuat Sanctus Basilius in libro de vera Virginitate. Ferit Canon solos à semetipsis excisos. Causam dat Sanctus Hieronymus in adducto commentario super Epistolam ad Galathas: *Tam detestanda est abscissionis passio, ut & qui invitis eam intulerit, legibus publicis puniatur, & qui se ipsum castrarit infamis habeatur.* Mandat verò Apostolus Episcopo, & Presbytero adesse debere bonum testimonium, etiam ab illis, qui foris sunt. Per naturam, Dominos, Barbaros, Medicos ob morbum truncatis Canon disertè parcit, nolens afflictis addere afflictionem, nec lædere priorem Ecclesiæ consuetudinem. Hinc Leontium, Antiochenum Episcopum tamquam contra Nicænas Regulas promotum, graviter reprehendunt in Epistola ad solitarios Sanctus Athanasius, & in Historia Theodoretus: *Quod sua ipsius manu sibi exsecuisset testiculos.* At verò Tigrium, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyterum *natione Barbarum, & Eunuchum, sed non à nativitate*, ut potè à Domino in servitute excisum, admodum laudat Hermias Zosomenus. Etiam Sancti Germanus atque Ignatius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Antistites, fuere violenter excisi, pro quorum Episcopatu, quæ bella gesserit Romana Ecclesia, omnibus est manifestum. Lib. 1. cap. 24. Lib. 8. cap. 24.

Eodem modo Canonem intelligunt secunda Synodus Arausicana apud Jacobum Sirmondum, Hincmarus Remensis Episcopus in causa Presbyteri Cameracensis, relata per Flodoardum & Baldricum in Historia Ecclesiarum Remensis, & Cameracensis, nec non Sanctus Ivo Carnotensis Episcopus, in Epistola ad Pontium Abbatem Cluniacensem disertè scribens Canonem latum *in eos, qui se abscindunt obtentu servandæ castitatis.* C. 7. L. 3. c. 23. L. 1. c. 51. Epist. 231.

Quispiam Pontii Monachus, curandæ epilepsiæ caussa, seipsum castrarat, responditque Ivo consultus: *Nec ad altiorem gradum promoveri poterit, nec in eo, in quo erat, ministrabit, quod, sicut benè nostris, ei non interdiceretur, si esset sectus à medicis.* Hinc apud Guilielmum Malmesberiensem Hugo Londinensis Episcopus, ejusdem morbi caussa sectus à medicis, mansit Episcopus, sectoque similiter Presbytero liberam ministerii facultatem permittit Innocentius tertius apud Gregorium nonum sub titulo de corpore vitiatis. F. 236.

Addit Canon noster: *Propter languorem.* Qui ergo citrà morbum ex libidine, quavis mundi caussa, aut etiam castitatis fuco permittit seipsum medicis, fit planè irregularis. Caussam dat Leo Augustus, quod licet aliena manu, ipse tamen sibi sit omnino auctor injuriæ. Quarè rectè Leo nonus Pontifex, in Litteris ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, Græcos schismaticos arguit, quod contra Sanctorum Canonum censuram Eunuchos ejusmodi indifferenter promoverent etiam ad Episcopatum. *Ut Valesii*, inquit Sigebertus Gemblacensis, *hospites suos castratos etiam ad Episcopatum promovebant.* C. 23. A. 1054.

Apostolica increpatio non fuit penitus infructuosa. Romanos enim Legatos honorificè suscepit, audivit, ex eorum præscripto suorum mores corrigi jussit Augustus Constantinus Monomachus, fierique tunc cœpit, quod scribit Theodorus Balsamon: Nemo consideratior aut se aut è suis quempiam tradidit medicis, nisi prius morbi caussa cognita per Ecclesiam, ac impetrata licentia, quo ità nulla irregularitatis vel suspicio esset. Quin immò nullus, licet ob morbum de Ecclesiæ licentia, excissus, fuit admissus ad Clerum. Nempe dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Ejusmodi enim excisio, ut rectè Leo Augustus, naturam non mutilat, sed conservat, ideoque legi non adversatur. Ad 23. Can. Ap. Ad 1. Can. Nic.

Nicæna porrò lex statuit de sola genitalium truncatione. Etenim Ammonii Parotæ, qui Episcopatus vitandi causa sibi ipsi auriculam abscidit, dicens: *Me deinceps ne volentem quidem lex Sacerdotem creari permittit, nam neminem, qui non sit, integris membris, Sacerdotem debere institui.* Hujus, inquam, Ammonii caussam discutiens apud Hermiam Zosomenum Ecclesia respondit. *Hæc esse Judæis solum observanda, Ecclesiæ autem Christi membra corporis minimè curæ esse, sed ut Sacerdos dumtaxat sit integris moribus.* Judaicam enim legem, non hunc Canonem, etiam Ammonius respexit. Canonem ergo ad qualemcunque sui mutilationem extendit tandem Innocentius primus, in litteris ad Fælicem Nucerianum Episcopum, quas adducunt, non tantum Gratianus, apud quem videnda plura hanc materiam tangentia decreta, sed etiam Dyonisius Exiguus, & Crisconius Africanus Episcopus, fidissimi antiquorum Canonum collectores.

Dissert. de Symb. Ap. & Nic. T. I.

CANON II.

QUoniam plura aut per necessitatem, aut aliàs cogentibus hominibus, adversùs Ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spirituale perducerent, simulque ut baptizati sunt, ad Episcopatum vel ad Presbyterium promoverent; optimè placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nam & tempore opus est ei, qui catechizatur, & post Baptismum probatione quàm plurima. Manifesta est enim Apostolica Scriptura, quæ dicit: Non Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat, & in laqueum diaboli. Si verò processu temporis aliquod delictum animæ circa personam reperiatur hujusmodi, & à duobus, vel tribus testibus arguatur; à clero talis abstineat. Si quis autem præter hæc fecerit, quasi contra magnum Concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur.

SCHOLION.

TRes sunt Neophytorum species, diversis temporibus in Ecclesia natæ: Neophyti ex fide, Neophyti ex laicis, Neophyti ex ætate: quam postremam speciem Sanctus Ivo Carnotensis Episcopus in Litteris ad Guilielmum Metropolitam Rothomagensem meritò vocat *Ecclesiæ stercora, puerorum spurcitiam, novam Neophytorum hæresim, inauditum genus invasionis*. De prima specie scribit ad Timotheum Apostolus: *Oportet Episcopum esse non Neophytum*. Causam dat Pontius Diaconus in vita Sancti Cypriani. *Ne stupore gentilitatis nondum fundatis sensibus adhærente, aliquid in Deum novitas inerudita peccaret*. Baptisma enim, uti in Libris contra Pelagianos scribit Sanctus Hieronymus, non statim omni justitia plenum facit; vetera peccata conscindit, non donat plenitudinem virtutum: At verò Episcopatus est gradus acquisitæ & possessæ perfectionis. [Epist. 149. 183.] [Lib. 1. c. 8.]

Aliam rationem dat ipse Apostolus: *Ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli*. *Quod*, inquit ad Oceanum Hieronymus, *quis non exemplo verum probet? Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem & mansuetudinem rusticorum, ignorat blanditias Christianas, nescit seipsum contemnere, de dignitate transfertur ad dignitatem, non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpè reprehendit, & assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit. De cathedra quodammodo ducitur ad cathedram, id est, de superbia ad superbiam. Judicium autem & ruina Diaboli, nulli dubium, quin arrogantia sit*.

Et hinc de solo Episcopo, sub quo & Presbyter comprehenditur, Apostolus loquitur. Nam ipse Onesimum non tantùm Christo genuit, sed & mox Diaconum fecit de servo, uti ad Theophilum Alexandrinum Episcopum scribit idem Hieronymus, Diaconus dumtaxat minister est, ideoque Christianæ perfectionis adhuc discipulus, non possessor & doctor. [Epist. 62.]

Addit Canon octuagesimus Apostolorum: *Eum, qui è vita gentili accesserit, & baptizatus fuerit, protinus Episcopum fieri, æquum non est. Nisi fortè hoc divina gratia fiat*. Ea gratia, quam Apostolus in Epistola ad Timotheum vocat *Præcedentes Prophetias*, id est, divinas revelationes, quibus Episcoporum electiones frequenter fieri consuetas etiam Sanctus Cyprianus, Sanctus Hieronymus in Aggæi Prophetæ Commentariis, variaque exempla attestantur. Sic Alexander Hierosolymitanam, Nicolaus Myrensem, Fabianus Romanam Cathedram adscenderunt. Et quidem Fabianus à columba in caput ejus devolante ostensus, quam Prophetiam dudum continua serie perseverasse apud Ravennates, asseverant illius Ecclesiæ Annales. Et hujusmodi electiones meritò vult Canon ille ab Apostolo non improbari. Causam dat Sanctus Ambrosius in Epistola ad Ecclesiam Vercellensem: *Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur in superbiam. Si deest humilitas competens Sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur*. Ubi autem divina revelatio, certum est hanc causam non hærere. [Epist. 25.]

Attamen quandoque etiam humanus dies fecit hujusmodi Episcopos. Cœpit malum ab hæreticis, quorum ordinationes Tertullianus in Libro Præscriptionum scribit esse leves, temerarias, inconstantes, atque ab illis gloria obligantibus, quod veritate non possint, *Neophytos collocari*. Quod ipsum de Eusebiana Arianorum factione queritur in Apologia ad Constantium Augustum Sanctus Athanasius. Et Sancto Hieronymo teste, *Prætextatus, vir consularis, solebat ludens beato Papæ Damaso dicere; facite me Romanæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus*. Episcopales proventus etiam in medio persecutionum æstu fuisse amplissimos, liquet ex Tertulliano, qui Episcopatum vocat *Regnum*, arguitque nostros Episcopos, quod ejus securam fruitionem ac persecutiones largo ære redimerent. Hujus ergo regni amor invasit etiam gentiles, [C. 41.] [Epist. 61. cap. 3.] [L. de fuga persecut. c. 16.]

tiles, atque hæreticorum conventiculis præfecit Antistites.

Malum tandem serpsit etiam ad nos. Nam apud Græcos Sanctus Gregorius Thaumaturgus Alexandrum Carbonarium, novellum è Philosopho Christianum, Ecclesiæ Comanensi dedit Episcopum, uti refert in illius encomio Sanctus Gregorius Nyssenus; eodem tempore apud Latinos Carthaginensi Primatui impositus est Sanctus Cyprianus Neophytus, de quo Pontius Diaconus: *Ille fuit primus, & puto solus exemplo, plus fide posse, quàm tempore promoveri.* Felicissimus ejusdem Ecclesiæ Diaconus, & cum illo quinque Presbyteri, promotionem, ut Canoni Apostolico adversam, hostilissimè apud Romanam Ecclesiam impugnavere, & confirmari postularunt Fortunatum Cypriano à se superordinatum: verùm conjuratione illa damnata, Cyprianum suscepit Sanctus Cornelius Pontifex, atque ita gratia in exemplum, exemplum degeneravit in frequentem abusum: etiam violatis catechumenorum legibus. Hac de causa Sanctus Hieronymus ejusmodi Episcopos in laudata superius Epistola vocat *momentaneos Sacerdotes*. Etenim *heri catechumenus, hodie Pontifex; heri in amphitheatro, hodie in Ecclesia; vespere in circo, mane in altario; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator.*

Abusui obviare cœpit quartus Canon Laodicensis. *De his, qui nuper illuminati sunt baptismate, quod eos in Sacerdotali non conveniat ordine promoveri.* Eumque, quod non proficeret, innovavit, & ad omnem Ecclesiam extendit hic noster Canon Nicænus. Statuit de solo Episcopo atque Presbytero, quod de illis solis etiam Apostolus statuerit; verùm & ad Diaconos postmodum extendit Siricius Pontifex, & secunda Arelatensis Synodus, haud dubiè ex auctoritate Sardicensis, cujus decimus Canon secundam Neophytorum speciem facit irregularem etiam ad Diaconatum.

Sed neque Nicænus Canon ubique profecit. Omitto Eusebianæ factionis effrontem proterviam, de qua videndus Sanctus Athanasius in supra adducta Apologia; omitto item Sanctum Ambrosium, Eusebium in Cappadocia Cæsaræensem, Nectarium Constantinopolitanum, Synesium Cyrenensem, aliosque id genus divino aut Ecclesiastico judicio probatos ex Neophytis Episcopos: Adduco solas Hieronymi querelas in Libris contra Pelagianos. *Vult Apostolus, ut non Neophytus Episcopus ordinetur, quod videmus nostris temporibus pro summa eligi justitia.* Nempe humanæ ambitionis iniquitas nullo unquam fræno potuit coerceri. L. 10. c. 8.

Hæc Canonis verba, *Si verò processu temporis &c.* huc usque promotos tangunt. Eos dispensatoriè tolerant, dummodò aliàs irregularitatis obex non subsit.

CANON III.

INterdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, nec Diacono, nec alicui omninò, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem; nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effugiunt.

SCHOLION.

ROmana, ac Latina omnis Ecclesia Episcopis, Presbyteris, atque Diaconis plenam semper continentiam imposuit, etiam ab uxoribus antea ductis. Eandem Ægypti atque Orientis fuisse consuetudinem, testatur Sanctus Hieronymus in Libro contra Vigilantium. Legem hanc & reliquis Græcorum Ecclesiis inserre conati sunt in hac Synodo Legati Apostolici; Verùm Sancti Paphnutii, Ægyptii Episcopi intercessio impedivit, fecitque proscribi solam introductionem mulierum extranearum. Scio Paphnutii intercessionem à quibusdam abjici ut supposititiam & græculum figmentum: At existimo, quod malè, ex gravibus rationibus ac testimoniis. Rectè tamen Gregorius septimus Pontifex, in Latinorum Clericorum sacrilega matrimonia statuens, illam damnavit: utpotè contrariam antiquæ puritati Latinæ.

Sed quid est introductio, quid mulieres introductæ? Ruffinus hunc Canonem è Græco Latinum reddens pro *subintroductas* ponit *extraneas*: eumque plures Gallorum atquè Hispanorum Synodi, quidamque alii sunt secuti. Nec penitus malè. Extraneas enim mulieres Canon vetat introduci, de quo quærimus, quod sit? Exstant de illo numerosa antiquorum testimonia, & quædam oportet adduci.

Tertullianus in Libro exhortatorio ad castitatem, nec non in Libro de monogamia, secundas nuptias damnat, virisque viduis passim dicentibus: *Consors onerum est necessaria*, respondet: *Habe aliquam uxorem spiritalem, adsume de viduis Ecclesiæ, fide pulchram, paupertate dotatam, ætate signatam: Bonas nuptias feceris. Hujusmodi uxores etiam plures haberi, Deo gratum est.* C. 12. C. 16.

Apud Eusebium Cæsaræensem Antiochena Synodus in Paulum Samosatensem, Patriarcham Antiochenum, sinodaliter dejectum, scribit ad Dionysium Papam: *Præterea quid est, quod litteris prodamus adscititias illius mulieres, quas subintroductas Antiocheni appellant, & mulieres etiam Presbyterorum ac Diaconorum suorum, quorum non hoc peccatum solum, sed alia propè insanabilia callidè occultavit. Atquè hoc pro certo habemus cogni-* L. 7. c. 24.

tum

tum, non episcopum modò, sed sacerdotium etiam universum populo omnium bonorum operum exemplar esse debere; sic illud minimè ignoramus permultos ab ista mulierum in suam societatem adsciscendarum oratione & modo, pietate penitus excidisse, alios autem venisse in suspicionem flagitii. Quam licèt aliquis hoc claret, eum nihil lascivia aut petulantia in illas admisisse; suspicio tamen, quæ ex ejusmodi re oriri solet sedulò cavenda fuisset, ne fortasse alicui esset offensioni, alios autem ad se imitandum impelleret. Quo pacto enim alium reprehendere poterat aut admonere, qui una repudiata, duas ætate florentes, & adspectu perliberales ac venustas secum habuit? Quas si quopiam iret, circumduxit una, idque delicias consectando, &c. De introductione agit omninò etiam Sanctus Cyprianus in Epistola Synodali ad Pomponium Episcopum, dicens, esse illicitas, scandalosas, periculosas conjunctiones, Episcopali intercessione dividendas, utpotè ex quibus videmus fieri graves multorum ruinas, corrumpique plurimas sacras virgines. Epist. 62.

Theodorus, Cappadociæ Presbyter, à Sancto Basilio de dimittenda subintroducta muliere admonitus, respondit se hominem septuagenarium, liberum ab omni corporali perturbatione; reposuit verò Basilius: *Neque enim credo eum, qui septuaginta annos natus est, cum muliere animi postulatione commotum habitare; Nec tamquam propter aliquam turpem actionem, quæ facta fuerit; statuimus ea, quæ statuimus; sed quia ab Apostolo docti sumus fratri non esse ponendum scandalum vel offendiculum. Scimus autem quod rectè & sanè fit ab aliquibus, erit aliis occasio ad peccatum. Ea de causa decrevimus Sanctorum Patrum constitutionem sequentes, ut à muliere separeris.* Sequentes & exequentes hunc canonem Nicænum. Rectè enim in illius Epistolæ commentariis Theodorus Balsamon: *Introductitias vocat Synodi Nicænæ Canon, quæ introducuntur in ædes Sacratorum hominum, qui uxores non duxerunt, & cum eis cohabitant.*

Sancti Basilii frater, Sanctus Gregorius Nissenus Episcopus, in libro de Virginitate hæc habet. *Qui nominetenus cœlibatus studiosi nihil à communi vita differunt; qui non solùm ventri voluptates indulgent, sed palam cum mulieribus convivunt, & eam consuetudinem fraternitatem vocant, sinistram suspicionem splendido hoc nomine obnubendo.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione in novam dominicam declamat ad sacras virgines: *Servam voluptatem ne suffuremini; libertatem fugientes, ex eo quod cum illis habitetis, qui viri quidem non sunt, sed tamen viri.* Uti enim sacri viri fœminas, ita sacræ virgines ac viduæ introducebant viros, eosque Gregorius suadet fugiendos. Pergit in carmine continente præcepta virginum. *Cùmque viros omnes, tum nullos nisus illis effuge, quos inductitios de nomine dicunt. Namque duplex metus est; si te fiducia carnis efficit intrepidam: Quis enim confidere membris ausit, quæ tecto semper clauduntur eodem? Sacrum dedecoras Sponsum, qui te, tuamque mirificè affectat formam, nec sustinet ullum rivalem adjungi.* Et infra: *Sæpè animis & mente pares collegit in unum, & lucis speciem præfetulit, atque decorum cognomentum Agapes subiit: mox callidus omnem ex animo ad carnes vicinas flectit amorem, & flammam, aut flammæ tristissima signa reliquit.* Utique diabolus.

Sanctus Epiphanius de Hieracitis, nuptias damnantibus, hæc ait: *Subsannantur autem perfectissimè propter eas, quas singuli habent subintroductas mulieres, de quibus gloriari solent se habere ipsas ad ministerium.* Et de falsa Encratitarum continentia. *Inter mulieres reperiuntur, mulieres undequaque decipiunt, cum mulieribus iter faciunt; simul cum illis vivunt, & illarum ministeria admittunt.* Et de turpibus Origenistis: *Accusant eos qui in Ecclesia dilectas appellatas, aliundè subintroductas, & cohabitantes fœminas habent, &c.* Hæres. 67. 63. 69.

S. Joannes Chrysostomus proprium adversus hasce mulieres sermonem declamavit, easque ita describit: *Sunt quidam, qui puellas inuptas absque nuptiis & concubitu ducentes domi perpetuò collocant, & ad supremam usque senectutem inclusas tenent, non propagandorum liberorum caussa, neque caussa libidinis.* Quod factus Episcopus hasce Agapetas mulieres sacris clericis mox abstulerit, scribit apud Photium in bibliotheca Georgius Episcopus Alexandrinus. L 46.

Omnium distinctissimè easdem depinxit S. Hieronymus. Ad Rusticum Monacum hæc scribit de ejus matre, vidua, religiosa. *Hanc suscipe ut parentem, ama ut nutricem, venerare ut Sanctam. Nec aliorum imiteris exemplum, qui relinquunt suas, & alienas appetunt, quorum dedecus in propatulo est, sub nominibus pietatis quærentium suspecta consortia. Novi ego quasdam, jam maturioris ætatis, libertini generis adolescentibus delectari, & filios quærere spirituales, paulatimque pudore superato ficta matrum nomina erumpere in licentiam maritalem. Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, à mulieribus non posse discedere, sub eodem manere tecto, simul inire convivia, ancillas juvenes habere in ministerio, & præter vocabulum nuptiarum omnia esse Matrimonii.* Epist. 4. c. 2.

Et in epistola ad Gaudentium. *Pudet dicere, & tamen dicendum est. Nobiles fœminæ, quæ nobiliores habuere neglectui procos, vilissimæ conditionis hominibus, & servulis copulantur; ac sub nomine religionis, & umbra continentiæ interdum deserunt viros Helenæ, sequuntur Alexandros, nec Menelaos pertimescunt. Videntur hæc, planguntur, & non vindicantur; quia multitudo peccantium peccanti licentiam subministrat.* Epist. 12.

Et in Epistola ad Eustochium: *Pudet dicere, pro nefas: triste, sed verum est. Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Immò unde novum concubinarum genus? Plus inferam, undè meretrices univiræ? Eadem domo uno cubiculo, sæpè uno tenentur & lectulo; & suspiciosos nos vocant, si aliquid extimemus. Frater sororem virginem deserit, cœlibem spernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum: Et cùm in eodem proposito esse se simulent, quærunt alienorum spirituale consortium, ut domi habeant carnale commercium.* Epist. 22. c. 5.

Legenda est integra Epistola quadragesima septima, ubi hosce Agapetos vocat *Præsules Clericos*, à sacris fœminis *assumptos vel ob hospitii solitudinem, vel ob custodiendas facultatulas*: vocat *maritos portentosos, qui regant familiam, emant quid-*

quidquid de publico necessarium est, dispensatores & dominos, parasitos, impostores, hæredipetas. Nam & contra eos prodiit illa Valentiniani Augusti lex, Ecclesiæ infamis & damnosa.

L. 1. c. 14. Et in Libris contra Jovinianum sorores mulieres, ab Apostolis circumductas, negat fuisse uxores, sed *alias mulieres, quæ juxta morem Judaicum Magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Quod & in veteri Lege de Sunamitide illa scribitur, quæ solita sit Elisæum recipere, & ponere ei mensam, & panem, & candelabrum.*

L. 4. c. 27. Et in Commentariis Sancti Matthæi Evangelistæ: *Consuetudinis Judaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjecisse se memorat.*

L. 1. tit. 3. leg. 19. Easdem Agapetas, seu dilectas fœminas, in Codice Justiniani describit Lex Honorii & Theodosii. *Eum, qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non debet. Quicumque igitur cujuscumque gradus Sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant.*

Primi Concilii Bracharensis Canon quintus decimus, adductus à Martino Bracharensi, hasce Agapetas vocat *fœminas adoptivas, quasi in loco filiæ, sororis, aut matris.*

Quocirca subintroductæ mulieres fuerunt res judaicæ originis, ab Apostolis traducta in Ecclesiam, primitus quidem bona, ideoque commendata à Tertulliano; postmodum verò per humanam infirmitatem demutata in pestem, honestis Agapes seu dilectionis, Agapetarum seu dilectarum, nec non sororum, matrum, filiarum vocabulis fucatam; factaque scandalosa, periculosa, offensiva piarum aurium, & oculorum, atque ideò à Paulo speciali gentium Apostolo nunquam usitata. Et quidem Judæi habuere solas subintroductas mulieres, nos autem etiam subintroductos viros.

Subintroductio erat contractus innominatus, inter solas sacras personas iniri solitus, adoptioni aut arrogationi similis, quo quis adsciscebatur in spiritualem patrem, matrem, filium, filiam, fratrem, sororem, atque ita, uti loquitur secunda Turonensis Synodus in adsciscentis familia stabiliebatur. Hunc ergo contractum Canon noster iniri vetat à Clericis, nisi cum matre, sorore, amita, aliisque personis liberis ab omni scandalo, periculo, piarumque aurium, & oculorum offendiculo.

CANON IV.

EPiscopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.

SCHOLION.

HUnc Canonem egregiè exponit Joannes Scholasticus, Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter, ac deindè in Eutychii per Justinianum Augustum iniquè dejecti locum Patriarcha Constantinopolitanus, in collectione Canonum divisa in quinquaginta titulos, laudata à Nicolao primo Pontifice in Epistola ad Photium Ecclesiæ Constantinopolitanæ intrusum. Eum ponit

Epist. 11. tit. 7. sub hoc titulo: *Oportere Episcopum tum à Metropolitano, tum etiam ab omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis ordinari, vel præsentibus ipsis, vel scripto consentientibus, ac non multitudini permittere Episcoporum electiones facere.* Ab illo ait innovari atque ad omnem Ecclesiam extendi duodecimum ac decimum tertium Canonem Laodicensem: *Ut Episcopi Metropolitanorum, & eorum qui sunt circumcirca, Episcoporum judicio constituantur. Turbis non esse permittendum eorum, qui sunt in Sacerdotio constituendi, electiones facere.*

L. 4. c. 20. Eodem modo Canonem exponit apud Theodoretum Petrus Alexandriæ Episcopus, Sancti Athanasii successor, in Epistola ad omnes Orthodoxos, dicens: *Sacros Ecclesiæ Canones præscribere, ut Episcopatus detur consensu Episcoporum, in unum convenientium, suffragiis cleri, & populi postulatione.* Et Synodus Constantinopolitana ad Damasum Pontificem scribit Flavianum Antiochenum Episcopum electum ab Episcopis illius Provinciæ, tota Ecclesia suffragante, *uti Canon postulat.* Utique Canon noster Nicænus. Etenim *& vetus lex obtinuit, & Sanctorum Patrum in Nicæno Concilio decisio, ut singularum Provinciarum Antistites una cum finitimis, modo illis ita visum fuerit, Episcopis, ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum provinciis ordinent.* Hoc est, & eligant & consecrent: voce enim, χειροτονία, quæ est in textu græco, certum est hìc, quomodo & alibi, actum utrumque significari. L. 5. c. 23.
Eodem modo Canonem exponit Theodoretus, à Paulino Antiocheno Episcopo, qui Evagrium successorem solus elegerat, & ordinarat, dicens, *plures simul Canones violatos.* Nempe vigesimum tertium

tertium Antiochenum, statuentem *non licere Episcopo alium pro se successorem constituere, licèt sit in fine vitæ*; & hunc Nicænum, qui *omnes Provinciæ Episcopos jubet in unum convocari* causa faciendæ electionis, & consecrationem fieri per tres ad minus Episcopos. Ait duas priores hasce nostri Canonis partes à Paulino violatas.

Canon enim habet tres partes. Prima agit de Episcopi constitutione seu electione; secunda de consecratione, quam fieri mandat per tres ad minus Episcopos. Innovat & ad omnem Ecclesiam extendit nuperum Canonem primi Concilii Arelatensis. C. 21. *De his, qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit, ut hoc nullus sibi præsumat; nisi assumptis secum aliis septem Episcopis: si tamen non poterunt septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare.* Ex Apostolico Canone ordinatio spectat ad solos Comprovinciales, quos septem non habent variæ Provinciæ.

Hinc Arelatensem Canonem mitigat hic noster, statuens generatim ordinationem à Comprovincialibus omnibus fieri, aut ad minùs eorum tribus. Can.Chalced. l. 3. Ità exponit, & Innocentius primus in litteris ad Victricium Rothomagensem Episcopum, Epist. 52. secunda Synodus Arelatensis, nec non cum sua Synodo Evippus, Neocæsaræensis Metropolita, in litteris ad Leonem Augustum, dicens, debere tres Episcopos *corporaliter adesse*. Pars tertia vult in quavis Provincia esse Episcopum Metropolitam, eumque unicum, cui & electorum Provincialium Episcoporum, aliorumque omnium per Provinciam agendorum competat confirmatio. Hanc partem respicit Innocentius primus in dictis litteris dicens statutum, atque definitum à Nicæna Synodo, ut *extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat Episcopum ordinare*. Eandem plures Synodi assiduè confirmarunt.

Hucusque per regiones varias ob assiduos persecutionum motus plenè formata non fuerat Ecclesiastica Hierarchia, neque erectæ sedes Metropoliticæ. Etenim per Hispanias, & Africanas, excepta Proconsulari, Provincias præsidebat senior Episcopus, quod ipsum in Provincia Arelatensi prætendisse Proculum Massiliensem Episcopum, non obscurè colligitur ex Synodo Taurinensi, & litteris Zosymi Papæ. Porrò ad Romanæ Reipublicæ normam Ecclesiæ Provincias ac potestates ordinarunt Apostoli, atque ideo, ut illa cuique Provinciæ unicum Rectorem, in Metropoli, tamquam in capite residentem, ita isti cuique unum cum debita potestate Metropolitanum Episcopum præposuerunt, quod decretum ubique tandem recipi præsens Canon mandat. Hispanos obedivisse vident oculi nostri, itemque obedire Proculum coegit Zosymus Pontifex; Afri autem manserunt in sua consuetudine, quam rursum à Pelagio secundo eliminari jussam manere permisit, motus multis supplicationibus, Gregorius Magnus.

Et hanc Canonis partem respicit Bonifacius primus in litteris ad Hilarium Narbonensium Epist.3. Metropolitam. *Nulli videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem propriè verba ponamus, per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas.* Atque exinde decidit litem pro præfato Hilario contra Patroclum Arelatensis Ecclesiæ Episcopum, ejusque prætensum Primatum. Eodem respicit actio tertia decima Synodi Chalcedonensis, Bythiniæ Metropoliticam potestatem ex integro adscribens Cathedræ Nicomediensi, Nicænæ autem solum Metropolitæ vacuum nomen, quoniam Canones, utique hic noster, statuant eidem Provinciæ esse non posse duos cum potestate Metropolitas.

Rectè verò Constantinopolitana Synodus dicit & veterem Ecclesiæ legem, & Nicæni Concilii decisionem habere, ut Episcopus à Collegis Comprovincialibus eligatur. Antiquam enim, ab Apostolis præscriptam, electionis formam pandit nobis Sanctus Cyprianus in litteris ad Ecclesias Legionensem atque Asturicensem. *Propter quod diligenter de traditione divina & Apostolica observatione observandum est & tenendum,* Epist.64. *quod apud nos quoque & fere per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam Plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur Plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & unius cujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud nos factum videmus.* Venire id dicit ex traditione Divina, id est, Lege Mosaica, cujus plures ritus Apostoli in Ecclesiam traduxerunt.

Ait in Episcopi electione totius fraternitatis, id est, Cleri & Plebis esse suffragium, judicium autem, seu confirmationem, esse præsentium Episcoporum: Et addit de Plebe: *Quando ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi*: Hinc in electionibus frequenter olim à scissa in factiones Plebe fuere maximi tumultus usque ad manus & publicas cædes, hinc rapti ad Episcopatum inviti, rudes, neophyti, aliique irregulares atque indigni. Hisce de causis pristinam electionis formam, quod jam ante Laodicena Synodus fecerat, hic noster Canon immutavit. Addidit tria, Primò ut deinceps Episcopi electio non fiat nisi præsentibus Comprovincialibus. Quod utique quoad Metropolitas receptum est, non quoad Provinciales: Horum electioni in quibusdam regionibus assistere & præsidere perseveravit solus interventor seu visitator Episcopus; atque ita servatum semper per Italiam, Illyricum, & Gallias liquet ex Epistolis Sancti Ambrosii, Sancti Leonis, ac Gregorii Magni. Et hinc, quod Clerus & Populus in electionibus frequenter deviarent, Ludovicum tertium Francorum Regem hortatur Hincmarus Remensis Episcopus, eique adjuncta Synodus Gallicana, ut deinceps præsideant Metropolita & vicini Episcopi, quomodo mandat Canon Nicænus. Epist. 12. Cap. 3.

Secundò addidit, ut penes hosce præsentes Episcopos esset non dumtaxat de fraternitatis suffragio judicium, sed & principale suffragium. Liquet hoc ex litteris Celestini Pontificis ad Ecclesiam Gallicanam. *Docendus est populus non sequendus, nosque, si nesciunt, eos, quid liceat, commonere, non eis consensum præbere debemus. Per totas hoc, quæ propriis Rectoribus carent, Ec-*

clesias

clesias volumus innotescat, ut nullus sibi ipse aliqua blanditus illudat.

Tertiò addidit, ut ultimum de quovis suffragio judicium peti oporteat ab Episcopo Metropolitano. Unde is apud Græcos, uti in Libro de sacris ordinationibus asserit Symeon Archiepiscopus Thessalonicensis, electionibus nunquam aderat; aderat, & quidem sine suffragio, quispiam ejus clericus passim Carthophylax, inspecturus,& relaturus omnem electionis successum, ut ille tam de fraternitatis, quàm de Episcoporum suffragio posset liberè judicare.

Existimant quidam Plebem à Canone fuisse privatam omni suffragio. At malè. Nimis manifestum est & apud Orientis, & apud Occidentis Ecclesias etiam postea Plebem postulasse, & suffragatam, idque ex præscripto Canonum, & contra eorumdem præscriptum frequenter usque ad effusum sanguinem tumultuatam. Et hinc Gregorius Nazianzenus, in defuncti Patris encomio, stultam, & temerariam plebem optat excludi ab electionibus, easque committi solis Clericis, & Monachis, *sic enim nunquam Ecclesiis malè esset*. Quod votum tandem recepit, ac in Canonem redegit Ecclesia, atque adeò adversùs populares electiones, & turbas reducere conantes Luteranos, & Calvinistas rectè statuit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit Ordines ab Episcopis collatos sine populi, & potestatis sæcularis consensu irritos esse, anathema sit*. Longa est hæc res, variis sæculis passa mutationes varias, alibi enucleandas.

Sess. 23. c. 3.

APPENDIX.

An Episcopi Consecratio facta ab uno Episcopo sit valida?

A Paucis annis quidem ab uno Episcopo per Apostolicæ Sedis jussionem consecratus Episcopus apud nos ordinavit, non tantùm Presbyteros, ac omnium graduum Clericos plurimos, sed & quosdam Episcopos aliis duobus adsistens, atque ita apud multos de hisce Ordinationibus natus est scrupulus; existimantes Episcopum de jure Divino ordinari debere à tribus, in quo Sedes Apostolica non possit dispensare. Est scrupulus palam injuriosus dictæ Sedi, consuetæ non ab heri aut nudius tertius, sed ab ipsis Apostolorum temporibus uti ista potestate. Nam & Ferrandus Fulgentius, Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, antiquus Canonum collector, ex Synodo Zellensi, & Siricii Pontificis sanctionibus adducit hunc Canonem: *Ut unus Episcopus Episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana*.

Fateor ergo atque profiteor esse omninò morem, & Canonem Apostolicum, ut Episcopus à cunctis suis Comprovincialibus, aut ad minus eorum tribus ordinetur. Etenim testatur Apostolus, Timotheum quidem à se ordinatum, attamen per impositas manus Presbyterii, id est, plurium Presbyterorum, seu Episcoporum. Apostolicis enim temporibus inter Episcopos, & Presbyteros nullum fuisse discrimen asseverat frequenter Sanctus Hieronymus. Episcopatus, & Presbyteratus sunt jure Divino distincti omninò Ordines; verùm primis illis Ecclesiæ exordiis nemo dumtaxat in Presbyterum, sed omnis Presbyter completè in Episcopum ordinabatur, qui mos dudum perseveravit in quibusdam Ecclesiis, præsertim Alexandrina. Hunc esse Hieronymi sensum, facilè, & lucidè possit ostendi: Possit ostendi eisdem Ecclesiæ initiis Episcopos passim consecratos à tribus, quos inter principalis consecrator erat Patriarcha, Primas, aut Metropolita.

Nihilominus & ipsi Apostoli, & eorum proximi successores, frequenter etiam soli, Episcopos consecrarunt. Etenim Tito Cretensium Metropolitæ mandat Apostolus, ut per civitates constituat Presbyteros, id est, ut ipse statim subdit, Episcopos, utique solus, quoniam post abitum Zenæ & Apollo, quos statim Nicopolim evocabat, nullum penitus collegam in omni insula Titus erat habiturus. Quod ipsum alios quoque gentium primos Doctores fecisse, ac ob eandem Collegarum carentiam facere debuisse, referunt fidi Ecclesiastici Annales. Reddita per Constantinum Ecclesiis pax excludit hanc necessitatem, adeoque & eandem licentiam exclusit primùm Arelatensis Synodus, deinde Nicæna, volueruntque juxtà Apostolicam Regulam deinceps Episcopum, ad minus à tribus, ordinari.

Nequaquam tamen datam ab uno, aut duobus ordinationem declararunt irritam, aut iterandam. Nullo modo. De futuro dumtaxat statuunt, proscribentes consuetam huc usque variorum Episcoporum usurpationem; de factis Ordinationibus omninò nihil: Ratas relinquunt & inconcussas. Quod ipsum liquet ex ratione motiva Nicæni Canonis, adducta per Innocentium primum in litteris ad Victricium Episcopum Rothomagensem: *Ne unus Episcopus ordinare præsumat, ne furtivum beneficium præstitum videatur*. Inhibetur ejusmodi ordinatio, non quia irrita, sed quia obnoxia, aut certè suspecta furtivæ clandestinitatis. Rationem hanc eleganter & largius exponit Gregorius Magnus in litteris ad Sanctum Augustinum Anglorum Episcopum, qui intra Angliam nullos habens orthodoxos Collegas proponit Pontifici hanc quæstionem: *Peto, si longinquitas itineris magna interjacet, ut Episcopi facilè non possint convenire, an debeat sine aliorum Episcoporum præsentia Episcopus ordinari?* Quæst. 8. Dubitabat, num ordinationi adstituros Collegas advocari oporteret è Gallia. Respondit verò Pontifex: *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis potes. Nam quando de Galliis Episcopi venient, illi in ordinationem Episcopi testes tibi assistent. Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Episcopos ordinare, ut ipsi tibi Episcopi longo intervallo minimè disjungantur, quatenus nulla sit necessitas, ut in ordinatione alicujus Episcopi convenire non possint. Patrorum quoque aliquorum præsentia valdè est utilis, ut facillimè debeant convenire. Cùm igitur, Deo auctore, ita fuerint Episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia Episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus, vel quatuor Episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritualibus, ut sapienter & maturè dispo-*

nantur, exemplum habere à rebus etiam carnalibus possumus. Certè enim dum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quique convocantur, ut qui in via jam conjugii præcesserunt, in subsequenti quoque gaudio misceantur. Cur ergo non in hac spirituali ordinatione, qua per sacrum Mysterium homo Deo conjungitur, tales conveniant, qui vel in profectu ordinati Episcopi gaudeant, vel pro ejus custodia omnipotenti Domino preces pariter fundant? Disertè dicit adsistentes Episcopos non esse Sacramenti substantiales comministros, sed dumtaxat testes contra furtivam clandestinitatem, qui sacram ordinationem honorent, illis congaudeant, & pro novo Ecclesiæ Sponso preces Deo fundant. Hoc ipsum patet ex secundo Canone quartæ Synodi Carthaginensis. *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum Codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eo fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Cur unicus fundit benedictionem? Quia unius est sacramenti necessarius Minister, aliis non nisi honorarii assistentes & testes, manusque ab illis imposita est duntaxat ceremonialis. Alioquin & benedictionem deberent fundere: Etenim Sacramenti elementum, ac benedictionis verbum per diversos adhiberi non possunt, de quo, quoniam Joannes Morinus in opere de sacris ordinationibus movet novas quæstiones, alibi dicemus.

Assertionem meam confirmo exemplis variis. Etenim de Paulino, Antiochiæ Magnæ Episcopo, jam supra audivimus, quod Evagrium successorem solus elegerit, & consecrarit, atque ita actu uno varios violarit Canones. Addit nihilominus Theodoretus, Paulini ac Evagrii mastix; Flaviani autem eorum adversarii encomiastes, de Ecclesia Romana: *Evagrii communionem illa amplexata est*, id est, ut verum novit Episcopum, *Imperatorisque animum contra Flavianum incitavit*. Et Evagrius, & Flavianus, uti ad Theophilum Alexandrinum Episcopum scribit Sanctus Ambrosius, mutuis potiùs vitiis alienæ ordinationis, quàm suis meritis fulciebantur, eorum causa & Romæ, & Capuæ, & Alexandriæ fuit Synodaliter tractata, & retractata: De Evagrianæ tamen ordinationis validitate nemo unquam dubitavit, ne quidem ipse Flavianus.

L. 5. c. 23. Epist. 4.

Eodem ferè tempore apud Numidas duo Episcopi ordinarunt Episcopum, ideoque Honoratus, & Urbanus Episcopi in Synodo apud Aurelium Carthaginensem Episcopum, totius Africæ Primatem institerunt condi Canonem de Episcopis non nisi per duodecim Collegas ordinandis. Respondit verò Aurelius: *Forma antiqua servabitur, ut non minùs quàm tres sufficiant ad Episcopum ordinandum*. Dictam autem à duobus attentatam ordinationem nemo prorsùs postulavit ad nullitatem.

L. 2. c. 8. Apud Evagrium Scholasticum scribit ad Leonem Augustum Ecclesia Alexandrina de suo pervasore, ac Sancti Proterii Episcopi trucidatore, Timotheo Æluro: *Timotheus, assumptis sibi duobus Episcopis dignitate Episcopali abdicatis, & Clericis itidem exilio mulctatis, à duobus illorum creatus Episcopus, nullo omninò Episcoporum orthodoxorum ex Diœcesi Ægyptiaca, sicut in creando Episcopo Alexandrino fieri solet, præsente.* Quin immò Gennadius, Presbyter Massiliensis, Timothei coætaneus, in catalogo virorum illustrium, dicit illum ordinatum ab uno. Quidquid sit, Ecclesiæ Alexandrinæ litteras ad omnes totius Orientis Metropolitas, eorumque Synodale judicium misit præfatus Augustus, qui uno ore omnes ordinationem censuerunt variè vitiosam, nemo tamen irritam, ac nullam. Quare variis technis, & dolis veniam à Sede Apostolica venatus est Timotheus, non rursùm ordinari volens, sed absolvi solummodò à vitæ criminibus, ac vitiis ordinationis.

Idem Evagrius scribit de Petro Mogo, ejusdem Sedis Alexandrinæ pervasore: *Petrus à duobus solùm Episcopis, eadem erroris pravitate cum illo infectis, creatus est.* Quin immò Georgius Cedrenus ait ordinatum ab unico. Romana tamen Ecclesia, non ob istud vitium, se quod hæreticus ab hæreticis esset intrusus, hominem abjecit. L. 3. c. 20. 21. F. 289.

Dum Sanctus Hilarius, Arelatensis Episcopus, vicinarum Provinciarum Primatum, omniumque istic Episcoporum ordinationes prætendens, Gallicani Præfecti apparitura armatus procederet, & adversas sibi civitates quasi hostis invaderet, Ebredunensium Ecclesia, Alpium maritimarum Metropolitana, Primatum illum refutans, ac longæ per duos ac ampliùs annos viduitatis pertæsa, per duos Episcopos sibi ordinavit Armentarium Episcopum. Hinc Rejensem Synodum coegit tumidus Hilarius: *Ordinationem, quam irritam Canones definiunt, ipse quoque vacuavit;* Armentariumque, abjectum in Chore-Episcopi nomen, & communionem peregrinam, relegavit, relicta tamen potestate *confirmandi neophytos, & offerendi ante quosvis Presbyteros:* Quin & Clericos ab ipso ordinatos, qui quidem essent sine macula, & ab ejus successore acceptarentur, suis gradibus reliquit. Quare clarum est, hanc Synodum de istius ordinationis validitate nihil dubitasse. Quin immò Sanctus Leo Pontifex, Hilarii durus, & justus adversarius, videtur Armentarium, à vinculis his solutum, in Ebredunensem aut aliam quampiam Sedem reposuisse. Etenim inter Gallicanos Episcopos, ad quos post Hilarii mortem perscripsit acta Synodi Chalcedonensis, est omninò quis Armentarius. Cap. 1. 2. 3. Epist. 58.

Ordinationis hujus validitas æquè clarè patet ex Canone vigesimo primo primæ Synodi Arausicanæ. *Duo si præsumpserint ordinare Episcopum in nostris Provinciis, placuit de Præsumptoribus, ut sicubi contigerit duos Episcopos invitum Episcopum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Ecclesiæ ipse, qui vim passus est, substituatur, si tamen vita respondet, & alter in alterius dejecti loco nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quò cautiùs ea, quæ sunt antiquitùs instituta, serventur.* Est ab Hilario procuratus Canon contra ejusmodi jam frequentari solitas ordinationes. Episcopi namque, Arelatensem Primatum aversati, viduatam in suis Provinciis Sedem mox Episcopo implebant, quandoque ob Hilarii metum invito, & per duos ordinato, quod illius violentiæ præveniendæ essent, nec sinerent expectari tertium. Vim passum, ac violen-

lenter ordinatum noluit plenè punire Synodus, ideòque imponit in alterius ordinatoris dejecti Sedem: Ex quo claret, illam de ordinationis valore non dubitasse.

Liber Pontificalis hæc habet de Pelagio primo. *Dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, inventi sunt duo Episcopi, Joannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & Andreas Presbyter de Ostia, & ordinaverunt eum Pontificem. Tunc enim non erant in Clero, qui eum possent promovere. Et multitudo Religiosorum, & Sapientium, & Nobilium, subduxerant se à communione ejus, dicentes, quia in morte Vigilii Papæ se immiscuisset, ut tantis pœnis affligeretur.* Hermannus A. 584. Contractus Andream illum dicit fuisse Archi-Presbyterum Ecclesiæ Ostiensis vacantis, ac ejus esse privilegium, ut Romanum Pontificem, dum nequit per Episcopum, consecret per suum Archi-Presbyterum. At figmenta sunt. Adversum tria Concilii Chalcedonensis Capitula, eorumque defensorem Vigilium Papam, truculenta passum à Justiniano Augusto, egerat in quinta Synodo Pelagius adhuc Diaconus, ideòque ab omni Occidentis Ecclesia tamquam Chalcedonensis Synodi prævaricator, & Vigilii Pontificis persecutor, derelictus, nec in ipsa Italia reperire potuit tres Episcopos, qui illi manus imponerent: De ejus tamen ordinatione nullus unquam fecit quæstionem.

Hujusmodi exempla adducere possim longè plura. Quare certum penitus est, Episcopum ab uno Episcopo validè ordinari. Est tamen contra Canones, ideòque ordinatio vitiosa, licèt fiat à Patriarcha, ut suprà à Theodoreto & Sancto Cap. 27. Ambrosio audivimus de ordinatione Evagrii, facta per Paulinum Patriarcham Antiochenum. Causam dat secunda Synodus Arelatensis. *Hoc etiam placuit custodiri, ut nihil contra magnam*, Nicænam utique Synodum, *Metropolitam existiment* dispensatoriè *vindicandum*. Romanæ solius Ecclesiæ Privilegium est, de quo Ferrandus Fulgentius: *Ut unus Episcopus Episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana*, supra quam, uti ad Dardaniæ Episcopos scribit Bonifacius primus, nec ipsa Nicæna Synodus ausa est aliquid constituere, sciens illi omnia concessa à Domino.

Scio nobis objici litteras Anacleti Pontificis, & Apostolicas Constitutiones Clementis Romani. Verùm apocrypha sunt illa, & modicæ auctoritatis, nec nobis adversantur.

CANON V.

De his qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentiùs inquiratur, bene placuit, annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis Provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones. Et sic, qui suo peccaverint evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, unum quidem ante Quadragesimam Paschæ; ut omni dissentione sublata, munus offeratur Deo purissimum; secundum verò circa tempus autumni.

SCHOLION.

L. 1. c. 4. Alienum excommunicatum in communionem recipi vetat omnibus Episcopis Canon Apostolicus, uti apud Theodoretum scribit ad Alexandrum Constantinopolitanum Alexander Episcopus Alexandrinus. Ejus prævaricatio quandoque graves lites Ecclesiæ movit. In Ario per posteriorem Alexandrum damnato insolentissimè prævaricatus fuit Eusebius Nicomediensis, Regiæ urbis Episcopatu, & Constantini Augusti consanguinitate tumidus, turbisque assuetus, utpotè secutus nuper partes Licinii. Illum ergo ad Alexandri preces ferit Canon præsens, frænumque injicit ausibus futuris. Eo Aurelius Carthaginensis, aliique Africani Episcopi, cum Romana Ecclesia de Appellationibus contendentes, pessimè abusi sunt, putantes Nationalium Synodorum judicium ab illo statui inappellabile.

Porrò vox *communio* latissimè accipitur pro omni gradu Christianitatis, Laico ac Clericali. Ita illam intellexere dicti Africani Episcopi, cum sua Synodo Anastasius, Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ Metropolita, in litteris post Synodum Chalcedonensem exstantibus ad Epist. 57. Leonem Augustum, aliique semper omnes.

Nullos item frequentiores habemus Canones, quàm de Provincialium Synodorum utilitate, necessi-

necessitate, frequentia, deque Ecclesiarum damnis ex earum omissione nascentibus: Passim tamen Metropolitæ earum, quandoque ex causis, fuere negligentes.

CANON VI.

ANtiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum.

SCHOLION.

IN Synodo Chalcedonensi inter Sedis Apostolicæ Legatos, ac Ætium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Diaconum quæstio fuit de textu Canonis. Paschasinus Legatus, ac Lilybeti in Sicilia Episcopus, ex Codice Romano sic legit: *Quod Romana Ecclesia semper habuit Primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano hæc est consuetudo.* At verò Codex Constantinopolitanus caruit isto exordio. Caruerunt item Ecclesiæ Alexandrinæ & Antiochenæ, Codices descripti ad Africanos Episcopos cum Romana Ecclesia de appellationibus contendentes. Porrò antiqua Canonum collectio, statim post Synodum Chalcedonensem facta; qua usque ad Dionysium Exiguum usæ sunt Latinæ Ecclesiæ, habet in hunc modum: *Anti qui moris est, ut urbis Romæ Episcopus habeat Principatum, ut suburbicaria loca, & omnem Provinciam sua solicitudine gubernet; quæ verò apud Ægyptum sunt, Alexandrinus Episcopus omnium habeat solicitudinem, &c.* Consonat Ruffini compendiosa paraphrasis: *Ut apud Alexandriam, & in urbe Roma, vetusta consuetudo conservetur, ut ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum curam gerat.* Autumant quidam exordium istud fuisse primitùs quasi titulum Canoni præfixum, tandemque nescio qua via irrepsisse in corpus. Quidquid sit omisit ipsum Dionysius Exiguus, Romanus Canonum collector & interpres, eumque jam pridem Romana Ecclesia recepit.

[Act. 16.] [L. 10. c. 6.]

Eusebiana Arianorum factio, eorumque conventiculum Philippopolitanum existimarunt à Canone everti Romanæ Cathedræ Primatum ac totius Ecclesiæ Monarchiam, inducique regimen Aristocraticum, divisum ex æquo in tres Patriarchas, paris per omnia potestatis, quorum alter nihil possit in alterum, nec in alterius Diœcesim. Errorem novis postmodùm pigmentis fucavit Photius, atque ita omnem Orientalem Ecclesiam seduxit in hodiernas animarum, & corporum calamitates.

At longè aliter Ephesina Synodus per os Juvenalis Episcopi Hierosolymitani: *Mos est ex Apostolico ordine atque traditione, ut Sedes Antiochena apud Romanam dirigatur & judicetur.* Et Synodus Chalcedonensis in relatione ad Leonem Papam: *Romano Episcopo vineæ custodia à Salvatore commissa est.* Et infrà: *Apostolicum radium usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuetè gubernando spargentes sæpiùs extenditis.* Felix tertius in Epistola Synodali ad Bythiniæ & Constantinopoleos Presbyteros, & Archimandritas: *Trecenti decem & octo sancti Patres, apud Nicæam congregati, confirmationem rerum omnium atque auctoritatem Romanæ Ecclesiæ detulerunt.* Gelasius primus in litteris ad Anastasium Augustum: *Apostolicæ Sedis auctoritas, quod cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit universæ, & Canonum serie Paternorum, & multiplici traditione firmatur.* Eos Canones mox ait esse Nicænos, hunc utique sextum. Et Bonifacius primus in litteris ad Thessaliæ Episcopos, quæ exstant in Bibliotheca vaticana, & quarum partem adducit Nicolaus primus in litteris ad Episcopos Gallicanos: *Nicæna Synodus supra Romanam Ecclesiam nihil ausa est constituere, quod omnia huic noverat Domini sermone concessa.* De re namque Divini juris, & Divinitus donata, qualem esse potestatem Papalem docet lex Evangelica, nulla Synodus potest judicare.

[L. 2. Act. 4.] [Epist. 8.] [Epist. 41.]

Canon ergo nequaquam de Papali, sed Patriarchali, non Romani, se Alexandrini Episcopi potestate statuit, eumque eleganti compendio exponunt Alexius Aristus, & Symeon Logotheta, Græci Canonum collectores, in eorum Synopsi. *Alexandrinus Episcopus super Ægyptum, Lybiam, ac Pentapolim potestatem habeat; & Romanus super eos, qui Romæ subditi sunt; item Antiochenus, aliique super sibi subjectos.* Non vacat de suburbicariis Romani Imperii Provinciis disputare, atque ex illis quærere naturam suburbicariarum Ecclesiarum: Eas jam audimus non esse aliud, quàm *eos, qui Romæ subditi sunt*, id est, qui subditi sunt juri Patriarchico Ecclesiæ Romanæ, nempe totum Occidentem,

tem, Septemtrionem, Africam, atque Illyricum. Vult ergo Canon, ut quisque Patriarcha super Diœceses suas habeat, quomodo instituerunt & dederunt Apostoli, plenam Patriarchicam potestatem; præsertim verò supra Ægyptum, Lybiam ac Pentapolim Alexandrinus.

Conditus est enim Canon ad reparanda Ecclesiæ Alexandrinæ Patriarchica privilegia, per Meletium Lycopolitanum Episcopum invasa, læsa, mutilata. Meletius, uti habemus in secunda Apologia Sancti Athanasii, ob idololatricum in Diocletiani Augusti persecutione lapsum, & excessus alios, à Sancto Petro Alexandrino Patriarcha synodaliter damnatus, schisma fecit,
L.1.c.4. neque tantùm excussit obedientiam, sed insuper, teste Theodoreto, *exercuit tyrannidem contra Primatum Alexandrinum*; juxta Gelasium Cyzicenum, *contra Prærogativam Sedis Alexandrinæ; ambitione*, inquit Athanasius, *ut rebus præesset*. Thebaidis ac vicinæ Ægypti Provincias, omneque illic jus Patriarchicum invasit, novum se illic ostentavit Patriarcham: firmandi sui causa, conjurationem iniit cum Arianis, antea inimicis. Graves hac de re querelas ad Synodum deposuit Alexander Patriarcha, eisque datus est præsens Canon, plenè restaurans illius Patriarchicam potestatem.

Addit Canon: *Quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est*. Patriarchæ Alexandrino statuit Romanum in exercendæ Patriarchalis potestatis regulam & exemplum: Non tantùm in potestatis regulam, sed etiam justitiæ ac moderationis. Quod namque Patriarchæ sub Sacerdotii prætextu quandoque mundanæ potestatis fastum agerent, & subditorum sibi Metropolitarum libertatem clam paulatim invaderent, queritur Ephesina Synodus, agens de lite inter Cypriorum Metropolim & Patriarchicam Antiochiæ Sedem. In Synodo Chalcedonensi Eusebius, Ancyræ Metropolitanus, suam ac alias Metropoliticas Ecclesias queritur redactas ad inopiam per nimias exactiones Patriarchæ Constantinopolitani. De eodem excessu Sanctum Athanasium accusavit Eusebiana factio; Paulum autem Samosatensem, Antiochiæ Patriarcham, damnavit Synodus Antiochena. Similes causas adversùs Petrum Patriarcham persuasit Melerius Ægypti & Thebaidos Provinciis, atque ita ad se avulsit. Hinc ergo Canon noster easdem Alexandro reddit, ea lege, ut ipsas gubernet, quomodo Romanus suas: Eadem mensura, quomodò potestatis, ita justitiæ & moderationis. Atque adeò nec super Patriarchicam Romanæ Ecclesiæ potestatem aliquid constituit.

Pergit: *Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Provincias*. Antiochia enim est tertia Patriarchica Sedes, cui Apostoli subjecerunt quindecim Diœceseos Orientalis Provincias, in quibus vetustam ejus auctoritatem Canon vult
Epist. 62. manere integram & inconcussam.
c. 3. Hanc Canonis partem respicit Sanctus Leo Pontifex in Epistola ad Maximum Patriarcham Antiochenum. *Dignum est, te privilegia tertiæ Sedis agnoscere, ut in nullo cujusquam ambitione minuantur: Quia tanta est apud me Nicænorum Canonum reverentia, ut ea, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim nec patiar aliqua novitate violari. Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita Præsulum, tamen jura permanent Sedium, quibus etsi possint perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem.* Agit in Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, in Ephesino Latrocinio Maximum, Domno justè dejecto, suffectum, consecrare ausum, atque ita conatum Sedem illam, quasi in lapsi ac dejecti Episcopi pœnam, autocephalia & Patriarchica dignitate privatam subjugare Constantinopolitanæ. Nunquam id permissum iri asseverat Pontifex ob hunc Canonem sextum. Eundem respicit Simplicius Pontifex, agens adversùs Stephani Antiocheni ordinationem, attentatam Constantinopoli ab Acacio Episcopo ex sacra jussione Zenonis Augusti. A suis enim subditis in propria Sede consecrari est non infimum Patriarchale privilegium, cujus causa nuper Græci Patriarcham Constantinopolitanum noluerunt Florentiæ consecrari in Synodo, nec ab ipso Papa. Nempe dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Eandem Canonis partem attendit Gelasius primus, dicens: Cathedram Constantinopolitanam non tantùm non inter Patriarchales Sedes, sed nec inter Metropoles relatam per Canones, ac esse dumtaxat suffraganeam Parochiam Metropoleos Heracleensis. Hic namque Canon solas tres agnoscit Patriarchales Sedes, suaque antiqua privilegia servari jubet cunctis etiam aliis Provinciis, ac earum Metropolibus, adeoque & Thracum Europæ, atque Heraclææ.

Per *cæteras* namque *Provincias* intelligit præsertim tres Diœceses autocephalas ab omni Patriarchali potestate liberas & exemptas, habentesque Primatem potestate pari gaudentem in subjectas sibi Provincias; nempe Diœcesim Asiaticam sub Ephesino, Thracicam sub Heracleensi, Ponticam sub Primate Cæsaræensi: Atque eorum vetustam, institutamque per Apostolos dignitatem à nullo unquam vult invadi aut truncari.

Hæc est Canonis pars, de qua Sanctus Leo Pontifex in Epistolis ad Marcianum Augustum, ejusque conjugem Pulcheriam: *Contra statuta Paternorum Canonum, quæ in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam addere conceditur: Quæ si à cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de aliena usurpatione certamina*. Et in Epistola ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum: *Ab universalis Ecclesiæ te perturbatione contineas. Non convellantur Provincialium jura Primatum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites*. Hunc esse dicit Canonem mansurum ad finem mundi, ad perpetuam generaliter utilitatem spiritu Dei conditum & totius mundi reverentia consecratum, qui neque per majorem, neque per minorem Synodum possit auferri, aut variari. Agit adversùs Anatolium, qui in Synodo Chalcedonensi tentarat Sedi suæ subjicere tres dictas cum suis Primatibus Diœceses, ac illic inducere

Epist. 54. 58.

Epist.

cere novam formam judiciorum, atque ordinationum.

Addit Canon generale Epiphonema: *Suis privilegia serventur Ecclesiis*. Non tantùm Patriarchalibus, Primatialibus, ac Metropolitanis, sed & Suffraganeis; illis potestatem, his avitam libertatem, quæ ab illis ultra Canonum præscripta non possit premi, longè minùs opprimi: Hæc enim est privilegium subditorum. Huic epiphonemati nituntur dicta Sancti Gregorii magni: *Mibi ipsi injuriam facio, dum fratrum meorum jura perturbo*. Et: *Sicut nostra*
L.2.Epist. 37. 39. *defendimus, sic omnibus Ecclesiis sua jura servamus*.

Canon servari mandat præsertim privilegia Ecclesiæ Romanæ. Rationem dat Nicolaus primus in litteris ad Hincmarum Remensem Archi-Episcopum, suæ confirmari postulantem, Romanæ autem Ecclesiæ privilegia impugnantem: *Quomodo privilegia tua stare poterunt, si illa cas-*
Epist. 28. *sentur, per quæ tua initium sumpsisse noscuntur; aut cujus momenti erunt tua, si pro nihilo nostra pendantur?* Destructo enim fundamento, ruit tota ædificii moles. Quare hocce Epiphonema assiduè obviat legenti litteras, & acta antiquorum Patrum, Pontificum præsertim Romanorum. Hic, inquam, pro omnis Ecclesiæ Privilegio est Canon palmaris, quem neque à Constantinopolitana, Damasus, neque ab Ephesina, Celestinus, neque à Chalcedonensi Synodo, Leo Pontifex, neque ab ullis unquam hæreticorum, aut schismaticorum violentiis, eorum successores permiserunt lædi, vel attingi.

Secundus Canon Constantinopolitanus hoc Canone prohiberi dicit etiam peregrinas ordinationes, atque judicia, ut nempe Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ, tres autocephali Primates, omnesque generaliter seu Metropolitani seu Provinciales Episcopi, nihil attentent extra suas Diœceses. Quod ipsum apud Photii bibliothecam in vita Sancti Joannis Chrysostomi dicit Georgius Patriarcha Alexandrinus. Soli namque Romano Episcopo totius vineæ custodia à Domino est
L.96. commissa. Hunc igitur Canonem respexit Sanctus Joannes Chrysostomus, dum à Theophilo Patriarcha Alexandrino ad Synodale judicium citatus dixit, eum *contra Leges & Canones* conscendere in judicis locum sibi non competentem, & Thraces ab Ægyptiis non posse judicari. Et antè hæc ipse Joannes, ab Arcadio Augusto causam ejusdem Theophili de gravibus accusati audire jussus, recusavit, *sciens*, ut ad Innocentium Pontificem scribit, *Leges Patrum*. Utique Leges, de quibus ad illum, uti jam dictus Georgius scribit, cum bile dixit Theophilus: *Arbitror non ignorare te Nicæni Concilii Canones, iisque prohiberi, ne Episcopus de Peregrino, alteriusque Diœcesis Judicium exerceat*. Ex eodem Canone Ephesina Synodus exauctorationis sententiam, quam in Sanctum Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Ephesium tulerat Joannes Episcopus Antiochenus, esse judicavit non sacerdotale judicium, sed contumeliam atque convicium, quod Antiochenus in Ægyptios & Asiaticos nullam habeat potestatem. Et Joannem Hierosolymæ Episcopum, causam suam deducere conantem ad tribunal Theophili Alexandrini, Sanctus Hieronymus arguit aut ignoratorum, aut spretorum *Nicænorum Canonum*, juxtà quos *Palæstinæ Metropolis est Cæ-* Epist.61. c.15.
sarea, & totius Orientis Antiochia. Qui lucidè est Canon noster sextus, omnibus generaliter Episcopis mandans, ut neque quoad judicia, neque quoad ordinationes extra territorii sui fines aliquid præsumant.

Addit tandem Canon nullum posse fieri Episcopum sine prævio examine, licentia, & confirmatione Metropolitani, per Metropolitanum non jam, quomodo quartus Canon, intelligens unius Provinciæ, sed totius Diœceseos Præfectum, Patriarcham, seu Primatem autocephalum. Frequens est vocis illius acceptio hujusmodi. Ita Facundus Hermianensis Episcopus Domnum Antiochenum Ibæ Edesseni Metropolitæ vocat *Metropolitanum*, id est, Patriarcham. Eodem modo Joannes Antiochenus, in Synodali relatione ex Ephesino conventu per Palladium Magistrianum facta ad Theodosium Augustum, vocat Memnonem Ephesinum. Et sextus decimus Canon Antiochenus perfectam, id est, totius Diœceseos Synodum esse dicit illam, cui interest Metropolitanus Episcopus, id est, Primas, seu Patriarcha. Etenim eorum civitas est non suæ tantùm Provinciæ, sed & totius Diœceseos Metropolis, ideoque & ipsi sunt omninò summorum thronorum Metropolitani.

Statuit itaque Canon, Episcopum à Comprovincialibus electum, ac à Provinciæ Metropolita discussum & confirmatum, referendum etiam ad Diœceseos Metropolitam, ac sine ejus novo examine, & prævia licentia non ordinandum. Ita ipsum exponit Innocentius primus in litteris ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum. *Revol-* Epist. 18. c.1.
ventes auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ unam omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, arbitramur, frater charissime, ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu, conscientiaque tua finas Episcopos procreari, in quibus hunc modum rectè servabis, ut longè positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu; vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire. Protractum ferè per centum annos Schisma Eustatianum Antiochenam Ecclesiam involverat multis calamitatibus, ejusdemque jura permiserat à Metropolitis invadi & lacerari. Horum confirmationem & consecrationem sibi manutenuerat Patriarcha; at Provincialium suorum ordinationem illorum quisque à Sede Patriarchali remotior invaserat, idque suo arbitratu, id est, nulla Patriarchæ postulata licentia, & confirmatione. Quare extincto jam Schismate, ulcerosum hunc Sedis suæ statum refert Pontifici Patriarcha Alexander, jubeturque restituere observantiam Nicæni Canonis, & per Metropolitas, quantumvis remotos, nullum permittere ordinari Provincialem Episcopum, nisi ad suas litteras, id est, præviam licentiam, & confirmationem.

Eodem modo ad Anastasium, Thessalonicensem Episcopum, suum per Illyrici Orientalis Provincias Vicarium, scribit Leo Magnus. *De* Epist.84. c.6.
persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri

Ple-

Plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Propter nimiam ab urbe distantiam in Provinciis illis vices suas Episcopo Thessalonicensi commiserat Sedes Apostolica, ideoque ab illo non tantùm Metropolitarum, sed & Provincialium Episcoporum prævia confirmationem jubebat peti virtute Canonis præsentis.

In eodem fundatur violentia Hilarii Arelatensis Episcopi in Armentarium Ebredunensem Metropolitam, variosque hinc indè Provinciales. Per vicinas Provincias & Primatum, & vices Apostolicas prætendebat Hilarius, ideoque nullum Episcopum sine sui licentia, & litteris volebat promoveri.

Hinc item intelligitur obscurum decretum Siricii Pontificis ad Ecclesiam Africanam: *Extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis, nullus audeat ordinare.* Carthaginensis Episcopus erat totius Dioeceseos Africanæ Primas, non tamen autocephalus, quoniam Sedis Apostolicæ juri Patriarchico subjectus. Nihilominus sine ejus prævia licentia, nullus per Provincias primæ Sedis Episcopus poterat Episcopum ordinare. Volebat autem hanc suam licentiam etiam sufficere, opus non esse Romana Patriarchali licentia, habereque istud aliquid autocephaliæ. At intercessit Siricius Pontifex, dicens Autocephalum Africæ Primatem nullum esse, nisi Romanum Episcopum, ideoque sine ejus licentia non posse istic Episcopos creari.

Per Hispanias item, Gallias, aliasque Occidentis Provincias Canon dudum non obtinuit. Ex causis Apostolica Sedes credidit Metropolitis, quos & ipsos permisit ab eorum Synodo sine sua prævia licentia ordinari, qui tamen, uti ad Bulgaros scribit Nicolaus primus, priusquam Pallium Roma reciperent, in throno sedere non poterant, nec quidquid nisi Domini corpus consecrare. Quin & hodie Metropolita Salisburgensis suos suffraganeos ordinat sine Romana licentia. Verùm dispensatoriè contra Canones. Quare Gregorius septimus, dum omnium in Occidente, & Septentrione Episcoporum confirmationem voluit Roma ante ordinationem peti, nequaquam, uti dixere ejus adversarii, novam legem invenit, sed restituit Nicænam. C. 73.

CANON VII.

QUia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva Metropolis propria dignitate.

SCHOLION.

HIerosolymam, Judæorum Metropolim, destruxit, ac Metropolitica dignitate, Cæsaræam translata, privavit Vespasianus Augustus per filium Titum; reædificavit Ælius Adrianus, appellavitque Æliam de suo nomine, non tantùm Judæos omnes, sed & antiquum illud nomen damnans capitali exilio.

Hinc apud Eusebium Firmilianus, Cæsaræensium Proconsul, Pamphylo Martyre dicente patriam suam esse civitatem Hierusalem, *quæ tandem esset illa civitas, & ubi terrarum sita*, penitus ignoravit, aut se ignorare finxit. Etiam Christiani Imperatores, licèt Episcopi, & alii fideles vocem *Hierosolyma* passim resumerent, perstitere dudum in suis legibus, & rescriptis vocare Æliam atque Episcopum Æliensem. L. 8. c. 21.

Hincmarus Remensis Episcopus, Otto Frisingensis, ac Theodorus Balsamon putant Æliæ Episcopum ab hoc Canone erigi in Primatem, aut Patriarcham. Errant. Etenim Apostoli, Ecclesiasticam Hierarchiam Romanæ Reipublicæ accommodantes, Palæstinæ Provinciæ Metropolim posuere Cæsaræam, sanctæ tamen civitati, ubi Dominus glorificatus, ejusque primo Episcopo, Jacobo Apostolo, honorare volentes, dederunt honoris consequentiam, id est, primum locum post Metropolitam, ut esset Provinciæ illius Protothronus, plenè tamen subjectus Sedi Cæsaræensi. Hocce utriusque Ecclesiæ privilegium confirmat noster Canon, uti liquet ex Sancto Hieronymo, in Epistola adversùs errores Joannis Hierosolymitani Episcopi, dicente, secundùm Nicænos Canones totius Orientis Metropolim esse Antiochiam, Palæstinæ autem Cæsaræam, cujus Hierosolyma non sit, nisi Parochia suffraganea. Quod idem tradit Sanctus Epiphanius in Epistola adversùm objecta ejusdem Joannis. Et hinc statim post Nicænam Synodum Acacius luscus, Eusebii, qui Synodo interfuerat, in Metropolim Cæsaræensem successor, Maximum Hierosolymæ Episcopum, tamquam suum suffraganeum dejecit, intrusitque Cyrillum. Epist. 61. c. 18. Socrat. l. 2. c. 30.

Edendi Canonis causam docent successus posteriores. Jam dictos enim Acacium & Cyrillum, Theodoretus scribit scandalosè digladiatos fuisse de jure Metropolitico, additque Zosomenus exauctoratum Cyrillum à Synodo Seleuciensi: *Quod velut Sedis Apostolicæ Antistes cum Acacio de Jure Metropolitano dissensisset.* Etiam ejus Successor Joannes, uti culpat Sanctus Hieronymus, jactabat se habere *Cathedram Apostolicam*, ideoque Cæsaræensem Episcopum in Metropolitam, Antiochenum in Patriarcham nolebat agnoscere. Attamen nihil obtinuit: Etenim, uti Sanctus Augustinus testis est in libris contra Julianum, Diospolitanæ contra Pelagium Synodo non ipse præsedit, sed Eulogius Cæsaræensis. L. 2. c. 27. L. 2. c. 24. Epist. 62. c. 3. L. 1. c. 5. 7.

Ejus post Praylium successor, Epheso translatus, ideoque pluribus Provinciis dominari solitus, Juvenalis non tantùm Metropolita esse prætendit, sed & Sedi Antiochenæ, subripuit sex Provincias, tres Palæstinas, duas Phœnicias, ac Arabiam, ostentavit se illic Patriarcham, tentavit desuper, uti ad Maximum Antiochenum scribit Sanctus Leo Pontifex, impetrare assensum, & authoritatem Synodi Ephesinæ. Palæstinam quippe, unicam primitùs Provinciam, ac, teste Ammiano Marcellino, Syriarum ultimam, Romani Principes tandem in tres divisere. Verùm enimverò Celestinum Pontificem, Sanctumque Cyrillum Alexandrinum, ejus in Synodo Vicarium, passus adversarios, convertit se ad laicam potestatem, obtinuitque Theodosii Augusti confirmatoriam Pragmaticam, quam ad tres Palæstinas contraxit Chalcedonensis Synodus, Arabiam, ac duas Phœnicias Antiocheno restituens: Ast Ecclesiasticæ potestatis & Canonum Nicænorum tenacissimus Leo Pontifex exsufflavit denuò & Pragmaticæ liberalitatem, & Synodi temperamentum. Perstitit tamen Juvenalis in ambitu, uti liquet ex Synodo trium Palæstinarum habita post Chalcedonensem Synodum, ejectumque è Sede Æliensi Pseudomonachum Theodosium, in qua præsedit ipse ut omnium Primas, non Irenæus Cæsaræensis. Hæsit lis usque ad quintam Synodum, quæ à Justiniano Augusto mota recepit & firmavit decretum Chalcedonense. Similis ergo inter Cæsaræensem, ac Æliensem Ecclesias quæstio fuerat ante Nicænam Synodum, quæ definivit pro Cæsaræensi,

Epist. 61. c. 3. — L. 14. c. 26. — Act. 7. — Conc. Chalced. L. 3. Epist. 20.

CANON VIII.

De his, qui se nominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur; id est, & bigamis se communicare, & his, qui in persecutione prolapsi sunt; erga quos & spatia constituta sunt, & tempora definita, ita ut Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ placita sequantur in omnibus. Ubicumque verò sive in vicis, sive in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perseverent. Ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo vel Presbytero constituto, quidam ex illis adveniunt, certum est, quod Episcopus Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem, qui nominatur apud eos Episcopus, honorem Presbyterii possidebit: nisi fortè placuerit Episcopo, nominis eum honore censeri. Si verò ei minimè placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus, aut Presbyterii locum; ut in Clero prorsùs esse videatur: Ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.

SCHOLION.

Alii sunt in hæresi aut schismate baptizati, alii post susceptum in Ecclesia Baptismum in foveas istas lapsi. Horum crimen Tertullianus in Libro de pudicitia dicit esse in hoc sæculo irremissibile, utpote *blasphemiam in Spiritum Sanctum*, ob quam Alexandrum & Hymeneum Apostolus *tradidit Sathanæ non in spem veniæ*, *pronunciavit naufragos*, *non habentes solatium navis Ecclesiæ*, & quorum omnis pœnitentia *non fit in restitutionem*. Priores fatetur pœnitentia reduci posse in Ecclesiam, at gentilium more per novum Baptisma.

C. 13. 19.

Utraque assertio est penitùs Montanistica. Etenim electam post Baptisma hæresim, aut schisma tribus famosis criminibus, quibus antiquus disciplinæ rigor etiam in exitu negabat communionem, nunquam adnumeravit Ecclesia, ideoque nullo titulo potuit eam irremissibilem delirare insana Montani Prophetia. Acceptum item apud alienos Baptisma nunquam exsufflavit Ecclesia: Primus illo errore Agrippinum Carthaginensem Episcopum circumscripsit, & Ecclesiam Africanam fœdavit seductus Tertullianus, atque ita tandem involvit etiam Sanctum Cyprianum. Attamen aliter factos, aliter natos hæreticos, atque schismaticos semper tractavit Ecclesia, in istos longè rigidior, utpotè longè graviùs reos.

Porrò *vetus*, uti ad Macedoniæ Episcopos scribit Innocentius primus, *ab Apostolis, vel Apostolicis viris tradita regula habet*, ut Episcopus, aut Clericus, in hæresi, aut schismate ordinatus, Epist. 22. c. 8.

seu

seu in illa postmodum lapsus, nunquam reddatur suo gradui, laici dumtaxat communione perpetuum contentus. Hinc quidam volunt nulli olim ejusmodi, ne dispensatoriè quidem, factam hanc gratiam: Hanc gratiam esse nostri Canonis beneficium, antea inauditum.

L.2.c.4. Errare existimo: Etenim in Commentariis Osee Prophetæ ait Sanctus Hieronymus: *Veteres scrutans historias invenire non possum, scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populos seduxisse, præter eos, qui Sacerdotes à Domino positi fuerant, & Prophetæ*. Quocirca & Marcion, & Praxeas fuere omninò Sacerdotes. At verò eorum alterum, ob hæresim pertinaciter electam & Ecclesia, & gradu ejectum, fuisse sub certis conditionibus & professionibus receptum, alterum (L. cont. Prax. c. 1. Præscript. c. 30.) destinatum ad pacem, scribit Tertullianus: utique non ad solius communionis, seu sacramentalis reconciliationis, sed & gradus sui pacem. Non plenè id constare fateor, nititur tamen validis conjecturis.

Quidquid sit, Maximus, Romanæ Ecclesiæ Presbyter, fuit omninò schismaticus. Etenim *multa designarat, turbarat omnes pœnè Ecclesias, schismatis & hæresis auctor, Novatiano manus, quasi in Episcopum, imponi passus*. Attamen pœnitenti *locum suum ignovit* Sanctus Cornelius Pontifex, quod gloriosus antea Confessor protestaretur se circumventum, soloque corpore, non (S. Cypr. Epist. 44. 46. 47.) animo fuisse extra Ecclesiam, utque multos ejus auctoritatem secutos ejusdem gratiosa receptio reduceret ad unitatem.

Aliud exemplum habemus à Melchiade Papa, (Epist. 162.) qui, uti ad Donatistas Episcopos scribit Sanctus Augustinus; in sua Romana Synodo solùm Donatum in casis nigris Episcopum, utpotè totius mali Principem, damnavit: *Sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos à Majorino ordinatos esse constaret, ut in quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum Plebs alia regenda provideretur*.

Omninò ergo nota fuit hæc gratia ante nostrum Canonem. Eandem ipse fecit Episcopis, & Clericis Novatianensibus, quorum exemplaris vita, etiam Constantino Augusto chara, firmaque, & perpetua fidei *Consubstantialis* professio, eam merebantur.

Extendit & ad Meletium, ordinatosque ab ipso Episcopos, & Clericos, uti liquet ex Episto- (Epist. 33. c. 19.) la Synodali ad Ecclesiam Alexandrinam. Caussam dat Hincmarus, Remensis Episcopus: ut ab Arianis, quibuscum, quomodo cum Herode Pilatus, conspirarant, abstracti desinerent vexare Ecclesiam. Quin facta eadem gratia etiam Eusebio Nicomediensi Episcopo, Theognidi Nicæno, aliisque Arianis, quos enumerat Sanctus (Cap. 7.) Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.

Act. 1. In septima Synodo inter Theodorum, Catanensem in Sicilia Episcopum, ac Epiphanium Diaconum, Thomæ Sardorum Metropolitæ Vicarium, nec non inter Tharasium, Patriarcham Constantinopolitanum, orta est quæstio, an hujus Canonis gratia facta esset omnibus generaliter hæreticis, aut certè ad illos posset extendi. Affirmavit Tharasius *esse de omni hæresi*, vicit tamen Theodori, ac Epiphanii sententia esse de solis Novatianensibus, adeoque ad Iconoclastas, aut alios hæreticos extendi non posse. Et jure merito.

Etenim ad Rufum, Thessalonicensem Episcopum, Clericos à Photinianis Episcopis ordina- Epist. 22.
tos, hujus Canonis virtute, nec non exemplo c. 8.
Antecessoris sui Anysii, qui à Bonoso Photiniano promoros susceperat, recipere volentem, scripsit Innocentius primus: *Possum dicere de solis hoc Novatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæresum Clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita definirent, addidissent à Novatianis, aliisque hæreticis revertentes debere in suum ordinem recipi*. Eodem modo excusat factum Anysii, summi nuper Episcopi, quasi etiam dispensatoriè ex temporis necessitate profectum, ideoque singularem hanc Novatianensibus gratiam non posse quasi legem ad quosvis hæreticos extendi.

Ex eodem principio loquitur in commentariis L.2. c. 12.
Sancti Matthæi, & Ezechielis Prophetæ Sanctus L.13.c.44.
Hieronymus de Episcopis lapsis in Synodo Ariminensi. Dicit eos de soliis Episcopalibus dejectos debuisse inter Laicos redigi ad perpetuas de scelere lacrymas: *Sed ut ardentissimus Poeta testatur, quidquid à multis peccatur, inultum est; multitudo peccantium facit impetrabiliorem impiis veniam*. Et in libro contra Luciferianos: *Tentatum est, illis depositis novos Episcopos ordinare:* C. 7.
At penè omnes populi, Sacerdotes suos diligentes, penè ad lapides & interemptionem deponentium convolavere. Hinc ergo Sanctus Athanasius, Hilarius Pictaviensis, ac Eusebius Vercellensis in Synodo Alexandrina statuerunt quoad sceleris Principes servari illæsum antiquum Ecclesiæ Canonem, dispensari verò quoad alios, quod non in hæresim spontè lapsi, sed in solam ejus conniventiam essent dolo & violentia dejecti; consensitque Romana, & Occidentalis omnis Ecclesia: quam dispensationem eleganter in Epistola ad Comitem Bonifacium illustrat Sanctus Augusti- Epist. 50.
nus, Sanctusque Athanasius in epistola ad Ruffinianum. Ejus verò causa laceravit Ecclesiam Lucifer, Calaritanus Episcopus, effusam in adeò multos gratiam asseverans esse dissipationem. Eam nihilominùs ad omnes pedetentim hæreticos atque schismaticos quasi legem Ecclesiæ pietas extendit, uti liquet ex actione prima Synodi septimæ. Ad omnes, inquam, in hæresi, aut schismate natos & baptizatos. Rectè enim in eadem actione dixit Constantinus Cypriorum Metropolita: *Sufficienter ostensum est, quia qui ab hæreticis accedunt, suscipiendi sunt. Si quis autem studio ad hæreticos ierit, & susceperit ordinationem, sine receptione sit*.

Quæstionem faciunt hæc canonis verba: *Impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant*. Quam lectionem probat in jam dicta actione septimæ Synodi etiam Anastasius Bibliothecarius. Eodem modo loquitur Dionysius exiguus in decreto de Clericis Meletianis. *Simul atque sanctiori ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur, ut Ecclesiasticæ dignitatis & ministerii gradum habeant*. Et antiqua hujus canonis versio: *Per manus impositionem*

positionem sacerdotum maneant in clero. Et alia versio, quam decreto suo inseruit Gratianus: *Placuit Sancto Concilio, ut ordinentur, & sic maneat in Clero*. 1. p. 7. c. 8.

Act. 1. Hanc quæstionem in septima Synodo moverunt Joannes, Patriarchæ Antiocheni Legatus, & Sabas Studitarum Archimandrita. Iconoclastas enim Episcopos, in errore illo natos, & baptizatos, ac ordinatos, quidam in gradum suum recipi, quidam voluere perpetuò relinqui inter laicos. Hinc producto & lecto hoc nostro Canone, quæsivit Tharasius, Patriarcha Constantinopolitanus: *Quomodo intelligitur manus impositio?* Addiditque: *Fortè in benedictionem tantùm hìc manus impositionem dicit, & non consecrationem*. Ad quæ verba Joannes Morinus in opere de sacris ordinationibus: *Quis unquam audivit Presbyteros hæreticos per Sotam Eulogiam in Ecclesiam admissos?* Quare cum Augustino Caravita, Gratiani Scoliaste, imponit Tharasio, quod hæreticos Episcopos, non per novam ordinationem, sed per nescio quam cæremonialem benedictionem crediderit, idque virtute hujus Canonis, suscipiendos. Et quia ejusmodi benedictio nullum in sacris Canonibus fundamentum habet, affirmat ipse Novatianenses jusso reordinari, operosè id probare tentans ex variis, Sancto præsertim Basilio. Exercit. 5. c. 12. n. 18. 1. p. 7. c. 8.

Revera imponit Tharasio. Quæstio erat, andari apud hæreticos ordines deberent, aut possent ab Ecclesia suscipi, auditoque hocce Canone, clamaverunt monachi Studitæ: *Eos, qui manus impositionem perceperant, dixit Regula suscipi*, ac quærente Patriarcha: *Quomodo intelligitur manus impositio*, quæsierunt & illi: *Deprecamur, Domine, ut doceamur*; respondit verò Tharasius verba jam adducta. Ait Novatianenses illos forsan quapiam duntaxat benedictione signatos, non autem ordinatos in hæresi, ideòque susceptos eorum ordines, ac proindè gratiam hanc nihil loqui pro Iconoclastis, quos constabat ordinatos in hæresi. Adeò nihil dicit de illis receptis, aut his recipiendis per nescio quam ritualem Eulogiam. Fateor fuisse effatum imperitum, explosumque à gloriosissimis judicibus: Nempe Tharasius erat Novellus è laico, & publica administratione assumptus Episcopus, ideoque Canonum necdum plenè peritus.

Fateor item Sanctum Stephanum Pontificem adversùs Sanctum Cyprianum pronunciasse de solo hæreticorum, atque schismaticorum Baptismate. Quin immò Antecessori suo Firmiliano, ejusque damnatis opinionibus nimium addictus Sanctus Basilius, etiam de repetendo quovis extraneo Baptismo temerariè loquitur, omnem hanc quæstionem non ad dogma, sed spectare volens ad disciplinam, in qua quisque sequi possit regionis suæ consuetudinem. Verùm nos cum Romana Ecclesia Latini semper hæc abominati sumus, ideoque nec palam in Ecclesiæ pulpitis, sed clandestinè dumtaxat in clausis cubiculis inter fidos socios, idque cum magno metu, tradere ille fuit ausus. Et has ejus cognitiones, licèt Nicænæ Synodo patenter adversas, abundeque ab illa damnatas, denuò discussit atque damnavit prima Synodus Constantinopolitana. Et reordinationes eodem jure atque rigore, quo rebaptizationes, damnavit Capuana Synodus, laudata toties à Sancto Ambrosio, & Synodis Africanis: Omninò autem loquitur de ordinationibus apud hæreticos acceptis. Easdem constantissimè ratas habet Sanctus Augustinus. In dubium vocare nemo unquam in Ecclesia præsumpsit ante Formosi Pontificis scandalum, & Stephani septimi præsumptionem: Et quotquot tunc dubitarunt, oluerunt pessimè, uti liquet ex Auxilio Presbytero, Bertholdo Constantiensi, & Sancto Petro Damiani.

Quare absit, ut Synodus Nicæna decreverit reordinandos Novatianenses. Longè aliter Canonem legit atque exponit Sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. *Synodus Nicæna Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat*. Et in septima Synodo Studitæ Monachi dixere: *Eos, qui manus impositionem perceperant, dixit Regula suscipi*. Eisque omnis Synodus assensit. Innocentius primus in jam dictis Litteris ad Rufum Episcopum Thessalonicensem: *De his, qui nominant seipsos Catharos, & aliquando veniunt ad Ecclesiam Catholicam, placuit magnæ & sanctæ Synodo, ut accepta manus impositione, sic maneant in Clero*. Hoc est, qui apud illos manus impositionem acceperunt, maneant in gradu accepto. Et ita omninò habetur in Græco. Eodem modo habet antiqua versio, facta jussu sextæ Synodi Carthaginensis: *Si aliquando veniunt ad Ecclesiam Catholicam Cathari, placuit magnæ Synodo, eos ordinatos sic manere in Clero*. Et Fulgentius Ferrandus in sua collectione: *Ut hi, qui nominantur Cathari, accedentes ad Ecclesiam, si ordinati sunt, sic maneant in Clero*. Item Alexius Aristinus & Symeon Logotheta: *Hæretici Cathari, si qui ordinati reperiantur, sint in eodem ordine, exempli gratia, qui verè est Episcopus, sit Episcopus*. Et ipse Dionysius Exiguus in posteriori Canonis parte: *Ubicumque verò, sive in vicis, sive in civitatibus, ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem habitu perseverent*. Quocirca superior Canonis pars perperam ab illo versa est: Pro *Accipientes* dicere debuerat *Manus impositionem acceptam habentes*. Malè versum est & decretum de Meletianis, cujus in Græco est hic sensus: *Qui ab illo designati & sancti, reordinatione confirmati sunt*. Id est, quotquot à Meletio fuerunt, non tantùm electi, sed & consecrati, in eundem gradum recipiantur. C. 9. Act. 1. Epist. 22. c. 8. C. 172.

Recipiendos Novatianenses Canon cogit ad articulatam errorum ejerationem, fideique orthodoxæ professionem. Ex more antiquo. Etenim de Praxea hæretico, per Zephyrinum Papam in Ecclesiam admisso, scribit Tertullianus: *Caverat pristinum de emendatione sua, & manet chirographum apud Psychicos*. Eodem modo Arsenium, Hypselitarum Episcopum Meletianum, reducem ad Ecclesiam, sibi professum fuisse scribit Sanctus Athanasius in secunda Apologia. Rectè enim in septima Synodo dixit Basilius, Ancyræ Episcopus, primæ Galatiæ Metropolita: *Legislatio est Ecclesiastica, canonicè tradita desursum ab initio tam à Sanctis Apostolis, quàm eorum Successoribus, sanctis videlicet Patribus nostris atque Magistris, sed & à sanctis & universalibus sex Synodis, seu localibus Conciliis, ut* L. cont. Prax. c. 1.

ab

ab hæresi quacumque ad orthodoxam confessionem conversi, in scriptis suam abnegent hæresim, & fidem confiteantur orthodoxam.

Summa difficultas erat de illis Episcopis, quos in eadem civitate dissensio duplicarat. Recedit Canon non nihil à supra memorato Melchiadis Pontificis pro Donatistis decreto: Mandat Novatianensem, sive posteriùs, sive priùs ordinatum, cathedra cedere, futurum, & quidem de orthodoxi gratia, solo nomine sine plebe, & civitate Episcopum, aut certè descensurum in Presbyteri titulum, mittendumve in Chorepiscopatum. Ex quo liquet Chorepiscopatum fuisse Ecclesiastici officii genus, non absimile nostris Decanatibus ruralibus. Et hanc pietatem etiam Armentario, ad Ebredunensem Ecclesiam vitiosè ordinato, impendit Synodus Rejensis.

Quid porrò sit solo nomine Episcopus, docet nos Ephesina Synodus, Eustatio Pergensi Episcopo, Pamphyliæ Metropolitano, qui Sedem malè renunciarat, reddens *non Ecclesiam, sed solùm Episcopalis nominis honorem, vocationem,* F. 800. *& communionem.* Et apud Theodorum Lectorem Martyrius Antiochenus Episcopus, Episcopa- L. 1. tui renuncians, dicensque in publica Ecclesia: *Clero immorigero, populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio, servata interim mihi Sacerdotii dignitate.* Porrò Sanctus Cyrillus Alexandri- F. 418. nus Episcopus, & Memnon Ephesinus, accusant Joannem Antiochenum, quod ejusmodi Episcopos in Synodum Ephesinam induxisset.

Concludit Canon: *Ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.* Quam ejus partem ignoravit Sanctus Augustinus, dum vivo Valerio superordinatur Hipponensis Episcopus, & quod in se factum doluit, postmodum in aliis fieri noluit, uti scribit in ejus vita Sanctus Possidius. Eadem enim Ecclesia non plus capit duos Episcopos, quàm eadem uxor duos maritos. Quare Constantii Augusti, Liberium Pontificem in Sedem reducentis, & unà cum intruso Felice secundo sedere jubentis, Divales Litteras meritò apud L. 2. c. 21. Theodoretum risit in circo Romanus populus, uno ore exclamans: *Unus Deus, unus Christus,* L. 4. c. 14. *unus Episcopus.* Addit Zosomenus: *Haud ita post moritur Felix, solusque Liberius Ecclesiæ præest. Quod non sine divina providentia factum est, ne Sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata, & à sacrosanctis Ecclesiæ Legibus aliena, ulla infamiæ nota respergeretur.* Adeò Petrus, & Paulus nequeunt simul Romani Episcopi fuisse.

Quæstio est, an hic Canon sit Divinus, aut certè Apostolicus? Sanctus Hieronymus respondet non esse. Existimat primis Ecclesiæ annis neminem in simplicem Presbyterum, sed omnem Presbyterum fuisse completè ordinatum in Episcopum, atque ita in eadem Ecclesia passim plures Episcopos, quorum communi consilio omnia regebantur. *Postquam verò,* inquit in Commentariis Epistolæ ad Titum, *unusquisque eos, quos* Cap. 1. *baptizarat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Hoc est, toto orbe decretum est, ut Presbyteratus deinceps ab Episcopatu separaretur, & in quavis civitate non nisi unicus Presbyter in Episcopum, totius Parochiæ Rectorem, consecraretur. Longa est hæc quæstio. Quidquid sit, ex aliis documentis longè certissimum est, solum Petrum fuisse Romæ Episcopum, & memoratum à Hieronymo Canonem, si non Apostolicum, certè antiquissimum, innovat hic noster Nicænus.

CANON IX.

SI qui Presbyteri sine examine sunt provecti, vel cùm discuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines contra Canones commoti manus confessis imponere tentaverunt; tales regula non admittit: Quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.

SCHOLION.

ANtiquum ordinandorum examen, ejusque modum habemus apud Ælium Lampridium, scribentem de Alexandro Augusto, promovente ad publicas Reipublicæ Præfecturas. Promovendorum *nomina proponebat, hortans po-* C. 48. *pulum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis.* Idque ideò, quod & Christiani ita facerent in ordinandis suis Sacerdotibus. Adeò placuit Canon noster gentili Principi, ut eum in Legem publicam adsumeret, muniretque pœna capitali. Ejus examinis etiam Tertullianus meminit, Sanctusque Cyprianus scribit in Ecclesia Carthaginensi fuisse *Presbyteros Doctores,* quorum cum Episcopo examen, & approbatio admitteret alios ad Clerum, alios faceret Clero proximos: utique ex Canone Apostolico, mandante nemini citò manus imponi, & ordinandos sine crimine esse, atque desuper discuti, & probari. Porrò ad Eliam Aquilejensium Metropolitam Pelagius secundus Pontifex rectè scribit: Canones esse *morum Regulas,* quibus *quorumdam fidelium* C. 17. 18. *illicitas actiones Synodi judicant, ac refrænant, bonas leges, malis moribus opponentes.* Lapsam ergò examinis disciplinam reparat noster Canon, mandatque illud fieri circa omnes Presbyteros, huc usque sine ipso promotos, ac in aliquo impedimento reperiendos exauctorari.

CANON X.

QUicumque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem; hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ, cognit namque deponuntur.

SCHOLION.

LApsorum ac stantium frequentissima est mentio apud antiquos Patres, qui floruere temporibus gentilium persecutionum. Sanctus Cyprianus Epistolas quasdam scripsit ad lapsos, reliquitque insignem tractatum popularem, cui titulus: *Sermo de lapsis*. In litteris ad suos Presbyteros, & Diaconos dolet in sua Ecclesia esse numerosam lapsorum stragem, & *exiguam stantium paucitatem*. In aliis ad eosdem litteris ait: *Lapsorum* per pœnitentiam erigi, postulantium causam tractari oportere synodaliter ab Episcopis, *Præsente & stantium plebe*. Et in Epistola ad lapsos dicit Ecclesiam *in Episcopis, Clero, & omnibus stantibus constitutam*. Vocabulum ergo *Lapsus* eo tempore per antonomasiam significabat Idololatriæ delictum, thurificationem, libellum, convivium, ac aliud quodvis. Et in hunc sensum omninò accipit noster Canon.

Epist. 8.

Epist. 4.

Epist. 31.

L. de idol. c. 1.

Porrò idololatria, ut rectè Tertullianus, *Principale crimen generis humani, summusque sæculi reatus*, fuit primùm ex illis tribus, quibus sacramentalem reconciliationem etiam in fine negavit vetusta disciplina. Adeò lapsis ad clericatum nullus erat aditus. Fidelium artificum miseranda tum erat querimonia: *Idola quidem facio, sed non colo, aliter vivere non possum*. Ea enim facere detrectans radebatur è corpore artificum, ideoque quidam Episcopi mitiùs de illis censebant, assumebantque etiam in Clerum. Verùm exclamat Tertullianus: *Adleguntur in Ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum; pro scelus!* Ast ubi lapsis reconciliationis atque Ecclesiæ januam aperuit materna Sedis Apostolicæ pietas, cœperunt & ad Clerum adspirare, variisque viis subindè irrepere: Hunc ergo abusum noster Canon eliminat & damnat.

C. 6. 7. 8. 11.

Solummodò vetat lapsos admitti in Clerum. Quare videri possit permittere lapsos Episcopos, & Clericos restitui in suum gradum. At longè aliter habet antiquus Ecclesiæ Canon, à Sancto Cypriano in Epistolis ad Episcopum Anthonianum, Epictetum Episcopum Assuritanum, & ad Legionensem atque Asturicensem Ecclesias, relatus & expositus, quem absit solvi, vel mutilari à nostro. Lapsos, inquam, Episcopos & Clericos ex gravissimis quibusdam causis admittebat antiquus Canon ad laicam communionem; verùm illos in gradum reponere erat crimen pessimum & contagiosum, cujus Sanctum Cornelium Pontificem, ut tamquam indispensabilis Canonis prævaricatorem, & sacrilega thurificatorum communicatione pollutum, à Pontificatu excluderent, accusavere calumniosi, & mendaces Novatianenses. Addit in Epistola ad dictum Epictetum Sanctus Cyprianus hujusce criminis reos Episcopos, & Clericos esse *lapsos ultra laicos*, id est, infra laicorum in Ecclesia gradum; utpotè lapsos extra Ecclesiam in perpetui fletus necessitatem, atque irregularitatem irreparabilem, ideoque quicumque eorum redire tentarint, tentare reditum *ad altaris*, non ministerium, *sed impiamentum, fratrumque*, pro quibus in altari orarint, non sanctificationem, *sed contagium*. Et mendacem calumniam veraci accusatione dissipans memoratus Pontifex ad Fabium Episcopum Antiochenum scribit, præfatum Novatianum, quod se, licèt non Christianum, tamen Christianorum Presbyterum negarit, esse irreparabiliter, & plenè irregularem, ideoque nec in gradu suo manere posse, longè minus adscendere Episcopalem.

Epist. 52. 64. 68.

Opponi possint lapsus & restitutio Sancti Pontificis Marcellini. At respondet Sanctus Augustinus in libro de unico Baptismo contra Petilianum, Cirrhensem Episcopum Donatistarum: *Quid jam opus est, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, Sylvester, traditionis codicum Divinorum, & thurificationis crimine ab eo arguuntur; sed numquid ideò convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo*. Addunt Theodoretus, & Nicephorus Calixtus *Marcellinum fuisse virum persecutionis temporibus magna gloria planè nobilitatum*. Ut Melchiadis ac Sylvestri Pontificum de suo Donato in Casis nigris Episcopo, & schismate judicia exufflarent, hæc pessima mendacia per Ecclesiam sparserunt nequissimi Donatistæ, imitati Novatianenses, simili fine accusantes ejusdem criminis Cornelium Papam, & è spaciis imaginariis producentes nescio quem alium lapsum Pontificem Macedonium, uti apud Photium in Bibliotheca refert Eulogius Patriarcha Alexandrinus, cujus opus commendat Sanctus Agatho Pontifex in litteris dogmaticis ad Synodum sextam.

C. 16.

L. 1. c. 3.

L. 8. c. 6.

L. 182. 280.

Quod porrò Canon noster antiquum neque solvat, neque mutilet, docet nos apud Sanctum Epiphanium Sanctus Potamon, Heracleensis in Ægypto Episcopus, in Eusebium Cæsaræensem Episcopum, sedentem Sancti Athanasii stantis quasi rei in Synodo Tyria judicem, libero ore hæc invectus: *Tu sedes, Eusebi, & Athanasius innocens à te judicatur? Quis tulerit talia? Dic mihi tu, nonne mecum fuisti in carcere tempore persecutionis? Et ego quidem amisi oculum pro veritate, tu verò nihil mutilatum in corpore habere videris, neque testimonium per confessionem præbuisti, sed stetisti vivens nulla parte detruncata. Quomodo de-*

Hæres. 68.

cessisti

cessisti è carcere, nisi quod promisisti his, qui persecutionis necessitatem nobis intulerunt, id, quod nefarium est, te facturum, aut fecisti? Appellat ad antiquum Canonem, affirmatque Eusebium è judicis throno ejiciendum ad reos, utpotè lapsum ultra laicos, Episcopatu & omni clericali gradu irrecuperabiliter amisso. Quod ipsum in Epistola ad omnes orthodoxos Episcopos repetit Synodus Alexandrina. Videantur Canones Ancyrani.

CANON XI.

De his, qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi (quod factum est sub tyrannide Licinii) placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter Audientes habeantur; & sex annis omni se contritione dejiciant; duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent.

SCHOLION.

Moto ad quamvis novi facti speciem dubio, hodie Theologos consulimus, atque ex imperitis aut temerariis quorumdam responsis incurrimus subinde gravia mala. Alius longè fuit mos Ecclesiæ antiquæ. Ejusmodi dubia Presbyter Episcopo, Episcopus Metropolitæ, Metropolita suæ Synodo, Synodus Patriarchæ aut Primati, Patriarcha Pontifici referebat. Epist. 91. c. 1. Hinc Theodorum, Foro-Juliensem Episcopum, quasdam de morientium pœnitentia, & reconciliatione quæstiones referentem, arguit Sanctus Leo Pontifex perversi Ecclesiastici ordinis, utpotè qui priùs hæc cum suo Metropolita conferre debuerat, quia in ejusmodi causis nihil sine illo oportet per Provincialem Episcopum à Patriarcha inquiri. Relatas ab Episcopis suis quæstiones Metropolita referebat ad suam Synodum, nec nisi ipsa ignorante poterat Patriarchæ esse importunus. Hinc plurimæ Provinciarum Synodi scatent hujusmodi responsis, & pleræque Dionysii, & Petri Alexandrinorum, Cypriani, Basilii, Gregorii Thaumaturgi, ac Romanorum præsertim Pontificum Epistolæ sunt synodales ad consulta subditorum. Epist. 18. Eorum quippe ad factas dubiorum relationes fuit communis cum Sancto Cypriano vox: *Quæ res, cùm omnium nostrum consilium, & sententiam spectet, præjudicare ego, & soli mihi rem communem vindicare non audeo.*

Nupera porrò Licinii Imperatoris per Orientales Ecclesias persecutio quasdam lapsorum species novas induxerat, novasque de illis quæstiones. Hasce ergò Patriarchæ, & alii Primates Episcopi retulerunt Synodo, responditque hæc per aliquot Canones sequentes.

Etiam vocabulum, *Prævaricatio*, uti ex Sancto Ambrosio in libris de pœnitentia liquet, L. 1. c. 8. olim per antonomasiam significabat idololatricum in persecutione delictum, quomodo dixi de voce *lapsus*. Vetusta Ecclesiæ disciplina omnibus prævaricatis negabat communionem, id est, Sacramentalem Reconciliationem etiam in vitæ exitu: Perpetua totius pœnitentia functos transmittebat Christo Domino, in quem peccarant, supremo Episcopo, judicandos.

Ex unica tamen gravissima causa erat dispensationi locus. Sanctum quippe Cornelium Pontificem, dum Trophymum, cum omni sua plebe lapsum, & prævaricatum Episcopum, in laicam communionem, quæ erat omninò Reconciliatio Sacramentalis, suscepit, nihil egisse, nisi quod *colligendis fratribus* ejus in Romana ac aliis Ecclesiis *Antecessores sæpè fecerant*, scribit ad Anthonianum Episcopum Sanctus Cyprianus. Epist. 52.

Ab eodem Cypriano persuasus Romanæ Ecclesiæ per Sancti Fabiani Pontificis martyrium vacantis Clerus, dictusque Sanctus Cornelius, cunctis generaliter lapsis, & prævaricatis pacem Reconciliationis dare cœperunt, & jusserunt: Attamen lapsis ex tormentorum, deportationis, relegationis, aut fiscalium descriptionum violentia, & metu, de quibus solis loquitur primum Romani Cleri decretum, registratum inter Epistolas Sancti Cypriani: Epist. 3. Sponte lapsos antiquo rigori relictos, disertè testatur idem Cyprianus in sermone de lapsis, & in adductis litteris ad Anthonianum. Sponte lapsos, tamquam salem plenè infatuatum, ludibrio fuisse etiam ipsis gentilibus, L. 8. c. 1. apud Eusebium scribunt Ecclesia Lugdunensis, & Viennensis ad Asiæ Ecclesias, & Sanctus Dionysius Alexandrinus Episcopus ad L. 6. c. 34. Fabium Antiochenum.

Quare antiquum rigorem in eos confirmavit paucis ante Nicænam annis prima Synodus Arelatensis, C. 23. nosterque hic etiam Canon affirmat omni gratia indignos, gratia nihilominus impartit: *Attamen solos pœnitudinem veraciter gerentes*. Epist. 84. Hoc est, uti ad Cornelium Pontificem scribit Cyprianus, eos solos, qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, lamentari, Dominum deprecari, instanter pulsare

pulsare Ecclesiæ misericordiam statim à lapsu non destiterunt.

Quatuor verò olim fuerunt pœnitentium gradus, classes, seu stationes: Fletus, Auditio, Substratio, Consistentia, quas eleganter describit in Epistola Canonica Sancti Gregorii Thaumaturgi Canon postremus, licèt, ut eruditis videtur, adjectus & suppositus, antiquus tamen & venerandus. *Fletus est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur. Substratio autem est, ut intra portam templi stans cum catechumenis egrediatur. Consistentia est, ut cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non egrediatur. Postremò est participatio Sacramentorum.* Eosdem gradus describit eodem ferè modo
Epist. 7. Felix tertius Pontifex in epistola ad universos Episcopos, meminitque Sanctus Ambrosius in
L. 2. c. 7. libris de pœnitentia, hæc Domini verba de Lazaro, *Ubi posuistis eum*, exponens: *In quo reorum statu est, quo pœnitentium ordine?*

Quidam existimant illos Novatiano non antiquiores, utpotè ab Ecclesia institutos adversum ejus errores. Existimo errare. Fateor non esse institutum Apostolicum, eorum tamen non tantummodò Sanctus Cyprianus, sed & Tertullianus meminit tamquam rei vetustæ.

Exponitur primus pœnitentiæ gradus.

C. 1. FLetus itaque, primus gradus, fiebat *extra portam oratorii*, in Ecclesiæ porticu vestibulari, seu, uti in libro de pudicitia Tertullianus loquitur, foris extra Ecclesiam ad certum limitem à limine. Antiquas enim omnes Ecclesias matrices habuisse vestibularem porticum, patet ex antiquis Romanis Basilicis, Lateranensi, Vaticana, nova licèt, ad formam tamen antiquam exstructa, Sanctæ Crucis, Sanctæ Mariæ Majoris, & ad Martyres, plurimisque per Flandriam nostram, & omnem fermè Galliam, Canonum olim observantissimam, Ecclesiis rusticorum. Et hinc intelligitur locus Tertulliani in jam dicto libro: *Impias* contra naturam *libidinum furias*, *monstra* passim dictas,
C. 4. *non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto arcemus*.

Et Canon Ancyranus decimus septimus easdem furias stare & flere mandans *inter hyemantes*, id est, hyemantium more extra omne Ecclesiæ tectum. Et locus Sancti Hieronymi, dicentis Fabiolam, matronam adulteram, flevisse in Lateranensi Basilica: Intelligit porticum Basilicæ adnexam.
Epist. 30.

Hìc ergò *peccatorem stantem oportet orare ingredientes, ut pro se precentur*. Distinctiùs Joannes Abbas de Raithu in Scholiis ad scalam Joannis Climaci Abbatis: *Procidens cum fletu ab ingredientibus postulat orationem ante ipsorum pedes prostratus*. Eleganter Tertullianus in libro de pœ-
C. 9. nitentia: *Exomologesis*, qua ille voce omnem passim Pœnitentialium Stationum paraturam complectitur, *est prosternendi & humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem, mandans sacco & cineri incubare, Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere*. Hæc omninò respiciunt fletum. Ejusdem in libro C. 1.
de pudicitia opus esse dicit *profundere lacrymas pacis* expostulatrices, facere *dedecoris sui publicationem*, *fratrum compassionem negotiari*. Hocce L. de pœnit. c. 10.
opus, *ut publicationem sui, plerique aut suffugiebant, aut de die in diem differebant*.

Et Sanctus Ambrosius in libris de Pœnitentia: *Volo veniam reus speret. Petat eam lacrymis, pe-* L. 1. c. 16.
tat gemitibus, petat populi totius fletibus. Et cùm secundò & tertiò fuerit dilata ejus communio, credat remissiùs se supplicasse. Fletus augeat miserabilior, posteà revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus Jesus: Remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multùm.

Sic de Natalio Confessore, in Theodoti Co- L. 8. c. 27.
riarii errorem lapso, scribit Eusebius, quod cilicio & sacco indutus, adspersusque cinere, *cum magno mœrore & lacrymis ad pedes Zephyrini, Romani Pontificis se abjecerit supplicem, & non modò ad Cleri, sed & ad laicorum quoque genua advolverit; ita ut Christi misericordis Ecclesia, illum magnoperè miserata, lamentis unà se dederet*. De Eccebolo, Sophista Constantinopolitano,
lapso sub Juliano Augusto, scribit Socrates: L. 3. c. 11.
Ante portam Ecclesiæ se pronum abjiciens sic vociferatus est: Me quasi salem insipidum pedibus concul- Epist. 30.
cate. Et in Epistola ad Oceanum multis describit Sanctus Hieronymus, quomodo Fabiola, nobilissima Romana matrona, adulterii pœnitens saccum induerit, errorem publicè fassa fuerit, ad Basilicam Lateranensem steterit in ordine Pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, habens sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, colla sordida. Hæc enim erant flentium ornamenta.

Etiam Philippum Augustum, criminibus obnoxium, volentem Paschalibus Sacramentis communicare, Fabianus Pontifex Ecclesiam intrare non permisit, jussum, uti scribit Euse-
bius Cæsaræensis, *sua sponte* inter pœnitentes se L. 6. c. 27.
collocare. Nempe fletum exigebat Ecclesia, non imponebat virtute divina clavium, neque ad sacramentalis satisfactionis opus operatum elevabat: Esse debebat spontanea humilitas, expostulans divini istius adjutorii donum. Hinc flentibus nullæ impendebantur impositiones manum, nullæ expurgativæ preces, nulla Divini nominis super ipsos solemnis invocatio, sine quibus Christiana Sacramenta non possunt confici, nec opera nostra ad operis operati virtutem elevari.

Hinc item in fletu fiebat *dedecoris publicatio*, seu peccatorum confessio, &, juxta Sanctum Ambrosium, postulabatur venia secundò, tertiò, & ampliùs, lacrymis, gemitibus, geniculationibus, pedum osculis; neque tantùm ab Episcopo & Presbyteris, sed & ab omni populo. Nempe licèt pœnitentiæ actionem imponere, & sacramentalem Reconciliationem impendere fuerit ex jure divino semper solius Episcopi & Presbyte-

tero-

terorum, tamen circa graviora, quæ Ecclesiam scandalizarant, delicta, olim sine totius fraternitatis consensu aut consilio id non poterant per Canones, uti testatur frequenter Sanctus Cyprianus, aliique Patres.

Hunc gradum respiciunt hæc verba nostri Canonis: *Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt*. Id est, quicumque se veraciter dederint in fletum. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus, agens adversum Novatianenses, hujus Canonis calumniatores. *Nec ipse eos recipio, qui vel nullo modo, vel non satis deprimuntur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt*. Hoc est, qui fletum non satis fervidè adimplent. Hæc verba, *Non recipio*, non tantùm de communionis redditione, sed & de admissione ad Audientiam & Substrationem intelligi possint, atque ita clarè edicunt flentes necdum esse receptos ab Ecclesia, id est, fletum per claves non consuevisse imponi. Orat. 34.

Porrò Canon flentibus nullum tempus præfigit. More latino. Quod enim esset spontanea humilitas, sacramentalis satisfactionis expostulatrix & præparatrix, Patres nostri Episcoporum arbitrio reliquerunt, ex compuncto potiùs corde, quàm tempore mensurandam. At verò Græci præfixere certum temporis limitem, uti patet ex canonicis litteris Sancti Basilii, ac fratris & suffraganei ejus, Sancti Gregorii, Episcopi Nysseni.

Exponitur secundus gradus.

Secundus gradus *est Auditio intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi*. Vocabulum, *Narthex*, Gregorio Thaumaturgo recentius, utpotè sub finem quinti, aut sexti sæculi exordium, à Græcis usitari cœptum, quibusdam persuadet Canonem esse suppositum & adjectum. Quidquid sit, res est antiqua. Græci enim Ecclesias suas, quomodo nos Belgæ & plerique Galli, & Germani, diviserunt in tres partes, enumeratas à Theodosio Augusto in Edicto de Asylo Ecclesiastico, quod habes ad finem Synodi Ephesinæ: *Sacrosanctum altare* cancellis clausum, *quadratum templi oratorium murorum ambitu circumseptum, & locum residuum usque ad Ecclesiæ fores exteriores*. Hoc est, Sanctuarium, seu Sanctum Sanctorum, aulam, seu chorum, & populi atrium, qui est Narthex.

Canoni Gregoriano consonat Matthæus Blastares in Nomocanone: *Audientes sunt, qui stant intra portam in loco, qui Narthex dicitur, & divinas Scripturas communisque doctrinæ explicationem audiunt, & posteà cum Catechumenis exeunt*. At verò Theorianus, Emmanuelis Comneni Imperatoris Legatus, in disputatione cum Niersece Patriarcha Armeniorum, contradicit: *Auditores flent extra Ecclesiam in ferula, sacrasque litteras audiant*. Ferula erat locus, in quo Catechumeni docebantur inchoationis sermonem. Contrarietatem eleganter conciliat Scholiastes Harmenopuli in Epitome Canonum: *Nam & Audientes extra Ecclesiam stabant usque ad lectionem Sancti Evangelii*.

Tunc ergo ingrediebantur juxta Canonem quartæ Synodi Carthaginensis. *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad missam Catechumenorum*. Ab hac auditione hi nostri Pœnitentes vocabantur Auditores. Etiam impœnitentes adulteros admitti mandat quartus Canon Ilerdensis. Ea de causa Valentina Hispaniæ Synodus statuit Evangelia legi ante munerum illationem, *ut non tantùm fideles, sed & Catechumeni, Pœnitentes, & omnes, qui ex diverso sunt, audire licitum habeant*. Existimant quidam extraneos hos admitti primùm cœpisse post datam Ecclesiis à Constantino pacem: At aliud suadet Apostolus in prima Epistola ad Corinthios, nec non dialogus Luciani, cui nomen *Philopatus*. Hi omnes stabant inter portas Ecclesiæ exteriores & ambonem, sine confusione distincti in suos ordines, unaque ejiciebantur. Hæc erat prima missa, missio, seu admissio Catechumenorum. C. 84. C. 14.

Addit Gregorius Thaumaturgus, aut certè illi adjectus Canon: *Audiens, inquit, Scripturas & doctrinam ejiciatur, & oratione dignus non habeatur*. Vox, *inquit*, ostendit hanc sententiam adsumi ex quopiam Doctore & Patre alio. Utique ex Sancto Basilio in litteris canonicis ad Sanctum Amphilochium Episcopum Iconiensem: *Scripturam & doctrinam audiens ejiciatur, & precatione indignus censeatur*. Ex quo liquere videtur Canonem esse adjectum. Loquuntur ambo de precatione, nequaquam Eucharistica, sed expurgatoria, & expiativa. Quocirca etiam Audientibus nulla imponebatur manus, nulla divini nominis super ipsos invocatio, ideoque & hanc stationem suspicor potestate clavium non consuevisse imponi, fuisseque non sacramentalem, sed dumtaxat secundum ad ipsam præparationis gradum. C. 75.

Addit item Sanctus Basilius: *Deinde si quidem illam*, jam dictam precationem, *cum lacrymis inquisivit, & Domino cum cordis contritione & valida humiliatione supplex procidit, ei detur Substratio*. Expleto igitur Audientiæ tempore, nequibat Audiens suo arbitrio migrare ad Substratos, debebat denuò supplicare, examinari, ab Episcopo transferri. Eodem modo tranferri solitum à Substratione ad Consistentiam, & à Consistentia ad Perfectionem, docent Sanctus Cyprianus, & quintus Canon Ancyranus. Epist. 10.

Quocirca *Auditio* & *Audiens* apud antiquos Canones sunt vocabula æquivoca, primum Catechumenatus, & secundum Pœnitentiæ gradum significantia. Graviora enim delicta Christianam Justitiam ad ima usque fundamenta quatiunt, & quandoque evellunt, ideoque per prima elementa, quibus homo vetus in novam creaturam parturitur, Ecclesia credidit esse curanda.

Difficultatem faciunt hæc verba nostri Canonis: *Quicumque ergò veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter Audientes habeantur*. Etenim, uti suprà à Canone Valentino audivimus, fideles distinguuntur contrà Catechumenos, & Pœnitentes: Quid ergò est: *Fideles inter Audientes habeantur*? Eodem modo legit Codex canonum Ecclesiæ universæ, lectus & probatus

C. 88. batus in Synodo Chalcedonensi, nec non Criſconius, Africanus Canonum Collector. Omittit verò verſio antiqua Latinorum. At malè: Eſt enim in Græco. Joannes Scholaſticus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, in collectione quinquaginta capitum ſic legit: *Tres annos inter Audientes ut fideles exigent*. Iſidorus Mercator hoc modo: *Tribus annis inter Pœnitentes habeantur; ſi tamen fideles ſunt, ſeptem aliis annis inter Pœnitentes ſint*. At loquitur de ſuo extra Canonem, in quo nihil tale.

C. 39.

Diverſi diverſo modo exponunt. Quidam hoc ſenſu: Tribus annis inter Audientes habeantur, ſi tamen fideles ſint. Hæreticos lapſos autumant cogi ad longius tempus Auditionis. Alii hoc ſenſu; licèt ſint fideles.

Exponitur tertius Gradus.

TErtius Pœnitentium gradus eſt Subſtratio, de qua noſter Canon: *Sex annos omni ſe contritione dejiciant*. Eſt commentarius potiùs, quàm verſio: Græcus enim textus ſimpliciter habet, *Subjacebunt*. Theorianus ita exponit: *Eccleſiam quidem ingredientur, ſed in parte Ambonis poſtica ſtabunt, & cum Catechumenis egredientur*. Cauſam vocabuli, *Subſtratio*, dat Felix tertius Pontifex in litteris ad univerſos Epiſcopos: *Subjaceant manibus Sacerdotum*. Mandat enim tertia Carthaginenſis Synodus: *Cujuſcumque pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſidem manus ei imponatur*. Afrorum enim abſis erat in loco eminentiori, ab omnibus conſpicuo. Et quarta Synodus: *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur*. Subſtratis & genu flexis: Etenim *etiam remiſſionis diebus genua flectunt*. Porrò manus impoſitio, ut in libris de baptiſmo contra Donatiſtas Sanctus Auguſtinus; *quid eſt aliud, niſi oratio ſuper hominem?* Proindè ſubſtratorum Pœnitentia variis Eccleſiæ ritibus & precibus adjuvabatur, Deo commendabatur, ad operis operati virtutem elevabatur, eratque verè Sacramentalis.

C. 32. C. 80. C. 82. L.3.c.16.

Erat manus impoſitio ſubſtrati cinere, ſacco, infami raſura, cilicio comitata, quæ idcircò Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis, ſacræ ordinationis manum impoſitam habentibus, fieri non poterat, idque ex traditione Apoſtolica, uti ſcribit Sanctus Leo ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem. Cauſam dat Sanctus Auguſtinus in libris contra Parmenianum: *Ne non homini, ſed ipſi Sacramento fieret injuria*. Hinc Optatus Milevitanus Epiſcopus ſcribit damnatum à Melchiade Papa Donatum in Caſis nigris Epiſcopum, quod convictus fateretur ſe rebaptizaſſe, ac Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe utique pœnitentialem, qua vivis hominibus honores occiderat, id eſt, innocentes Epiſcopos, Presbyteros, atque Diaconos de gradu dejecerat, fecerat perpetuò irregulares. Quiſquis enim, etiam innocens atque invitus, ſeu laicus, ſeu clericus hanc publicam humilitatem paſſus fuerat, ſine reparationis ſpe, erat irregularis.

Epiſt. 92. c. 2. L.1.c.13.

Hujus ſtationis etiam Tertullianus meminit. In libro de pudicitia ita alloquitur Romanum Pontificem: *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens, conciliatum & concineratum, cum dedecore & horrore compoſitum poſternis in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas ſuadentem, omnium lacinias invadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem*. Loquitur non de flentibus, ſed omninò de ſubſtratis: Neque enim flentes inducebantur in Eccleſiam. Et ex hoc loco manifeſtum puto errare eos, qui ſolos flentes exiſtimant debuiſſe lacrymabiliter ſupplicare fraternitati. Nam & quartus Canon Ancyranus ſubſtratos mandat eſſe ſupplices. Et in libro de pœnitentia dicit Exomologeſim, ſub qua omnes haſce ſtationes comprehendit, eſſe *diſciplinam hominis proſternendi & humilificandi*, utique ſub manibus Sacerdotum, *qui ſuper te lacrymas agunt*, & per quos *Chriſtus Patrem deprecatur*, id eſt, qui legatione pro Chriſto fungentes tibi proſtrato manus imponunt & orant. Hæc eſt proſtratio, quam apud Minutium Felicem ridentes Pagani, dixere à Chriſtianis adorari virilia ſuorum Sacerdotum. C. 13. C. 9.

Et in libro Apologetico ſcribit eſſe nobis *ſummum futuri Judicii præjudicium, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur*. Hi ſunt Subſtrati, qui Euchariſticis Eccleſiæ orationibus, & conventui non poterant intereſſe. Quocirca hæc ſtatio eſt longè antiquior Novatiano. Ejuſdem, ut rei vetuſtæ, meminit Sanctus Cyprianus. Epiſt. 10.

Exibant verò Subſtrati cum Catechumenis ſecundi ordinis, dictis etiam Subſtratis ſeu Genuflectentibus, eratque hæc ſecunda eorum miſſio, ſeu miſſa. Erant enim plures ſtationes etiam Catechumenorum.

Exponitur quartus Gradus.

QUartus gradus eſt Conſiſtentia, ut Pœnitens *cum fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non ejiciatur*, de qua Canon noſter: *Duobus annis populo ſine oblatione in oratione communicent*. Utique in oratione Euchariſtica, ſeu ſacrificio.

Porrò integros fideles jam ſupra dixi olim appellatos *Stantes*. Hinc & ad ſacrificium erecti ſtabant in prima Narthecis parte inter ambonem & portas ſpecioſas; etiam ad ſacrificii conſecrationem, ac ſumptionem: Erecto corpore erectam à peccati lapſu mentem, Dominicæque Reſurrectionis participem profitentes. Eadem de cauſa hic gradus dictus Conſiſtentia, & huc promoti, Conſiſtentes.

Ad hunc enim gradum admiſſio erat omninò Reconciliatio Sacramentalis. Neque enim ſolum corpus, ſed & mens per ipſum erigebatur à Subſtrationis ſordibus, quod fieri non poteſt, niſi virtute Clavis Apoſtolicæ reconciliantis.

Conſiſtentes ergò communicabant Euchariſticis, & perfectivis Eccleſiæ orationibus, verùm ſine oblatione. Exponit hoc Theorianus: *Sacramentorum*, Euchariſtiæ videlicet, *perceptionem*

nem non impetrant. Causam dat Sanctus Cyprianus in sermone de eleemosyna dicens ad quosdam avaros divites: *Locuples & dives es, qui in*
Epist. 1. *dominicum*, id est, Ecclesiam *sine sacrificio venis; qui partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*. Et Sanctus Hieronymus in Epistola ad Heliodorum monachum: *Clerici de altari vivunt; mihi* monacho, *quasi infructuosæ arbori, securis ad radicem ponitur, si munus ad altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem*. Panem, & vinum sibi in Eucharistiam consecranda olim offerebat populus; de alieno participare erat illicitum, ac sordidum: Qui non offerebat, non sumebat, ideoque omnis ab oblatione suspensus, suspensus erat & à sumptione. Hinc toties apud antiquos legimus, *Ejus oblatio non recipiatur*. Hoc est: Sacrificio quidem adesse possit cum fidelibus, verùm de illo non percipere: Et hoc est communicare solis orationibus.

Hujus rei memoria adhuc superest in Romani Missalis Canone: Oramus enim Deum pro omnibus illis, qui ipsi offerunt hoc sacrificium laudis, id est, qui huic sacrificio panem, & vinum solemni ritu ministrarunt. Hodie item usurarii, & alii peccatores publici missam quidem audire, sed ad ipsam offerre, nec de ipsa sumere possunt, quod ex disciplina antiqua est orationibus sine oblatione communicare.

Ex eodem principio Consistentium *Nomen*, uti loquitur Sanctus Cyprianus, *offerri* non po-
Epist. 10. terat, seu recitari ad altare: Nequibat, inquam, pro ipsis expressim orari in sacrificio. Cujus enim persona arcebatur, arcebatur & nomen. Et hinc, quoniam antiqua disciplina tractabat eadem lege mortuos, qua & vivos, eorum non accepta Perfectione decedentium non recipiebatur oblatio, nec solemnia Ecclesiæ suffragia illis fiebant: fieri enim non poterant sine oblatione nominis, uti scribit idem Cyprianus
Epist. 66. ad Ecclesiam Furnensem. At rigorem hunc posterior disciplina mitigavit.

Aliam Consistentium pœnam adducit Sanctus Gregorius in Epistolis ad Venantium Patricium,
L. 5. Epist. 42. 43. & Joannem Syracusæ Episcopum: Eorum in domo nequibat missa celebrari. Et hinc in dictum Joannem, quòd ejus oblationem recipi noluisset, indignatus Venantius milites suos *immisit in Episcopum, diversa* hostili more mala commissuros. Et Eugenii Imperatoris Comites frenduisse in Sanctum Ambrosium, quòd ejus oblationes respueret, scribit Presbyter Paulinus. Erat enim pœna infamiæ plena, & futuri divini judicii magnum præjudicium, uti cum Tertulliano tradit in quinquagesima homilia Sanctus Augustinus.

Quocirca Consistentes erant omninò adhuc Pœnitentes, convincuntque nostros Lutheranos, & Calvinistas, existimantes remisso peccato nullum posse restare nævum, nullum debitum pœnalis satisfactionis.

Hinc è Consistentia ad Perfectionem adscensuris repetebatur Reconciliatio, dabaturque alia ejus species, de qua suo loco. Quocirca Joannes Abbas de Raithu, in Scholiis ad scalam Joannis Climaci, malè ponit quinque pœnitentium classes: Perfectio enim non classis erat, sed fructus pœnitentiæ.

Porrò Canon noster sistit in horum lapsorum Consistentia, nihil penitùs statuens de eorum Perfectione, seu admissione ad sacrosanctam Eucharistiam. Nempè suprà illos humanitate indignos dixit, ideoque dignatur sola Consistentia, quoad Perfectionem volens servatum rigorem antiquum. Secunda Synodus Arelatensis addidit hanc moderationem: *In potestate tamen vel arbitrio sit Episcopi, ut si eos ex animo de-* C. 11.
flere, & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Ecclesiastica humanitate suscipiat.

Hunc, aliosque id genus plurimos Canones antiquos respicit Sacrosancta Tridentina Synodus in decreto de satisfactionis necessitate. *Debent Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & pru-* Sess. 14. c. 8.
dentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares, & convenientes Satisfactiones injungere: ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Ejusmodi Sacerdotes Sanctus Cyprianus vo- Epist. 10.
cat Pœnitentium deceptores, qui illos, ut magis pereant, & ampliùs cadant, seducunt.

CANON XII.

QUicumque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstraverunt, deponentes militiæ cingulum, postmodùm verò ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam, & pecunias tribuerent, & beneficiis militiam repeterent; hi decem annis, post triennii tempus, quo inter Audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum, & speciem pœnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: postmodùm verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Qui-

cumque verò indifferenter tulerunt, & aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.

SCHOLION.

CAnonis intellectus hauriri debet ex primitivæ Ecclesiæ sententia de bello, seu Christianorum licentia belligerandi sub Principe gentili. Eam optimè exponit Tertullianus. Religionem Christianam, licèt forsan à tribus famosis sceleribus innocuam, tamen Romanæ Reipublicæ inutilem, ideoque eliminandam calum-
C. 42. niantibus Gentilibus respondet in libro Apologetico: *Navigamus & nos vobiscum, & vobiscum militamus, & rusticamur, & mercamur: Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris?* Quàm non infructuosi Romanæ militiæ fuerimus, docet Marci Aurelii Antonini Augusti pro Legione fulminatrice ad Senatum Epistola, quam secundæ suæ Apologiæ subnexuit Justinus Martyr. Milites nostros etiam solemni Sacramento professos Principi, scribit idem Tertullianus in libro de coro-
C. 11. na militis. Formam refert Vegetius. *Jurant per*
L. 2. *Deum, Christum, & Spiritum sanctum, & per majestatem Imperatoris, omnia se strenuè facturos, quæ præceperit Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romana Republica.*

Pergit Tertullianus in libro de Idololatria. *At*
C. 14 *nunc de isto quæritur, an fidelis ad militiam converti possit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata vel inferior, cui non sit necessitas immolationum vel capitalium judiciorum.* Respondetque fidelem ad nullam penitus, utique sub gentili Principe, posse converti: Quòd humanum Sacramentum, uti in dicto libro de corona militis
C. 11. scribit, non possit superduci Divino; quòd filius pacis, cui nec litigare convenit, nequeat in gladio conversari, & prælio operari; quòd ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre sit trangressio; & quòd Dominus in Petro, qui post baptisma gladium sumpsit, exarmando suscipiendam militiam interdixerit omni Christiano.

At verò propter Christi Domini, Centurionem laudantis, Joannis Baptistæ, Romanos milites Baptismo suo donantis, & Petri Apostoli, Cornelium Centurionem nostro Sacramento abluentis, auctoritatem, fatetur posse ad fidem admitti militiam, attamen duntaxat caligatam seu inferiorem. Audiamus librum de corona mi-
C. 11. litis. *Planè si quos militia præventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut illorum, quos Joannes admittebat ad lavacrum; ut Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & Petrus catechizat: Dum tamen suscepta fide atque signata, aut deserendum statim sit, ut à multis actum, aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversus Deum committatur, aut novissimè perpetiendum pro Deo, quod æquè fides pagana condixit.* Pagani tunc erant homines infimi à militia exclusi, Apolemi dicti à Græcis, ideoque pagana fides seu pagani fideles erant fideles non milites: variis quippè temporibus varia voci illi significatio, de qua aliàs.

Et hæc quidem de sola militia caligata sive inferiori. Superior statim à suscepta & per Baptismum signata fide debebat deseri, quod illi ex officio esset necessitas immolationum & capitalium judiciorum. Capitalia enim & judicia & L.6.c.20.
accusationes homicidio adjunxit, & fidelibus interdixit etiam Lactantius. Quin immò & Sanctus Ambrosius Studio, nobili viro, de his interroganti, respondit: *Sunt, qui eos in commu-* Epist.51.
nionem non vocent Sacramentorum cœlestium, qui in aliquos capitalem sententiam ferendam æstimaverunt. Plerique etiam sponte se abstinent, & laudantur quidem, nec ipsi eos possumus non prædicare. Et infrà: *Majores nostri maluerunt indulgentiores esse circa judices, ut dum gladius eorum timeretur, reprimeretur scelerum furor, & non incitaretur. Quòd si negaretur communio, videretur criminosorum vindicata pœna. Maluerunt igitur Priores nostri, ut id in voluntate magis abstinentis, quàm in necessitate sit Legis.* Baptizatos judices, eorum curiales, omnesque milites, de quorum communione, quod nihil *à Majoribus* Epist.23.
definitum sit, sentit cùm Ambrosio, in Clerum c. 6.
adsumi vetat Innocentius primus in litteris ad Synodum Toletanam, & Victricium Rotomagensem Episcopum, idque vigore hujus Canonis; Judices ob capitalia judicia, milites ob præstita illis severa ministeria, Curiales ob editiones publicas, etiam Christianis temporibus non immunes ab idololatria.

Attamen & caligata atque inferior militia, licèt nullam immolationum necessitatem, habuit tamen varia variæ idololatriæ pericula in dicto libro de corona militis eleganter enumerata à Tertulliano; addente, eorum utique causa, ipsam à multis, suscepta atque signata fide, statim desertam. Ita & Valentinianus Senior Augustus, uti in filii ejus encomio funebri testatur Sanctus Ambrosius, *militiam sub* L.3.c.18.
Juliano, & tribunatus honores, fidei amore, con- 16.
tempsit. Factum id etiam tunc à pluribus scribit Theodoretus. Sic igitur & Licinio Augusto apostatante, divina gratia tacti nostri milites deposuere cingulum, chlamydem, caligam; verùm quidam ad vomitum relapsi etiam pecunia ac beneficiis ab Apostata militiam redemerunt, atque ita seipsos in mille idololatriæ quidam pericula, quidam necessitates projecerunt. Hisce ergò spontaneo fletu Ecclesiam pulsantibus Canon noster imponit triennii Audientiam, decennii Substrationem, Consistentiam Episcopi arbitrio relinquit. Substrationem rectè vocat afflictionem, causa infinitarum afflictionum, quibus in gradu illo oportebat defungi.

Auditionis vult ab omnibus indispensabiliter impleri, Substrationis & Consistentiæ tempora permittit ab Episcopo breviari: attamen in solos ob pœnitentiæ fervorem gratia dignos. Flaccidos, prævaricationem suam, quasi à communi delicto non differat, singulari luctu non impetentes, contentosque quomodocumque & quandocumque intrare Ecclesiam, cogi mandat ad plenum rigorem.

CA-

CANON XIII.

DE his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario viatico minimè privetur. Quod si desperatus, & consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit; sit inter eos, qui communionem orationis tantummodò consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

SCHOLION.

Cap. 8. QUòd Ecclesia à Christo Domino acceperit potestatem in omnia fidelium peccata, est dogma immobile fidei. Hinc Joannes
Cap. 12. Apostolus, ut ipsemet sanæ adhuc mentis Tertullianus in libro de pœnitentia, ac in libro de patientia profitetur, & idololatras, & mæchos invitat, non solummodo ad pœnitentiam, sed & ad veniam. Quòd Paulus Apostolus in utraque ad Corinthios Epistola agat de eodem mæcho, atque illi pacem dederit, una est omnium Patrum sententia, quam ut in libro de pudicitia
L.3.c.7. devius Tertullianus evertat, qualia nugatur? Homicidam ac publicum latronem receptum in communionem à Joanne Apostolo Eusebius testatur. Eleganter hæc ex Apocalypsi Sancti Joannis Apostoli ostendit Sanctus Hieronymus
Cap. 8. in libro contra Luciferianos. *Angelo Ephesi deserta charitas imputatur. In Angelo Pergamenæ Ecclesiæ Idolothytorum esus, & Nicolaitarum doctrina reprehenditur. Item apud Angelum Thyatirorum Hiezabel Prophetissa, & simulacrorum escæ, & fornicationes increpantur. Et tamen omnes hos ad pœnitentiam Dominus hortatur. Non autem cogeret pœnitere, si non esset pœnitentibus veniam concessurus.* Nihilominùs pòstmodùm durior in Ecclesias inducta est disciplina, tribus hisce delictis absolutionis pacem negans etiam in fine, cujus autorem atque occasionem fateor me ignorare. Sanctus
Cap. 2. Innocentius primus in Epistola ad Exuperium, Tholosæ Episcopum, inductam dicit contra persecutiones, quò omnem in eis lapsum, utpotè ab Ecclesia nunquam remittendum, horrerent
Cap. 1. fideles: Quò eos, uti in libro de spectaculis Tertullianus loquitur, Ecclesia faceret *Expeditum morti genus*. Duravit usque ad Zephyrinum Pontificem, qui mæchis pœnitentia functis pacem impartiri, decreto peremptorio, tamquam Pontifex maximus, ac Episcoporum Episcopus, jussit, idque adversus Montanum, cujus pseudo-Paracletus disciplinam hanc tentavit in regulam, ac potestatis defectum vertere, asserereque Ecclesiam in tria jam dicta crimina nihil posse, nisi pœnitentiæ actionem injungere. Idololatris ac omni lapsorum generi pacem ad Sancti Cypriani suasum dedit Sanctus Cornelius: Etiam homicidis dedisse, ex bonis conjecturis probare conatur Doctissimus Ecclesiæ Aurelianensis Episcopus, Gabriel Albaspineus. Quam clementiam damnans Novatianus schisma in hæresim vertit, Montanizans circa solos lapsos.

Attamen data est pax solis *Pœnitentia functis*, conditæque à Sanctis, præsertim Cornelio & Cypriano variæ pœnitentium leges. Statutum, ut omnibus lapsis in exitu pax daretur, hac tamen exceptione, de qua Cyprianus ad Episcopum Anthonianum: *Pœnitentiam non agentes nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omninò censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate & periculo cœperint deprecari: Quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* His solis morientibus data est pacis gratia, qui sani in Fletus gradu Ecclesiæ misericordiam pulsassent. Quam exceptionem dudum post denuò confirmavit prima Synodus Arelatensis. Hispaniarum Ecclesia addidit exceptionem peccatorum duplicatorum. Dictis tribus delictis dabat in fine pacem, nisi quis aut duo, aut omnia tria commisisset. Ità liquet ex Canonibus Eliberinis. Epist. 52. Cap. 22.

Quocircà hæc omnis quæstio rursùm deducta est ad Synodum Nicænam, confirmataque, & aucta in omnes morientes antiqua Ecclesiæ pietas, ut omninò nullus *ultimo ac necessario viatico privetur*. Licèt sanus se in Fletum non dederit; licèt commiserit è tribus plura delicta. Quibusdam visa est prodiga pietas, movitque præsertim Ecclesiam Gallicanam. Etenim Sanctus Exuperius Cap. 2.
Innocentio primo refert; quosdam fideles per omnem vitam in mæchia volutatos, in mortis vicinia expostulare simul pœnitentiam ac reconciliationem, petitque quid circa illos agendum. Celestino primo Pontifice, alii Gallicani Episcopi, criminosis in fine dumtaxat pœnitentibus, negavere pertinaciter communionem. Quin & intrà Italiam à Sancto Leone Papa rogavit Theodorus Forojuliensis Episcopus, quid donandum *his, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant.* Antiquus enim Canon vetabat etiam à morientibus simul pœnitentiam ac Reconciliationem peti, & accipi; hanc postulari sinebat à solis illis, qui istam sani in spontaneo fletus gradu postulassent: Huic Canoni, quòd disertè non exprimatur, credebant Episcopi illi non esse ab hoc nostro derogatum. Verùm enim verò jam dicti Pontifices, eorumque succes- Epist. 91. c. 3.

ſores hunc noſtrum ſemper largiſſimè intellexerunt. Attamen quoad ſolos morientes. Etenim ſanos utriuſque ſimul doni poſtulatores non ſeipſos velle ſolvere, ſed Epiſcopum ligare, ſcribit
L. 2. c. 9. in libris de pœnitentia Sanctus Ambroſius. Sanctus Auguſtinus in Epiſtola ad Honoratum Epi-
Epiſt. 180. ſcopum Thabennenſem ait in barbarico incurſu quoſdam petere baptiſmum ab Eccleſia, alios reconciliationem, alios etiam pœnitentiæ ipſius actionem: Eos nempè, qui antè ſe in fletum non dederant, ideoque ſimul reconciliationem petere erubeſcebant. Et mediis ſæculis Hincmarus,
Epiſt. 59. Remenſis Epiſcopus peritiſſimus antiquorum Canonum, operosè deſudat, ut Pipinum Regem, criminibus obnoxium, oſtendat donari poſſe utraque ſimul gratia, eo quod ſit paralyticus, ideoque gaudeat privilegio infirmorum.

Quocirca Nicænam in morientes pietatem tandem admiſit omnis Eccleſia: Etiam illi Africani Epiſcopi, quos Zephyrini in Mæchos miſericordiam recipere, ſalvo tamen unitatis ſpiritu, noluiſſe refert Cyprianus in Epiſtola
Epiſt. 52. ad Anthonianum. Ita innuit Auguſtinus.
Homil. 27. c. 3. Antiqua duritia, verſa in hæreſim, manſit apud ſolos Novatianenſes, Montaniſtas, ac Tertullianiſtas, receptaque etiam poſtmodum eſt,
L. 5. c. 21. uti Socrates aſſerit, ab Helleſponticis Macedonianis. Manſiſſe addit, tamquam rem non Reguiæ, ſed diſciplinæ, in catholica Cappadocum Cæſaræenſi Eccleſia: At dubitare me facit Euſebius Pamphili, dicens Romana pro lapſis decreta recepta in Synodo Antiochena pro omni Orientis Eccleſia, etiam pro Cappadocibus Cæſaræenſi-
L. 6. c. 38. bus, aderat enim eorum Epiſcopus Firmilianus.
L. 7. c. 4. Quidquid ſit, mediis ſæculis Sonnatius Remenſis
L. 1. c. 14. Epiſcopus, apud Baldricum in chronico Eccleſiæ Cameracenſis, ſynodaliter mandat homicidæ voluntario dari in fine pacem: Quia nempè quidam negabant. Ejus ſucceſſor Fulco, apud Flodoardum in Hiſtoria Eccleſiæ Remenſis, gra-
L. 4. c. 6. viter arguit Didonem, Laudunenſem Epiſco-
L. 5. Clement. tit. 9. c. 1. pum, quòd reis ad ſupplicium capitale damnatis negaret Reconciliationem: Eandem in quibuſdam juſtitiariis duritiam damnat Clementis quinti Synodus Viennenſis, ac apud Joannem Bromptronum, Abbatem Jornalenſem, lex Canuti, Regis Anglorum. Quæ omnia erant veſtigia diſci-
C. 65. plinæ antiquæ, antiquæque contra Nicænam pietatem recalcitrationis.

Per *ultimum, ac neceſſarium viaticum* Canon intelligit Sacramentalem abſolutionem; ſimplicem admiſſionem ad Conſiſtentiam. Eam fuiſſe olim vocis ſignificationem ordinariam, oſtendit
Cap. 2. prima Synodus Arauſicana, ſtatuens, ut in extremis pœnitentiam accipienti detur non legitima communio cum reconciliatoria manus impoſitione, ſed ſimpliciter communio, *quod morientis ſufficit conſolationi ſecundùm definitiones Patrum*, utique Nicænorum, *qui hujuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt*. Et ſe- Cap. 2.
cunda Synodus Vaſenſis, nec non ſecunda Are- Cap. 28.
latenſis *Sacramentorum viaticum* opponunt *abſolutiſſimæ Reconciliationi*, id eſt, Reconciliationi, qua quis ad Perfectionem, perfectamve cum oblatione communionem admittebatur. Adeò viaticum non fuit idem; quod Euchariſtia. Eadem phraſi loquuntur Innocentius primus, Cap. 15.
Synodus Agathenſis, prima Matiſconenſis, Epaonenſis, Hincmarus Remenſis, Iſaac Lingonenſis, Sonnatius Remenſis, ac noviſſimis ſæculis apud Gregorium nonum etiam Eugenius L. 5. tit. 17.
tertius. Fateor tamen vocem etiam olim quan- c. 2.
doque pro Euchariſtia acceptam: lucidè ſic accipit Paulinus Presbyter in vita Sancti Ambroſii. At hocce viaticum non fuit neceſſarium.

Hinc pergit Canon: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debebit*. Hoc eſt, communionem cum oblatione, ſeu ſumptam ex propria infirmi oblatione. Hæ voces, *Omni cuilibet*, evincunt à Dionyſio Exiguo linguæ latinæ vulgarem Italicam permixtam. Græcus textus eſt lucidiſſimus: *Generaliter omni in exitu Euchariſtiam petenti Epiſcopus dabit juxta arbitrium ſuum*. Non itaque debet, ſed poſſit dare, prout expedire viderit: Quoniam non eſt viaticum neceſſarium.

Addit tandem Canon: *Quod ſi deſperatus*, &c. Providet quæſtioni à Novatianenſibus motæ adversùs Sancti Cornelii decretum de pace morientium: Quidnam fieret de illis, qui Reconciliatione percepta convaleſcunt, an donum ſine plena ſatisfactione ſuſceptum ſit ratum, ac firmum? Paradoxum id videbatur. Et Epiſcopo Anthoniano aliud reponere non novit Cyprianus, quàm Dei donum à nobis exufflari non poſſe, eoque impartitos non poſſe ſuffocari. Illos ergo noſter Canon à Perfectione accepta rejicit in Conſiſtentiam, atque in illa pœnitere jubet modo, ac tempore per Epiſcopum præfigendis. Rejectio hæc, quoniam datæ Perfectionis exufflatio, primæ Synodo Arauſicanæ, ſecundæ Vaſenſi, ſecundæ Arelatenſi; aliiſque Gallicanis non placuit: Hinc moribundis dari mandant ſolam Conſiſtentiam, viaticum neceſſarium, atque ſufficiens; Perfectionem reſervant complendæ pœnitentiæ à convalituris: uſæ authoritate per noſtrum Canonem data, qui Perfectionem committit arbitrio Epiſcopali.

CANON XIV.

DE Catechumenis lapſis, ſancto, & magno Concilio placuit, ut tribus annis ſint inter Audientes tantummodò; poſt hæc autem cum Catechumenis orent.

SCHO-

SCHOLION.

VOx *Catechumenus* quandoque genus significat, quandoque speciem. Fuere enim sex catechumenorum classes, distinctæ ex diversa sacrorum rituum paratura: Christiani, Audientes, Catechumeni, Initiati, Competentes, Electi. Quatuor primas habes partim in septimo Constantinopolitano, partim in nonagesimo quinto Canone Trullano; Competentes, ac Electos reperis passim in sanctorum Patrum sermonibus. Hinc intelligitur Eusebius Cæsaræensis, dicens Pantenum Philosophum Alexandriæ
L.5.c.10. præfuisse *Institutioni Christianorum*, id est, Scholæ primorum principiorum. Qui singuli gradus
L.6.c.5. an etiam apud Latinos fuerint, multùm ambigo: Apud nos enim Christianos fuisse Catechumenis perfectiores, lucidè supponit Augustinus in quadragesimo quarto tractatu in Joannem.
Epist.23. Hinc fortè Sanctus Cyprianus Optatum, Lectorem solummodò, constituit *Doctorem Audientium*, quòd Audientia esset prima classis novitiorum. Quòd ipsum innuit præsens Canon.

Adstipulatur quintus Canon Neocæsaræensis, distinguens duas Catachumenorum stationes: Audientium in Ecclesia, & Genuflectentium, seu Substratorum, qui videlicet quotidianis manus impositionibus expurgabantur, ejiciebanturque cum Substratis Pœnitentibus. Hosce lapsos mandat rejici ad Audientiam, illos verò de Audientia expelli. Ex quo non vanè colliges etiam ab audiendo Evangelio, & Episcopi Sermone abstentos, factosque quasi Catechumenos flentes. Etenim Pœnitentiæ flentes fuisse ab illis abstentos, non est improbabile. Hisce duabus stationibus addi oportet Competentes, & Electos. Quæ omnia sunt longi examinis. Porrò prima statio dicebantur Audientes, quòd nostra rudimenta non scribere, sed audire dumtaxat possent, ob rationes supra adductas in dissertatione de Symbolo. Canon noster mitigat NeoCæsaræensem. Etenim Genuflectentes lapsos quidem rejicit in Audientiam, Audientes tamen Audientia non expellit, sed illic toto triennio hærere jubet, cùm totus passim catechumenatus esset solius biennii. Eos mitiùs, quàm lapsos fideles punit, quòd eorum delictum sit adhuc in homine veteri. Porrò Genuflectentes vocat Orantes, utique in Ecclesia, ab alio, & alio circa illos ritu. Facto enim post Evangelium Episcopi sermone, statim ejiciebantur Audientes; restabant verò Genu-flectentes, varièque pro ipsis, & supra ipsos orabatur.

CANON XV.

PRopter multam perturbationem, & seditiones, quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa; ita ut de civitate ad civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur. Si quis autem post definitionem sancti & magni Concilii tale quid agere tentaverit, & se hujuscemodi negotio mancipaverit; hoc factum prorsus irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ, cujus fuit Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus ordinatus.

SCHOLION.

SAnctus Petrus Antiochia, Linus Vesontione Romam translati sunt; Marcus autem Aquileja Alexandriam. Episcoporum nihilominus, & Clericorum translationes ab ipsis Apostolis vetitas testantur Julius Pontifex in litteris ad factionem Eusebianam, & Constantinus Ma-
L.3.c.59. gnus in litteris ad Eusebium Cæsaræensem, ab ipso in vita Constantini relatis. Etenim inter Ecclesiam, ac Episcopum, nec non & quemvis Clericum, intercedit conjugium spirituale, ideoque translatio est divortium, sine causis non faciendum. *In Nicæna Synodo*, scribit ad Ocea-
Epist.83. num Sanctus Hieronymus, *à Patribus est decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur; ne virginalis pauperculæ societate contempta, ditioris adulteræ quærat amplexus*. Ex causis tamen potest & licere, & expedire. Ipsa Nicæna Synodus, teste Theodoreto, in L.1.c.7.
defuncti apud se Philogonii Sedem Antiochenam transtulit Sanctum Eustatium, Episcopum Berrhæensem. Ecclesia Latina usque ad Formosi Papæ tempora rigidissimè abstinuit à transferendis Episcopis: Quin & Dominos Cardinales, licèt dumtaxat Presbyteros, aut Diaconos, quos ab Episcopo suo intra propriam Parochiam transferri nequaquam prohibet Canon, dicens *de civitate in civitatem*, id est, de unius in alterius Episcopi Parochiam, à titulo in titulum primus mutavit Alexander quintus, causa schismatis Clementini, quòd illos in quibusdam titulis geminarat.

CANON XVI.

QUicumque temerè, aut periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoscentes Ecclesiasticam regulam, discedunt ab Ecclesia Presbyteri, aut Diaconi, vel quicumque sub regula prorsùs existunt; hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parochias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit is, qui regulæ mancipatur; ordinatio hujuscemodi irrita comprobetur.

SCHOLION.

HIc Canon non factam à superiori potestate translationem, sed proprio nutu præsumptum transitum damnat, datamque transeuntibus ab alieno Episcopo ordinationem. Hinc ut grande crimen Sanctus Hieronymus improperat Joanni Hierosolymæ Episcopo, quòd Theosebam, Ecclesiæ Tyriæ Diaconum, in Presbyterum consecrasset. Calcata ab illo dicit jura Ecclesiæ. Malum frequentissimè proscriptum, nunquam extinctum. Quare tandem etiam laicos ab alieno Episcopo ordinari sub pœnis gravissimis interdictum: Dudum enim quemvis habilem laicum quivis Episcopus ordinavit. Porrò Regula, cui mancipantur, & à qua excidunt Clerici, est illa, à qua sextus Canon Constantinopolitanus vocat *Episcopos Canonicos*, & cujus transgressio, seu amissio facit irregularem, de qua alibi largiùs.

Epist. 61. c. 16.

CANON XVII.

QUoniam multi sub regula constituti, avaritiam, & turpia lucra sectantur, oblitique divinæ Scripturæ dicentis: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram: mutuum dantes centesimas exigunt: justè censuit sancta, & magna Synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia; dejiciatur à Clero, & alienus existat à regula.

SCHOLION.

L. 2. tit. 33. c. 1. CAnon damnat duplicem usuram: Pecuniariam, ac sescuplam, quam disce ex lege Constantini magni in codice Theodosiano. *Quicumque fruges humidas vel arentes indigentibus mutuas dederint, usuræ nomine tertiam partem superfluam consequantur, id est, ut si summa crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius consequantur.* Legem exponit Sanctus Hieronymus in commentariis Ezechielis Prophetæ. L. 6. c. 18. *Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarumque specierum usuræ exigi, sive, ut appellat sermo Divinus, superabundantiæ: verbi gratia, hyemis tempore ut demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est; amplius partem mediam. Qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem. Et solent argumentari, & dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios, nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cùm ille mea liberalitate novem & semis de meo habeat?* Porrò omnis olim pecuniaria usura erat menstrua, adeoque centesima erat per mensem, unus, per annum, duodecim nummi è centum. Ambas hasce usuras Lex Romana permittebat, ideoque & clerici manus & animas utraque fœdabant: utramque Synodus damnat, priorem in illas Laodicenum Canonem extendens ad omnem Ecclesiam.

CANON

CANON XVIII.

PErvenit ad sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis, & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec non & illud innotuit, quod quidam Diaconi ante Episcopos sacra oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua Diaconi mensura permaneant, scientes, quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem Presbyteris habentur. Per ordinem ergò post Presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut Episcopo eis, aut Presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio Presbyterorum Diaconis liceat: quia si hoc fiat, præter regulam, & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.

SCHOLION.

DIaconorum superbia est antiquissima & varia, de qua Canon vigesimus Laodicensis: *Quod non oportet Diaconum ante Presbyterum*, seu coram Presbytero *sedere*, *sed sedere ex jussu Presbyteri*. Invasit & Romanam Ecclesiam, de qua Canon decimus octavus primæ Synodi Arelatensis: *De Diaconibus urbicis, ut non aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reservetur*. Romanus enim Diaconus erat & ille Falcidius, de quo apud Augustinum Auctor
Q. 101. quæstionum veteris ac novi testamenti: *Diaconos Presbyteris coæquare contendit, non dicam præferre, quia stultius est, & fortè incredibile videtur*.
Epist. 85. Et Sanctus Hieronymus in Epistola ad Evagrium: *Legimus in Esaia, fatuus fatua loquetur. Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris anteferret*. Et superbia & error habuere varias radices. Quòd in Ecclesia Romana essent plurimi minores clerici, ideoque à multis inferioribus ministeriis Diaconi excusarentur; quòd Romanus Episcopus esset totius Ecclesiæ Primas, ideoque ejus lateri semper adhærentes Diaconi possent omnibus plurimùm & obesse, & prodesse; quòd *Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinaretur*; *quòd Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles faceret*; *quòd Presbyteri essent lucris minores*. Quæ omnia suo modo etiam in aliis Ecclesiis habuere locum, atque ita ubique passim Diaconi
L. 14. sup. Exechiel. c. 48. *ignorantes humilitatem status sui, ultra Presbyteros intumescebant, & dignitatem non merito, sed divitiis æstimabant*.

Invasit superbia præsertim Archi-Diaconos.
L. 14. c. 48. Causam dat Sanctus Hieronymus in Commentariis Ezechielis Prophetæ: *Quòd per singula concionarentur in populos, & à Pontificis latere non recederent*. Erant non tantummodo Sacramentorum, sed & totius Ecclesiasticæ substantiæ dispensatores, Præsules Ecclesiasticarum opum, Præfecti omnium Ecclesiasticorum negotiorum, uti scribit Sanctus Leo Magnus in sermone de Sancto Laurentio, & in Epistola ad Pulcheriam Epist. 58.
Augustam. Præerant omnibus Diaconis, eosque non minùs, quàm ipse Episcopus, excommunicabant, uti in Synodo Berytensi inserta in Chalcedonensem, testatur Ibas Metropolita Act. 10.
Edessenus. Quin immò & Metropolitanum Episcopum, evehentem indignos ad gradum Episcopalem, corripiebant & prohibebant, uti affirmat libellus oblatus jam dictæ Synodo contra memoratum Metropolitam ab ejus Clericis Edessenis. Et dum Meletius, Antiochiæ Patriarcha, fidem Nicænam è suggestu prædicaret, *Archi-* Sozom.
Diaconus Ariana lepra scabiosus, *ad eum accurrit*, l. 4. c. 27.
& manu admota ejus os obturavit. Et hinc Canon quinquagesimus septimus Arabicus Archi-Diaconum in publico Ecclesiæ consessu ponit ante omnes Presbyteros, etiam Archi-Presbyterum, & Chorepiscopum, ad dextrum Episcopi latus. At malè. Eum quippè fuisse omnibus Presbyteris posteriorem docet Synodus Mopsuestena laudata per quintam Collationem Synodi quintæ, & Romana Adriani secundi Pontificis relata per octavæ Actionem Septimam. Attamen Sancti Anselmi Cantuariensis Primatis in Synodo Barensi coram Urbano secundo acta referens Guilielmus Malmesberiensis, hæc dicit. *Ad consessum* L. 1. f. 223.
Apostolici levatus est, sedere jussus juxta Romanum Archi-Diaconum, cui ante Papam sedere moris est. Sedebat ergo in ipso Papali throno, eique assidere fuit grandis honor Sancto Anselmo.

Addit Sanctus Hieronymus in dictis commentariis Ezechielis Prophetæ: *Injuriam putat, si* Epist. 56.
Presbyter ordinetur. Ita Ætius Constantino- 57. 58. 71.
politanæ, & Andreas Salonitanæ Ecclesiæ Archi-Diaconi, quòd à suis Episcopis ad Presbyteratum eveherentur, Sancto Leoni & Gregorio Magno Pontificibus questi fuere, sese sub honoris fuco degradari, jussique restitui. Et apud Photium in bibliotheca scribit Sanctus Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, *Novatianum Cornelio* L. 182. 280
Pontifice Romanæ esse Ecclesiæ Archi-Diaconum creatum, ad quem ipsum Pontificium, pro ejus temporis

more,

more, decedente è vita Pontifice, deferebatur. Archi-Diaconum enim succedere summo Sacerdoti, statutum erat. Verùm hunc superbia laborantem Cornelius, & in suam mortem imminentem cùm cognovisset, Presbyterum ordinat, omnes sic illi ad supremam Cathedram perveniendi spes præcidens. Hanc fuisse Novatianensis schismatis radicem existimat Eulogius. At certum est errare. Disertè enim apud Eusebium testatur ipse Sanctus Cornelius Novatianum secum sub Fabiano Pontifice fuisse Presbyterum Romanum. Etiam Sanctus Gregorius Laurentium, Archidiaconum suum, passus est rebellem, ideoque exauctoravit. Et calamitatum, quas Sanctus Joannes Chrysostomus pertulit, bona pars originem traxit ex nimia Serapionis Archi-Diaconi erga Episcopos advenas superbia. Quare tandem arrogantiæ pertæsa Romana Ecclesia Archi-Diaconatum suum exstinxit. Factum id fuit inter Urbanum secundum, & Alexandrum tertium. Illi enim fuisse jam audivimus à Guilielmo Malmesberiensi; huic verò non fuisse Archi Diaconum, haud obscurè colligitur ex ejus apud Franciscum du Chesne Epistola, dicente Electum Romanum Pontificem immantari, id est, Papali veste indui per Priorem Diaconorum, quòd nempe tunc Archi-Diaconus, cujus id olim officium, esset exstinctus. Romanam Ecclesiam, teste Codino, Constantinopolitana fuit imitata.

L. 1. Epistolarum, Præfat.

Epist. 19.

C. 17.

Eadem superbia laborasse Diaconos apud Gratianum queritur Victor Episcopus, respondetque Sanctus Gelasius Pontifex: *Quapropter quia invitos fieri Ecclesiastica moderatio, gravitasque non patitur, ut ex nolentibus fiant volentes, ordinatio illa poterit perficere, si quos habes vel in Acolythis, vel Subdiaconis maturiores ætate, & quorum sit vita probabilis, hos in Presbyteratum studeas promovere, ut qui in suis ordinibus proficere noluerint, reddantur suis inferioribus posteriores; ipsaque commoda Presbyteri propensiùs, quàm Diaconi consequantur: ut hac saltem ratione constricti, & honorem, quem refugerant, appetere nitantur & quæstum*. Et hinc Gregorius Magnus, teste Joanne Diacono, egentibus Ecclesiis dans Episcopos etiam de suis Cardinalibus, solis Diaconis super hac re quodam modo parcebat: Quòd nempè hi Romæ esse Diaconi mallent, quàm alibi Episcopi.

Dist. 74. C. 9.

L. 3. c. 7.

Ex hac superbia, teste Sancto Hieronymo, etiam præsumebant *in domesticis conviviis benedictiones Presbyteris dare*, nec non in solemni sacrificio Eucharistiam, eandem ante Episcopum sacrificantem sumere, atque in pleno Ecclesiæ conventu inter Presbyteros sedere: Quæ omnia Canon noster corrigit, definiens illos Presbyteris omninò inferiores, ac Episcoporum ministros. Addit, *Qui potestatem non habent offerendi*. Confirmat quintum decimum Canonem primæ Synodi Arelatensis: *De Diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere*. Cujus intolerabilis arrogantiæ meminerunt etiam vigesimus quintus Canon Laodicensis, & secundus Ancyranus. Quin & sacramentalem pœnitentium Reconciliationem ab illis attentatam quidam credunt ex duodecima Epistola Sancti Cypriani, & trigesimo secundo Canone Eliberino, de quibus aliàs.

Epist. 85.

Ecclesia Romana, Canonum observantissima, Diaconos suos mox correxit. Liquet ex Sancto Hieronymo: *Cæterùm etiam Romæ in Ecclesia Presbyteri sedent, & stant Diaconi, licèt paulatim increbrescentibus vitiis inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim*. Etiam in Romanis Synodis sedebant soli cum Episcopis Presbyteri, Diaconi retro Episcopos stabant. Liber Pontificalis hæc habet de Anastasio primo. *Hic constituit, ut quotiescumque sancta Evangelia recitarentur, Sacerdotes non sederent, sed curvi starent*. Presbyteri enim, partim ob hunc Canonem, partim ob supra memorati Falcidii fatuam prædicationem, sedere volebant, etiam Evangelium cantante Diacono; correxit verò Anastasius, dicens non Diacono, sed Domino Jesu Christo per ejus os tum loquenti, non dumtaxat assurgendum, sed & corpus incurvandum. Hujus forsan litis vitandæ causa, in quibusdam Ecclesiis, quod Sozomenus scribit, Evangelium soli Presbyteri olim cantabant. Quidquid sit, tunc Romæ inductum credo morem à Vigilio Pontifice relatum in damnatione Rustici, & Sebastiani Diaconorum, ut nullus promoveretur in Diaconum, nisi tactis Evangeliis corporaliter juratus, quòd sine vitio, neglectu, & superbia officium compleret.

Canonem etiam in Gallia servatum testantur Synodus secunda Arelatensis, Andegavensis, & Agathensis; de Orientali autem Ecclesia fidem faciunt Canon Arabicus; & Trullanus.

CANON XIX.

DE Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis. Si qui autem de his præterito tempore fuerint in clero, si quidem immaculati, & irreprehensibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ. Quòd si discussio incongruos eos invenerit, abjici tales convenit. Similiter autem & de Diaconissis, & omninò de his, qui sub regula versantur, hæc forma servabitur. Meminimus autem de Diaconissis, quæ in eodem habitu esse probantur, quòd non habeant manus impositionem, & ideò modis omnibus eas inter laicas deputari.

SCHO-

SCHOLION.

C. 9. CAnonem exponit Sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: *Nicæna Synodus omnes hæreticos*, id est, datum à quovis hæretico Baptismum, *suscepit, exceptis Pauli*
C. 41. *Samosateni discipulis*. Et Sanctus Augustinus in libro de Hæresibus: *Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Nicæno Concilio constitutum est. Undè credendum est eos regulam Baptismatis non tenere, quam secum multi Hæretici, cùm de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt*. Et Innocentius primus in Epistola ad
Epist. 22. c. 6. Rufum Episcopum Thessalonicensem: *Canones apud Nicæam constituti à Paulianistis venientes etiam baptizari præcipiunt. Numquidnam cùm de Paulianistis jubent, omnes, qui ab Hæreticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cùm nullus audeat facere, de ipsis tantùm esse præceptum ratio ipsa demonstrat*. Eadem enim Synodus recepit non solummodò Baptisma, sed & ordinationes Novatianensium. *Quod idcircò distinctum esse ipsis duabus hæresibus ratio manifesta declarat: Quia Paulianistæ in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti minimè baptizabant, & Novatiani eisdem tremendis venerandisque nominibus baptizabant*. Eadem de causa natos ex Paulo hoc Photinianos rebaptizari mandat secunda Sy-
C. 6. nodus Arelatensis.

Et hinc exorto Nestorio quidam moverunt quæstionem, cur Paulianistarum & Photinianorum Baptismum exsufflaret Ecclesia, reciperet verò Nestorianorum, quos certum est cum istis ea-
C. 2. dem docere. Respondet verò in Nestorianæ & Eutychianæ hæreseos Breviario Liberatus, Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis, Nestorium quoad solam Divinæ Incarnationis, non autem circa Sanctissimæ Trinitatis fidem cum illis, quos certum est Sabellio adhæsisse, adeoque nec circa Baptismatis Regulam delirasse.

Hunc Canonem laudat frequentissimè Sanctus
L. 1. c. 7. Augustinus disputans de Sancti Cypriani rebaptizantis errore contra Donatistas. In libris de Baptismo dicit antiquam consuetudinem, post varia ac invicem pugnantia Provincialium Syno-
C. 18. dorum decreta, *plenario tandem totius orbis Concilio, remotis dubitationibus, firmatam*. In eodem libro hocce decretum vocat universalis ac plenarii Concilii syncerum & eliquatum placitum, totiusque orbis Catholici consensum. Et in libris contra
L. 1. c. 13. Parmenianum ait hoc *jam in ipsa totius mundi unitate discussum, consideratum, perfectum, atque firmatum*. Ad quæ & alia loca id genus plura rectè Scholiastæ nostri Lovanienses: *Quia nusquam neque nomen neque locum Concilii Augustinus expressit, varii varia divinarunt*.

Quidam putarunt esse primam Synodum Constantinopolitanam, cujus Symbolum profitetur *unum Baptisma in remissionem peccatorum*, & cujus Canon septimus Sancti Basilii de rebaptismo sententiam discussit accuratissimè, solosque Eunomianos, Montanistas, ac Sabellianos, à substantiali regula deviantes, rebaptizari mandat, suscipiens omne legitimi verbi ac elementi Sacramentum, apud quosvis hæreticos datum.

Alii esse putant Synodum Capuanam, habitam sub Siricio Papa, quam, quòd rebaptismum ac reordinationes damnet, semper maximi fecit, & adversum Donatistas ubique publicavit Ecclesia Africana. Licèt coierit ad solum Ecclesiæ Antiochenæ schisma componendum, adfuere tamen omnium diœceseon Episcopi, atque ita decidit etiam quæstiones Africanas.

Nec desunt existimantes esse primam Synodum Arelatensem: Hæc enim disertè damnat Donatistarum Rebaptisma, & à secunda Arelatensi Synodo, omnibusque, præsertim Afris, orthodoxis dicta passim fuit Synodus magna.

Verùm hisce omnibus obstant varia. Etenim prima Constantinopolitana Synodus non fuit totius orbis plenaria: Coiit ex solis citra Apostolicam jussionem & legationem Orientalibus Episcopis, quorum multi obscurissimi, utpotè per Eusebianam factionem promoti, descripti ad vivum à Sancto Gregorio Nazianzeno. Nullus ei adfuit Africanus Episcopus, ejusque dumtaxat Symbolum probavit Romana Ecclesia, Canones semper constantissimè refutavit. Etiam Capuana & prima Arelatensis nequaquam fuerunt ex orbe toto plenariæ: Hæc ex solo Romano Patriarchatu pro solis quæstionibus Africanis; Capuana est adeo obscura, ut ejus meminerint solus Sanctus Ambrosius, & quædam Synodi Cartha- Epist. 5. 9.
ginenses.

Pergunt Scholiastæ Lovanienses: *Rectè Franciscus Balduinus, & post eum Pamelius, non aliud quàm Nicænum id esse censuerunt*. Verùm & huic asserto obstant quædam Augustini loca. Dicit enim, in libris de Baptismo contra Donatistas, *Vigilantius etiam post istas* variarum Synodorum provincialium *disputationes tanti Sacra-* L. 3. c. 9.
menti saluberrimam observationem in Ecclesia Catholica non potuisse mutari, sed Conciliorum etiam majori robore confirmatam religiosissimè custodiri. L. 6. c. 7.
Et in alio ejusdem operis libro ait, *universæ Ecclesiæ consuetudinem etiam Conciliis universalibus roboratam*.

Quocirca omninò existimo illum loqui de Nicæna Synodo, attamen non de sola: loqui de Nicæna, Constantinopolitana, Arelatensi, & Capuana, ac per varias regiones aliis, quæ Stephani Pontificis decretum probarunt, receperunt, confirmarunt. Principaliter verò de Nicæna, quæ sola fuit totius orbis plenaria, cujusque Canones Sanctus Leo magnus scribit Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos. Nihilominus tres aliæ fuerunt universales. Eaque est causa, cur adductæ Synodi nec nomen nec locum Augustinus exprimat: Nempè non de una, nec uno unius Canone, sed de pluribus loquitur, pluribusque ejusdem Nicænæ Canonibus, utique octavo & hocce decimo nono.

Hic ergò noster Canon dispensatoriam antiqui rigoris gratiam Meletianis ac Novatianensibus factam, extendit & ampliat, resarciendæ unitatis studio, etiam ad Episcopos & Clericos Paulianistas. Revera ampliat. Etenim in illos omninò quadrat, quod ad Amphilochium Iconiensem Episcopum scribit Sanctus Basilius de Encratitis: *Ut indigni receptione judicarentur ab Ecclesia, conati sunt etiam proprio baptismate præoccupare*, ac sese à nobis longiùs alienare. Nullum Chri-

Christianitatis Sacramentum, nullum Divinæ benedictionis signaculum habuere ratum & validum, ideoque tamquam ex gentilibus Neophyti à superioribus Ecclesiæ gradibus merebantur arceri.

Isidori Mercatoris versio Paulianistis adjungit Cataphryges. At malè. Crediderim irrepsisse ex septimo Canone Constantinopolitano. Fallitur item Alexius Aristinus Paulianistas vocans Paulicianos. Duo enim fuere Pauli Samosatenses: alter Antiochenus Episcopus, discipulusque Artemonis, alter Manichæus, & hujus sequaces passim vocamus Paulicianos. Sub Constantino Copronymo per Thraciam grassatos scribit Theophanes, ac à Michaele Augusto eliminatos Historia miscella in ejus vita. *Divino zelo Imperator piissimus motus contra Manichæos, qui nunc Pauliciani dicuntur, capitalem animadversionem promulgavit.*

Ut autem Paulianistæ gratia Canonis frui possint, esse debent cætera irreprehensibiles, desuperque subire Episcopi ordinaturi examen. Est antiqua Ecclesiæ regula, de qua Tharasio, Patriarchæ Constantinopolitano, dicenti Episcopos & Clericos è quavis hæresi venientes fuisse ab omni semper Synodo susceptos in suo gradu, rectè reposuit septima Synodus: *Sic se veritas habet, nisi alia canonica causa subsit, quæ prohibeat.* Act. 1.

Eamdem gratiam Canon extendit ad Diaconissas, utpotè membrum cleri. At cur eas dicit *non habere manus impositionem, ideoque modis omnibus inter laicas deputari?* Hisce verbis quidam circumscribuntur ad negandam earum clericalem ordinationem. Respondeo esse exceptionem à gratia facta. Dionysii Exigui versio non plenè consonat textui Græco, cujus hic legitimus sensus: *Meminimus autem Diaconissarum, quæ in illo ordine & habitu deprehensæ sunt, ut cùm nullam manus impositionem habuerint, omninò inter laicas habeantur.* Hoc est, gratiam hanc facimus solis illis, quæ in Pauli parte manus impositionem reapsè acceperint; ad illam autem necdum acceptam dumtaxat electæ ac designatæ nullam hujus gratiæ partem habeant, utpotè etiam in illo schismate adhuc laicæ. Gratia item participari potest à solis illis, quas Episcopi catholici examen repererit dignas.

CANON XX.

QUoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes: ut omnia in diversis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere.

SCHOLION.

VArias orantium superstitiones suggillans Tertullianus in libro de oratione dicit: Cap. 12. *Item quòd adsignata oratione, assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem. Porrò cùm perindè faciant Nationes, adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur. Eò apponitur & irreverentiæ crimen, etiam ipsis Nationibus, si quid saperent, intelligendum: Siquidem irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem quàm maximè reverearis, & venereris, quantò magis sub conspectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adstante, factum istud irreligiosissimum est?* Agit adversùs morem sedendi in publico Ecclesiæ conventu, idque *adsignata*, seu finitâ *oratione*, id est, incruento nostro sacrificio, ad solemnes preces subsequi consuetas.

Porrò sigillaria sunt parvæ Deorum icunculæ, pueris dari consuetæ, uti etiam nos hodie illis damus sacras, aut profanas puppas. Hinc ille Epist. 12. pupulus apud Senecam: *Ego sum Fælicio, cui solebas sigillaria adferre.*

Notanda sunt & hæc verba: *Angelo orationis adhuc adstante.* Ostendunt antiquitatem fidei nostræ, qua nostro tremendo sacrificio, precibusque ritualibus ipsum ornantibus, credimus sanctos Angelos adesse, & ministrare.

Eundem sedendi morem damnat in Clericis divina psallentibus Synodus Aquis-granensis sub Ludovico Pio, scribitque ad Hugonem primum, Vesontionensium Metropolitam, Sanctus Petrus Damiani. *Unum torporis, & desidiæ signum in Ecclesia tua vidi. Plerique siquidem ibi Clericorum resident, dum vel Canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipsa missarum offeruntur terribilia Sacramenta. Cujus torporis ignaviam per Galliarum partes nonnullis inesse etiam monachis deprehendi: Quod profectò pravæ consuetudinis vitium constat penitùs eradendum.* Eleganter, & variè ostendit psallentes in Ecclesia Clericos debere stare. L. 1. c. 131. L. 5. Epist. 8.

Pergit & de Laicis: *Districtè prohibendum est, non modò Clericis, sed & Laicis utriusque sexus, ut nisi, sicut mos est, inter nocturni lectiones officii, aliàs dum Divinis hymnis insistitur, nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat.* Plurimùm laudat illos, & clericos, & laicos, qui nec podio, nec ulli alteri sustentaculo volunt stantes inniti. Abusus postmodùm denuò invaluit. Etenim clericis psallentibus, ut ad *Gloria Patri* surgant, & ad venerandum *Jesu* nomen caput inclinent, mandat Synodus Basileensis. Etiam Græcos psallentes passim sedere testatur Codinus Curopalates. Sess. 21.

Etiam ad popularem Episcopi, aut Presbyteri sermonem stetisse olim omnes, liquet ex Eusebio Cæsaræensi. Laudat enim Constantinum L. 3. c. 7. L. 4. c. 33.

Augu-

Augustum, quòd in populi turba stans audierit, *Regali in Solio, quod ibi sessionis causa positum erat*, nunquam, vel ab Episcopis rogatus, volens reclinari, rogantibusque Episcopis austerè respondens, *Nefas esse institutis de Deo disputationibus negligentes aures præbere*. Hujusmodi sessionem esse Ecclesiastico Canoni adversam, ideoque ex Indorum Ecclesia ab eorum Apostolo Theophylo eliminatam, testatur Nicephorus Calixtus.
Homil.26. Et apud Sanctum Augustinum extat integra homilia adversùm sedentes in Ecclesia, cujus auctor etiam ad concionem sedere permittit solos debiles, ac infirmos.

Fateor tamen ad certos sacrificii actus, stante populo, sedisse olim cum Presbyteris Episcopum. Etenim, uti Tertullianus in libro exhor-
Cap. 7. tatorio ad castitatem, una inter Ordinem, & Plebem differentia erat *consessus Ecclesiasticus*, seu *honor per* ordinis consessum sanctificatus à
Epist.73. Epist.55. Deo. Eodem modo Sanctus Cyprianus vocat *honorem Cathedræ Episcopalis*, Sanctusque Cornelius *Sacrum venerandumque Cleri consessum*, idque circum circa altare, quomodo etiam hodie in antiquis Ecclesiis sedet Clerus Romanus. Longa est hæc res, neque hujus loci.

Porrò privatas extra Ecclesiæ conventum orationes semper fecimus flexis genibus. Ita legimus orasse Paulum Apostolum, Jacobum, Ste-
Hieron. in catal. phanum, & quidem *in tantùm, ut camelorum duritiem traxisse Jacobi genua crederentur*. Etiam legio fulminatrix, uti ad Senatum scripsit Marcus Aurelius Antoninus, precatura *se humi abjecit*, additque Eusebius Cæsaræensis: *ut nobis, cùm oramus, in more est*. Quin immo *præceptas*
L.5.c.5. *in oratione geniculationes* affirmat Sanctus Hieronymus in commentariis Epistolæ ad Ephesios.
C. 3. Etiam *volutari* solitos orantes scribit in libris ad uxorem Tertullianus, additque in libro ad Scapulam: *Quando non geniculationibus, & orationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* Justinus
L.2.c.8. C. 4. F.70. Martyr in dialogo cum Tryphone eas preces asseverat Domino gratissimas, *quæ dimisso in terram vultu, flexisque genibus funduntur*.

Verùm aliter preces in publico Ecclesiæ conventu. Hinc apud eundem Justinum incognitus,
Q. 118. antiquus tamen quæstionum auctor quærit, quandoquidem geniculatio plùs quàm statio preces commendet, quare diebus dominicis ac per omnem Quinquagesimam genua non flectamus, & quis talem consuetudinem induxerit in Ecclesias? Respondet per omnem Quinquagesimam ac singularum hebdomadarum dominicas recoli Domini à mortuis, nostramque à peccato resurrectionem, reliquis sex diebus nostrum in primo parente lapsum, ideoque in his geniculandum, in istis standum, ut fidem nostram profiteamur etiam habitu corporis. Cœpisse morem ab ipsis Apostolorum temporibus addit ex Sancto Ire-
C. 3. næo. Esse longè antiquissimum affirmat & Tertullianus in libro de corona militis: *Die dominico nefas ducimus de geniculis adorare; eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus*.
C. 4. Eodem modo loquitur Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, & in præfatione primi libri commentariorum super Epistolam ad Ephesios,
C. 27. Sanctus Basilius in libro de Spiritu Sancto, Ambrosius, Hilarius, Epiphanius, Augustinus in Epistola ad Januarium, Maximus Taurinensis. Divinorum officiorum Rationale quasi ex Sancto Epist.1.19.
Gregorio addit: *Qui die dominico genua flectit, Deum negat resurrexisse*. Et Augustinus in jam C. 15. 17. L.6.c.28.
dicta Epistola: *Ut stantes in illis diebus oremus, utrum ubique servetur, ignoro*. Certum est ubique non servatum antè Nicænam Synodum: Hinc enim noster Canon.

Eum elucidat Trullana Synodus: *Quod post vespertinum Sacerdotum ad altare Sabbatho ingressum nemo genua flectat usque ad sequentem vesperum in die dominico, in qua post ingressum in completorio genua rursùs flectimus*. Quòd nempè à vespera in vesperam, more Judaico, Sabbatha nostra celebremus. Attamen nos Latini nec in dominicæ completorio geniculàmus. C. 90.

Quin immò quædam Ecclesiæ omni tempore oravere stantes. Africanam etiam Stationum, id est, solemnium jejuniorum diebus stetisse ad sacrificium, non obscurè innuit Tertullianus in libro de oratione. Sanctus Cyprianus in libro C. 14.
contra Demetrianum dat duas causas. Quòd ante sua idola genicularent Gentiles, à quorum ritibus fideles voluerunt esse remotissimi; & quòd homo à Deo creatus sit rectus, ac per Jesum Christum à peccati lapsu erectus: Resuscitatam mentem erecto corpore profitebantur. Et hinc forsan integri fideles passim, à Sancto Cypriano præsertim, dicti fuere Stantes; Pœnitentes autem Reconciliationis gratia donati, Consistentes. Geniculari enim esse Substratis, id est, à lapsu necdum erectis Pœnitentibus, proprium, ostendit Canon quartæ Synodi Carthaginensis: *Pœnitentes etiam remissionis*, utique Quinquagesimæ, C. 82.
ac dominicis, quibus alii stant, *diebus genua flectant*. Ex quo videtur, quòd & Augustinus in superiùs laudata Epistola insinuat, Afros tunc in solis Quinquagesima & dominicis ad orationem stetisse.

Eumdem semper standi morem tenuit Gallicana Ecclesia usque ad tempora Caroli Magni, qui servari voluit regulam superiùs adductam ex antiquo quæstionum auctore apud Justinum Martyrem. Disertè id mandat tertia Synodus Turonen- C. 37.
sis, idque ne fortè nobis, criminum indulgentiam à Domino poscentibus, dicatur, *Quid superbis terra & cinis?* Verùm ubique non obti- Epist. 2.7. C. 6.
nuit. Quasdam enim Ecclesias mansisse in priori C. 114.
consuetudine docent Epistolæ Hincmati Remensis Episcopi, nec non Capitularia Theodulfi Aurelianensis, & Herardi Turonensis. Eaque varietas tandem peperit contentiones, stantiumque, etiam ad Eucharistiæ consecrationem & elevationem, ac geniculantium factiones, quas usque ad tempora Henrici secundi Regis, standi morem, licèt multis visum intolerabilem, exstinguere non ausi, durasse in Ecclesia Lugdunensi, scribit in opere de Eucharistia Claudius Espen- L.2. c.16.
cæus: *Cujus equidem controversiæ quis exitus fuerit, haud certè scio, nisi quòd audio partes à Christianissimo Rege nostro Henrico secundo, ex consilio RR. Cardinalium Lotharingi & Tornonii, ad eum, in quo ante litem motam, statum reductas, & manere jussas*.

Eadem varietas dudum fuit apud Germanos. Etenim Everardi, Salisburgensis Archi-Episcopi, sub Martino quinto Synodus mandat, ut po-

populus ad Sacræ Hostiæ elevationem, ac publicam deportationem aut genua flectat, aut certè se reverenter inclinet. Eodem respicit Honorius tertius apud Gregorium nonum statuens: *Sacerdos doceat Plebem suam, ut cùm in celebratione Missarum elevatur Hostia salutaris, se reverenter inclinet, idem faciens, cùm eam Presbyter defert ad infirmum*. Et Clemens quintus Beggardis ac Begginis imponens hunc errorem: *Quòd in elevatione corporis Jesu Christi non debeat assurgi, & reverentia exhiberi*. Exstinctus jam pridem est ad Eucharistiæ elevationem standi mos, idque ex caussis fundatissimis.

L.3.tit.41. c.10.

L.2.tit.9. c.2.

Antiquum Romanæ Ecclesiæ morem aperit Alexander tertius apud Gregorium nonum. *Diebus dominicis, & aliis præcipuis festivitatibus, sive inter Pascha & Pentecosten, genuum flexio fieri nequaquam debet, nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto*. Hic namque noster Canon per solas dominicas & Quinquagesimam stari jussit, quoad dies alios permisit quamque Ecclesiam in suo sensu abundare.

DISSERTATIO
DE SYNODO NICÆNA.
CAPUT PRIMUM.
Synodi occasio fuit hæresis Ariana.

Post liberatam à Gentilium persecutionibus Ecclesiam, exstinctamque à Constantino Magno idololatriam mox erupit hæresis Ariana. Causam dat Sanctus Augustinus in libris de civitate Dei. *Videns diabolus templa dæmonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ*. Lucifer Calaritanus Episcopus, in libro de Regibus Apostaticis ad Constantium Augustum, electos dicit à Diabolo præsertim Arianos. Hi enim, ut in oratione Apologetica scribit Gregorius Nazianzenus, plures Deos reducunt & Idololatriam, jubentes, quam Dei filium fingunt, adorari creaturam. Nec enim refert, an manu, an intellectu effigietur idolum.

L.18.c.51.

Arius itaque, uti frequenter idem Nazianzenus, à furore nomen habuit. Qui enim Græcis Arius, nobis Latinis & Mars, dæmonium bellis, discordiis, furoribus, gentilium errore, præfectum. Alii in Libya, alii Alexandriæ natum adferunt; quidquid sit, fuit homo longus, subtristis, dolosus, benevolentiæ venator, zeli Christiani simulator, in Meletii Lycopolitani Episcopi schisma lapsus, à S. Petro Alexandriæ Patriarcha ad Ecclesiam reductus & Diaconus ordinatus, tandemque, quòd Meletianorum Baptisma damnari nollet, & ipse damnatus, idque secundùm præcedentes Prophetias. Etenim Sanctus Antonius, uti in ejus vita Sanctus Athanasius refert, vidit, tamquam Arianæ impietatis portentum, Dei altare à mulis fœdari & calcibus impeti; Sanctus autem Petrus Patriarcha Dominum Jesum veste discissa indutum & dicentem, *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit*, vetantemque ei reddi gradum & communionem. Quod ipsum sub tyranni gladio positus Petrus Achillæ & Alexandro Presbyteris, suis in Cathedra successoribus, seriò mandavit. At horum, quòd veniam Arius peteret, Achillas immemor Diaconatui Presbyteratum addidit, præfecitque curatæ Baucalidis in civitate Alexandrina Ecclesiæ: Addit Theodoretus ei creditam sacrarum litterarum interpretationem. Quibus ille non contentus, defuncto Achilla, etiam Episcopatum ambiit, invidit delatum Alexandro, atque ita, quòd mores non posset, ejus doctrinam culpare cœpit, & nova docere.

Zosom.l.1. c.14.

L.1.c.2.

Ejus errores enumerat Alexander in Epistola ad omnes sub cœlo orthodoxos. *Asserit tempus aliquando fuisse, cùm non esset filius Dei; posteà factum, cùm non exstiterit. Talem fuisse tum, cùm factus est, qualis quisque homo: Omnia enim Deum ex nihilo fecisse. Eum natura posse mutari, virtutis & vitii capacem esse. Esse in nostra potestate filios Dei fieri, non aliter atque ille factus est. Omni exuta in Deum pietate, & reverentia, ait Deum, cùm illum præscientia & præsensione prænovisset neutiquam ipsum adspernaturum, idcircò ex omnibus prælegisse: Non enim eum aut natura aut prærogativa quidquam præter cæteros filios habuisse, sed cùm esset natura mutabili, & propter singularem in vita & moribus ritè instituendis diligentiam ac studium non ad vitia deflecteret, Deum illum elegisse, adeò ut Paulum & Petrum, si in hoc & ipsi obnixè incubuissent, eodem modo futuros fuisse asserat filios Dei, quo ille fuit*. Quæ execrandæ blasphemiæ, ad quas in Nycæna Synodo aures meritò occluserunt multi Episcopi, etiam errorem Pelagianum involvunt, illaque divina scientia, veræ Theologiæ in multis necessaria, quam mediam hodie vocamus, pessimè abutuntur. Eas hausit Arius ex Luciano, Ecclesiæ Antiochenæ Presbytero, pertinacissimo asfecla Pauli Samosateni.

Septima Synodus Arianis imponit & duos alios errores. Primò, quòd sacras Christi Domini & Sanctorum imagines damnarint. Deinde, quòd *in Domino prædicent carnem sine anima, dicentes Divinitatem adimplesse animæ voluntates & motus, adeò ut & passionem Divinitati adscribant*.

Act.6.

F.629.

bant. Ex Origene id sumptum est, qui, uti in libris contra Ruffinum Sanctus Hieronymus, Deum Verbum, Spiritum sanctum, Angelos,
L.2. Dæmones, Animas nequaquam essentiali specie, sed solis voluntariis operum meritis differre insaniit, atque ita Deum Verbum esse id ipsum in Christo Domino, quod in nobis anima nostra. Addit Sanctus Augustinus in libro de hæresibus: *In eo, quòd Christum solam carnem sine anima suscepisse arbitrantur, minùs noti sunt, nec adversùs eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum*. Crediderim non Arii, sed Eusebii Cæsaræensis, insignis Origenistæ, fuisse posterius & clandestinum commentum. Ex hoc pessimo fonte postmodum prodierunt Apollinaristæ, Eutychiani, Monothelitæ.

Novas hasce prædicationes Alexandro Patriarchæ primus detulit Meletius, Lycopolitanus Episcopus, Ario ob nuperam à schismate defectionem offensus: Eaque est radix odiorum inter Arianos ac Meletianos. Hominem, utpotè doctum, Alexander præcipitare noluit, nimiæ idcircò cunctationis à quibusdam reprehensus: corripuit tamen, at nullo fructu: Ab ejus enim communione recessit, plurimosque abstraxit sermone blandus & potens Arius, quos inter fuere clerici varii, duo Episcopi, & septingentæ sacræ virgines: Nulla, uti ad Clesiphontem Sanctus Hieronymus, unquam hæresis sine cooperatione mulierum.

Errores suos Arius confirmavit edito libro, cui nomen Thaleja, id est, convivium seu crapula, non imitatus aliquem Apostolum aut Apostolicum Ecclesiæ virum, sed Sosatem Ægyptium, quem Sanctus Athanasius, in Epistola de Synodo Ariminensi & Seleuciensi, & in oratione secunda contra Arianos, ait etiam apud suos Ethnicos fuisse ridiculum. Erant
L.1.c.6. rythmi vulgares, *Sotadicis*, inquit Socrates, *cantilenis seu carminibus persimiles*, blasphemiis pleni, inter pocula & tripudia cantandi, atque ita circumscripturi infimam plebem. Eos Athanasius rectè vocat *Sotadici & crapularii Arii Bacchanalia*, Herodiadis choreas ductitantia, blasphemiisque lusitantia in Christum Dei Filium. Ita & miserandam Germaniæ plebem circumvenit Martinus Lutherus. Per omnes & civitates & pagos efferbuisse de Dei Filio lites & turbas contumeliosas, imperitamque plebem non tantummodò factorum spectatricem, sed & judicem fuisse scribit Theodoretus; Socrates Religionem Christianam ubique à gentilibus fuisse derisam, etiam in publicis theatris.

Etiam litteris per omnem Ecclesiam Arius divagatus est, attraxitque in partem suam quosdam Episcopos, præsertim Eusebium Nicomediensem, Bythiniæ Metropolitam, hominem natum ad factiones, Regio sanguine & Regiæ civitatis Episcopatu inflatum & potentem, suum olim Antiochiæ condiscipulum sub jam dicto Luciano Paulianista.

Quare tandem Alexander Patriarcha centum ferè Episcoporum Synodum coegit, damnavit dogma blasphemum, Arium gradu & communione movit, unaque Secundum Ptolomaidis Episcopum, & Theonam Marmaricensem, suæ diœceseos, ab Ario seductos, quosdamque suæ civitatis Clericos; Eusebium autem Nicomediensem, quem Ponticæ diœceseos judicare non poterat, in suis ad omnem sub cœlo Ecclesiam Synodalibus litteris insigniter & variè notavit. Quare contumeliam suam ratus ille fugientem ad se Arium suscepit, gradui & communioni synodaliter reddidit, atque ita Alexandrum de facta sibi & Ario injuria, ipsum Alexander de recepto alieno damnato, & violato Apostolico Canone traducere cœpit, dentatis in invicem litteris totum Romanum orbem arietantes.

Rebus componendis Hosium Cordubensem Episcopum, virum potentem opere & sermone, unaque Regias preces & jussiones miserunt in Ægyptum Sylvester Pontifex, & Constantinus Augustus: verùm adeò flagrabant omnia, ut Ariana Plebs etiam in Principis imagines insaniret.

CAPUT SECUNDUM.

Exponitur indictio Nicænæ Synodi.

GRavissimè hæc afflixerunt & Sylvestrum Pontificem, & Constantinum Augustum. Quare ille generalem Synodum, extremam desperati mali medelam, suasit Principi atque persuasit. Extrema veraciter medela, Generalem enim Synodum fieri non posse sine omnium Ecclesiarum turbatione scribit ad Sanctum Leonem Pontificem Sanctus Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, ideoque sine gravissima Epist. 9. necessitate non faciendam ad Theophylum Alexandrinum Sanctus Ambrosius, & ad Gratianum Augustum Synodus Aquilejensis. Per nimias à Constantino Augusto coactas Synodos & Romanam Rempublicam & Christianam Religionem subnervatam affirmat etiam homo gentilis Ammianus Marcellinus.

Constantinus igitur *semper Augustus*, adclamat ad Constantinum quartum sexta Synodus, *& Sylvester laudabilis magnam in Nicæa Synodum congregarunt*. Eam à Constantino ex Sacerdotum sen- L. 1. c. 1. tentia convocatam Ruffinus adfirmat: utique Ho- L. 1. c. 16. sii Cordubensis, uti apertè innuit Zozomenus, Alexandri Alexandrini, quem ea de re ad Principem scripsisse adserit Sanctus Epiphanius, ac præsertim Sylvestri Pontificis suasu. Erat enim Hæres. 68. tum Romæ Constantinus de Licinio victo & cæso triumphans. Rectè Capitulare Engilramni Metensis Episcopi affirmat congregandarum generalium Synodorum potestatem singulariter competere Sedi Apostolicæ ex jussione Domini, Sancti Petri meritis, & variis Canonibus. Ad Leonem Augustum in litteris post Synodum Chalcedonensem exstantibus scribit Synodus secundæ Mæsiæ, dictam Chalcedonensem Synodum *convenisse per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui ve-* Epist. 32. *rè caput est Episcoporum*. Et in præfatione octavæ Synodi Anastasius Bibliothecarius ad Adrianum secundum: *Sedes Apostolica, ut Synodus Chalcedonensis fieret, sola decrevit*. Eam à Theodosio Augusto, cujus importunis postulationibus secundam Ephesinam dederat, Flaviani Constan-

ſtantinopolitani & aliorum cum ipſo iſthic damnatorum Epiſcoporum appellationi permitti voluit ex Sardicenſi Canone S. Leo Pontifex, tandemque obedivit Marcianus Auguſtus. Epheſinam primam à Celeſtino Pontifice idem Theodoſius, ſextam generalem ab Agathone Conſtantinus quartus, ab Adriano primo ſeptimam Conſtantinus & Irene, ab Adriano ſecundo Baſilius Auguſtus impetravit octavam. Prima Conſtantinopolitana graviter periclitata eſt apud Damaſum Pontificem, nec niſi diſpenſatoriè quoad ſolam fidei definitionem confirmata, quòd ſine ejus juſſione conveniſſet. Quod vitium à Vigilio Pontifice diſpenſari debuit & in quinta. Quare rectè in Epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem Hincmarus Remenſis Epiſcopus ſcribit, generales Synodos faciendas *Apoſtolica juſſione & imperiali convocatione*, atque ita ſemper factum oſtendit in Proſphonetico ad Principem ſermone Synodus ſexta. Epiſt.35. c. 10.

Epiſt.61. Oppones, in generalium Synodorum ſingulis Actionibus ſemper repeti, *Conveniente ſancto & univerſali Concilio, quod per imperialem ſanctionem congregatum eſt*. Et Sanctus Leo magnus in Epiſtola ad Juvenalem Hieroſolymæ Epiſcopum fatetur Chalcedonenſem Synodum *ex præcepto Chriſtianorum Principum & conſenſu Apoſtolicæ Sedis fuiſſe congregatum*. Addit Socrates in præfatione quinti libri: *Paſſim in hiſtoria Imperatorum mentionem propterea fecimus, quòd ex illo tempore, quò Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu pendere viſa ſunt, atque adeò maxima Concilia de eorumdem ſententia & convocata fuerunt, & adhuc convocantur.*

Reſpondeo hæc non probari à Socrate, ſed querulosè referri. Eccleſia tunc, uti ſcribit Optatus Epiſcopus Milevitanus, erat in Imperio, non Imperium in Eccleſia, item ſine notando Imperii motu, evectionibus, impenſis non poterat fieri generalis Synodus, ideoque illi per ſacras juſſiones, dummodò Canonibus conformes, commiſceri Principem Eccleſia olim toleravit. Sacra porrò juſſio erat nomen re ſua majus. Landericus Pariſienſis Epiſcopus, in privilegio monaſterii Dionyſiani, rectè ait fuiſſe Regias preces, juxta antiquam paremiam, *Eſt orare Ducum ſpecies violenta jubendi*. Synodus Vernenſis eſſe dicit petitam & obtentam Regiam licentiam. Et hoc ſenſu generales Synodi ſe conveniſſe dicunt ex præcepto aut juſſione Principis, id eſt, licentia aut poſtulatione. Modicam rem alto nomine honorant ob reverentiam Regiæ Majeſtatis. Attamen ſacras generaliter juſſiones ſemper odit, & excutere geſtiit Eccleſia, quòd eſſent indigna ſervitus, precariumque & uſurpatum beneficium, cujus modum Principes frequenter excederent: excutere cœpit Gregorius ſecundus ob violentias Leonis Iſauri, tandemque plenè excuſſit Leo tertius, ſub earum ſtipulata renunciatione dans Carolo magno Imperium Occidentis. Et hinc in octava Synodo nullus imperialis ſanctionis aut convocationis meminit, niſi Elias Presbyter, Syncellus & Legatus Theodoſii Patriarchæ Hieroſolymitani: *Scitis, quia in præteritis temporibus, Imperatores erant, qui congregabant Synodos, quorum more & Dei cultor Imperator noſter univerſalem hanc Synodum fecit*. More Græco, Principi adulatur. Aliter loquuntur Romani Legati: *Piiſſimus & Chriſtianiſſimus Imperator, Prædeceſſorum ſuorum ſecutus exempla, tranſmiſit Legatos ſuos, nobiliſſimos viros, Romam*, utrique Synodum poſtulaturos. Græcos hanc imperialem uſurpationem reſuſcitare volentes nec audire Latini voluerunt in Synodo Florentina, uti in ejus hiſtoria refert Sylveſter Sguropulus. Omnia enim divina & humana, ut ſchiſma in Latinos firmarent, miſeri Græcorum Epiſcopi in Principem tranſcripſerunt.

C. 6. Act.8. f. 226. F. 229. L.10.c.2.

CAPUT TERTIUM.

Exponitur Synodi Nicænæ Præſidentia.

NIcænæ Synodo non adfuit Sylveſter Pontifex. Euſebius Cæſaræenſis in vita Conſtantini magni, Theodoretus, & Zozomenus dant cauſam, *quòd ingraveſcente ætate impediretur*. Longè aliam in Epheſino Latrocinio dedit Hilarius, Romanæ Eccleſiæ Diaconus & Legatus. *Glorioſiſſimi & Chriſtianiſſimi Imperatores, charitatem circa fidem Catholicam & affectum tenentes, beatiſſimum Epiſcopum noſtrum Leonem, Apoſtolicæ Sedis Præſulem, ut huic venerabili & ſancto Concilio adeſſet, dirigentes venerabiles Epiſtolas, ſupplicarunt: Cujus Pietati placere potuit, ſi in hac re teneretur aliqua ſimilitudo. Nam melius veſtra poteſt cognoſcere Sanctitas, quia neque in Nicæna, neque in Epheſina Synodo, neque in alio tali ſancto Concilio Papa perpetuæ ſanctæ Sedis adfuit. Pro qua re, hujus formæ ſequens conſuetudinem, nos direxit*. Invitanti & ſupplicanti Principi Pontifex reſpondit in hæc verba: *Ad diem Concilii Epiſcopalis occurrere me ratio nulla permittit, cùm nec alia ex hoc exempla præceſſerint, & temporalis neceſſitas me non patiatur deſerere civitatem*, timentem ab Hunnis ea ipſa, quæ nuper à Wandalis tolerarat. Et Marciano Auguſto ad Synodum Chalcedonenſem invitanti: *Nec neceſſitas temporis, nec ulla conſuetudo id poſſit permittere*. Conſuetudinis cauſam edicit Vigilius Pontifex, Epiſcopis Orientalibus ad quintam Synodum invitantibus, reſpondens *non ſe poſſe unà convenire, eò quòd plurimi quidem hìc ſint Orientales Epiſcopi, pauci verò cum eo* Occidentales. *Nec in ſanctis quatuor Synodis*, uti dixit Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, *multitudo Occidentalium Epiſcoporum inventa eſt unquam, ſed duo vel tres Epiſcopi & certi Clerici*. Contentioſis ergò paſſim intra Græciam Synodis noluit cum paucis ſuæ diœceſeos Epiſcopis adeſſe Romanus Pontifex, partim quòd Apoſtolicæ ſedis Majeſtati non congrueret, partim ob metum eorum, quæ in hac ipſa quinta Synodo Vigilius eſt paſſus. Hæ rationes moverunt & Sylveſtrum.

L.3.c.7. L.1.c.7. L.1.c.16. Conc. Chalced. Act.1. Epiſt 57. Act.2.

Neque verò ſolius honoris, ſed rigidiſſimi debiti cauſa Conſtantinus illum invitavit. Antiquus enim Eccleſiæ Canon vetat ſine Romano Epiſcopo fieri generalem Synodum, ut teſtantur Socrates, Hermias Zozomenus, & Nicephorus

L.2. c.8. 13. 22. L.3.c.9. L.6.c.23.

L. 9. c. 8. 10. rus Calixtus, ex eo capite damnantes Antiochenam Encæniorum, & Synodum Ariminensem. Neque tantùm adesse ille debet, sed & præsidere. Hinc Lucentius, Esculanus Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, in Synodo Chalcedonensi Dioscorum Episcopum Alexandrinum damnat, tamquam Canonum prævaricatorem, *Quia cùm personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Non Apostolicæ sedis, sed laico Theodosii Augusti, à Pansaphio Eunucho circumventi, Rescripto præsidentiam Ephesini latrocinii, exclusis Romanis Legatis, Dioscorus invaserat. Galla Placidia Augusta eidem Principi filio suo L. 1. Conc. Chalced. scribit Legatos hos *adesse consuetos secundùm definitiones Nicæni Concilii*, Epist. 26. Scholiastesque marginalis esse existimat quintum Canonem Sardicensem. Epist. 18. Rectiùs Sanctus Leo Pontifex in litteris ad Ephesinam Synodum dicit esse *Divinum institutum*, utique nobilem partem Romani Primatus. Ita servatum in Apostolorum Synodis, cunctisque semper generalibus, ideoque septima Synodus Act. 6. f. 870. eleganter vocat *Legem Conciliorum*. Rectè vocatur & Canon Nicænus: Quia est Canon Evangelicus & Apostolicus servatus à Nicæna Synodo, licetque non Canone, tamen opere confirmatus. Hunc respicit Valentinianus tertius, in litteris, ante Synodum Chalcedonensem exstantibus, ad Epist. 28. socerum Theodosium Augustum. *Debemus dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare, quatenus Beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitas* Epist. 28. *contulit, locum habeat ac facultatem de Fide & Sacerdotibus judicare.* Et Galla Placidia in litteris ad Pulcheriam Augustam: *Ad Apostolicæ sedis judicium, in qua primus Apostolorum Beatus Petrus Sacerdotii principatum tenuit, Episcopatus causa mittatur.* Agunt adversùs jam dictam Dioscori in Ephesino latrocinio præsidentiam, laica potestate invasam contra divinam Evangelii traditionem, rogantque restitui Sancti Petri successoribus.

Præsedit ergò Sylvester Pontifex per Legatos & Vicarios, Hosium Cordubensem Episcopum, ac Vitum & Vincentium, Romanæ Ecclesiæ Presbyteros. Photius Patriarcha Constantinopolitanus, in litteris ad Michaelem Bulgariæ Principem de septem Synodis œcumenicis, adfirmat præfuisse Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, & Sylvestrum ac Julium Romanos per jam dictos Presbyteros. Nilus, Rhodi Episcopus ac Insularum Metropolita, in enarratione Synoptica de sanctis & œcumenicis Synodis, præfuisse Sylvestrum Romanum, Alexandrum Constantinopolitanum, Alexandrum Alexandrinum, Eustatium Antiochenum, & Macarium Hierosolymitanum. Auctor incertus de sex Synodis œcumenicis præficit Sylvestrum Romanum & Cap. 34. Alexandrum Constātinopolitanum, incerti auctoris libellus Synodicus Vitum & Vincentium, Sylvestri & Julii Pontificum Legatos Presbyteros, Alexandrum Alexandrinum, Macarium Hierosolymitanum, Eustatium Antiochenum, Alexandrum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyterum, vice Episcopi sui Metrophanis, Hosium Cordubensem, & Constantinum inter Christianos Imperatores Apostolum.

Respondeo hæc omnia esse nugas aut schismatica commenta Græcorum. Quis enim nesciat, quo spiritu Photius Sylvestro Pontifici præponat Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum? An ille ut Episcopus, an ut Presbyter Synodo adfuerit, est incertum. Hermias Zozomenus in Episcopatu sedisse dicit annis viginti quinque, L. 3. c. 3. 2. defunctum Constantii tertio, secundo Consulatu Constantis, adeoque promotum ad sedem Gallicano & Basso Consulibus, anno Domini trecentesimo decimo septimo, octo annis ante Synodum, atque ita illi ut Episcopum adfuisse. At verò Gelasius Cyzicenus, L. 2. c. 8. 7. & Alphonsi Pisani acta Synodalia asseverant adfuisse ut Presbyterum L. 4. Metrophanis Episcopi Byzantini, non nisi post Synodum mortui: Hæc ut ejus præsentis adjutorem, ille ut absentis Vicarium. Quidquid sit, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus Patriarchatus tunc necdum seminati erant, eorum Episcopi istic non ut Præsides, sed fuere in turba ut suffraganei Metropolitarum Heracleensis & Cæsaræensis.

Eusebius Cæsaræensis, unus è Synodi Episcopis, L. 3. c. 7. eumque secuti Theodoretus ac Zozomenus L. 1. c. 7. ajunt præsedisse solos Vitum & Vincentium; L. 1. c. 16. at verò Socrates, Gelasius Cyzicenus, cujus fi- L. 2. c. 8. 12. dem Photius in Bibliotheca sequitur & probat, L. 88. nec non Hincmarus Remensis Episcopus disertè Hosium tamquam caput adjungunt. Erat Con- Epist. 33. stantino Augusto charissimus, ad componendas c. 20. Arii lites nuper Legatus, Romanarum rerum Ecclesiasticarum & civilium peritissimus, antè & post Arelatensis & Sardicensis Synodi cum Romanis Clericis Præses, ideoque aptissimus & ad hanc Synodum dirigendam. Hincmaro Nicænos Canones ab illo falsatos adserenti nemo antiquus adstipulatur: summa cum laude egisse Nicææ scribit Theodoretus. L. 1. c. 18.

Attamen & alii omnes Patriarchæ adfuerunt, & adesse debuerunt. Etenim Anastasius Bibliothecarius in præfatione septimæ Synodi refert in ipsa apud Constantinopolim cœpta fuisse *lecta Synodica conscripta, quæ perhibent non oportere aliquando Synodum universalem fieri præter consensum cæterorum sanctissimorum Patriarcharum.* Octavam Synodum in ejus præfatione dicit fuisse verè œcumenicam, seu universalem, quòd adfuerint omnes quinque Patriarchæ. Cujus defectu Constantinopolitanum Iconoclastarum conventiculum esse à generalis Synodi authoritate, & natura remotissimum, septima Synodus definivit. Basilius Augustus in octava Synodo graviter arguit Photium & Episcopos ejus, quòd *sine Patriarchiis thronis* sint ausi *facere inordinatas Synodos*, easque *vocare sanctas*. Act. 6. f. 231. Addit Synodis, quibus omnes Patriarchæ adsuere, neminem unquam ausum reluctari. Inter Romanum tamen, Act. 7. f. 238. & alios erat grande discrimen, de quo ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum scribit Cosmas Alexandrinus, & Theodorus Antiochenus: *Etiam in ipsa sacra & universali sexta Synodo nullum eorum, qui per id tempus in his partibus Episcopi erant, convenisse repertus est propter obscœnorum* Saracenorum *obtinentiam. Sed nullum ex hoc sanctæ Synodo adhæsit præjudicium, neque vires habuit prohibitio aliqua statuendi, & ma-*

manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præcipuè cùm sanctissimus & Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apocrisarios suos. Et in octava Synodo Bahanes, magnificentissimus Patricius, ad Theodorum Crithinum, Iconoclastam: *Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchiis, & definivit in Evangeliis suis, ut nunquam aliquando penitùs decidant, eò quòd capita Ecclesiæ sint: Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Hoc denunciat, quando duo ceciderint, currunt ad tria; quandò tria ceciderint, currunt ad duo; cùm verò quatuor fort è ceciderint, unum, quod permanet in capite omnium Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ*. Hocce unum, quod cadere non potest, quodque debet revocare reliqua, est thronus Romanus, cui dictum à Domino, *Non deficiet fides tua, confirma fratres tuos*. Romanus Patriarcha ex divino Jure est Synodi caput, sine quo fit acephalus conventus. Act. 8.

Nicææ ergò adfuerunt & alii Patriarchæ duo, & tres Autocephali Primates, ideoque fuit plenissimè Œcumenica seu universalis. Alexander Alexandrinus, cujus non Præsidentiam, sed diligentiam & labores prædicant in litteris ad Ecclesiam ejus ipsa hæc Synodus & Princeps Constantinus; Philogonius Antiochenus, cui apud Synodum defuncto suffectus est Eustatius, Berrhæa translatus, omnium Patrum testimonio laudatissimus, quem primum, utique labore & doctrina, fuisse in hac Synodo verè dicit Facundus Hermianensis. Adfuit & Leontius Cæsaræensis Cappadocum & Ponticorum, Menophantus Ephesinus Asiaticorum, & Phædrius aut Theodorus Heracleensis Thracum Primas; quisque cum numerosa suorum Episcoporum corona, quos, quidquid de ducentis & quinquaginta dicat Eusebius, certum est fuisse trecentos decem & octo. Rationem dat Sanctus Ambrosius in libris de fide: *Ut in numero eorum per signum suæ passionis & nominis Dominus Jesus suo se probaret adesse Concilio: Crux in trecentis, Jesu nomen in decem & octo est Sacerdotibus*. Alii Patres passim illos comparant trecentis decem & octo vernaculis, per quos Abraham victoriam fecit. Eos inter fuere viri, quidquid Sabinus Macedonianus garriat, doctissimi, sanctissimi, in nupera Diocletiani ac Maximiani persecutione variè membris mutilati, quorum cicatrices est Constantinus exosculatus, *pro certo persuasus*, inquit Theodoretus, *se benedictionem indè haustur um*. L. 11. c. 1. L. 3. c. 9. L. 1. c. 9. L. 1. c. 11.

Presbyteros, Diaconos, aliosque Clericos, Episcopis suis ministrantes, Eusebius fuisse dicit innumerabiles. Quos inter eminuit Athanasius, de quo Hermias Zozomenus: *Maximam partem Concilii sustinere visus est*. Socrates strenuè disputasse dicit contra Eusebium Nicomediensem, Theognidem Nicænum, Marim Episcopum Chalcedonensem, professos Arianos. Hinc totius factionis capitalia in ipsum odia. Disputavit privatim extra Synodi consessum. Etenim Dioscori Episcopi Alexandrini Clericis in Synodo Chalcedonensi loquentibus, intercessere Episcopi: *Clerici quare clamant? Synodus Episcoporum est, non Clericorum*. Longè minùs illi in Episcopos poterant disputare. Alexander ergo Alexandrinus Episcopus Athanasium *duxit secum, ut sibi*, communicatis studiis, *in disputando esset subsidio*. Addit Socrates adfuisse etiam eruditissimos laicos. Erat, uti in libro de jejunis loquitur Tertullianus, *repræsentatio totius nominis Christiani*. L. 1. c. 16. Act. 1. Socrat. L. 1. c. 11. L. 1. c. 8. C. 13.

CAPUT QUARTUM.

Nicænæ Synodi tempus, locus, nomen.

DE Synodi tempore summa est difficultas. Certum est fuisse inchoatam Paulino & Juliano Consulibus, qui fuit annus Christi trecentesimus vigesimus quintus, Constantini Principis vigesimus, Sylvestri Pontificis duodecimus, die decima nona mensis Junii. Disertè id tradidit Dionysius Exiguus in Epigraphe Canonum Nicænorum: *Canones trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, qui Nicææ convenerunt, Consulatu Paulini & Juliani Virorum Clarissimorum, anno ab Alexandro sexcentesimo sextò, decimo tertio Calendas Julii, qui est apud Græcos decimus nonus dies Desii, id est, Junii*. Et Chalcedonensis Synodi Actio secunda Nicæno Symbolo hæc præmittit: *Consulatu Paulini & Juliani Virorum Clarissimorum Consulum, anno post Alexandrum sexcentesimo trigesimo sexto, mensis secundùm Græcos Desii die nono decimo, quod est tertio decimo Calendarum Juliarum, in Nicæa Metropoli Bithyniæ, credimus in unum Deum Patrem omnipotentem*. Quæ temporis nota non ipsi Symbolo, sed cunctis generaliter Synodalibus actis fuit omninò apposita: fidei namque, quoniam sempiternæ & immobilis, Symbolo non posse apponi diem & Consulem, eamque esse solam Eusebianorum profanam temeritatem, docet Sanctus Athanasius in Epistola de Synodis Ariminensi & Seleuciensi; apponi autem oportere actis Synodalibus, docet Ecclesiarum praxis perpetua, Canon varius, & nupera lex Constantini. Factam Synodum ad Constantini vigesimum imperii annum asserit expressè Eusebius. Et Socrates: *Imperator festo, quod ob victoriam contra Licinium partam celebrabat, peracto, Nicæam concessit*. Licinii autem cædes omninò contigit anno vigesimo. Hinc intellige alium Eusebii locum: Nicænæ Synodi *actis ad exitum perductis, secundam istam victoriam Imperator se contra hostem Ecclesiæ consecutum affirmavit, & propterea festum triumphale ad Dei honorem illustrandum egit. Eodem tempore vigesimus ejus regni annus completus est*. Prima contra Licinium, secunda victoria, idque eodem anno vigesimo, fuit contra Arium. Et Zozomenus: *His rebus à Concilio ad hunc modum decretis, accidit, ut dies festus jam anno vigesimo imperii Constantini vertente ageretur. Erat autem Romanis in more positum, ut decimo quoque anno Imperii cujusque Imperatoris diem festum celeberrimo hominum conventu agitarent*. Errat, aut mendosus est Socrates dicens factam Synodum undecimo Calendas Junii, nec non apud Symeonem Metaphrastem ac Aloysium Lipomannum Auctor incognitus dicens cœpisse quinta decima die Aprilis. L. 4. c. 47. L. 1. c. 5. L. 3. c. 14. L. 1. c. 24. L. 1. c. 9. Tom. 6.

Longè aliter Gelasius Cyzicenus: *Agebatur autem* L. 2. c. 5.

tem annus regni Constantini sextus decimus, & sextus
L.88. *prætereà mensis, cùm hæc ab illo pro Ecclesiæ pace, summa cura, agebantur.* Addit ex ipso Photius in Bibliotheca, *durasse actiones Synodi ad usque annum Principis primum est vigesimum cum semestri, ut nimirum sex ipsos annos Patres consederint.*

Jam adductus Auctor incognitus tribus cum medio annis vult Patres consedisse: *Cœpit quinto decimo Aprilis, finita est autem Synodus cùm triennium rursùs pervenisset ad Aprilem, & excurrisset usque ad Septembrem: Sic enim sapiens adnotavit*
L.8.c.26. *Alexander, qui scripsit acta Synodi.* Et sapiens ille Alexander est ignotus. Adstipulatur Nicephorus Calixtus, & Cassiodorus in chronico, dicens Paulini & Juliani Consulatum, quo inchoata Synodus, fuisse Constantino annum imperii decimum septimum, atque ita illam, quam non nisi vicennalibus finitam constat, durasse tribus annis.

Non omninò malè Auctor ille incognitus durasse dicit usque ad Septembrem. Lucidiùs edicit antiqua Cresconiana collectio, laudata per D. Cardinalem Baronium: *Factum est Concilium apud*
A.325. *Nicæam Bithiniæ metropolim à die decima tertia Calendas Julias, quod tenuit usque ad octavam Calendas Septembris, Paulino & Juliano Consulibus, qui est apud Græcos decimo nono mensis eorum Desii, Alexandri anno sexcentesimo trigesimo sexto.* Ita omnino juvandus textus mendosus. Et alia manu: *Atticus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus dixit, Edidi Canones Sanctorum Patrum olagrapha manu mea subscriptos, Amen.* Dominus Cardinalis hæc à Cresconio desumpta existimat ex rescripro Attici ad Aurelium Carthaginensem & ejus Synodum, cum Romana Ecclesia de appellationibus contendentem, mittentis postulatos Canones Nicænos.

An ita per omnia sit, non desunt rationes dubitandi. Quidquid sit, assentior Domino Cardinali, credoque Synodum non durasse nisi à decima nona Junii usque ad vigesimam quintam Augusti. Quod ipsum & in brevibus suis fastis, & in fastorum Romanorum commentariis asserit Onuphrius Panvinus, sacræ & profanæ antiquitatis longè peritissimus. Etenim Eusebius, Socrates, Zozomenus adfirmant Constantinum semper adfuisse Synodo: Socrates addit inchoatam post victum & cæsum Licinium, quod omninò factum anno vicennali; Zozomenus eodem absolutam; Eusebius factam anno vigesimo, quomodo trigesimo Hierosolymitana, quam certum eo anno cœptam & finitam. Quisquis authenticus scriptor Nicænæ Synodi Consules exprimit, exprimit solos Paulinum & Julianum, quòd nempe illa alios non viderit. Quis credat Constantinum, tanti imperii Rectorem, integro triennio cum Episcopis hæsisse? Sardicense, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense Concilia paucis mensibus fuere peracta, adeoque & Nicænum.

Rectè addit Dominus Cardinalis Cassiodorum in re manifesta hallucinari. Constantini regnum, quod certum est sub Consulatu Constantii & Maximini sexto, quo Pater ejus Constantius obiit, cœpisse, inchoat tribus annis post, à Consulatu Diocletiani decimo & septimo Maximiani, atque ita ejus Vicennalia non Paulini & Juliani, sed Januarii & Justi Consulatui cogitur adscribere. Eodem modo lapsum existimo Gelasium Cyzicenum, adscribentem Paulini & Juliani Consulatui annum Constantini decimum sextum & medium. Non sine causa hodierni ejus Codices nihil habent de sex annis, quos habuit Codex Photianus. Ex omnibus erasum autumo ut paradoxum.

Opponi possit auctoritas Hermiæ Zozomeni, affirmantis Synodum non sub Sylvestro, sed sub L.1.c.16.
Julio celebratam. *Julius*, inquit, *Episcopus Romanus, ætate ingravescente præpeditus, abfuit, sed Vitus & Vincentius, ejusdem Ecclesiæ Presbyteri, pro illo adfuere.* Quod ipsum affirmat Nicephorus Calixtus. Photius ac Auctoris incerti libellus Synodicus, in locis suprà adductis, durasse ajunt & sub Sylvestro, & sub Julio, quorum amborum dicti Presbyteri fuerint Legati. Nec sine fundamento. Etenim in Epistola ad Eusebianæ factionis Synodum Antiochenam ita Julius Pontifex: *Nostri Presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderant, de Marcelli recta fide contestabantur.*

Respondet eleganter Hincmarus Remensis in Epist.33.
litteris ad Hincmarum Episcopum Laudunensem. c.20. *Refutanda est falsa opinio, de quorumdam scriptis exorta, quòd Nicænum Concilium tempore Julii fuerit celebratum, cùm constet eandem Sacram Synodum fuisse habitam anno post Alexandrum sexcentesimo trigesimo sexto, sub Constantino Imperatore, die mensis secundùm Græcos Desii decimo octavo, quod est decimo Calendarum Juliarum, Consulatu Paulini & Juliani, tempore Sylvestri Papæ, sicut veridicæ Chronicæ & Ecclesiasticæ historiæ produnt.* Diei numerus est vitiatus: Legendum, decimo nono Desii, decimo tertio Calendarum Juliarum. Alioquin nec ipse sibi cohæret. Porrò Julius Pontifex nequaquam vult Vitum & Vincentium fuisse suos Legatos ad Nicænam Synodum; eos dicit adhuc vivere, fuisse in Synodo, & de recta Marcelli Ancyrani Episcopi fide perhibere testimonium. Ex non recto verborum intellectu lapsi sunt Photius, Nicephorus, Zozomenus, invicem non concordes.

Synodi locus fuit Nicæa, Bithyniæ Metropolis. Causam dat Eusebius in vita Constan- L.3.c.6.
tini Augusti: *Civitas Bithyniæ, quæ Nicæa,* L.4.c.47.
ἀπὸ τῆς νίκης, *id est, à victoria nomen traxit, Concilio celebrando admodum idonea, designata fuit.* Expugnandus illic erat Arius, Mars inferni. Ejusdem nominis urbem habent Gallia, Thracia, & India, ideoque hæc nostra Bithyniæ dicitur, olim dicta Antigonia à conditore Antigono, Philippi filio, postmodum à Lysimacho ad uxoris nomen Nicæa. Actiones Synodales
non in Ecclesia, sed in amplissima Palatii aula L.3.c.10.
factas testantur Eusebius, Theodoretus, & L.1.c.7.
Zozomenus. Quibus & quantis miraculis Deus L.1.c.18.
Synodum ornarit, refert Gregorius Presbyter in oratione de Patribus Nicænis apud Symeonem Metaphrasten.

Quæstio est, quomodo Nicæa dicatur Bithyniæ Metropolis. Etenim Eunomio Nicomediensi Episcopo, & Anastasio Nicæno de jure metropolitico per Bithyniam litigantibus, Chal- Act.13.
cedonensis Synodus omnem potestatem adscripsit Nicomediensi, Nicæno vacuum Matropolitæ nomen, id est, eam ferè dignitatem, quam apud

apud nos Latinos Provincialibus Episcopis dat gratia Pallii. Et Nicomediam esse Bithyniæ metropolim disertè in vita Constantini Eusebius, esse verò Nicæam asserit Ammianus Marcellinus. (L.4.c.49.)

Respondeo hæc facilè conciliari. Nicæa enim fuit vera & unica Bithyniæ metropolis, quousque, quod in Gallienis Trebellius Pollio, & dictus Ammianus scribunt, Nicomedes Bithyniæ Rex ex Astaco fecit de nomine suo Nicomediam, regiamque civitatem, etiam à Diocletiano, Maximino, Licinio, Constantino, Romanis Augustis, inhabitatam & ornatam. Exinde Nicæa veritatem Metropoleos amisit, retinuitque solùm antiquæ dignitatis nomen. Quæ omnia liquent ex Rescripto Valentis Augusti, probato per laudatam Actionem Synodi Chalcedonensis, quæ ad Marciani Augusti preces addidit Chalcedonem; atque ita Bithynia habere cœpit tres Metropoles, unam potestate, duas solo nomine. (L.26.c.2.) (L.22.c.2.) (Act.6.)

Proprium, inquit de octava Synodo in ejus præfatione Anastasius Bibliothecarius, *nomen hujus ritè quærimus Synodi. Nam si hydræ, & hippocentaurorum, qui non sunt, utique nomina dicuntur, quantò congruentiùs hujus Synodi nomen sciri debet, quæ utique est, ne videlicet nomine carens comparetur rebus in maris profundo positis, quæ quidem sunt, sed quia ad notitiam hominum non pervenerunt, hactenus nomine carent.* Hanc ergò Sacrosanctam Synodum passim dicimus *magnam Nicænam*.

CAPUT QUINTUM.

Exponuntur acta Synodi circa Arium.

Etiamnum suo tempore superfuisse Episcopos Nicænæ Synodi, & acta integra, testatur Sanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Gelasius Cyzicenus hæc in præfatione: *Omnia, quæ in præclara illa & sancta Synodo facta, dicta, & constituta fuerant, jam pridem, cùm in paterna domo adhuc vitam degerem, legi, cùm illa invenissem in antiquissimo libro, in membranis planè integris descripta, qui fuit divini & celebris Dalmatii, in illustri Cyzicenorum Metropoli Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ Archi-Episcopi, quique tandem ad familiæ nostræ Dominum devenit, Patrem dico meum secundùm carnem, dignum habitum, qui in ordinem Presbyterorum ejusdem Ecclesiæ coaptaretur.* Ex hoc libro, quòd omnia non posset, ait se plura desumpsisse. Et Isidorus Mercator in sua præfatione: *Nobis quidam è consortio fratrum nostrorum Orientales testati sunt, se vidisse Concilium Nicænum, habens potiorem, quàm quatuor Evangeliorum, magnitudinem, continens in se sessiones Episcoporum, & introductiones, judiciaque querimoniarum, atque definitiones & constitutiones, nec non & subscriptiones eorum, ad cujus similitudinem magnum Chalcedonense Concilium conscriptum esse confirmarunt.* Franciscus Turrianus acta integra exstare dicit in Ecclesia Alexandrina, alii apud Arabes. Verius est periisse aut latere, ideoque cum Gelasio Cyziceno cogimur ea ex Ruffino, Eusebio, aliisque antiquis & probatis Scriptoribus minutatim venari.

In primo igitur congressu & Eusebiani, & Orthodoxi exarsere in priores discordias, datis in invicem libellis Principem onerantes, *quos ille*, inquit ex Eusebio Socrates, *comburi jussit*, privatas offensiones deponi suadens ex mandato Evangelico, agique turbati dogmatis negotium, cujus causa erant adunati. *Istæ*, inquit, *criminationes tempus sibi præstitutum habent, diem magni judicii, judicemque Deum; mihi fas non est de Sacerdotibus judicare.* Duriora respondit appellantibus ad se Episcopis Donatistis, asseverans ab Ecclesia provocari ad Principem esse refugium à cœlestibus ad terrena, confessionem omnium criminum, rabiem diabolicam. *Adulatio*, scribit ad Valentinianum secundum Sanctus Ambrosius, *ita nos incurvare non debet, ut Sacerdotalis juris immemores demus alteri, quod nobis donavit Deus: Dei lex & perpetua consuetudo habet, ut in religionis causa, non Imperatores de Episcopis, sed Episcopi judicent de Imperatoribus Christianis.* Indignus est Episcopus, qui jus suum laicis substernit, æternaque laude dignum Valentiniani senioris verbum: *Non est meum inter Episcopos judicare.* (L.1.c.5.) (Zozom. l.1.c.16.) (Epist.13.)

Exustis itaque libellis *diem* Constantinus *præstituit, ad quem de rebus fidei decideretur.* Hinc nata regula, ex qua Theodosius Augustus, tamquam executor Canonum, scribit Synodo Ephesinæ, ut ante omnia plenissimè de fide definiat, *nullamque omninò aut Ecclesiasticam, aut aliam quamcumque controversiam, undecumque natam vel motam, quæ ad propositam sancti dogmatis considerationem non pertineat, antè moveri, quàm fidei negotium exactissimè finiatur.* Quin nec in publico Ephesiorum judicio anteà tractari voluit ullam quæstionem, seu pecuniariam, seu criminalem. Quem ordinem servari voluit & ab Ephesina Synodo secunda, exequens Apostolicum mandatum S. Leonis Pontificis, jubentis priùs damnari errorem, deindè agitari personam, crimina, damnationem, restitutionem Eutychetis. Scio in Synodo Chalcedonensi Legatos Apostolicos cœpisse ab accusatione & damnatione Dioscori: verùm de partium consensu, & ad Dioscori postulationem. Hinc postmodum provocantem ad Canonem, *Supplico in primis, quæ de fide sunt, examinari*, repulerunt gloriosissimi Judices: *Interim adversùs accusationem convenit te respondere, ergò sustine actorum fieri lectionem, quod ipse postulasti.* Seleuciensis Synodus, quòd binæ sacræ Constantii Principis jussiones invicem pugnarent, divisa est in factiones duas, unaque à fide, altera ab Episcoporum causis criminalibus inchoari voluit, & addit Zozomenus: *Eorum vicit sententia, qui voluerunt primùm de fide quæri*, idque secundùm Canones, à quibus sacra jussio, utpotè mera executrix, non poterat discordare. (Zozom. l.1.c.6.) (Act. 1.) (L.4.c.21.)

Episcopi, inquit idem Zozomenus, *in unum convenientes accersunt Arium, & opinionibus ejus in medio positis inter se disserere cœperunt.* Et infrà: *A Sacerdotibus de fide disceptari cœptum est*, idque *Ario in medium adducto*. Factas collationes & disputationes varias, Ariumque sæpiùs auditum (L.1.c.18.) (C. 19.)

L.1.c.11. tum & discussum adfirmat Gelasius Cyzicenus. L.3.c.7. Lecta est, uti in libris de fide adserit S. Ambrosius, & Eusebii Nicomediensis Epistola, nec non & Arii Thaleja, ad quarum blasphemias Episcopi multi aures occlusere.

L.1.c.16. De disputantibus Episcopis denuò Zozomenus: *Alii nihil novi contra fidem, ab initio temporis Apostolorum traditam, moliendum censuerunt; alii affirmarunt opiniones veterum, nullo judicio* L.1.c.4. *exploratas, neutiquam sequendas*. Etiam Alexander Alexandrinus, apud Theodoretum in litteris ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, arguit Arianos, quòd ex antiquis Patribus neminem sibi comparari paterentur, nullum Ecclesiæ Episcopum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censerent; sed se solos sapientes, sibique solis patefacta mysteria. Ita Nestorius, teste Socrate, *linguæ volubilitate &* L.7.c.32. *elegantia se efferens insolenter veteres neglexit, & seipsum omnibus antecellere existimavit*. Euty- Concil. Chalc. Act.1. ches in Constantinopolitana Sancti Flaviani Synodo *solas se Scripturas scrutari asseruit, tamquam firmiores Sanctorum Patrum expositionibus*. Etiam Iconoclastæ *spreverunt magisteria sanctorum Patrum, perhibentes, quòd nisi de veteri & novo testamento evidenter fuerimus edocti, non sequemur doctrinas sanctorum Patrum*, ideoque illis anathema inlisit septima Synodus. Inquietum enim & impudentem hæreticæ superbiæ spiritum fore parentibus inobedientem prædixit per Apostolum ipse Spiritus sanctus.

Ad Synodum venerant etiam gentiles Philosophi, Religioni Christianæ, ob Deorum cultum à Constantino proscriptum, infensissimi: Pre- L.2.c.12. tio in nos disputaturos ab Ario conductos ad Synodum, testatur Gelasius Cyzicenus. Nempè hæreticorum non tantùm Patriarchæ, sed & sub- Zozom. L.1.c.17. Orat. 2. sidiarii milites semper Philosophi. Eorum sapientiam nostri Idiotæ evacuarunt. Hinc ergò tandem, inquit Sanctus Athanasius, *Arii error pro hæresi exstinctus* & damnatus est, & quidem ut plus mali habens, quàm reliquæ hæreses. A variis Episcopis conceptæ sunt variæ fidei formulæ. Per Eusebium Nicomediensem, Eusebium Cæsaræensem, Theodorum Heracleensem, Marim Chalcedonensem, Theodotum Laodicensem, Paulinum Tyrium, Athanasium Anazarbi, Gregorium Berytensem, Ætium Liddensem, Menophantum Ephesinum, Patrophylum Schytopolitanum, Theognidem Nicænum, Narcissum Neroniadis seu Irenopolitanum, Theonam Marmaricensem, & Secundum Ptolomaidis, Arianis pessimis, pro- Theodor. L.1.c.7. lata, *tamquam adulterina & commentitia ab omnibus proclamata est, & illicò discerpta*; tandemque omnium suffragio probatum nostrum Symbolum, suprà à nobis expositum, cujus auctor incertus: Alii Hosium existimant, alii Alexandrum Alexandrinum. Ei omnes, etiam dicti Ariani, excepti Theona Marmaricensi & Secundo Ptolomensi, at ex metu Principis, subscripserunt. Ad ignes damnata est & Arii Thaleja, & omnis scripta lues talium blasphemiarum.

Orat.2. Hinc itum ad personas. *Arium*, inquit Athanasius, *ista loquentem Synodus ejecit ab Ecclesia,* L.1.c.5. *& anathemate execrata est*. Addit Socrates: *Concilium non solùm Ario, & omnibus ejus opinionis fautoribus anathema denunciavit, verùm etiam vetuit, ne Alexandriam ipse Arius omninò adventaret*. Eadem sententia percussi Theonas Marmaricensis Episcopus & Secundus Ptolomensis, specialiter ab Ario seducti, ideoque Symbolo nolentes subscribere. Additi Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicænus, quidem Symbolum, ast Arii damnationem neutiquam admittentes, dicentesque Synodum falli in persona, quæ errores ab Alexandro Patriarcha affictos nunquam docuisset. Eorum in sedes mox Amphion & Chrestus fuere ordinati. Petrus, Sancti Athanasii in sedem Alexandrinam successor, apud Theodoretum in litteris ad omnes Episcopos orthodoxos, addit & Euzojum, Diaconum Alexandrinum, posteà Episcopum Antiochenum. Certè L.4.c.20. Arii partes semper secutus fuit, damnatusque cum illo à Patriarcha Alexandro. Ipsum Arium, & Achillam Lectorem fuisse mali auctores scribit Sanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos.

Verùm Eusebius & Theognis, recuperandi Episcopatus cupidine, pœnituerunt, Synodo dederunt pœnitentiæ libellos, atque ita in gradum & sedem redierunt, Amphione & Chresto amotis. Quod ipsum de Euzojo Diacono, Achilla Lectore, & Ario Presbytero, capite & causa omnium malorum, testatur Sanctus Hieronymus in dicto dialogo: liquere adseverat ex integris ac publicis actis Synodalibus. Liquet item ex jam dictis Eusebii & Theognidis libellis, quorum hic tenor: *Quoniam Reverentiæ vestræ visum est, illum, qui rerum istarum reus agitur, humanitùs excipere, & ad vos accersere, est planè à ratione alienum, ut cùm is, qui crimine tenetur implicatus, accersitus sit, illisque, quæ objiciuntur, responderit, nos reticendo nosmetipsos culpæ convincere videamur*. Ex quibus verbis accersitum Arium jam damnatum, ac invitatum ad pœnitentiam adfirmat Socrates; egisse pœnitentiam, L.1.c.5. recepisse Symbolum, ac ita rediisse in gradum Sanctus Hieronymus, ejus post Synodum cum Athanasio & Alexandro Constantinopolitano de communione lites referens in illius relapsum. Et quidem Athanasius ejus potiùs reditum ad urbem Alexandrinam, quàm communionem videtur aversatus. Nempè Synodus illi communionem & gradum reddiderat ea lege, ut nunquam rediret Alexandriam, novorum forsan illic motuum causa seu occasio futurus. Eodem modo Euzojus tractatus, ut docent ejus post Synodum communia cum Ario acta.

CAPUT SEXTUM.

Acta Synodi de festo Paschatis.

Alias quasvis Ecclesiarum lites voluit item Synodus exstinguere. Præsertim de Paschali festo, quod alteram Synodi causam fuisse testantur Eusebius, Socrates, Zozomenus, ac Sanctus Athanasius in Epistola de Synodo Ariminensi & Seleuciensi. *Nicæna*, inquit, *Synodus non temerè*

temerè habita est, ut quæ habeat gravissimos usus, & legitimam rationem. Syri enim, Cilices, Mesopotamiani in festi causa claudicabant, atque unà cum Judæis Pascha celebrabant, quarta decima luna mensis Martii, in quemvis diem incidisset. Etiam Asiatica omnis & Pontica Diœcesis, nec non Hierosolymitana Ecclesia olim claudicavere, uti ad Sanctum Cyprianum scribit Sanctus Firmilianus, Ponticorum Primas. Dico, *olim*. Quod enim victor Pontifex rationibus atque Ecclesiasticis minis non potuit, dies tandem extorsit, teste
L.4.c.39. Nicephoro Calixto, idque ante Nicænam Synodum, uti apud Eusebium ad omnes Ecclesias
L.3.c.18. scribit Constantinus Augustus. Hinc Sanctus Athanasius Synodi tempore claudicasse dicit solos Syros, Mesopotamos, & Cilices, quos tamen, quòd utique divisi essent, Constantinus adfirmat non claudicasse.

Rectè verò Firmilianus varietatem hanc non ad dogma, sed ad disciplinam spectare ait, pessimè verò addit Romanam, cui omnis & propria & Ægyptiaca diœcesis semper adhæsit, Ecclesiam hac in re discrepare à traditione Apostolorum. Etenim quomodo Asiatici & Pontici Joannis Apostoli, ita Romani sequi se credebant Petri & Pauli institutum. Turbato oculo loquitur Firmilianus, ob quæstiones de Hæreti-
L.8.c.21. corum baptismate per Romanam Ecclesiam privatus communione. Pejùs Socrates: *Neque Apostoli, neque Evangelia ipsa jugum servitutis omninò imponunt, sed festum Paschatis, aliaque festa libero æquoque judicio eorum, qui illis diebus beneficia acceperant, recolenda reliquerunt. Apostolis potissimùm propositum fuit, non ut leges de festis diebus sancirent, sed ut rectæ vivendi rationis & pietatis nobis auctores essent*. Paschale festum dicit institutum ab Episcopis; hinc natam diversitatem. Fratribus suis, nostris Lutheranis & Calvinistis, animos addit ad festa, tamquam Mosaicæ servitutis jugum & humana commenta, exsufflanda. Imperitissimè. Neque enim tantummodò Firmilianus & Polycrates Ephesius cum suis Synodis, sed & Constantinus Augustus in litteris, quibus Nicænum de Paschate decretum executus est, quasque haud dubiè ipsa Synodus composuit, disertè dicit Paschale festum esse mandatum Apostolicum. Ea est fides Romanæ & omnis orthodoxæ Ecclesiæ, neque caret firmissimis testibus. Æquè exorbitat Zozomenus festi hujus celebrandi varietatem esse
L.7.c.19. quid frivolum. Eam certè fuisse alteram Synodi causam jam audivimus à Sancto Athanasio. Licèt namque ejus causa altaris communionem & Christianitatis contesserationem non ruperint Ecclesiæ, grandi tamen animorum discordia agebant festum, unamque eodem tempore jejunare & flere, aliam prandere & exultare, & potiùs impiis Judæis, quàm suis in Christo fratri-
Euseb l.3. c.5. 17. busadsociari, erat *morbus gravissimus*, & confusio indecora.

Et hanc igitur Synodus exstinxit, statuens Pascha ubique fieri in die dominica, prima post quartam decimam lunam mensis primi, de quo videndus Sanctus Ambrosius in Epistola ad Æmiliæ Episcopos, & quædam Epistolæ Sancti
L.5.c.21. Leonis. Falsissima sunt hæc Socratis verba: *Neque illud verum est, quod nonnullis frequens in ore est, Concilium Constantini temporibus habitum morem hujus festi celebrandi penitus pervertisse. Nam Constantinus ipse eos, qui de hoc festo ab aliis dissentiebant, per Epistolam hortabatur, ut cùm pauciores essent, eorum consuetudinem imitarentur, qui erant numero plures*. Homo Novatianensis pro errore suo fallitur & fallit. Inverecundè imponit Constantino, disertè adfirmanti decretum hoc tamquam *Dei donum, & mandatum reverà cœlitùs demissum, amplexandum ab omnibus; esse sententiam decretam, quam omnes approbare* & secundùm ipsam Ecclesias suas *disponere debeant: Nam quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id universum Divinæ voluntati debet attribui*.

Temporum injuria, amissum est Synodi decretum, restat tamen Synodalis ad Ecclesiam Alexandrinam Epistola, adseverans *controversiam de festo sacratissimo susceptam esse prudenter & commodè sedatam, ita ut omnes fratres, qui Orientem incolunt, & Judæorum consuetudinem antè imitabantur, jam Romanos & Ægyptios, qui rectam viam à primis temporibus tenuere, consentientibus animis jam sedulò sint secuturi*. Etiam Novatianensium Primas Acesius probavit & admisit Decretum, Constantino Augusto, ejus de illo mentem expostulanti, respondens apud Socra-
tem: *Nihil novi Concilium decrevit, nam antiquitùs à primis Ecclesiæ jactis fundamentis, & ab Apostolorum temporibus idem tempus festi celebrandi observatum accepi*. L.1.c.7. Novatianus enim Romanæ Ecclesiæ, à qua exivit, morem semper retinuit, & ad suos propagavit. Soli Montanistæ manserunt pertinaces, quos insanus Paracletus docuit, non ad Lunæ, sed ad Solis cursum dirigere Pascha, commento peregrino, videndo apud Zozomenum. Duravit pax usque ad Novatia-
nensium Gazensem in Phrygia Synodum, à qua L.7.c.18. restitutus mos Judaicus, natumque postea aliud fœdius schisma Sabbathianum: Tunc enim non de die tantùm, sed & de mense litigare cœperunt; aliis solo die Dominico, aliis solo Sabbatho, aliis Pascha facientibus Luna quarta decima mensis primi, qui propriè dicti sunt Quartodecimani. Quin & Scoti dudum erravere à Romana Ecclesia, cujus mali veram & primam originem ignoro.

Addit Sanctus Ambrosius in Epistola ad Æmiliæ Episcopos, exstante post libellum de mysterio Paschæ: *Majores nostri, convenientes ad Synodum Nicænam, etiam super celebritate Paschali, congregatis calculandi peritissimis, decem & novem annorum collegere rationem, & quasi quemdam constituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur*. Est hoc Sancti Hyppoliti, nescio cujus civitatis Episcopi, sedecim annorum circulum ordinantis, saluberrimum inventum, quem postmodùm Eusebius Cæsaræensis, Theophylus Alexandrinus, Prosper, Victorius Aquitanus, Dionysius Exiguus sunt imitati, conflantes circulos annorum longè plurium, quorum quidam vitiosi. Etiam Divinæ Majestati singularem fuisse curam hujus festi, ostendunt varia Baptismalium fontium miracula, relata à Sancto Gregorio Turonensi, & Sancto Pascha-
sino, Lilybeti Episcopo, in Epistola ad San- L.5.c.17. L.6.c.43.
ctum Pontificem Leonem. L.10.c.23.

A ve-

A vetustis Quarto-Decimanis cultum non fuisse diem Dominicum quidam existimant, ideoque cultum illum præceptum à nostra Synodo. At errant. Eum enim esse Apostolicum Canonem fatentur omnes. Pascha Quarto-Decimanis erat Dominicæ Passionis & mortis festivitas, distincta à Dominicæ Resurrectionis festivitate, observata semper in die Dominico, quas etiam à Montanistis fuisse distinctas testatur Zozomenus.

L.7.c.18.

CAPUT SEPTIMUM.

Acta Synodi de Meletianis, Novatianensibus, Paulianistis, Origenistis.

DEcidit etiam Synodus suprà expositam causam Meletii Episcopi Lycopolitani, Episcoporum item & Clericorum ab ipso ordinatorum. Meletius quippè, teste Zozomeno, cùm Sanctus Petrus Patriarcha, *Persecutionis causa fugam cœpisset*, quasvis Ministrorum ordinationes invasit. Meletianos Synodus Alexandrina vocat *Schismaticos*, *& Ecclesiæ hostes*, & quidem *vetustos, jam olim à temporibus Beati Petri, cui insidias posuerunt; & Achillæ ejus successoris, quem calumniati sunt; & Alexandri, quem usque ad tribunalia Cæsaris sunt calumniis persecuti*. Eos decem & novem annis fuisse Arianis priores, testatur in secunda contra hos oratione Sanctus Athanasius. Licèt verò Meletius Arium primus accusasset, ideoque, quomodò Pilatus & Herodes, inimici essent ad invicem, odio tamen Sancti Athanasii in unam posteà, non quidem errorem, sed factionem coierunt, cujus dissipandæ ergò indignis & nequam hominibus gratiam despensatoriam Synodus fecit.

L.1.c.23.

Meletio, ordinatisque ab illo Episcopis, relicta est sola Episcopalis nominis sine sede & potestate dignitas, jussis Alexandro Patriarchæ & ejus Episcopis subesse, nullamque facere Episcopi aut Clerici electionem seu manus impositionem. Permissi sunt redire ad sedem & potestatem, dummodò rursùm juxta Canones electi à clero & populo, ac à Patriarcha confirmati: Excepto tamen Meletio, tacere jusso in civitate Lycopolitana, nusquam progredi, nulli misceri Ecclesiastico negotio, ne homo temerarius & audax eandem rursùs perturbationem posset inferre Ecclesiæ. Presbyteri & Clerici alii permissi sunt manere in clero, & gradu accepto, omnibus tamen ad eundem ab Alexandro aut alio Catholico Episcopo ordinatis posteriores.

Addit Sanctus Athanasius in secunda Apologia: *Beatus Alexander, suspectans Meletii calliditatem, postulavit ab eo Breviarium eorum Episcoporum, quos in Ægypto habere se dicebat, unà cum Presbyteris & Diaconis, sive Alexandrinis, sive ruralibus. Hoc autem ideò Alexander fecit, ne Meletius per Ecclesiam securitati restitutus titulos plurimos venderet, & mendacio quotidie novos, tamquam à se creatos, subjiceret*. Continebat Breviarium Episcopos viginti octo, Presbyteros quatuor, Diaconos tres, atque ex illo Ischyram calumniatorem, qui se Meletii Presbyterum jactabat, mendacii convincit Athanasius, & pergit: *Hos etiam*, Episcopos & Clericos Breviario inscriptos, *præsentes Episcopo Alexandro tradidit*, ne alius pro alio supponi postmodùm posset. Verùm Synodi gratia Meletium ac ejus asseclas pejores fecit, ut docet eventus secutus.

Tractata item est Paulianistarum & Novatianensium causa, sortitaque finem supra relatum. Evocatum ad Synodum à Constantino Augusto, benigneque habitum Primatem suum Episcopum Acesium gloriantur Novatianenses Socrates & Zozomenus, fassi tamen non admissum ad Episcopale suffragium, ejusque de Pœnitentia errorem irrisum. Eos, quòd Synodi de fide & Paschate decretum probarent, Romanæ leges dudum non sunt cum aliis hæreticis persecutæ. L.1.c.9. L.1.c.21.

Etiam de Clericorum cœlibatu disputatum fuisse, ac latinæ Ecclesiæ conatum impeditum intercessione Paphnutii Episcopi, dixi superiùs, latiusque dicam loco opportuno. Ignoti auctoris apud Christophorum Justellum liber Synodicus hæc addit: *Sacros etiam libros & apocryphos Nicæna Synodus hoc modo manifestos fecit. In domo Dei, inferiore loco juxta Divinam mensam omnibus collocatis, Dominum invocans oravit, ut qui divinitus inspirati essent, superiùs; qui autem adulterini, inferiùs, quod & factum, invenirentur*. Fabula est, inferiùs convincenda. C. 34.

Non item plenè recipiendum, quod in septima sessione Synodi Florentinæ dixit Andreas Rhodiorum Metropolita latinus: *Ante primam Synodum multæ aliæ Synodi celebratæ sunt; Antiochiæ adversùs Paulum Samosatensem; Ancyræ contra eos, qui non suscipiebant ad fidem accedentes, quòd priùs Christum abnegassent propter tormenta; & Neo-Cæsaræa tertia: Quas omnes Synodos recepit Synodus Nicæna, licèt quædam à Neo-Cæsaræensi sancita visa fuerint minimè suscipienda, quæ scilicet de septem Diaconis statuta erant*. Recepta est Antiochena Synodus in ipso Nicæno Symbolo, damnante, uti suprà ostensum, etiam Paulum Samosatensem; Ancyrana à Canone undecimo, duodecimo, ac decimo tertio, lapsos recipientibus, præsertim in extremis, ad communionem. Ubi Nicæna Synodus Neo-Cæsaræensem receperit, ignoro, credoque falli Rhodium. Fallitur & de Ancyrana: Nec enim tantùm à fide, sed & à communione lapsos illa excludi vetuit.

At quid de Origene? Antiqua Origenistarum vox est, *Quomodo damnabimus, quem Synodus Nicæna non tetigit? Quæ damnavit Arium, damnasset utique & Origenem, si illius dogmata reprobasset*. Ad quam rectè Sanctus Hieronymus: *Scilicet uno medicamine omnes simul morbos debere curari. Et idcircò Spiritus sancti neganda Majestas est, quia in illa Synodo super substantia ejus silentium fuit? De Ario tunc, non de Origene quæstio fuit; de Filio, non de Spiritu sancto. Confessi sunt, quod negabatur; tacuerunt, de quo nemo quærebat. Quamquam latenter Origenem, fontem Arii, percusserunt: Damnantes enim eos, qui Filium negant de Patris esse substantia, illum pariter* Epist. 65. c. 1.

Arium-

Ariumque damnarunt. Alioquin hoc argumento nec Valentinus, nec Marcion, nec Cata-Phryges, nec Manichæus damnari debent, quia Nicæna Synodus eos non nominat, quos certè ante Synodum fuisse non dubium est.

Restat quæstio, an glorificationis hymnus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, sit à nostra Synodo institutus. Affirmant aliqui ex Zozomeno, adserente Ecclesiam Antiochenam sub Leontio Episcopo fuisse divisam; alios in divinis laudibus cantasse, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*, alios, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, idque conformiter ad Synodum Nicænam.

Respondeo hymnum esse longè vetustiorem. De illo specialem librum, cui titulus de Spiritu sancto, scribit Sanctus Basilius, dicitque esse consuetudinem vetustissimam, antiquitate, ceu quadam canitie venerandam. Clemens Romanus, Dionysius Alexandrinus, Irenæus Lugdu-
C. 29. nensis Episcopus esse *formam & regulam à Majoribus acceptam*. Ejusdem meminerunt Origenes, Julius Africanus, Firmilianus Cæsaræensis, Gregorius Thaumaturgus, quorum verba & loca Basilius producit, concludens esse *vocem gratam, amicam sanctis, à prima Evangelii adnunciatione usque ad præsens in Ecclesiis usitatam*. Esse ab
C. 25. Apostolis non scripto, sed verbo traditam disciplinam. Ejus auctoritate, tamquam vetustissima ac irrefragabili, secunda Synodus, idque intra
[illegible] ipsum Symbolum, confirmavit Divinitatem Spiritus sancti: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*. Zozomenus aliud non vult, quàm priorem difformem, posteriorem glorificandi modum esse conformem fidei Nicænæ.

Aliqui tamen hocce additamentum, *Sicut erat in principio &c.* existimant esse recens, aut à Nicæna Synodo, aut à Damaso Pontifice adjectum contra Arianos, blasphemantes de filio, *Erat, quando non erat*. Favet quintus Canon Concilii Vasensis: *Quia non solùm in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blaphemant, in omnibus clausulis post Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen*, dicitur; *etiam & nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus*. Adjectum à Damaso Pontifice affirmat ejus vita ex Romanis Canonicorum Sancti Petri archivis descripta per Abbatem Constantinum Cajetanum, publicata per Marcum Milesium.

Respondeo tamen etiam ipsum esse vetustissimum. Eo usos Clementem Romanum, Dionysium Alexandrinum, Irenæum Lugdunensem, ac Julium Africanum scribit in jam laudato
C. 23. libro Sanctus Basilius: ut ritum ab omni Ecclesia usitatum prædicat in libro de specta-
C. 25. culis Tertullianus. Nec Vasensis Synodus aut dicta Damasi Pontificis vita adversantur. Edicunt, non tunc inductum additamentum, sed Psalmodiæ adjici cœptum per varias Ecclesias, de quo & variis aliis ad hymnum hunc spectantibus alibi ex occasione.

CAPUT OCTAVUM.

De numero & auctoritate Canonum Nicænorum.

NOvissima Synodi sessio, teste Theodoreto, Canones edidit, atque hinc nata generalium Synodorum consuetudo primò moti dogmatis quæstiones, deinde civiles & criminales per- L. 1. c. 8.
sonarum causas decidendi, tandemque condendi morum Canones. Porrò de Nicænorum Canonum numero est quæstio antiquissima, mota primùm ab Aurelio Carthaginensi Episcopo ac Synodo ejus, ex occasione Canonis Sardicensis, quem in Apiarii Presbyteri Siccensis causa missum Zozimus Pontifex scripserat Nicænum. Viginti solos Afri norant, ac in Archivis habebant, quos secum ex Synodo detulerat, ac per omnem Africam publicarat Cæcilianus Carthaginensis Episcopus, uti asserit sexta Synodus Carthaginensis. In litteris ad Celestinum Pontificem addit Aurelius lectos à se plures, Latinos ac Græcos Canonum codices, ac in omnibus repertos solos viginti Nicænos. Etiam Zozimus, Bonifacius, Celestinus Pontifices, ab Afris rogati instantissimè, alios proferre non potuerunt. Hinc missa legatio ad archiva Ecclesiæ Alexandrinæ, Antiochenæ, atque Constantinopolitanæ: Sanctusque Cyrillus Alexandrinus, ac Atticus Constantinopolitanus Episcopus solos viginti miserunt.

Eadem de re cum Nepote Hincmaro, Laudunensi Episcopo, disceptavit Hincmarus Remensium Metropolita. Etenim Laudunensis sustinebat Romanorum Pontificum antiquas Epistolas, ab Isidoro Mercatore nobis delatas, ac à Riculfo Moguntino Episcopo sparsas per omnem Franciam, quas inter Marci Pontificis ad Sanctum Athanasium, ac hujus ad illum epistolam affirmant fuisse Canones octuaginta. At Epistolas illas tamquam suppositias, jam docti passim rejiciunt, ideoque cum Hincmaro assevero fuisse Canones solos viginti. Hoc ille probat ex Canonum Codice, quem passim dicimus Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, usitato à Græca Ecclesia, lecto in Synodo Chalcedonensi. Actio undecima finit causam Stephani ac Bassiani, contendentium de Episcopatu Ephesino; & quoniam Stephanus ad Canones provocarat, gloriosissimi judices jussere legi: Leontius Magnesianus Episcopus ex jam dicto Codice legit Canonem nonagesimum quintum ac nonagesimum sextum, id est, decimum sextum ac decimum septimum Antiochenum, qui istius numeri locum obtinere non poterant, si plures Nicæni fuissent, quàm viginti. Typis Parisinis Epist. 33.
jam vulgatus est Codex, in quo vides Hincma- c. 24. 20.
rum rectè ratiocinari, atque addere: *Veterum* 21.
auctoritas veraci attestatione confirmat, non plura fuisse Nicæni Concilii capitula, quàm illa, quæ ex antiqua consuetudine Catholica tenet & veneratur Ecclesia. Prodit & radicem opinionis, asserentis Canones plures, fuisse Hosium Cordubensem Episcopum, Apostolicæ Sedis in Synodo

Legatum, qui ex legibus Romanis, ac jam dictis Romanorum Pontificum antiquis Epistolis varia capitula collegerit, detuleritque ad Synodum, & licèt hæc probarit sola viginti, plura ille hinc inde vulgarit. Hanc opinionem dicit apud majores fuisse non incertam. Cujus rei fides sit penes Hincmarum. C. 20. Quidquid sit, ex dictis epistolis, utpote longè post natis, nequeunt capitula fuisse collecta.

Adstipulantur nobis etiam Scriptores Hincmaro antiquiores. Socrates simpliciter dicit Nicææ L.1.c.5. conditos Canones. Zozomenus eos dicit à se non adduci, quòd exstent apud plures, & à quovis facilè possint haberi. At verò Ruffinus L.1.c.22. ait fuisse solos viginti duos, id est, nostros viginti: Epist. 33. c.21. Duos enim, quod & Hincmarus advertit, bipartitur. Eos variè partiri est antiquum: In Synodo Chalcedonensi etiam Paschasinus, Act.16. Lilybetanus Episcopus, ac Romanæ Sedis Legatus, sextum ac septimum jungit in unum. Alexius Aristinus facit viginti quatuor, Symeon L.1.c.8. Logotheta viginti & unum. Rectissimè Theodoretus: *Episcopi rursus in Concilium convenientes* L.2.c.31. *de administratione Ecclesiastica Canones viginti conscripserunt*. Quod ipsum dicit Gelasius Cyzicenus.

Solvenda restant argumenta Sancti Isidori, Hispalensis Episcopi, ac Domini Cardinalis Cæsaris Baronii, affirmantium fuisse Canones plures. Sanctus Isidorus adducit tres, quos putat non esse è nostris viginti. Primus est, qui unamquamque Diœcesin mandat regi à suo Patriarcha, aut Primate: Eum esse Nicænum disertè dicit secundus Constantinopolitanus. Secundus est de omnibus Laicorum, Clericorum, Episcoporum causis terminandis à Provinciæ Synodo, majorumque causarum fine referendo ad Sedem Apostolicam, quem esse Nicænum scribit Sanctus Innocentius primus ad Victricium Episcopum Rothomagensem. Tertius est de ritu & computu Paschali, circuloque decemnovali, quem Nicænum esse scribit Sanctus Ambrosius in litteris ad Episcopos per Æmiliam constitutos.

Etiam Cardinalis Baronius adducit varios. Primus est ille, qui librorum Canonicorum cathalogum texit, de quo Sanctus Hieronymus in prologo ad librum Judith: *Hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse*. Alter est Canon de irregularitate Bigamorum, de quo Sanctus Ambrosius in Epistola ad Ecclesiam Vercellensem: *Patres in Concilio Nicæno tractatus addiderunt, neque clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit*. Tertius est Canon de Romanis appellationibus, de quo Julius Pontifex in Epistola ad Synodum Antiochenam factionis Eusebianæ: *Hujusmodi* Romæ appellandæ *consuetudo olim fuit, ejusque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo*, utique Nicæna. Quartus est Canon de sacrificiis post prandium non celebrandis, de quo Synodus Carthaginensis: *de fide Nicæni tractatus audivimus; verùm & de sacrificiis inbibendis post prandium, & tunc, & nunc confirmatum est*. Hæc verba *Nunc, & tunc* sunt idem, quòd *Et à Nicæna Synodo, & à nostra*. Quartus est de modo scribendæ Epistolæ formatæ ad numeros litterarum Græcarum, quem esse Nicænum testatur Atticus, Constantinopolitanus Episcopus, Dist. 73. c. 1. 2. in litteris exstantibus apud Gratianum. Quintus denique est Canon firmans Romanas Evocationes, quem Nicænum esse scribit Theodoretus, de Julio Pontifice appellantem Athanasium, ac ejus adversarios judices ad suum tribunal evocante dicens: *Secutus est Ecclesiæ Canonem*. L.1.c.4.

Nec desunt argumenta alia. Etenim secunda Synodus Arelatensis confirmat Canonem magnæ Synodi, qui falsos fratrum accusatores usque ad exitum suspendit à communione. Magna Synodus est Synodus Nicæna: Ille est ejus familiaris titulus. Innocentius primus ad Synodum Toletanam scribit eos, qui post baptisma militarint, Epist. 23. causas egerint, coronati fuerint, sacerdotium sustinuerint, editiones publicas celebrarint, itemque omnes curiales, ex Nicæni Concilii decreto esse irregulares. Theodosium Augustum, ut Flaviani Constantinopolitani Episcopi, à Latrocinio Ephesino damnati, appellationem Romæ retractari sinat, urget Sanctus Leo magnus, idque ex Canone Nicæno, quem hodie non habemus. Theodosius, Ecclesiæ Alexan- Epist.24. drinæ Diaconus, in Synodo Chalcedonensi Dioscorum Episcopum suum accusat de prævarica- Act.3. tione variorum Nicænorum Canonum, præsertim quòd in Leonem Papam ausus sit latrare excommunicationem. Galla Placidia Augusta in litteris ad Theodosium Augustum, exstantibus in prima parte Concilii Chalcedonensis, dicit Sedis Apostolicæ Legatos adesse debere Synodis generalibus, idque ex Canone Nicæno. Nico- Epist.42. laus primus in litteris ad Episcopos Gallicanos asserit Episcoporum causas esse de Ecclesiæ majoribus, ideoque sine prævia ad Sedem Apostolicam relatione deponi non posse Episcopum à Provinciæ Synodo, atque ita statui à Synodo Nicæna. Synodus Narbonensis sub Richaredo Rege ait conciliabula, conjurationes, quemvis superiorum contemptum à Sinodo Nicæna damnari. Qui omnes Canones non sunt inter nostros viginti.

Similiter Sanctus Gregorius, Turonensis Episcopus, adducit Canonem Nicænum, dicentem L.9.c.33. anathema mulieri, intrandæ religionis prætextu, relinquenti virum. Caroli magni capitulare Aquisgranense apud Jacobum Sirmondum adfert Canonem Nicænum, præcipientem sacerdoti, ut celebrans communionem non omittat. Synodalis Epistola secundæ Synodi Duziacensis adfert Canonem prohibentem consanguineorum nuptias usque ad septimum gradum. Sanctus Petrus Damiani in Epistola ad Capellanos Godefridi Ducis Lotharingiæ profert Canonem, qui solis Lectoribus nuptias permittit. Ejusmodi plures adducit in decreto suo Gratianus.

Enodandis hisce objectionibus figi oportet duo fundamenta. Primum est Hincmari Remensis Epist. 33. c.51. Episcopi: *Nicænum Concilium more suo plures causas uno capitulo comprehendit*. Ex quo ille infert Xenia, quibus Clericos & Laicos avari Episcopi gravant, damnari Canone decimo septimo, utpote qui principaliter damnet solas clericorum usuras, at simul etiam quævis eorundem turpia lucra. Aliud principium est Gelasii Cyziceni, testantis à se visum, lectum, redactum in compen-

pendium, grande, quasi mare, de Nicænæ Synodi actis volumen, à Dalmatio Metropolita Cyziceno olim conscriptum, continens grandes Sanctorum Episcoporum contra Arium disputationes, & *omnem omninò tractationem illic habitam de Apostolicis Ecclesiæ constitutionibus*. Discussi fuere omnes Apostolici, omnes anteriores Ecclesiæ Canones, variè de illis dictum à variis, ac in scriptum redacti soli viginti. Sancti Paphnutii, Ægyptii Episcopi, de clericorum cœlibatu disputationem memorant etiam Socrates, ac Zozomenus. Istud credo esse volumen, quod quatuor Evangelii majus vidit, ac legit Isidorus Mercator. Præfat.

Hinc objectus nobis Sanctus Ambrosius exponit seipsum. Dicit, non Canone, sed Nicæno Patrum tractatu stabilitam bigamorum irregularitatem, utique Patrum disputantium de clericorum cœlibatu, ubi non misceri non potuit mentio bigamorum. Similis disputatio libro Judith usa est tamquam Canonico, ac de illa loquitur Sanctus Hieronymus: Conatur librum hunc stabilire ex Nicæna Synodo, quomodo nos hodie Epistolam ad Hebræos, olim etiam dubiam, stabilimus ex Synodo Ephesina, in Canonem recipientem duodecim famosa Sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi contra Nestorium Hæresiarcham capitula, quorum decimum ex dicta Epistola, tamquam authentica Scriptura, assumit testimonum. Quòd namque Nicæna Synodus librum Judith in Canonem non receperit, nec de ipso Canonem condiderit, profitetur ipse Hieronymus in Epistola ad Chromatium & Heliodorum Episcopos: *Judith librum legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit*. Et in Epistola ad Furiam: *Legimus in Judith, si tamen placet volumen recipere*. Etiam Laodicena Synodus non recepit; primus recepit, sacrorumque librorum pro universa Ecclesia Canonem condidit Innocentius Pontifex in litteris ad Sanctum Exuperium Episcopum Tholosatem. Alium, quasi à Nicæna Synodo conditum, Canonem ignoravit Nicolaus primus in litteris ad Episcopos Gallicanos. Epist. 118. Epist. 6. C. 60. Epist. 3. c. 7. Epist. 42.

Sancti Isidori argumenta sunt facilia. Primus ab illo adductus Canon est manifestè sextus Nicænus è nostris viginti; tertius non est Canon, id est, *lex Ecclesiasticæ administrationis*, sed fidei proximum synodale decretum, uti liquet ex Eusebio in vita Constantini, & ex synodali Epistola ad Ecclesiam Alexandrinam; secundus, quod rectè Hincmarus advertit, est quartus Sardicensis, quem Sanctus Innocentius, more semper usitato, vocat Nicænum. Eum ipsum ut Nicænum protulit Sanctus Leo magnus Theodosio Augusto, uti patet ex ejus Epistola, inserta in primam partem Synodi Chalcedonensis, apud editionem Vaticanam generalium Conciliorum. Eumdem Nicænum vocat Nicolaus primus in Epistola ad Episcopos Gallicanos. A Theodosio Alexandriæ Diacono adductus etiam est Sardicensis, attamen non Canon, sed principale Synodi decretum, damnans Eusebianæ factionis inauditam huc usque impietatem ac facinus, ausæ in Julium Pontificem vomere excommunicationem. Eodem decreto, uti liquet ex tertia Epistola synodali, damnata sunt ejusdem factionis *conflata cum interminationibus fœdera*, de quibus Synodus Narbonensis. Nihilominus rectè Auxilius, in opere de ordinationibus Formosi Papæ, & marginalis ad trigesimum quartum Canonem Trullanum annotatio, primam conjurationum canonicam damnationem adscribunt Concilio Chalcedonensi. Quò etiam respexisse creditur Vigilius Pontifex, in damnatione Diaconorum suorum Rustici & Sebastiani, laudans Canonem, tamquam omnibus notum, qui clericis, ignorante Episcopo, interdicit conjurationes. Eas enim proprio Canone prima insecuta est Synodus Chalcedonensis. Easdem, teste Zozomeno, damnavit etiam Seleuciensis: Nullius auctoritatis, quoniam Ariana. L. 1. Epist. 19. L. 2. c. 11.

Julius Pontifex pro Romanis Appellationibus nullum Canonem, sed antiquam Ecclesiæ consuetudinem citat, ipso opere probatam à Nicæna Synodo, permittente Alexandri Alexandrini Episcopi in Arium, & complices Patriarchalem Synodalem sententiam coram Legatis Apostolicis retractari. Hanc consuetudinem dicens scripto proditam Nicææ, respicit tractatus Synodales memoratos à Gelasio Cyziceno. Hanc ipsam consuetudinem, agens de Romana Evocatione, Theodoretus vocat *Ecclesiæ Canonem*: Canonem Apostolicum, legem divinam. Romanæ enim Sedis privilegia Petrus Apostolus ab ipso Deo-Homine accepit. Quare hæc omnia stabilita dici possunt etiam sexto Nicæno Canone: *Suis Privilegia serventur Ecclesiis*. Similis est Canon, ex quo Galla Placidia ait Synodum generalem fieri non posse sine Legatis Apostolicis. Carthaginensis Synodi de sacrificiis postmeridianis statutum nequaquam Nicænam respicit, sed aliam priorem Carthaginensem. Sic secunda Arelatensis respicit ejusdem loci primam, meritò dictam magnam, utpotè totius Occidentis Patriarchalem, damnantemque Donatistas, fratrum de traditionis delicto falsos calumniatores. Gregorius Turonensis hallucinatur: Canon ille est Synodi Gangrensis contra Eustathii Sebastensis Episcopi errorem. A Sancto Petro Damiani adductus est ex vulgaribus Apostolicis. De Formatarum modo Canon sumptus est ex Gratiano, nimiùm facili in Apocrypha. Ab Innocentio primo ad Synodum Toletanam scriptus est omninò Nicænus, partim decimus, partim duodecimus, ut dixi suprà. L. 2. c. 5. 13. L. 1. c. 7. L. 8. c. 9.

Alium adhuc, qui videtur non esse è nostris viginti, adducit Sanctus Cyrillus, Alexandrinus Episcopus, in litteris ad Atticum Constantinopolitanum, quarum partem libris suis inseruit Facundus Hermianensis, integras verò refert Nicephorus Calixtus. Atticum Cyrillus graviter arguit, quòd Joannis Chrysostomi, synodaliter de Episcopatu inter laicos abjecti, nomen sacris Ecclesiæ tabulis inscripsisset, idque in Episcoporum ordine: Esse id dicit contra Canones Nicænos. Respondeo esse quintum è nostris, vetantem, ne quis Episcopus recipiat, aut restituat damnatum alienum, sive vivum, sive mortuum. Porrò exauctoratum Episcopum post mortem inscribere ejusmodi tabulis, est illum restituere, adeoque si legitima fuisset Joannis damnatio, legitima fuisset etiam Cyrilli querela. Concludo igitur nullum ex antiquis Ecclesiæ L. 4. c. 1. L. 14. c. 17.

sia Patribus aut monumentis adduci posse Nicænum Canonem, qui non sit è nostris viginti.

Horum verò summa semper fuit in omni Ecclesia auctoritas. Eos Sanctus Leo in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum esse dicit: *Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos*. In Epistola ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum: Esse *decreta universalis Ecclesiæ pacem servantia*. In Epistola ad Pulcheriam Augustam, esse *statuta spiritualibus fundata decretis*, quibus nihil possit addi, *ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat*; & quibus servatis, futura sit *per universas Ecclesias tranquilla* inter Episcopos *pax, & firma concordia, nullæ de* Ecclesiarum *mensuris dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de privilegiis ambiguitates, nulla de aliena usurpatione certamina*. In alia ad dictum Anatolium Epistola: Esse *per Spiritum verè sanctum ordinatam conditionem, in nulla unquam parte solubilem; tantoque divinitùs privilegio consecratam, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica Judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum*: Esse *leges usque in mundi finem mansuras*. In Epistola ad Juvenalem Hierosolymæ Episcopum: Esse *Sanctorum Patrum statuta, inviolabilibus fixa decretis, Patribus divinitùs inspirata*, à quibus discordans quodvis alterius Synodi decretum *sit irritum atque infirmum*.

Epist.84. c.2. Epist.71. Epist.55. c.2. Epist.54. Epist.61.

Horum Canonum causa, Damasus Pontifex rejecit & cassavit Synodi Constantinopolitanæ Canones, quòd nempè eorum tertius Episcopo Constantinopolitano daret secundum in Ecclesia locum, à sexto Nicæno adscriptum Episcopo Alexandrino. Celestinus primus, ac Ephesina Synodus Juvenalem Hierosolymæ Episcopum, tres Palæstinas à Sede Antiochena in suam traducere tentantem, nec audire voluerunt, quòd nempè id adversaretur Nicæno Canoni sexto & septimo. Gennadius, Archimandrita Constantinopolitanus, Proclo Episcopo suo communicare noluit, quòd ipse Juvenali dictorum Canonum prævaricatori communicaret. Solam fidei Chalcedonensis definitionem confirmavit Sanctus Leo Pontifex, Canones omnes aversatus, non alia de causa, quàm quòd eorum quidam destruerent sextum Nicænum. Dura & longa bella de hac re adversùs Orientis Ecclesiam ac Sedem Imperialem gessit Romana Ecclesia. Auxilius Presbyter Hosium Cordubensem Episcopum hostiliter insequitur, quòd primus ab illo suggestus Sardicensis Canon limitet decimum tertium Nicænum. At id ex Apostolicæ Sedis auctoritate factum est, cui Dominus concessit omnia, de quo inferiùs.

CAPUT NONUM.

De Actis & Potestate Constantini Augusti in Synodo, ejusque fine & subcriptionibus.

IN locum Synodi intrasse Constantinum reverentia plenum, oculis demissis, vultu verecundo, sine officio & apparitura, cum paucis Palatinis orthodoxis; nec nisi in loco infimo & ad Episcoporum jussum sedere ausum, scribit Eusebius. De petita & obtenta Episcoporum licentia intrasse addit Theodoretus. Hinc Synodi octavæ Canon decimus septimus: *Illud autem tamquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod à quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque Principali præsentia celebrari, cùm nusquam sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites: Undè nec interfuisse illos Synodis, exceptis Conciliis universalibus, invenimus: Neque enim fas est sæculares Principes spectatores fieri rerum, quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt*. Hoc est, audire nequeunt eorum causas criminales. Et ad Michaelem Augustum Nicolaus primus: *Dicite, ubinam legistis, Imperatores antecessores vestros in Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solùm ad Clericos, verùm etiam ad Laicos & ad omnes omninò pertinet Christianos?* Eum arguit, quòd criminali extra fidem in Sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum judicio adesse, & quidem cum omni Palatina turma, præsumpsisset.

L.3.c.10. L.1.c.7. Epist.9.

Ita Dioscoro, Alexandrino Episcopo, à Synodo Chalcedonensi ad variis extra fidem criminalibus accusationibus respondendum evocato, & Magnificentissimum Senatum, qui ejus de fide processum audierat, adesse postulanti, respondit Cecropius Sebastapolitanus Episcopus: *Quando regularia examinantur, neque Judices, neque alios Laicos adesse oportet*. Regularia sunt crimina, non in fidem commissa, sed in regulas morum.

Act.3. F.227.

Princeps ergò ac ejus Senatus adesse poterant solis causis civilibus & fidei quæstionibus, idque in solis Synodis generalibus. Hinc pro Eutychete, à Flaviano Constantinopolitano Episcopo de læsa fide ad Synodum provincialem evocato, postulanteque sibi adesse personæ suæ securitatem & protectionem Regiam, rescripsit ad dictam Synodum Theodosius Augustus: *Quoniam scimus magnificentissimum Patricium Florentium esse fidelem, & testimoniis probatum de recta fide, volumus ipsum interesse audientiæ Synodi, quoniam sermo de fide est*. Non nisi obtenta Flaviani licentia intrare præsumpsit Florentius, nec ipsum Flavianus admittere sine Eutychetis consensu, utique quòd contra consuetudinem esset, nolletque Synodum suam hominis nequissimi calumniis exponi.

Conc. Chalced. Act.1.

Rectè dicit octavæ Synodi laudatus Canon ad Synodos à Canonibus vocari solos Episcopos, ge-

generalibus tamen Principes quandoque interfuisse: utique ex gratia, magnis Constantini meritis primitùs indulta, tractaque exindè in consuetudinem. Gratiæ causam disce ex verbis Bahanis Patricii ad Synodum octavam: *Imperatores nostri miserunt servos suos, qui Senatus vocatur, ut simus districti eorum, quæ geruntur, auditores. Si vultis ergò à nobis, sicut se habet ordo Synodicus, in fine sanctæ & universalis Synodi hujus exigere proprias subscriptiones, cuncti fratres & compatricii mei dicunt, nisi audiverimus, non scribet manus nostra unam syllabam in Synodo ista.* Act. 4. Ad exequenda, præsertim adversùm rebelles, Synodi decreta subscripti Principis sigillo & brachio egebat Ecclesia, ideoque ut testem atque auditorem permisit adesse.

Alias causas dat Theodosius Augustus in litteris Divalibus, quibus Candidianum Comitem vice sua adesse voluit Synodo Ephesinæ. *Candidianum Domesticorum Comitem ad sacram vestram Synodum abire jussimus, sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere:* L.1.c.35. Verùm ut personas inutiles, ad Synodum quasi ad spectaculum concurrere solitas, ejiciat aut compescat; ut Episcopos ad Canones & Sedis Apostolicæ jussiones servandas urgeat; ut eorum in disceptando rixas cohibeat; ut eorum suffragium à Patriarchis violenter extorqueri non permittat; ut omnes Synodalibus decretis cogat obedire.

Princeps ergò Synodalibus quæstionibus nullatenùs præsidebat: Quin eis misceri nullo pacto poterat, cum illis nihil habere commune, non interloqui; sed esse merus auditor. Quòd Constantinus omnia Synodi Judicibus permiserit, disertè testatur Eusebius. Eutycheti ad Synodalem Flaviani Episcopi de duabus Domini naturis interrogationem tergiversanti dixit Florentius Patricius: *Duas naturas dicis, & consubstantialem nobis? Dic.* Addiditque ad eadem verba per notarios relecta: *Quòd dixi, Dic, non quasi interloquens dixi, sed exhortans eum, ut consentiret his, quæ à sancta Synodo dicebantur.* Adjungebant acta dixisse: *Qui non dicit ex duabus naturis, & duas naturas, non credit rectè;* verùm indignatus Florentius reposuit: *Hanc interlocutionem non dixi, neque enim idoneus eram dicere.* In octava Synodo Legatis Apostolicis, quosdam Photianos discuti mandantibus, responderunt Act. 4. gloriosissimi Judices: *ut obsecundantes verbo vestro, ex præceptione vestra eos interrogamus, non per potestatem nostram, potestas enim hæc vestra est.* Hinc Adrianus secundus Pontifex gratias agit Post Act. 10. Basilio Augusto, quòd in dicta Synodo *non Judicum, vel Assertorum, sed conscriorum tantùm & obsecundatorum persona fuerit usus.* Ita factum in omni Synodo, etiam in Nicæna à Constantino Augusto, de quo Augustus Marcianus ad Synodum Chalcedonensem: *Nos ad fidem confirmandam, non ad aliquam potentiam exercendam Synodo* Act.6. *adesse voluimus, exemplo gloriosi Principis Constantini.*

Legatis Apostolicis, primum subscribendi locum offerentibus, respondit in octava Synodo Basilius Augustus: *Tranquillissimum Imperium nostrum, secutum præcedentes & justissimos Imperatores, Constantinum magnum, Theodosium, & Marcianum, ac cæteros, vult subscribere post subscriptionem omnium Deo amabilium Episcoporum. Sed quoniam postulat præferri nos Sanctitas vestra, subscribam post subscriptionem omnium sanctissimorum Vicariorum.* Act. 10. Id est, post Legatos quinque Patriarcharum. Et quoniam ordo subscribendi sequitur ordinem sedendi, liquet etiam post omnes Episcopos Constantinum sedisse.

Objici potest Relatio Synodalis Concilii Chalcedonensis ad Leonem Pontificem hæc scribens de semetipsa: *Tu quidem sicut caput membris præeras* per tres Legatos; *Imperatores verò fideles ad ordinandum decentissimè præsidebant, sicut Zorababel & Jesus, Ecclesiæ, tamquam Hierusalem, ædificationem renovare circa dogmata adnitentes.* L.3.Epist. 2. Et in singulis sextæ Synodi actionibus dicitur: *Præsidente Imperatore nostro Constantino.* Et in singulis Actionibus Synodi Chalcedonensis: *Residentibus gloriosissimis Judicibus in medio,* utique Episcoporum ad latera sedentium, *ante Cancellos sanctissimi Altaris.*

Respondeo loquendi modum provenire ex Græcorum genio, de quo Anastasius Bibliothecarius in præfatione septimæ Synodi ad Joannem octavum Pontificem: *Apostolatûs vester adulationi veniam det sæpè Prælatis suis non sine repræhensione placere studentium.* Præsidebat Princeps Synodo, non tamquam caput membris, sed ad reparandæ fidei adnitendum Regio brachio, & ordinandum decentissimè omnia, illa utique, quæ supra audivimus à Theodosio Augusto injuncta Comiti Candidiano. Præsedisse non aliud est, quàm assedisse, & omne Augustæ Majestatis opus exprimitur Augusto nomine. Hinc gloriosissimi Judices, licèt Majestatis Vicarii, dicuntur dumtaxat resedisse: *Ante Sanctuarii Cancellos:* Non ut Synodi caput; sed ut utrimque sedentes ac dissentes Episcopos videre & audire possent, vicissimque ab illis audiri.

Episcopos namque Nicææ ex utroque Aulæ Palatinæ latere sedisse, scribit disertè Eusebius. Ad lævam Legati Apostolici & Patriarcha Alexandrinus, ad dextram Antiochenus, de quo L.3.c.10. idem Scriptor: *Episcopus, qui in dextro ordine primam Sedem occupabat, adsurgens perbrevi oratione Imperatorem adfatus est.* C. 11. Fuisse Sanctum Eustathium Patriarcham adfirmat Theodoretus. L.1.c.7. Eodem ferè modo sederunt Chalcedone: Ex læva Legati Apostolici, Episcopus Constantinopolitanus, Patriarcha Antiochenus, Ponticæ & Asianæ Diœceseos Primates; ex dextra parte Patriarcha Alexandrinus, Hierosolymæ Episcopus, & Vicarius Thessalonicensis; quique cum suis Episcopis. Verùm Constantinopolitanus & Hierosolymitanus invasere locum indebitum, ideoque Antiochenus in lævam transiit, Alexandrinus in dextram.

Adversari videtur Nicephorus Calixtus, dicens Romanos, Byzantios, Antiochenos in L.15.c.4. dextra, Alexandrinos autem & Hierosolymitanos sedisse in sinistra. Respondeo non adversari. Etenim Eusebius & Synodus Chalcedonensis vulgarem,

garem, qui intrantium situi respondet, Nicephorus Calixtus attendit Ecclesiasticam basilicæ positionem, de qua Ordo Romanus: *Episcopi atque Presbyteri sedebunt ea locali dispositione, ut Episcopi intrantibus sint ad sinistram, Presbyteri verò ad dextram, ut quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, Presbyteros contueatur ad sinistram*. Eodem modo sessum fuit in Synodo Florentina. *Lis*, inquiunt Acta, *& controversia orta est de Sedibus Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ, donec lecta sunt acta Synodorum. Tandem hoc inter eos convenit, ut Papæ quidem & Pontifici ea pars templi daretur, quæ læva esset ingredienti; altera verò, dextera scilicet, Imperatori & suis. Atque ita Sedes in hunc modum collocatæ sunt*: Latini ad aquilonem, Græci ad austrum sederunt. Et ita etiamnum hodie servatur Romæ in Capella Palatina.

Quis porrò fuerit Pontifex generali Synodo præsidens invisibiliter, scribit ad Theodosium Augustum Sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus in Apologetico inserto actis Synodi Ephesinæ. *Sacra Synodus Christum confessorem & velut caput constituit, venerandum enim Evangelium in sancto throno collocatum erat, Sacerdotum auribus insonans: Justum judicium judicate, sanctè inter Evangelistas & Nestorii voces discernite*. Ejusdem Synodi ad Principem Relatio ait *sanctum Evangelium, quod ipsum Christum præsentem monstrabat, in throno, qui medium locum obtinebat, fuisse propositum*. Hinc ergò Legati Romani erant ad lævam intrantium, ut huic Pontifici sedenti & eos intuenti essent ad dextram. Dextram namque & Latinis & Græcis fuisse semper honorabiliorem, facilè possit ostendi. Hunc morem respexit Meletius Antiochenus Episcopus, dicens ad Paulinum de eadem Cathedra contendentem: *Quòd si Sedes contentionem gignit, ego hanc contentionem à nobis repellere conabor: Ponamus in ea librum Evangelii, & utrimque nos sedeamus*.

L.3. c.13.
L.1. Act.1. F.379.
Theodor. l.5. c.3.

Addit Synodus Chalcedonensis. *Antepositis in medio sacrosanctis & venerabilibus Evangeliis, Paschasinus Reverendissimus Episcopus & Vicarius Sedis Apostolicæ, quum in medio una cum viris Reverendissimis Collegis suis stetisset, dixit*. Allocuturi Synodum Legati è Sede surgebant, stabantque non cum glorioso Senatu ante Sanctuarii Cancellos, sed ante sacrosancti Evangelii thronum, ita ostendentes, cujus vice & legatione fungerentur. Non ob Synodi, sed ob ejusdem Evangelii, ac per ipsum repræsentati Pontificis Jesu Christi, reverentiam stabant. Palam ergò errant Sectarii nostri locum ante Cancellos fuisse digniorem.

Attamen hæc omnia jam pridem mutavit Ecclesia. Sanctum Evangelium non in throno, sed inter sex luminaria ac Principum Apostolorum statuas in ipso altari ponunt Synodi, atque ita Principem & Senatum à sacris cancellis, nominali præsidentia, & omni olim precariò indulta potestate amoverunt. *Cæterùm*, inquit Florentina Synodus, *in medio templi, atque inter duos Clericos, ante sacrum altare, solium pulcherrimum posuere, perquam ornatum, apparatumque aureo velamento, in quo sedit Judex magnus & justus, Dominus noster Jesus Christus, hoc est, sanctum Evangelium, appositis hinc inde sanctorum Apostolorum Petri & Pauli capitibus, cereisque ante illa accensis*. Hæc verba, *Ante altare*, exponit sessio prima. *Super altare autem propositus erat sancti Evangelii liber apertus, medius inter capitum thecas sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, cereis utrimque tribus accensis*. Undè istic non tantummodò Græcorum Augustus, sed & ipse Dominus Papa ad latera sederunt. Videndus in Concilii historia Sylvester Sguropulus. Spectant hæc omnia ad sacras jussiones, excussas ob Leonis Isauri impias violentias: undè & in septima & octava Synodo Princeps dumtaxat assedisse cum Senatu legitur, non præsedisse.

Soli itaque Patriarchæ, tres Autocephali Primates, & Vicarius Thessalonicensis habuerunt in Synodo locum suæ sedis. Addendus Archi-Episcopus Carthaginensis, licèt non Autocephalus, totius tamen Africanæ Diœceseos Primas, de quo ad sextam Synodum Constantinus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter & Grammaticus Latinus: *Scio, temporibus Pauli Patriarchæ, venisse Fortunium, qui fuit Episcopus Carthaginensis, & cùm Missas acturus esset in sancta magna Dei Ecclesia, quæsitum est, quomodò sedere debuisset, utrumne ante Metropolitanos, qui hic morabantur, an post eos. Et requirente eodem Paulo quondam Patriarcha in Bibliotheca Patriarchii librum quinti Concilii, ut cognosceret, quomodo sedere debuisset, contigit, ut inveniretur & latinus liber ejusdem Concilii. Et exindè instructus idem Paulus fecit eum ordinabiliter sedere*. Utique proximè post dictos Primates & Vicarium, uti in quinta Synodo sederat Sextillianus, Tuniensis Episcopus, Legatus Primosi Carthaginensis. Reliqui omnes & Metropolitæ, & Provinciales juxta acceptæ consecrationis ætatem: Primùm veri, tum solo nomine Metropolitæ, postremò Provinciales. Hinc in octava Synodo post Patriarchas & Primates Metropolitæ sederunt, deindè Archi-Episcopi: Nempè ex tunc apud Græcos Archi-Episcopi erant solo nomine Metropolitæ.

Act.14.

Hic sedendi ordo servatus fuit etiam in Provinciarum, ac Diœceseon Synodis. Hinc vacanti aut canonicè impeditæ Sedi Patriarchali, Primatiali, aut Metropolitanæ non dabatur Visitator, sed ipsam quoad judicia & consecrationes administrabat senior Metropolita, aut Provincialis. Quin in Africanis Provinciis, Sedes Metropoliticas non habentibus, senior Provincialis erat Provinciæ Primas, seu Primæ Sedis Episcopus, habens sine nomine Metropoliticam potestatem. Hac de causa Sanctus Augustinus in Victorini, Numidiæ Primatum prætendentis, tractoria nomen suum tertio loco positum, ut rem aliis injuriosam ac sibi invidiosam, aversatus est, *noscens quàm post multos, Episcopus factus esset*. Nec Victorinum in Primatem agnoscere voluit, quousque synodaliter constaret, an ipse, an Xantippus Tigisensis Episcopus, esset prior ordinatus. Quas lites ex Africa eliminatas volens; per Synodum statui obtinuit, ut ordinato Episcopo Ordinator daret deinceps litteras, ordinationis annum, mensem; diem authenticè exprimentes. Vulgata Augustini editio Xan- Epist.217.

tippum vocat Episcopum Tagastensem: At Vaticana exemplaria manuscripta dicunt Tigisensem seu Tigisitanum, atque ita nos eximunt magnis & nodosis difficultatibus.

Excipe tamen Proto-thronos, id est, Sedes habentes præcedentiæ privilegium, qualis in Patriarchatu Antiocheno fuit Tyria, Phœniciæ maritimæ Metropolis, quam in octava Synodo Elias Presbyter, Theodosii Patriarchæ Hierosolymitani Legatus, dixit esse *primam Sedem Antiochiæ*, Joseph Ecclesiæ Alexandrinæ Archi-Diaconus & Legatus *primam Metropolim throni Antiochensium*, ac ejus Metropolitam ipsa Synodus *primum Sessorem & Primatem Antiochiæ*, qui & in Patriarchali Synodo primus post Patriarcham semper sedeat, & Sedem Patriarchalem vacantem quoad omnia gubernet. Ejusmodi in Cæsaræensi provincia fuit olim Hierosolymitanus, in Bithynia Nicænus, in Phœnicia maritima Berytensis, in Romana Ostiensis, in Lugdunensi Augustodunensis, in Senonensi Carnotensis, in Cantuariensi Londinensis, in secunda Belgica Suessionensis, de quorum vario jure erit alibi dicendi locus. Attamen in sola Provinciæ suæ Synodo habebant sessionis prærogativam; in totius Diœceseos aut Ecclesiæ conventu sedebant juxta ætatem consecrationis.

Act. 1.

Act. 9.

Quæstio est, an ita sessum fuerit etiam Nicææ? Ratio dubitandi est, quia ordo sedendi idem est cum ordine subscribendi: At verò Nicææ Patres subscripsere non in diversas ordinationis ætates, sed quique in suas Provincias distributi. Respondeo tamen affirmativè. Non obscurè id probatur ex Synodi decreto de Episcopis & Clericis Meletianis, in communionem & gradum admissis ea lege, ut omnibus ab Alexandro Patriarcha ordinatis essent semper loco posteriores. Hinc, inquam, liquet ordinationis ætatem tunc ubique servatam inter Episcopos & Clericos, ideoque etiam in Synodo Nicæna.

Neque verum est ordinem sedendi semper fuisse eumdem cum ordine subscribendi. Etenim etiam Sardicensi & primæ Synodo Constantinopolitanæ subscriptum est ab Episcopis in suas Provincias digestis, priusque in Ephesina Synodo ordo sedendi idem esse cœpit cum ordine subscribendi, cujus mutationis causam ignoro. Forsan ob lites de ordine Provinciarum.

Porrò Nicænæ Synodi subscriptiones constat esse, non tantummodò admodum mutilas, neque enim sunt trecentæ decem & octo, neque enumerantur omnes Episcoporum, quos adfuisse constat, Provinciæ; sed & variè vitiatas. Desunt Sancti Nicolaus Myrensis, Jacobus Nisibenus, Spiridion Cyprius, Paphnutius Ægyptius, aliique similes Episcopi plures.

Primum verò vitium est, quòd Apostolicos Legatos proximè sequatur Ægyptiaca Diœcesis; Illyricum autem, Italia, Africa, Gallia, Gothia, Romani Patriarchæ Diœceseos, postponantur omnibus Orientalibus: Proximè sequi debuerant Patriarchæ sui Vicarios, non ab illis sejungi. Factum autumo ab Eusebianis, Orientalem Ecclesiam Occidentali volentibus nobiliorem.

Secundum vitium est, quòd post Ægyptiacam Diœcesim sequatur Palæstinæ Provincia, novissima omnium Syriarum. Sequi debet Provincia Syriæ Cœles, cujus Metropolis est Antiochia, tertia sedes Patriarchica, eique adjungi non tantùm Phœnicia, Palæstina, Arabia, Mesopotamia, Persis, Cilicia; sed & Isauria ac Cyprus: Nulla Provincia separari potest à Patriarcha. Factum id à Græcis, Hierosolymitanum Patriarchatum extollere conantibus, Isauriamque & Cyprum, quod posteà factum, Antiocheno ereptas transcribere in Constantinopolitanum. A simili auctore prodiit Synodus ficta de causa Polychronii Episcopi Hierosolymitani.

Tertium vitium est, quòd in Asiæ Provincia ponatur Theonas Cyzicenus ante Menophantum Ephesinum. Quis enim nesciat Ephesinum semper fuisse totius Asiaticæ Diœceseos Exarchum? Cyzicenus erat sub illo Metropolita Hellesponti.

Quartum vitium est, quòd Bythinia ad Ponticam spectans ponatur post Asiaticas Provincias, separata à suo Primate. Malè item Eulalius Iconiensis, utpotè Lycaoniæ Metropolita, adscribitur Pisidiæ: Nisi forsan, quod ex Sancti Basilii ad Sanctum Eusebium Samosatensem Episcopum Epistola videtur non obscurè colligi, Lycaonia & Pisidia tunc fuerit unica Provincia. Verùm duas fuisse suadet subscriptio Synodi Ancyranæ. Malè Nicasius Gallus dicitur Episcopus Divionensis; nam Divione nunquam fuit civitas, sed semper castrum subditum Episcopo Lingonensi. Credo fuisse Episcopum Diensem. Malè Europæ Metropolita, & Thracum Primas ponitur Phædrius: Fuit enim famosus ille Theodorus. Plura sunt ejusmodi.

Epist. 8.

At quid de variis, qui subscripsere, Chorepiscopis? An proprio, an alieno suorum Episcoporum nomine subscripserint? Quidam existimant, quòd proprio nomine. Ephesinæ quippè Synodo, idque inter Episcopos, subscripsit & Cæsarius, Chorepiscopus civitatis Asiæ. Et Francorum Synodis consuetos adesse Chorepiscopos, testatur in historia Ecclesiæ Remensis Flodoardus. Respondeo tamen adfuisse & subscripsisse ut Episcoporum Vicarios. Etenim ex perpetuo Ecclesiæ more, ut supra à Synodo Chalcedonensi audivimus, Synodus est solorum Episcoporum, non Clericorum: At verò Chorepiscopi, quidquid sit de eorum ordinatione, potestate non sunt, nisi Clerici, uti liquet ex octavo Nicæno Canone, & quidem, juxta Canones Neocæsaræenses, Cathedralis Ecclesiæ Presbyteris inferiores. Hinc Synodo Chalcedonensi nullus subscripsit Chorepiscopus, nisi vice sui Episcopi: Sophronius pro Bassiano Mopsuesteno, Adelphius pro Adalio Arabassi, Evelpistus pro Florentio Tenedensi. Adducta Synodi Ephesinæ subscriptio est palàm vitiata: Etenim Cæsarium vocat Chorepiscopum civitatis Asiæ, constat verò usque ad illa tempora in solis vicis, aut castris Chorepiscopos fuisse. Flodoardus de solis Provinciarum Synodis loquitur, dicitque Chorepiscopos non nisi post Episcopos adfuisse; at verò Nicææ subscribunt inter Episcopos, adeoque vice suorum Episcoporum. Nicephorus Calixtus addit subscripsisse & duos Episcopos mortuos: At nullus illi antiquus Scriptor attestatur.

L. 2. c. 18.
l. 3. c. 11.

Peracta tandem Synodus Sylvestro Pontifici acta sua retulit, petiitque confirmari. Litteras synodales in antiqua collectione Cresconiana existentes protulit etiam ex antiquo Coloniensi codice Laurentius Surius, & Vaticanæ generalium Conciliorum editione inseri jussit Paulus quintus; at video, certè sine firma ratione, de illarum fide dubitari. Etiam Sardicensis, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensis, aliæque omnes Synodi petierunt Apostolicam confirmationem, sine qua ratas non esse synodales constitutiones clamat omnis auctoritas antiqua. Dionysius Exiguus in præfatione Nicænæ Synodi adducit hæc verba Sylvestri Pontificis in Synodo Romana ducentorum septuaginta Episcoporum: *Sylvester, Episcopus sanctæ & Apostolicæ Sedis, Præsul urbis Romæ, dixit: Quidquid in Nicæa Bythiniæ constitutum est ad robur sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, à sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere diffinitionem sancti & magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.* Etenim etiam laudata synodalis Epistola, quæ venerandam antiquitatis canitiem omninò præfert, rogarat à Sylvestro adunari Romanæ Provinciæ Synodum, & istic acta sua discuti & confirmari.

Confirmata fuere etiam à Constantino Augusto, ad cujus facti normam omnes postmodùm Synodi acta sua semper retulerunt ad Principem, petieruntque confirmari: Ex quo Sectarii nostri autumant illa sine Principis Placito rata non fuisse. Errant toto cœlo. Datæ enim à Constantino confirmationis Eusebius dat rationes duas. L.4. c.27. Prima fuit; *Quæ ab Episcopis editæ erant regulæ, sua consignabat & confirmabat auctoritate, ne reliquarum gentium Principibus liceret eas abrogare.* L.3. c.22. Altera fuit quorumdam in Ægypto Arianorum adversùs Synodum rebellio, ideoque Princeps illius *decreta sigillo suo rata fecit.* Hæc ergo confirmatio fuit mera adversùm externos & domesticos hostes subsidiaria Regii brachii armatura.

Aliam causam dat Synodus Chalcedonensis in Relatione ad Marcianum Augustum, dicens sese referre, ut ipse factam fidei definitionem *Petri Sedis auctoritate confirmari* impetret; L.3. Epist. 2. Quòd namque generales Synodi suas ad Romanum Episcopum supplicationes Regiis passim precibus adjuvari curarint, res est manifesta. Attamen & hoc spectat ad sacras jussiones jam pridem exsufflatas.

Quibusdam tandem Primatibus Episcopis, per Gelasium Cyzicenum enumeratis, imposita est cura, & jussio divulgandæ Synodi per omnes Ecclesiæ Diœceses. Sic dimissi à Constantino Episcopi, priùs Regio convivio excepri, donati honoribus & muneribus, rogati servare dilectionem & pacem in invicem, præsertim in collegas doctiores, quos, utpotè Ecclesiæ columnas, videbat Arianorum invidiæ præsertim subjacere. Omnium deindè per quasvis Provincias Ecclesiarum Clericis, sacris virginibus & viduis certum frumenti munus donari annuatim jussit, additque Theodoretus: *Hujus congiarii* L.1. c.11. *tertia pars adhuc suppeditatur: Quippè impius tyrannus Julianus totum penitùs abstulerat, sed qui ei successit in Imperio, hoc, quod jam suppeditatur, donari mandavit.* Grassans tum fames prohibuit restitui totum.

CANONES
CONCILII SARDICENSIS.
CANON PRIMUS.

Hosius Urbis Cordubæ Episcopus dixit: Non tam mala consuetudo, quàm pernitiosissima rerum corruptela est ex ipsis fundamentis penitùs extirpanda, ne cui Episcopo liceat à parva civitate in aliam migrare. Ejus enim causæ prætextus est manifestus, propter quem talia tentantur. Nullus enim Episcopus adhuc inveniri potuit, qui à majori civitate in minorem transire studuerit. Undè constat, eos ardenti plura habendi cupiditate succendi, & magis arogantiæ servire, ut videantur majorem habere potestatem. Placetne hoc omnibus, ut ejusmodi improbitas acerbiùs vindicetur? Existimo enim eos ne Laicorum quidem debere habere communionem. Omnes Episcopi dixerunt: Placet omnibus.

SCHOLION.

Canonis causam dat Julius Pontifex in Epistola ad factionis Eusebianæ Synodum Antiochenam, arguens, quòd Nicænum Canonem, utique quintum decimum, totamque Synodum, *contemptui haberent, jam in usu habentes de loco ad locum ad Episcopatus capiendos transilire, & rejecta civitate concredita minore transvolare ad magnam*. Nam & factionis caput Eusebius, olim, Beryto translatus Nicomediam, per hosee dies Nicomedia migraret Constantinopolim. Hanc totius disciplinæ corruptelam violenta medicina imperit Hosius, quibuscumque translatis negans laicam etiam communionem.

Vox *communio* nequaquam Eucharistiæ perceptionem importat, sed Sanctorum communionem, seu potiùs Reconciliationem sacramentalem illius restitutivam. Sanctus Cyprianus, Tertullianum imitatus, passim vocat Pacem seu restitutionem Pacis, utique cum Deo, à quo hominem separant soli reatus, seu maculæ peccatorum. Alii vocant simpliciter Restitutionem, Reconciliationem, Reconciliationis auxilium, Reconciliationis remedium, Reconciliationis communionem, Reconciliationis januam, sanctæ communionis consortia, communionis gratiam, communionis unitatem, Ecclesiæ redditionem, Pœnitentiæ fructum, datum Apostolica clave, qua peccata solvuntur. Hinc Patres passim damnant Montanum & Novatianum, quòd certis peccatis negarent hæc omnia, id est, ut Tridentina Synodus exponit, Gratiam remissionis.

Porrò intra Sanctorum communionem sunt varii gradus, ordines, classes, videlicet Episcoporum, Clericorum, Laicorum, ideoque & varii ordines communionis, nempè Episcopalis, Presbyteralis, Diaconalis, Clericalis variæ, variæ Laicalis. Hinc ad Anthonianum Episcopum scribit Sanctus Cyprianus, Trophymum Episcopum, lapsum in idololatriam, à Sancto Cornelio Papa receptum quidem in communionem, verùm ea lege, ut nequaquam locum Sacerdotis usurpet, sed communicet ut Laicus. Hoc est, ut intra Sanctorum communionem versetur ut Laicus, habeat Laici gradum, Laicus per omnia deputetur. Epist. 52.

Eodem modo de uno ex tribus Novatiani Ordinatoribus Episcopis apud Eusebium Cæsaræensem scribit ad Fabium Antiochenum. Episcopum dictus Pontifex Cornelius: *Tandem ut Laicum in Ecclesiam recepimus*. L. 6. c. 35. Sanctus Hieronymus in commentariis Ezechielis Prophetæ queritur Episcopos, in Synodo Ariminensi lapsos, sedere etiamnum in solio Episcopali, ac manere Episcopos, qui *in Laicos redacti deberent sui sacrilegii scelera deplorare*. C. 44. Sanctus Leo Pontifex secundæ Synodo Ephesinæ mandat, ut Eutycheti, si resipiscat, *reservet sui ordinis communionem*, id est, communionem Presbyteri & Archimandritæ. Epist. 13. Euphemio Constantinopolitano Episcopo apud Nicephorum Calixtum Felix tertius aufert *communionem Episcopalem*. L. 16. c. 19. Ephesina Synodus Eustatio Pergensi Episcopo, Pamphyliæ Metropolitano, perperam exauctorato, reddit *Episcopi nomen, honorem, communionem*. Act. 2. Ægyptiacæ Diœceseos Episcopi, in litteris ad Leonem Augustum, exstantibus post Synodum Chalcedonensem, lamentantur *sanctam* Alexandrinam Ecclesiam teneri à Timotheo Æluro, qui per Canones *nec Laicorum communionem* possit habere. Epist. 22. Agapetus, Rhodiorum Episcopus, Provinciæ Insularum Metropolita, ad eundem Principem scribit eum, *non solùm non inter Episcopos aut Clericos, sed nec inter Laicos constituendum*. Epist. 45. Petrus Gangrensis Episcopus, Paphlagoniæ Metropolita, ait: *Non solùm sacerdotii honore indignum, sed etiam ab Laicorum ordinatione removendum*. Epist. 54. Sanctus Gregorius Magnus, in litteris ad Venantium Lunensem Episcopum, & Constantium Metropolitam Mediolanensem, mandat, ut Subdiaconi, carne lapsi, *ab officio irrevocabiliter depositi inter Laicos accipiant communionem*. L. 4. Epist. 16. 17. Agathensis Synodus Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, falsi convictum, mandat ab honore deponi, detrudi in monasterium, habere istic solam laicam communionem. C. 51. Tertia Aurelianensis Clericum contumacem ad tempus dumtaxat deiicit *in communionem laicam*, id est, *ab ordine deponit*. C. 19. In octava Synodo dicunt Legati Apostolici, quòd Romana Ecclesia Photium ut Episcopum nunquam receperit, *sed semper inter Laicos computarit*. Act. 4. f. 222. Legatis suis mandavit Nicolaus primus, ut cum illo non communicarent, *nisi quasi cum Laico*. Act. 7. f. 240. Eidem, si resipiscat, Adrianus secundus spondet *non negandam gratiam laicæ communionis*. Act. 9. f. 300. Formosus Portuensis Episcopus, uti scribit Sigebertus Gemblacensis, à Joanne octavo usque ad laicalem habitum degradatus, juravit manere semper in laica communione. Antiquorum scripta scatent hujusmodi testimoniis.

Quocircà laicam accipere communionem cadit in solos Clericos, importatque & gratiam & pœnam. Communio est gratia, at quòd dumtaxat laica detur, est grandis pœna, utique depositio à Clericatu. Laicam, inquam, communio est criminoso Clerico impartita Absolutio sacramentalis, verùm una cum inflicta depositione. Ita liquet ex adductis testimoniis, quæ respiciens Canon vigesimus primus Trullanus disertè dicit Clericos *perfectæ ac perpetuæ depositioni subjectos esse detrusos in locum Laicorum*. Et Remensis Synodus de causa Arnulphi Archi-Episcopi, ejus proditorem Adalgerum Presbyterum degradat, unaque per legitimam ab excommunicatione Reconciliationem donat laica communione. Nulla enim, seu laica, seu clericalis communio potest reddi; nullus, inquam, seu ut Laicus, seu ut Clericus potest ex peccatorum maculoso reatu in Sanctorum communionem reponi, nisi per sacramentalem Reconciliationem.

Et hinc laica communio est varia: Alia est plena; alia est mutila seu non plena. Plena dejectum Clericum ad omnia Laicorum jura admittit, etiam ad Perfectionem; mutila non ad omnia, sed ad solam Consistentiam seu sine oblatione communionem. Dejectos namque Clericos ad usque vitæ finem quandoque fuisse Perfectione privatos, liquet ex variis Sancti Gregorii Epistolis, nec non secunda Epistola Grego-

rii

rii secundi ad Leonem Isaurum.

Alia item laica communio est plenè laica, alia non plenè. Plenè laica est, quam laudatus Trullanus Canon vocat perfectam ac perpetuam depositionem, quæ exauctoratum Clericum, & vivum & mortuum, penitùs per omnia tractari mandat ut Laicum, usque ad laicalem habitum, uti audivimus de Formoso Episcopo Portuensi. Eodem modo Anastasium Presbyterum Cardinalem à Benedicto tertio Pontifice tractatum scribunt Annales Francorum Bertiniani. Addunt
A. 868. de Gunthario Episcopo Coloniensi, per Nicolaum primum dejecto extra omnem Ecclesiæ communionem, ad laicam autem tandem admisso per Adrianum secundum, quòd inter Laicos in Ecclesia steterit, ac inter eosdem legerit suam pœ-
A. 869. nitentiæ professionem. Romani Legati in octava Synodo, dum Photium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Pseudo-Episcopum vocari permittunt ad consessum synodalem, addidere: *Laici va-*
A. 8. f. 224. *dant*, qui eum citent. Soli enim Episcopi, uti ad Nicolaum primum scribit Sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, juxta Ecclesiæ Canonem per Episcopos citabantur, mandaratque Adrianus Pontifex Photium non nisi ad laicam communionem admitti. Basilius Augustus Photii Episcopos dicit in eodem consessu latrare,
Niceph. Calix. l. 14. c. 27. id est, sine licentia loqui non posse, *quia Laici sunt*. Sanctus Cyrillus, Alexandrinus Episcopus, Atticum Constantinopolitanum graviter arguit, quòd Joannis Chrysostomi, ab avunculo & antecessore suo Theophylo in laicam communionem damnati, nomen Ecclesiasticis defunctorum Episcoporum tabulis inscripsisset, atque ita prævaricatus esset Nicænos Canones, mandantes talium nomina inscribi solis Laicorum tabulis: utique quintum Nicænum Canonem, vetantem recipi damnatum alienum, adeoque mandantem, ut in laicam communionem damnatus Episcopus etiam post mortem, non ut Episcopus, sed ut merus Laicus tractetur. Quare in octava Synodo rectè dicunt Legati Apostolici, quòd criminosum Episcopum in laicam communionem recipere non sit aliud, quàm
Act. 7. f. 237. 238. recipere *in communionem sæcularis*, seu *tamquam sæcularem*. At verò communio non plenè laica est, quæ exauctorato & ad Laicos abjecto Clerico gratiosè indulget aliquod clericalis dignitatis residuum vestigium. Ita Trullanus Canon illi, si spontè pœnituerit, permittit clericalem habitum & tonsuram; secunda Turonensis Synodus locum in Psallentium choro inter Lectores.

Hinc discutienda opinio quorumdam existimantium laicam communionem ab Eucharistia dici, nec fuisse aliud, quàm ejus perceptionem sub unica panis specie, aut certè cum Laicis extra sanctum sanctorum, seu sanctuarii cancellos. Probari possit ex litteris Sancti Gregorii ad Venantium Lunensem Episcopum, mandantibus, ut Saturninus Insulæ Gorgoniæ Presbyter depositus,
L. 4. Ep. 5. si dignè pœnituerit, *inter Laicos accipiat communionem*. Per communionem patenter intelligit Eucharistiam. Et adversùs Theophylum Iconiensem & Zachariam Tauromeniæ Ex-Episcopum, homines Photianos, constanter adseverantes sese Romæ à Nicolao Papa admissos in communionem Episcopalem, in octava Synodo dixit Marinus, Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Legatus: *Quando istic venerunt Romam, ego ministrabam in Ecclesia Romana sanctæ Dei Genetricis Mariæ, quæ dicitur Præsepis. Illic eos suscepit sanctissimus Papa Nicolaus per satisfactionem libelli & juramenti, & non contulit eis communionem in loco Episcoporum. Si verò contradixerint, ostendant, quòd eos susceperit in communionem ut Episcopos.* A. 4. f. 214.

Respondeo & fateor degradatos Episcopos & Clericos, & ad plenam laicam communionem admissos, olim una cum Laicis extra sanctuarii cancellos Eucharistiæ communicasse. Dico, *Ad plenam*, *&c.* Jam enim dixi laicè communicantes Clericos fuisse quandoque dumtaxat Consistentes, seu communicantes solis sine oblatione orationibus, quibus proinde nec intra, nec extra cancellos dabatur Eucharistia. Dabatur ad Perfectionem admissis. At nunquid ille inter Laicos locus fuit tota laicæ communionis humilitas, sola dedit nomen laicæ communionis? Absit. Fuit aliqua ejus portio, aliis suprà expositis adnumeranda. Laicæ communionis nomen, non ab Eucharistia desumptum est, sed à sacramentali Reconciliatione, quæ Clericum gradu motum ut Laicum, aut sæcularem admitteret intra communionem Sanctorum. Gravius deviant, qui laicam communionem putant fuisse sub sola panis specie. Ejusmodì sumptionem semper quidem, vario hinc inde fine & modo, usitavit Ecclesia, nunquam verò in pœnam imposuit. Nullo documento id queat ostendi.

Nec desunt, qui velint Episcopos ad laicam communionem abjectos olim Eucharistiæ communicasse intra Altaris cancellos. Etenim Tharasius, Patriarcha Constantinopolitanus, in exstantibus post septimam Synodum litteris ad Adrianum Primum Pontificem, adducit fragmentum è vita Sancti Joannis Chrysostomi, ejusque acta in Ephesino Concilio habito contra Episcopos Asiaticos, ab Antonino Ephesiorum Primate ordinatos per simoniam. *Præcepit Synodus aurum quidem recipere eos ab hæredibus Antonini, communicare autem intra altare, & esse privatos sacerdotio.* Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis ad Laicos abjectis imponi non poterat manus pœnitentialis, non ipsorum, sed sacræ ordinationis causa, ne tanto Sacramento, inquit adversùs Parmenianum Augustinus, fieret injuria. Eodem jure volunt quidam Episcopis ad Laicos abjectis Eucharistiam datam intra cancellos.

Respondeo hanc fuisse gratiam specialem, quoddamque amissæ dignitatis solatium: Ejusmodi generalis regulæ nullum est fundamentum. Communio plenè laica erat ablatio totius honoris & privilegii clericalis, etiam in Episcopis, ut satis dictum.

Et hinc etiam patet, quid sit ne Laicorum quidem habere communionem. Est peccatorem sibi ac Deo relinqui, tradi Sathanæ in interitum carnis, à sacramentali Reconciliatione penitùs excludi, ad Ecclesiam & Sanctorum communionem nec ut Clericum, nec ut Laicum admitti, privari omni honore, & privilegio nominis Chri-

Christiani. Ita hujus præsentis Concilii tertia synodalis Epistola Gregorium Alexandriæ Pseudo-Episcopum, ejusque Arianos Congerones *exauctoratos omninò ab officio Episcopatus submovet*; *decernit non modò Episcopos non esse, sed ne dignos quidem fidelium communione; ab Ecclesia separat, mandatque haberi alienos & indignos Christiano nomine*. Innocentius primus Theophylum Alexandriæ Episcopum, ob actas in Sanctum Joannem Chrysostomum tragædias, Episcopatu privat, additque *excommunicationem, anathematismum, absolutam à Christianismo alienationem*. Epist. 30. In octava Synodo Legati Apostolici pertinaces Photianos *anathematizant, maledicunt, ab omni sorte Christianorum separant, transmittunt ad Ethnicos & Publicanos*. Et Nicolaus primus Pontifex, in litteris ad Episcopos Diœceseos Constantinopolitanæ, scribit Gregorium Syracusæ Ex-Episcopum, dum Photium ordinavit, caruisse *non tantùm sacerdotio, sed & Christiano vocabulo*, id est, nec laicam habuisse communionem, fuisse plenissimè separatum ab Ecclesia, quod passim dicimus anathema, de quo Socrates: *Sic nos Christiani sententiam contra alicujus blasphemiæ auctorem pronunciatam solemus appellare, quando eam perindè notam omnibus facimus, ac si in columella incisa in loco publico collocaretur*. Tertullianus in libro Præscriptionum vocat *Relegationem in perpetuum discidium*.

Act. 6.
Act. 1.
L. 7. c. 33.
C. 30.

CANON II.

Hosius Episcopus dixit: Si quis autem adeò insanus, vel audax inveniatur, ut de iis videatur aliquam afferre excusationem, asserens sibi à populo allatas esse litteras; clarum est potuisse paucos aliquos, mercede & pretio corruptos, in Ecclesia seditionem movere, ut eumdem utique postulent habere Episcopum. Omninò ergò has fraudes & artes puniendas esse existimo; ut nemo possit, qui est ejusmodi, ne in fine quidem laica communione dignus haberi. An ergò hæc placet sententia, respondete. Responderunt: Placent quæ dicta sunt.

SCHOLION.

HÆ sunt Eusebianorum ad invadendas, Patriarchales præsertim, Ecclesias strophæ, quas abominatus ipse eorum satelles Augustus Constantius scripsit ad Ecclesiam Antiochenam, adversùs Eudoxium, Germaniciæ in Eufratesia Provincia Episcopum, dictæ Patriarchalis Sedis invasorem: Zozom. l. 4. c. 13. *Eudoxius à nobis missus ad vos non venit: Nemo quisquam sic putet. Ab eo longè absumus, ut ejusmodi hominibus favere velimus. Quòd si præter cætera istud prætereà comminiscuntur, certè perspicuum est, eos in Deum opt. max. falsò ementitos esse. At æquæ res sunt, à quibus sua sponte abstineant illi, qui dominandi libidine accensi civitates invadere, & velut transfugæ ex una in aliam devolare, omnes denique recessus & latebras, potentiæ & facultatum augendarum studio, rimari non cessant*. Eudoxius se à Principe invitatum mentitus invaserat Ecclesiam Antiochenam. Addit Constantius inter eos fuisse & præstigiatores, qui dæmoniacis artibus sibi cathedras procurarent. Et Theodoretus: L. 2. c. 31. *Nullam non legem Eusebiani audacter & liberè perfringebant, dum suam impietatem stabilire molirentur. Atque fundamentum, quo eorum nitebatur blasphemia, erat sanctarum legum violatio. Siquidem multas ejusmodi res in multis locis novabant*. Et hæc ipsa Synodus in litteris ad Julium Pontificem de Valente Episcopo Mursiensi. *Valens relicta Ecclesia aliam invadere voluit*, utique Metropolitanam Aquilejensem, *sollicitavit, perturbavit, seditionem commovit* in electione per quosdam è depravata Plebe sibi patrocinantes, *atque unus è fratribus nostris Victor, qui fugere non potuit, obrutus & conculcatus die tertia defecit*. Tertia synodalis Epistola addit inter crimina, ob quæ Sardicensem Synodum horruerunt Eusebiani, fuisse *transpositiones à minoribus civitatibus ad majores paræcias*. Hinc ergò Hosius ejusmodi technarum ambitiosos artifices laica communione privat etiam in fine, idque contra tertium decimum Nicænum Canonem. Criminis enormitas flagitabat violentam adeò medicinam.

Neque tamen exstinctum malum. Etenim de Eudoxio Socrates. *Antiochenam Ecclesiam contempsit, & Constantinopolim divitiarum causa se contulit*, adjutus ab Acacio lusco, Cæsaræensium in Palæstina Metropolitano Episcopo, qui Dracontium, Pergami Episcopum, causa translationis nuper abdicarat, *contraria suis ipsius decretis imprudenter faciens*. Adeò vetustus est apud Græcos mos pessimus, de quo ad Basilium Augustum Adrianus secundus Pontifex in litteris exstantibus post Synodum octavam. *Neque enim nobis moris est, ut pro libitu proprio paternis sanctionibus abutamur, quemadmodùm quibusdam, qui apud vos summa Ecclesiasticarum rerum gubernacula moderantes, tunc Synodorum statuta, vel etiam Apostolicæ Sedis decreta proferunt, cùm vel alios lædere vel se juvare cupiunt, & hæc tunc silentio tegunt, quando fortassè contra se, vel pro aliis proponuntur*. Quod item Valens Patavinam postmodùm Ecclesiam, Sancto viro Marco Episcopo

L. 2. c. 34.
C. 33.

ſcopo ſuperpoſitus, invaſerit, Gratiano Auguſto queritur Synodus Aquilejenſis. Malum invaſit tandem etiam orthodoxos, adeò ut Sanctus Gregorius Nazianzenus illius in Synodo Conſtantinopolitana accuſatus reſponderit hujuſmodi Canonem non eſſe in uſu. Reſponſum Gregorio indignum. Hinc Damaſus Pontifex in Romana Synodo, cujus ad Paulinum Antiochenum Epiſcopum litteras refert Theodoretus, ſtatuit: *Qui ab Eccleſiis, in quibus vixerant, ad alias ſe tranſtulerunt, uſque eò ſint à noſtra communione alieni, quoad ipſas ad urbes redierint, in quibus erant primùm ad aliquem Eccleſiaſtici honoris gradum elati. Quòd ſi quis in alterius locum, qui mutavit Sedem, coaptatus ſit, tantiſper à dignitate vacet ille, qui civitatem propriam deſeruit, dum qui ei ſucceſſerit, obdormierit in Domino.* Admodùm mitigat Canones Sardicenſes: Euſebianum lolium vel ita conatus eradicare. Capuana ſub Syricio Pontifice Synodus, uti teſtatur Afrorum Canonum Codex, Epiſcoporum translationes vetuit, quomodo reordinationem ac rebaptiſmum. Sanctus Leo magnus in litteris ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, Vicarium ſuum per Græcas Illyrici Provincias, in quas, utpotè Orientalibus per Euſebianos corruptis confines, cœperat irrepere virus, ſtatuit translatum Epiſcopum *non ſolùm à cathedra pelli aliena, ſed & carere propria, ut nec illis præſideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per ſuperbiam ſprevit.* Latina Eccleſia dudum ignoravit hunc morbum, hoſtiliſſimè perſecuta: Aliud tandem illi perſuaſerunt temporum rationes, de quibus ſuo loco.

Carm. de vita ſua. — L. 5. c. 11. — C. 48. — Epiſt. 84. c. 8.

CANON III.

HOſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque neceſſariò eſt adjiciendum, ut nullus Epiſcoporum ex ſua Provincia in aliam Provinciam, in qua ſunt Epiſcopi, tranſeat, niſi utique à ſuis fratribus vocetur; ne videamur dilectionis fores claudere. Hoc autem etiam ſimiliter providendum eſt, ut ſi in aliqua Provincia Epiſcoporum quiſpiam adversùs fratrem ſuum & Coepiſcopum negotium habeat, neuter ex alia Provincia Epiſcopos cognitores evocet. Si quis autem Epiſcoporum in aliquo negotio condemnandus viſus fuerit, & exiſtimet ſe non malam, ſed bonam cauſam habere, ut etiam judicium renovetur; ſi veſtræ Dilectioni videtur, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ab iis, qui judicaverint, ſcribatur Julio Romanorum Epiſcopo, & per propinquos Provinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, judicium renovetur; & cognitores ipſe præbeat. Si autem probare non poteſt cauſam ejus eſſe talem, ut eam rursùs judicari opus ſit, quæ ſemel ſunt judicata, non infirmentur.

SCHOLION.

EUſebianæ factionis præſumptiones compeſcit Canon, habetque partes varias, deſumptas ex ſexto Nicæno. Primæ partis cauſam adducit Julius Pontifex, graviſſimè arguens Antiochenum factionis Synodum, quòd Eccleſiam Alexandrinam, alienæ Diœceſeos, atque autocephalam, diſponere, eique Epiſcopum eligere & ordinare præſumpſiſſet, & addens: *Plurimi alii Epiſcopi ex Thracia, Celeſyria, Phenicia, Palæſtina, huc convenere, inter reliqua dicta ſua conqueſti, vim & injuriam Eccleſiis illatam eſſe, ſuaſque Eccleſias eadem, quæ Alexandrina, paſſas eſſe.* Tertia Sardicenſis Synodi Epiſtola accuſat præſertim Euſebium Nicomedienſem, factionis Principem, Theodorum Heracleenſem, Narciſſum Neroniadis, Stephanum Antiochenum, Gregorium Laodicenſem, Acacium Cæſareenſem, Menophantum Epheſium, Urſacium Singidunenſem, & Valentem Murſienſem Epiſcopum: *Quòd depoſitos olim & ejectos ob hæreſim Arianam non ſolùm receperint, ſed & ad majores gradus evexerint, ex Diaconis Presbyteros, ex Presbyteris Epiſcopos facientes, non alium in uſum, quàm ut impietatem diſſeminarent, latiuſque diffunderent, & piam fidem corrumperent.* Ex Eccleſiis ad curam ſuam non pertinentibus ejecerunt utique orthodoxos Epiſcopos & Clericos, eorumque in cathedras & loca intruſerunt hoſce damnatos, atque ita, uti aſſiduè clamat Julius Pontifex, Apoſtolicos ac Nicænos Canones quaſi pedibus calcarunt. Ea de cauſa Urſacium & Valentem, *homines Pannonios, ab ultimis illis finibus in Orientem veniſſe*, ſcribit ad omnes Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopos Synodus Alexandrina. Illicitis ordinationibus turbaſſe univerſam Italiam, Gratiano Auguſto queritur Synodus Aquilejenſis. Nam & Romæ Liberium, Conſtantinopoli Paulum Epiſcopum ejecerunt, intruſeruntque Felicem & Macedonium. Adverſum haſce turbulentias ſtatuit

Epiſt. 4.

tuit Hosius: *Ut nullus Episcoporum ex sua Provincia in aliam Provinciam transeat.*

Addit: *In qua sunt Episcopi.* Etenim de proximis Apostolorum successoribus Episcopis scribit Eusebius Cæsaræensis: *A domiciliis suis peregre profecti munus obierunt Evangelistarum*, atque ita ubique Christi fidem plantarunt, & Ecclesias fundarunt. Omni persecutionum tempore durasse morem testantur Socrates & Zozomenus. Errat Nicephorus Calixtus primis illis Episcopis non fuisse fixas Sedes. Etiam pacatis Ecclesiæ temporibus Sanctum Victricium, Rothomagensem Episcopum, Flandriæ nostræ primum Apostolorum, laudat ex Sancto Paulino, Nolæ Episcopo, Martyrologium Romanum, quòd *Morinorum & Nerviorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidem Christi perduxerit*, omnesque illas usque ad Oceanum terras implerit Ecclesiis & Monasteriis. Et Sanctum Eusebium, Samosatensem Episcopum, quòd *tempore Constantii, Imperatoris Ariani, sub habitu militari incognitus, Ecclesias Dei visitarit, & in fide Catholica confirmarit.* Ubique ordinasse orthodoxos Clericos, addit Theodoretus. Alienas etiam Plebes à Donato ad Christum reducere studuerunt magno zelo Africani Episcopi, easque illorum Sedi perpetuò adscripsit Canon Carthaginensis. Hunc ergò propagandæ fidei spiritum Hosius noluit extinguere aut contristare.

L.3.c.31. L.5. c.9. L.7.c.9. Epist. 28. L.4.c.12.

Secunda Canonis pars damnat peregrina, primæ præsertim instantiæ, judicia, damnata item à sexto Nicæno Canone, eorumque præsumptores Eusebianos. Etenim Sanctum Athanasium, Ægyptiacæ Diœceseos Patriarcham, auctoritate Principis coegerunt extra ejus fines ad Synodum Tyriam, & in Antiochena damnavere. Eandem violentiam intulerunt plurimis aliis orthodoxis Episcopis, *Ecclesiastica judicia*, uti scribit Julius Pontifex, *non secundùm Evangelium, sed vel ad exilium, vel ad mortem instituentes.* Et hanc Canonis partem respicit Innocentius primus in litteris ad Victricium Rothomagensem, scribens quasvis causas seu contentiones, inter Episcopos, aut Clerum inferiorem exortas, terminandas ab ejusdem Provinciæ Episcopis synodaliter congregatis, nec quemquam posse ad alienæ Provinciæ judicium convolare, idque *secundùm Synodum Nicænam*, id est, uti Hincmarus Remensis exponit, Sardicensem, quæ Nicænam lucidiùs explanavit. Sophronium Pompejopolitanum in Paphlagonia Episcopum, damnavit, teste Zozomeno, Synodus Seleuciensis, quòd *extraneos Judices ad causam suam cognoscendam delegisset.*

L.4.c.23.

Tertia Canonis pars continetur hisce verbis: *Ab iis, qui judicaverunt, scribatur Julio Romanorum Episcopo.* Exponit Innocentius primus in jam dicta Epistola, asserens, *in omnibus causis custodiendam Romanæ Ecclesiæ reverentiam*, & addens: *Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus*, utique Sardicensis, *statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referatur.* In omnibus causis Romanæ Ecclesiæ servandam dicit Appellationis, in majoribus autem, de Episcoporum statu definientibus, etiam Relationis reverentiam, idque post judicium Episcopale.

Etiam hæc pars impetit factionem Eusebianam, primam Apostolicæ Sedis conjuratam hostem, adversùs quam Julius Pontifex: *Si, ut dicitis*, Marcellus & Athanasius, *omninò in culpa fuerunt, oportuit secundùm Canonem, & non isto modo judicium fieri, oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? Quapropter si istic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem eos, quos certiores minimè fecerunt, postquam id egerint, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse nos volunt.*

Asserere videtur, nullum Episcopum sine prævia ad Sedem Apostolicam Relatione, ejusque prævia licentia deponi posse à Diœceseos aut Provinciæ Synodis, illam esse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem & Apostolicum Canonem, ideoque quæstio est, quomodo non pugnet cum Innocentio primo & hoc nostro Canone? Respondeo non pugnare. Quidquid enim de prævia Relatione dicit, tangit solam Alexandrinam Ecclesiam, Autocephalam, Patriarchalem, Apostolicæ Sedi privativè & sine medio subjectam, cujus proindè Episcopum nullus judicare potest, nisi Romana Sedes, uti suprà ad sextum Nicænum Canonem ex Synodo Ephesina audivimus de Patriarcha Antiocheno. Nihilominus Metropolitarum præsumptio varia, & in suffraganeos crudelitas, tandem coegit mutari & extendi regulam. Propter Hincmari, Remensium Metropolitæ, in Rothaldum, Suessionensem Episcopum, tragicam barbariem edixit Nicolaus primus nullum in Occidentem etiam Provincialem Episcopum deponi posse sine sua prævia licentia, post longas contentiones evicit tandem, domuitque superbum & Autocephaliæ præsumptorem hominis spiritum, de quo infrà.

Quarta Canonis pars tangit supremum Romanæ Ecclesiæ, & Sancti Petri Apostoli Privilegium, Romanas ex omni Ecclesia appellationes, impugnatas & ad exufflationem postulatas à factione Eusebiana, prima radice Schismatis Photiani. A Tyria & Antiochena Encæniorum Synodo, Judice peregrina, per calumniosas violentarum insidiarum technas damnatus Sanctus Athanasius, volutatusque per calamitates plurimas, appellavit Julium Romanum Pontificem, ejusque exemplum secuti sunt, Paulus Episcopus Constantinopolitanus, Lucius Adrianopolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, aliique longè plures, similia à factione passi. Factionem judicem, judicii rationes daturam, evocavit Romam Julius, *secutus*, uti scribit Theodoretus, *Ecclesiæ Canonem*, utique Apostolicum atque divinum. Causæ diffisi, Romam, quòd illic sine milite & L.2.c.5.

Com-

Commentariensi judicandum nossent, timuere factiosi, variasque prætexuere excusationes: Brevitatem præfixi temporis, bellum Principis in Persas, aliaque id genus solemnia tergiversantium. Quare fatigatus Pontifex processit in causa; appellantes recepit in communione, restituit in Sedes, restitutorias litteras ubique divulgavit, durissima minatus attentaturis deinceps similia in Episcopos Orthodoxos.
L.3.c.7. *Propter Sedis dignitatem*, inquit Zozomenus, *cura omnium ad ipsum spectat*. Et Socrates: *Ecclesia Romana Privilegium habet præ cæteris*.

Addit Zozomenus de Eusebianis: *Quibus illi graviter commoti convenerunt denuò Antiochiæ in unum, & Epistolam verbis elegantibus ornatam ad Julium scribunt, eamque plenam ironiæ, & injuriarum non expertem gravissimarum*, de quibus omnem suam Synodum erubuisse testatur Julius in litteris responsoriis. Iniquissimè tulerunt rescissas suas sententias, *tamquam factum iniquum*,
Julius Epist. 4. *& à lege Ecclesiastica alienum, quòd inconcussam habeat auctoritatem quælibet Synodus, & contumeliosè agatur cum Judice, cujus judicium ab aliis examinatur*. Romam Ecclesiam dixere aliis Patriarchalibus nullatenus prælatam, quòd *par, idemque bonor sit in omnibus Episcopatibus* Patriarchalibus, *neque ex magnitudine civitatum* honor ejus rei crescat; Petrum & Paulum docuisse Romæ, at missos ex Oriente; antiquum Canonem, qui recipi vetat damnatum alienum, obligare etiam Romanum Episcopum, uti patet ex Pauli Samosatensis damnatione, cui Romana Sedes non se miscuit, ideoque Julium Pontificem esse prævaricatorem Canonum, primamque radicem omnium harum discordiarum. Pergit Zozomenus: *His de causis ad hunc modum*
L.3.c.7. *criminati, & sibi factam injuriam testati, Julio pacem & communionem pollicebantur, si modò abdicationem eorum, qui ad ipsum perfugerant, approbaret; sin autem resisteret ipsorum decretis, contraria se facturos prædicebant*. Hæc omnia ex odio Athanasii.

Eusebianis Constantius, Constans Augustus Sedi Apostolicæ favebat, minatus bello impetere fratrem, nisi hisce tragœdiis daret finem. Hinc tandem indicta, datura finem, Sardicensis Synodus, & retractatura non tantummodò Julii Pontificis de memoratis Episcopis judicium, sed & legem Evangelicam, Apostolicum Canonem, perpetuamque Ecclesiæ consuetudinem, in quibus Sedis suæ super omnes Primatum & supremam potestatem ille fundabat. Imitatus est Julius Antecessorem suum Melchiadem, qui, pacis causa, suum de Donatistis judicium retractari permisit ab Arelatensi Synodo: Apostolicæ enim Sedis, etiam de factis & personis, judicium, non nisi de ejus licentia potest etiam à generali Synodo retractari.

Ambæ ergò Partes convenere Sardicam. Hosius, Cordubensis Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus, Julii judicium quousque retractatum reformetur, præsumi voluit ratum & validum, adeoque Episcopis per ipsum restitutis dari in Synodi consessu plenam Episcopalem communionem, honorem, suffragium, Sedem: Adeò autem id aversata est Eusebiana contumacia, ut facto aperto schismate secesserit Philippopolim, vicinam Thraciæ civitatem, initoque istic Conciliabulo aggressa sit facinus hucusque à Sole non visum. *Nos*, inquiunt in synodali sua Epistola, *omninò communicare noluimus, nisi eos, quos damnavimus, projecissent, & dignum honorem Concilio Orientis tribuerent*, fatendo istud supremum ac inconcussum, à quo ad Romanum Episcopum non queat appellari. Hæc est prima radix pessimi erroris asserentis Ecclesiæ regimen esse Aristocraticum, ex æquo divisum in tres Patriarchas. Dignum erat ab eisdem impeti Privilegia Petri Apostoli, à quibus impetebatur divinitas Filii Dei.

Pergunt in sua Epistola; *Verùm nos iterum illos atque iterum rogabamus, ne firma solidaque*, datas in Athanasium & alios Episcopos sententias, *concuterent, ne subverterent legem, nec divina jura turbarent, ne cuncta confunderent, atque traditionem Ecclesiæ, ne quidem modica pace, frustrarent, sed nec novam sectam inducerent, aut Orientalibus Episcopis, Conciliisque sanctissimis, de Occidente venientes*, Legatos Apostolicos, *aliqua in parte præponerent*. Factas ad Sedem Apostolicam ex alieno Patriarchatu appellationes dicunt esse subversionem legis Evangelicæ, divini juris turbationem, cunctorum confusionem, Ecclesiasticæ traditionis frustrationem, novam Sectam. Addunt: *Quamobrem quoniam à Patrum traditione discedere non possumus, quia nec talem auctoritatem sumpsit Ecclesia Romana, nec talem potestatem accepit, supradictos ad honorem, dignitatemque Ecclesiæ, nec ipsi suscipimus, & suscipientes dignè damnamus. Sed nec alios, qui aut olim, aut posteà meritò damnati sunt, in Ecclesia recipimus, adhærentes legibus Dei, traditionibusque Paternis, atque Ecclesiasticis disciplinis, credentes Prophetæ dicenti: Noli transgredi terminos æternos, quos posuerunt Patres tui. Quare nos nunquam fixa, solidaque concutimus, sed magis ea, quæ sunt à parentibus constituta, servamus*.

Neque hìc stitit facinorosa audacia. Julium, Romanæ Ecclesiæ Pontificem damnant, graduque & communione privant *secundùm antiquissimam legem, ut auctorem communionis Athanasii & Marcelli, cæterorumque sceleratorum*, ut quinti Nicæni Canonis, alienum damnatum recipi vetantis, prævaricatorem, ideoque damnatorum communione contagiosa pollutum, atque ita cum illis prolapsum in eandem damnationem. Damnant *Julium, ut Principem & ducem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad solvenda jura divina, defendebatque Athanasium præsumenter atque audaciter, hominem, cujus nec testes noverat, nec accusatores*.

Eum arguunt, quòd *quærat Ecclesiæ Principatum, quasi aliquod tyrannidis regnum*, idque *non propter bonum justitiæ. Non enim Ecclesiis consulunt, qui leges juraque Divina, cæterorum decreta solvere perconantur. Propter hoc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio Orientales Episcopi quidquid fortè statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur; similiter quidquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus sol-*

veretur. Sed hoc ex illo suo pravissimo sensu tractabant. Verùm omnium Conciliorum, justè legitimeque actorum, decreta firmanda, Majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma sub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum Concilium ab Orientalibus confirmatum est; & iterum in Oriente sub Paulo Samosateno quod statutum est, ab omnibus est signatum. Hi sunt magistri, à quibus Wicleffistæ, Lutherani, Calvinistæ didicerunt Romanam Ecclesiam accusare tyrannidis atque invasæ potestatis.

Nec Belgium nostrum evasit eorum injurias. Etenim etiam Sanctum Maximinum, Trevirensem Episcopum, primæ Belgicæ Metropolitam, damnarunt, quòd eorum Emissarios, in Galliam destinatos, noluisset recipere; quòd Paulo Constantinopolitano Episcopo, per Julium absoluto & restituto, primus communicasset; quòd per Constantem Augustum procurasset Apostolicæ sententiæ executionem, reditumque Pauli in Sedem.

Hujus pessimi veneni reliquiæ dudum manserunt in Oriente. Etenim Constantius Augustus, factionis Eusebianæ satelles, Liberio Pontifici improperavit extensa ultra Patrum terminos jura Episcopatus Romani, idque causa Appellationis
Epist. 1. Athanasii; respondit verò Pontifex: *Nunquam mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata & custodita, perfeci, secutus morem, ordinemque Majorum, nihil addi Episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum.*

Etiam in prima Synodo Constantinopolitana Occidentis & Orientis Episcopos odiis capitalibus dissedisse, idque non ob fidem, sed ob thronos, in carmine de vita sua scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus. Quidam juvenes, turbidi, auro venales, in Ecclesia quasi in taberna agentes, utpotè tradux Eusebianus, Episcopi dixere Orientalem Ecclesiam Occidentali digniorem, ex ratione frivola, quòd in Oriente natus esset Christus. Paulinum Antiochenum Episcopum recipere detrectarunt, quòd Latinos, à quibus
Epist. 77. ordinatus erat, dicerent extraneos. Eosdem Episcopos respexit Sanctus Basilius, in Epistola ad Episcopos transmarinos, id est, Latinos, dicens nos, id est, nostrum Romanum Episcopum dici à quibusdam non *universalis Ecclesiæ caput*, sed *membrum* dumtaxat *locatum in aliorum ordine*. Etiam Theophyli Alexandrini Episcopi in Sanctum Joannem Chrysostomum nequissima factio, Innocentii primi Legatos, Romanam Joannis appellationem synodaliter retractari po-
Zozom. l. 8. c. 28. stulantes ab Arcadio Augusto, *ablegari curarunt tamquam Orientalis Imperii turbatores*. Eisdem armis rebellionem suam defendit Acacius Constantinopolitanus Episcopus; eisdem Photius hodierni schismatis author, de quo aliàs.

Adversùs hanc ergò Eusebianam hæresim novam atque audaciam dixit Hosius: *Petri Apostoli memoriam honoremus.* Quod verbum mirè torquet Græcos Schismaticos. Audiamus unum è ducibus, Theodorum Balsamonem: *Hujus Canonis decreto Summi Sacerdotes antiquæ Romæ in quacumque causa ab Episcopis provocationem ad ipsos dari jactant, ac eumdem in prima Nicæna Synodo conditum fuisse, falsò affirmant. Neque igitur hic Canon à Nicæna Synodo editus fuit, neque ad ipsum provocationes ab omnibus Episcopis, sed ab iis tantummodò, qui eidem subjecti erant, dari oportere decervit. Romanæ autem Ecclesiæ ditioni eo tempore omnes ferè Occidentis Ecclesiæ subjiciebantur, Macedoniæ nimirum, Thessaliæ, Illyrici, Peloponesi, & ejus, quæ Epirus dicitur; ut proindè ad illum provocationes ex his locis referri sit consentaneum.* Ait Romam appellari posse à solis Episcopis & Ecclesiis Patriarchico Romani Pontificis juri subjectis, eodemque pariter in suos Episcopos & Ecclesias jure gaudere omnes Patriarchas. Verùm cæcutit in luce media. Agitur enim de appellatione Athanasii, Pauli, Marcelli, Lucii, & Asclepæ, atque exindè statuitur Regula generalis: At verò Athanasius erat caput Diœcesis Ægyptiacæ, Paulus ex Thracica & Provincia Europæ, Lucius ex eadem & Provincia Hæmimontis, Marcellus ex Pontica, Asclepas ex Patriarchatu Antiocheno. Agitur de illa appellatione, quam novam sectam divino juri adversam dixere Eusebiani, dicitque etiam hodie in suis sequacibus Theodorus Balsamon: Quæ est omninò appellatio ex Patriarchatu alieno.

Rectè verò Julius Pontifex hanc suæ Sedis auctoritatem fundavit in jure Divino, Canone Apostolico, perpetuaque Ecclesiæ consuetudine. Scholiasten ago, ideoque solam consuetudinem, impudenter nimium negatam ab Eusebianis, ostendo aliquot exemplis. Montanum, Florianum, Blastum, pluresque ipsorum asseclas, suisse à variis per Antiochenam, Asiaticam, & Ponticam Diœceses Synodis damnatos, refert L. 5. c. 15. 18.
Eusebius Cæsaræensis ex antiquo Claudio Apollinario, Episcopo Hierapolitano; appellasse verò ad Zephyrinum Pontificem, postulantes sibi ac Ecclesiis sui reddi ablatam communionis pacem, testatur Tertullianus in libro contra Cap. 1.
Praxeam, durè in illum invectus, quòd circumscripto Pontifici dolosas Pseudo-Prophetæ technas aperiens, emissas communicatorias litteras, id est, priorum synodalium sententiarum dissolutionem, fecisset revocari.

Paulum Samosatensem, quidquid garriat Eusebiana factio, nequaquam sine Romani Pontificis auctoritate dejecit Antiochena Synodus. Ejus ad Dionysium Papam Relationem refert Eusebius, additque de Aureliano Augusto: *Cùm Paulus ex Episcopi domo, ejus Ecclesiæ propria, exire nollet, Imperator Aurelianus de ea re* L. 7. c. 24.
rogatus sententiam, sanctissimè, quid esset agendum, decrevit. Præcepit enim, ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ & urbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent. Sic demum Paulus cum summo dedecore, sæcularis Imperii ac potestatis auctoritate, ab Ecclesia penitùs extruditur. Quo quidem tempore talem & tam benignè erga nos animatum se Aurelianus declaravit. Pauli Patriarchæ causam jussit retractari à Romano Episcopo, utique juxta Canones Christianorum.

Antiqua Regula est, ad illum, qui Patriarcham aut Primatem in prima instantia judicare debet, posse eorum subditos ab illis provocare. At verò in Synodo Ephesina dixit Juvenalis,
Hierosolymæ Episcopus: *Ex Apostolico ordine & tradi-* Act. 4.

traditione mos est, ut Antiochena Sedes per Romanam dirigatur & judicetur. Locum id habet in quavis Patriarchali aut Primatiali autocephala. Hinc Dionysius Alexandrinus, uti in libro de ejus sententia refert Sanctus Athanasius, in prima instantia à Pentapolitanæ Provinciæ Episcopis delatus fuit ad Dionysium Papam, atque ab illo judicatus; Polycrates Ephesiorum à Victore primo, ab Stephano primo Firmilianus Cappadox, Primas Ponticorum. Hac de re nemo unquam orthodoxus dubitavit. Quare quidam hodie Catholici, affirmantes Romanas appellationes à Synodo Sardicensi cœptas, anteaque solis Relationibus agnitam Apostolicam Sedem ab aliis Patriarchatibus, palam accedunt Eusebianis.

Etiam Dioscorus, Patriarcha Alexandrinus, Eusebianos imitatus, ausus est excommunicationem scribere in Sanctum Leonem Pontificem, tamquam in quinti Canonis Nicæni prævaricatorem, pollutumque contagiosa communione Flaviani, Constantinopolitani Episcopi, aliorumque in latrocinio Ephesino damnatorum, quos appellantes absolverat, reddideratque communioni & gradui. At verò Chalcedonensis Synodus, in Relatione ad Valentinianum & Marcianum Augustos, facinus istud pulchrè vocat *latratum in Apostolicam Sedem*: Quod nempè non nisi ab homine rabido possit proficisci. Act. 3. Theodorus, Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, dixit *Chartam nefandam*; Paschasinus, Lilybeti Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus, facinus omnibus Dioscori aliis majus; Anatolius, Constantinopolitanus Episcopus, hocce unicum suffecisse ad Dioscori damnationem. Undè Episcoporum nullus ei misceri præsumpsit, nisi pauci Ægyptii, quos *flentes & lacrymantes* terroribus, & violentiis Dioscorus adegit. Eleganter hæc exponit Adrianus secundus in litteris ad Sanctum Ignatium, Patriarcham Constantinopolitanum, lectis in tertia Actione Synodi octavæ. *Universalis Chalcedone habita Synodus adeò hujusmodi temeritatem detestata est, ut in sententia, quam in Dioscorum protulit, hoc maximè memorare videatur, quod de ipso dicit:* SECUNDIS EXCESSIBUS PRIOREM INIQUITATEM VALDE TRANSCENDIT; PRÆSUMPSIT ENIM ET EXCOMMUNICATIONEM DICTARE ADVERSUS SANCTISSIMUM ET BEATISSIMUM ARCHIEPISCOPUM MAGNÆ ROMÆ LEONEM. *Priorem autem iniquitatem, pravitatem utique dicit hæreticam. Undè nota, quòd Dioscorus secundis excessibus, quos in excommunicatione Romani Papæ dictata patravit, etiam hæresim Eutychianam valdè transcendisse referatur. Hinc & Anatolius ait:* PROPTER FIDEM NON EST DAMNATUS DIOSCORUS, SED QUIA EXCOMMUNICATIONEM FECIT DOMINO ARCHI-EPISCOPO LEONI. Quocircà Facundus Hermianensis Episcopus Anatolii dictum longè aliter exponens non intellexit. Ita adversùs Photium, Ecclesiæ Constantinopolitanæ intrusum, Nicolaum primum Pontificem damnare attentantem, ad Adrianum secundum scribit in præfatione octavæ Synodi Anastasius Bibliothecarius, *cunctos præsentes, exceptis paucis impietatis fautoribus, clamasse, non esse justum in summum & primum Pontificem, & præcipuè ab inferiori, quomodolibet sententiam proferri, cùm id nec Canon quisquam admittat, nec aliqua Ecclesiæ consuetudo fieri doceat.* Et octava Synodus Photium *ob id etiam specialiter condemnavit, quoniam depositionem vel anathema præsumpsit in sanctæ memoriæ Papam Nicolaum nominare.* Et Theodorus, Cariæ Metropolita, sub Photio lapsus, & per Pœnitentiæ libellum restitutus, posteà tamen deprehensus, quòd depositioni Nicolai Pontificis subscripsisset, ab universa Synodo pro hac sola causa denuò dejectus est, ac Apostolicæ Sedis judicio reservatus, ex Adriani secundi in hoc crimen generali decreto. Act. 3.

Quæstio est, an de Romanis appellationibus aliquid decisum sit à Synodo Nicæna? Ita enim Romani Pontifices in suis passim litteris adfirmant. Et quidem Julius Pontifex hæc scribit ad factionem Eusebianam: *Qui benè sentiunt de iis, quæ egerunt, & in quibus ipsi judices fuerunt, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis judicatum est, ab aliis excutiatur, quippe qui securi sint, ea, quæ ipsi justa judicaverunt, injusta nunquam fieri posse. Quocirca Episcopi in magna Synodo Nicææ congregati, non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi, qui judices erant, præ oculis habentes secundum de ea re judicium futurum, cum omni diligentia causam expenderent, & illi, qui sententiam acceperant, certò agnoscerent, se non per simultatem priorum judicum, sed jure & merito condemnatos esse. Quòd si istiusmodi consuetudo olim fuit, ejusque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis.*

At verò obstat argumentum Hincmari, Remorum Metropolitæ, in Epistola ad Hincmarum Nepotem, Episcopum Laudunensem. *Si de appellatione, sicut in Sardicensi Concilio constitutum est, in Nicæno fuisset anteà statutum, nulla foret necessitas, ut iterum in hoc Concilio inde constitueretur, sed sicut in aliis Conciliis legitur, scriberetur, videlicet ut ea, quæ sunt in Nicæno Concilio constituta, ab omnibus conserventur.* Epist. 33. c. 20.

Respondeo frivolum esse Hincmari argumentum. Etenim Nicæna Synodus Episcoporum translationes insecuta est speciali Canone, neque tamen ad eum remittit easdem insequens binus Canon Sardicensis. Fateor itaque nullum Nicænum Canonem disertè statuisse de Romanis appellationibus. Canones enim, uti ad Eliam Aquilejensem Episcopum scribit Pelagius secundus, sunt natæ ex malis moribus bonæ leges; Nulla autem hæretica rabies adversùs supremum illud Sancti Petri Privilegium eò usque latrarat. Hocce sufficienter expressum & firmatum fuisse hisce verbis sexti Nicæni Canonis, *suis Privilegia serventur Ecclesiis*, ibi est dictum. C. 17. 18.

Verùm enim verò Meletius, Lycopolitanus Episcopus, jam pridem fuerat à Sancto Petro, Patriarcha Alexandrino, damnatus, transierat-que in rem judicatam sententia; nihilominùs Ni-

Nicææ contram Legatis Apostolicis retractata fuit, & quæ ob justitiam solvi non poterat, ex materna Romanæ Ecclesiæ pietate accepit gratiosum levamen & moderationem. Etiam Arii, malorum omnium radicis, pluriumque asseclarum ejus, ab Alexandro Alexandriæ Patriarcha definitivè damnatorum, causa retractata est, idque divina procuratione factum, & redactum in scriptum, affirmat Julius Pontifex, quò ita ex mente totius Synodi constaret, etiam Patriarcharum sententias ab injuriam passis posse impeti, devolvique, juxta perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, ad Sedem Apostolicam per appellationem. Cur verò Romani Pontifices hunc Sardicensem Canonem appellent Nicænum, dicam infrà.

In hoc appellationis communi refugio Stephanus, Tornacensis Episcopus, rectè dicit *consistere dignitatem Ecclesiæ Romanæ*. Est enim istud Petri Apostoli Privilegium, de quo Sanctus Bernardus ad Innocentium secundum Pontificem: *Hoc inter cætera vestri singularis Primatus insignia, specialiùs illustriùsque nobilitat vestrum & inclytum reddit Apostolatum, si eripitis pauperem de manu fortiorum ejus. Nulla, meo judicio, in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo æmulari consuestis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem justorum.* Nicolaus primus esse dicit illud privilegium, de quo Dominus ad Petrum: *Confirma fratres tuos.* Quod ipsum omnis orthodoxa antiquitas assiduè clamat. Et hinc quoties inter Romanam & Græcam Ecclesiam de unione tractatum est, primus semper à nobis exactus articulus fuerunt appellationes Romanæ.

Epist. 162. Epist. 198.

CANON IV.

GAudentius Episcopus dixit: Si videtur, necesse esse adjici huic sententiæ, quam sincera dilectione plenam protulisti, ut si quis Episcopus fuerit depositus judicio Episcoporum, qui sunt in vicinia, & dicat rursus sibi defensionis negotium competere; non priùs in cathedram alius substituatur, quàm Romanus Episcopus causa cognita sententiam tulerit.

SCHOLION.

HUnc Canonem aliis verbis adducit Sanctus Ignatius, Patriarcha Constantinopolitanus, in libello appellationis ad Nicolaum primum Pontificem, exstante post Synodum octavam. *Si quis Episcopus fuerit depositus, dicatque se habere defensionem, non priùs sufficiatur in locum ejus alius, quàm de eo Romanæ Ecclesiæ Pontifex decernat.* Crediderim esse Canonis sensum, non verba. Etenim à Joanne Scholastico, Patriarcha Constantinopolitano collectus, & in quinquaginta titulos digestus Canonum Codex, quo sub Patriarcha Ignatio usa omninò fuit Ecclesia Constantinopolitana, Canonem exprimit eisdem nobiscum verbis.

Epist. 29. 30. Ejus virtute Innocentius primus damnavit Arsacium, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopum, ejusque defuncti cum omnibus ejus communicatoribus nomen Ecclesiasticis Episcoporum tabulis jussit eradi, quòd Sancto Joanni Chrysostomo, pendente Romana appellatione, esset superordinatus. Ad Ecclesiam Constantinopolitanam adversùs ejus Episcopum Anatolium scribit Sanctus Leo magnus: *Quisquis incolumi atque superstite Flaviano Episcopo vestro, Sacerdotium ejus fuerit ausus invadere, nunquam in communione nostra habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari.* Nempè Anatolium Flaviano ab Ephesini Latrocinii damnatione Sedem Apostolicam appellanti superposuerat Dioscorus Alexandrinus Episcopus, Canonum contemptor. Grassatus ita fuerat in Episcopos plures, quos omnes, superpositis ejectis, restituit, aut per Synodum Chalcedonensem restitui jussit idem Pontifex, quos inter fuere Theodoretus Cyrensis in Provincia Eufratesia, & Ibas Edessenus, Metropolita Provinciæ Osrhoenæ. Eodem modo tractavit superordinatum Lupicini in Africa Episcopi, qui Romam appellarat è Mauritania Cæsaræensi. Januarii Malacitani Episcopi superordinatum etiam puniri jussit Gregorius magnus. Hincmaro Remensium Episcopo admodùm offensus fuit Nicolaus primus ex causis variis: Una fuit, quòd ille Rothaldo Suessionensi Episcopo, ab ejus judicio Romam provocanti, alium superordinare præsumpsisset. Romana quippè appellatio non tantùm devolvit causam, sed & suspendit omnia, priorem judicem omni potestate exuit, demutat in reum & accusatorem, atque adeò dum ille superordinare non metuit, committit latrocinale spolium & attentatum.

Epist. 22. L. 11. Epist. 52.

Hinc nata antiqua restituendi spoliati regula, de qua Sanctus Patriarcha Ignatius ad Nicolaum Pontificem in libello appellationis: *Postulavimus, ut legerentur Epistolæ, quæ Canonicas pro Sancto Chrysostomo sanctiones continebant, Joanni Concilium Judicum non priùs subeundum, quàm is loco suo thronoque esset restitutus.* Addit Nicolaus Pontifex in litteris ad Episcopos Diœceseos Constantinopolitanæ: *Quatenus Sede propria, nec non & omnibus suis antè sumptis, vestitus jam & armatus, cum accusatoribus suis certaminis campum & litigii conflictum possit arripere*, utique Episcopus appellans iniquè spoliatus. *Quod cùm in mundanis negotiis legibus fieri censeatur, multò magis,*

magis, ut in Ecclesiasticis atque divinis observetur, debet provideri.

Quare rectè rogat Gaudentius Episcopus, an hæc locum habeant etiam in secunda instantia, factaque secunda appellatione à judicio per Papam ad primum retractandum delegato? Hosius cum omni Synodo respondet affirmativè. Agunt hi Canones de sola Episcoporum Romana Appellatione, non quòd ea privent Clerum inferiorem, sed quòd istorum solam Eusebiani impugnarent.

CANON V.

HOsius Episcopus dixit: Placuit, ut si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati ejusdem regionis Episcopi eum gradu moverint, & veluti appellans confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & velit ipsum audire, & justum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari, Coepiscopis scribere dignabitur, qui sunt propinqui Provinciæ, ut ipsi diligenter & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sententiam ferant. Si quis autem postulet suum negotium rursùs audiri, & ad suam supplicationem Romanorum Episcopum judicare visum fuerit, ut à proprio latere Presbyteros mittat; erit in potestate ipsius quodcumque rectè habere probaverit. Et si decreverit, oportere eos mitti, qui cum Episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, à quo missi sunt; & hoc ponendum est. Si autem sufficere putaverit ad rei cognitionem, & Episcopi sententiam, faciet quod prudentissimo ejus consilio rectè habere videbitur. Responderunt Episcopi: Quæ dicta sunt, placuerunt.

SCHOLION.

PRima Canonis pars est ad Gaudentii scrupulum responsio, quam proindè & prima & secunda latina edirio perperam differunt in Canonem septimum. Altera pars exponit modum, à tertii Canonis parte posteriori tradi cœptum, quo Romanus Episcopus factas ad se appellationes suscipiat & exequatur. Postrema, inquam, tertii Canonis pars vult appellatæ causæ retractatorium judicium delegari aut vicinæ Provinciæ Synodo, aut datis Cognitoribus, noster verò de Pontificis latere legari Romanos Presbyteros, qui aut soli, aut cum alterius Provinciæ vicinæ Episcopis causam cognoscant & finiant. Hæc nempè est tertia ac postrema instantia, quam providè, ne in infinitum appelletur, solis vicinæ Provinciæ Episcopis sine Romanorum Presbyterorum adsistentia Canon non credit.

Gravis est quæstio, an appellatam causam ac ejus personas Pontifex teneatur aliquo modo ex dictis delegare in partibus, neque possit Romam ad suum tribunal evocare: An istud sit statutum hujus Canonis? Affirmavit cum sua Synodo Aurelius Carthaginensis Episcopus, cum Romana Ecclesia contendens de sui inferioris præsertim Cleri ad ipsam appellatione, ita in sexta Carthaginensi Synodo cum Faustino Potentino Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, servare stipulatus, quousque ex aliis Patriarchalibus Ecclesiis & archivis vera Nicænorum Canonum, in quibus pendebat omnis quæstio, exemplaria producerentur, uti ipse scribit ad Pontificem Bonifacium. Dat causam in litteris ad Celestinum Pontificem: *Quomodò transmarinum*, id est, Romanum *judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus vel propter senectutis infirmitatem, multis aliis intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt?*

Errorem pertinacissimè resumpsit Hincmarus Remensis Episcopus, offensus Nicolao primo & Adriano secundo Pontificibus, quòd ejus iniquissimas sententias in Rothaldum Svessionensem Episcopum, Hincmarum Laudunensem, & Remenses Clericos ab Ebbone Episcopo ordinatos, exufflassent. Videnda Epistola ad Nicolaum Pontificem de vocatione Ecclesiæ Cameracensis, Epistola seu Opusculum adversùs Hincmarum Laudunensem, ac præsertim Epistola scripta ex nomine Caroli Calvi Imperatoris ad Joannem octavum de judiciis & appellationibus Episcoporum & Clericorum. Inferiorem Galliæ Clerum Romanæ appellationis refugio penitùs privat, idque ex Canonibus Ecclesiæ Africanæ, ad Galliam non spectantibus, & tunc pridem reprobatis; appellantes autem Episcopos, & ab ipsis ob iniquam damnationem appellatos Metropolitas adserit Romam evocari non posse, sed judicium retractandum in partibus, quomodò voluit Aurelius Carthaginensis. Ex ejus unius tunc pridem damnato sensu nostrum Canonem ut magister irrefragabilis interpretatur. Ei adstipulantur Annales Francorum Bertiniani,

Epist. 17.
Epist. 33. c. 3.
Epist. 47.

cautè

cautè legendi, utpotè Semi-Pelagianismo & varia in Sedem Apostolicam injuria fœtidi, idque in gratiam Hincmari, & Caroli Calvi Regis, quem faciunt novum Constantinum, Theodosium, Marcianum: Legendi unà cum Annalibus Francorum Fuldensibus, eumdem Regem facientibus novum Sennacherib, aut Pharaonem.

Et quoniam Romanæ non tantùm appellationis, sed & evocationis potestas est sole meridiano clarior, vide, quid somniet à Nicolao Pontifice convictus & confusus Hincmarus. Præmittit hanc professionem: *Dignum & justum est, ut, quemcumque Episcopum Romanus Pontifex ad se Romam venire mandaverit, si infirmitas, vel gravior quæcumque necessitas, vel impossibilitas, sicut sacri præfigunt Canones, eum non detinuerit, ad illum venire studeat, multo magis etiam is, quem pro querela ad se quocumque modo clamantem præsentiæ suæ judicat exhibendum.* Verùm subdit: *Juxta Sardicense Concilium summus primæ & sanctæ Sedis Romanæ Pontifex pro examinis renovatione ad se reclamantem & confugientem cum sua clamatione dejectum provincialem Episcopum non statim singularitate privilegii, & auctoritatis suæ restituit, sed remittens eum ad Provinciam, ubi causa patrata est, & in qua, juxta Carthaginenses Canones, & jura legis Romanæ, causa potest diligenter inquiri, & quòd non sit difficile testes producere, veritas inveniri, aut finitimis Episcopis dignatur scribere, aut è latere suo mittit, qui habentes ejus auctoritatem cum Episcopis judicent, & diligenter causam inquisitam definiant, aut dignatur credere Episcopos sufficere, ut negotio terminum possint imponere.* Ait appellantem Episcopum posse Romam evocari à Pontifice, verùm ut ipsum solummodò audiat, retractandi judicii causa remittendum ad propria; quod est versatilis Hincmari more, uti dixit Nicolaus Pontifex, chamaleontem agere, & solemniter nugari.

Epist. 17.

Etenim hæc ipsa Sardicensis Synodus, in litteras ad Julium Pontificem, Eusebianos graviter arguit, atque à se damnatos dicit, quòd Romam ad reddendas sui in Athanasium, & alios appellantes Episcopos judicii rationes venire noluerunt: Et in litteris ad omnes sub cœlo Episcopos ait, eorum sycophantiam ex eo jam dudùm patuisse, quòd Romam accersiti non stiterint se judicio, *accessissent enim, si sui & actorum suorum fiduciam habuissent.* Hæc, inquam, Synodus præsenti Canone confirmat à Theodoreto laudatum antiquum Ecclesiæ Canonem, quem secutus Julius Pontifex, non tantùm Athanasii & aliorum Episcoporum appellationes suscepit, sed & eorum damnatores evocavit, reddituros sui judicii rationem.

Et hac potestate semper, nemine contradicente, usa fuit Sedes Apostolica. Quòd quosvis Episcopos, Clericos, Laicos Patriarchatui suo subjectos evocare possit, nec ipsi Eusebiani dubitarunt: Omnium in Occidente Ecclesiarum archiva sunt plena ejusmodi exemplis. Quoad Patriarchatus alios exemplum insigne est Flavianus, Patriarcha Antiochenus, ob schisma istius Ecclesiæ Eustatianum, evocatus Romam, de quo illius Encomiastes Theodoretus: Romani Pontifices *Imperatoris Theodosii animum contra Flavianum incitare obnixè studuerunt. Nam cùm Imperatori nimis acriter instando multum sæpè exhibuissent molestiæ, accersit eum Constantinopolim, & Romam proficisci jubet. At Flavianus respondet hyemem jam esse: Itaque pollicitus ineunte vere imperata se facturum, in patriam revertit. Sed cùm Episcopi Romani, non Damasus solùm ille admirabilis, verùm etiam post illum Syricius & Anastasius vehementiùs in Imperatorem invecti essent, dixissentque illum eos, qui tyrannidem contra se exercere molirentur, opprimere, sed his, qui per tyrannidem Christi leges evertere studerent, impunitatem concedere, eum accersit denuò Imperator, Romamque ut contendat, cogere laborat.* L. 5. c. 23. Proinde Romanæ Evocationis potestas, utpotè ab appellationis jure penitùs indivulsa, est Christi lex, ideoque Sanctus Ivo Carnotensis Episcopus, Stephanus Tornacensis, Sanctus Bernardus, & plurimi id genus, passim ajunt, Romanæ Evocationis mandatum esse sacrosanctum, cui refragari sit quasi peccatum ariolandi.

Hanc potestatem, plurimorum exemplum nunquam interrupta serie, in Orientales Ecclesias Romana exercuit usque ad tempora Sancti Ignatii, Patriarchæ Constantinopolitani, de quo ad Stephanum sextum Pontificem Stylianus, Neocæsarææ Episcopus, Metropolita Provinciæ Eufratesiæ, insigniter eruditus atque orthodoxus. Gregorius Asbesta, Syracusæ Episcopus, & Eulampius Apameensis, ab Ignatio dejecti in anathema, *Legatos cum litteris ad sanctissimum Papam Romanum, beatum Leonem quartum miserunt, illum sibi, ac si læsi essent, ultorem petentes. Papa ergò, datis ad Ignatium litteris, voluit, ut Patriarcha suo nomine Legatum Romam destinaret, per quem de causa cognosceret. Nec diu moratus Patriarcha Lazarum Monachum, & fidei confessione clarum, qui omnia, quæ ad Gregorium pertinebant, optimè noverat, cum litteris misit, qui Papæ causam diligenter exposuit.* Primus hanc seriem concussit impius Photius, vas plenum omni iniquitate, resuscitator rebellionis Eusebianæ. Quin & ipse Sanctum Ignatium, ut de maximo facinore, calumniatus est, quòd dicto Leonis quarti evocantis per Benedictum tertium iterato mandato, quasi alter Dioscorus, recalcitrasset.

Canonem ergò nostrum exponit Gregorius quartus Pontifex in litteris ad Episcopos Gallicanos de causa & Romana appellatione Baldrici Cenomanensis Episcopi, quarum partem Gratianus, integras verò in Conciliis Gallicanis producit Jacobus Sirmondus. *Liceat Baldrico post auditionem Primatum Diœceseos nos, appellare, & nostra auctoritate aut ante nos aut ante Legatos nostros è latere missos juxta Patrum decreta suas exercere, atque definire actiones, nullusque ante hæc illum judicet, aut judicare præsumat.* 2. quæst. 6. c. 11. Et Alexius Aristinus, homo Græcus: *Episcopus, si Comprovincialium judicium sibi non arriserit, & injustitiam sibi factam existimet, appellet ad Romanum, cui subjecta est illa Provincia, ad quem etiam ipse accedat, qui vel per seipsum sententiam examinabit, vel vicinis Episcopis Provinciæ appellationi judicium committet.*

Quo-

Quocirca hæc Canonis verba: *Per propinquos Provinciæ Episcopos judicium renovetur*, *Cognitores ipse præbeat*, *A latere suo Presbyteros mittat*, Romani Episcopi potestatem nequaquam coarctant, sed ampliant, dantque illi plenitudinem auctoritatis, ut non tantùm per semetipsum, sed & per vicinæ Provinciæ Synodum, per datos in partibus Cognitores, aut missos à latere suo Presbyteros possit appellatam causam retractare. Hoc evincunt hæc verba: *Erit in potestate ipsius, quodcumque rectè habere probaverit; faciet quod prudentissimo ejus consilio rectè habere videbitur*. Supra Romanam Ecclesiam nihil audet constituere Synodus, sciens illi omnia concessa à Domino. Rectè Sanctus Bernardus ad
Epist.131. Mediolanenses: *Romana Ecclesia potest à finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & ad suam præsentiam cogere, non semel aut bis, sed quoties expedire videbit*.
Seff.25. Et hinc in Florentina Synodo Græcis postulantibus: *Si quis putet se ab aliquo Patriarcharum pati injuriam, & veniat qui interponat appellationem, ne Patriarchæ ipsi se sistant judicandos, sed Papa mittat in Provinciam quamque inquisitores, & ibi per eos præsentibus negotiis in partibus injuriam passi jus suum obtineant*, rectè respondit Eugenius quartus, *se velle omnia Ecclesiæ suæ Privilegia*, utique auctoritatem evocandi etiam ipsos, à quorum sententiis provocari contigerit, Patriarchas, & quasvis personas alias necessarias causæ retractandæ. Quocirca aliud, licèt de causis levioribus, statuens Basileensis Synodus graviter impegit in Sanctum Petrum.

Aurelii Carthaginensis Episcopi fundamentum sunt antiqua nugamenta factionis Eusebianæ, damnantis Julium Pontificem, quòd *Athanasium præsumenter atque audaciter defenderet, hominem, cujus nec testes noverat, nec accusatores*. Eidem per Maximum Ecclesiæ Salonitanæ prævaricatorem Episcopum resumpto respondet L.5. Epist.
eleganter Gregorius magnus: *Nam quod postulas, ut illuc personam dirigere debeamus, qua præsente de his, quæ dicuntur, possit esse probatio, esset utcumque excusabile, si unquam ratio ei, qui accusatur, necessitatem probationis imponeret. At postquam non tibi, sed accusantibus hoc onus incumbit, ad nos dilatione cessante venire non desinas*. Potest tamen Pontifex, uti subdit Gregorius, evocare & accusatorem. Aurelii cogitationes tandem in manibus Bonifacii secundi Pontificis ejeravit Reparatus in Cathedra Carthaginensi successor: Hincmari autem technas damnavit octava Synodus, de quibus suo loco.

CANON VI.

HOsius Episcopus dixit: Si contigerit in una Provincia, in qua sunt plurimi Episcopi, unum Episcopum conventui non interesse, & ille per quandam negligentiam nolit convenire, & Episcoporum institutioni, & electioni assentiri, congregata autem populi multitudo suadeat, & instet, ut fiat institutio Episcopi, qui ab eis postulatur; oportet illum priùs, qui non adfuerit, Episcopum admoneri per litteras Primatis Provinciæ, nempè Episcopi Metropolitani, quòd rogat populus sibi Pastorem dari; & existimo rectè habere hunc quoque exspectari, ut adsit. Si autem litteris rogatus non adfuerit, ac ne rescripserit quidem; populi voluntati satisfiat. Oportet autem ex vicina quoque Provincia accersi Episcopos ad Metropolitani Episcopi institutionem. Non licere autem simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago vel parva urbe, cui vel unus Presbyter sufficit. Non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen & auctoritas vilipendatur. Sed Provinciæ (ut priùs dixi) Episcopi debent in iis urbibus Episcopos constituere, ubi etiam priùs Episcopi fuerunt. Si autem inveniatur urbs aliqua tam populosa, ut ipsa Episcopatu digna judicetur, accipiat. An hoc omnibus placet? Responderunt omnes, Placet.

ALIA EDITIO.

Hosius dixit : Si contigerit in una Provincia , in qua fuerint plurimi Episcopi , unum fortè remanere Episcopum , ille verò per negligentiam noluerit ordinare Episcopum , & populi convenerint ; Episcopi vicinæ Provinciæ debent illum convenire Episcopum , qui in eadem Provincia moratur , & ostendere , quòd populi sibi petant Rectorem , & hoc justum esse , ut & ipse veniat , & cum eo ordinent Episcopum . Quòd si conventus litteris tacuerit & dissimulaverit , nihilque responderit , tunc satisfaciendum esse populis , ut veniant ex vicinis Provinciis , & ordinent Episcopum.

SCHOLION.

L.3.c.20. Noster textus non attingit mentem Canonis ; prima latina Editio , qua usam olim Ecclesiam Gallicanam constat apud Flodoardum ex Hincmaro Remensi , est recta , ac omninò sequenda . Quædam Provinciæ , in quibus fuerant Episcopi plurimi , per incursum barbaricum redactæ erant ad duos aut unum Episcopum , quædam item ex prima institutione non nisi duos habebant . Etenim nostra , in qua olim Lovanium , secunda Germania non habuit nisi Agrippinam Metropolim, & civitatem Tungrensem. L.7. c.19. Quin de Schytia , quarta Thracicæ Diœceseos Provincia , Zozomenus : *Per Schytiam cùm sint civitates multæ , unum dumtaxat hæ omnes Episcopum habent* . Porrò quartus Nicænus mandat Episcopum ordinari ad minùs à tribus , tertius autem Sardicensis Canon vetat Episcopum , ordinationum faciendarum causa , transire in Provinciam aliam , nisi invitatum ab ejus Provinciæ Collegis . At quid si superstes in tali Provincia Episcopus nolit , etiam à vacantis Sedis populo rogatus , vicinæ Provinciæ Episcopos invitare ? Huic eventui providet noster Canon , statuens tunc à populo eos advocari posse , etiam ad ordinandum Metropolitam .

Hoc Canone Hincmarus Remensis apud Ludovicum Germaniæ Regem defendit sese , ostendirque non deviasse , dum ad ordinandum Bertulfum Treverensem Metropolitam , ab ejus suffraganeis Adventio Metensi , & Arnulfo Tullensi rogatus , misit suos suffraganeos Hincmarum Laudunensem , Odonem Belgivagorum , & Joannem Cameracensem . *Pontifex* , inquit apud L.3.c.20. Flodoardum , *non minùs , quàm à tribus prævalet regulariter ordinari . Et quia tot in eadem Provincia suffraganei non erant Episcopi , quoniam Ecclesiæ Remensis & Treverensis comprovinciales atque sorores & ex auctoritate, & ex antiqua consuetudine habentur , ea conditione , ut qui prior earum fuerit Episcopus ordinatus , prior etiam habeatur in Synodo , & sibi mutuò consilio & auxilio foveantur , atque fulciantur , Treverensis Provinciæ Episcopi à Primate Provinciæ Remorum solatium suæ ordinationis secundùm sacras regulas quæsierunt , sicut sancti Sardicenses Canones dicunt* . Treverensis ac Remensis , prima & secunda Provinciæ Belgicæ , sunt ex auctoritate & antiqua consuetudine sorores Comprovinciales , debentque sibi invicem consilium atque auxilium , quòd olim fuerint unica Belgarum Provincia , postmodùm sub perpetuum mansuro , cujus & in suo testamento meminit Sanctus Remigius , sororiæ germanitatis pacto divisa in duas .

Eundem Canonem respicit Wenilo , Senonensium Metropolita , Amulum Lugdunensem rogans , quatenus Augustodunensi Bernum , Ecclesiæ autem Cabilonensi Godelsadum ordinet Episcopos , & addens ; *Quòd si per absentiam Theutboldi Episcopi visum fuerit impossibile , quocumque tempore constitueritis , congruum vobis curabimus ex Episcopis nostris facere supplementum* . Nam & Senonensis Provincia est quarta Lugdunensis , ideoque primæ soror Germana . Exstant hæ litteræ inter Epistolas Sancti Lupi , Abbatis Ferrariensis . Epist.81.

Altera Canonis pars impetit antiquum abusum , de quo Hermias Zozomenus : *Apud quasdam nationes reperias , ubi & in pagis Episcopi ordinantur , sicut apud Arabes & Cyprios ego comperi , & apud Novatianos & Montanistas eos , qui degunt in Phrygia* . L.7.c.19. Nempe Montanistæ , à Catholicis de paucitate derisi , noluere semper cum suo Tertulliano dicere : *Ecclesia non est numerus Episcoporum* . L. de pudicit.c.21. Et in collatione Carthaginensi Alipium , nostrum Tagastensem Episcopum , improperantem Donatistis , quòd numeri ostentandi causa in villis & fundis ordinassent Episcopos , retudit Petilianus , eorum Episcopus Constantinensis : *Sic etiam tu multos habes dispersos per omnes agros , sanè & crebros sine populis* . Ejusmodi Episcopos lepidè vocat *imagines Episcoporum* . L.1.c.1

Porrò de Eusebianis hæc Athanasius in secunda Apologia : *Mareotes ager est Alexandriæ , quo in loco nunquam Episcopus fuit , immò ne Chorepiscopus quidem , sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent , ita tamen ut singuli pagi suos Presbyteros habeant . Sunt autem pagi isti maximi decem numero , aut aliquantò plures . Pagus autem , ubi habitat Ischyras , minimus est , & paucissimorum hominum , adeò ut non ibi , sed in proximo pago Ecclesia constituta sit . Nihilo tamen minùs hominem , qui ne quidem Presbyter erat , hujus pagi , præter Majorum traditionem , Episcopum appellaverunt . Non quidem ignari , ne ipsi quidem , quàm hoc absurdum esset , sed promissis*

redemptæ calumniæ adacti etiam illud sustinendum putaverunt, ne malignè habitus sceleratissimus Ischyras veritatem enunciaret, Eusebianorumque malitiam proderet. Epist. 3. Ischyras, inquit hæc nostra Synodus, *totus ex nequitia & fraude factus*, fuit Sancti Athanasii de exusto sacro libro, fracto calice, & destructo altari apud Synodum Tyriam calumniator, ac se Presbyterum mentitus: Ibidem. Hinc *ei calumniæ merces data est, nimirùm ut Episcopus nuncuparetur, cùm nondum Presbyter factus esset*: Episcopus pagi & paucorum rusticorum, sine Basilica & Presbyteratu. Ei quidem ædificari Ecclesiam jussit Constantius Augustus, at sacra jussio sine effectu mansit, atque ita Ischyras, totius Ecclesiæ ludibrium, non Episcopus, sed, uti dixit Petilianus, *Episcopi imago*. Factum id dicit Athanasius contra *Majorum traditionem*, haud dubiè Apostolicam, in pagis & vicis vetans jacere ac sordere Episcopi summum in Ecclesia nomen, mandansque illic ordinari solos Presbyteros, aut ad summum Chorepiscopos, Episcoporum per aliquot pagorum Diœceses vicarios, aut certè visitatores. Ita non adeò pridem, C. 57. *Majorum traditionem* confirmans, statuerat Laodicena Synodus, ejusque Canonem innovat & confirmat Hosius, offensus ab Eusebianis, qui dictum iniquitatis vas & imaginarium Episcopum secum ducere Sardicam ad Synodum non erubuerunt.

Hosce Canones respicit Sanctus Leo magnus Epist. 87. c. 2. in litteris ad Episcopos Mauritaniæ Cæsaræensis. *Illud sanè, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus Canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, & ubi ante non fuerunt, Episcopi consecrentur; cùm ubi minores sunt plebes, minoresque conventus, Presbyterorum cura sufficiat: Episcopalia autem gubernacula non nisi majoribus populis, & frequentioribus civitatibus oporteat præsidere, ne quod sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuerant, viculis, & possessionibus, vel obscuris & solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium, & honor, cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat*. Hinc omnes istic ejusmodi Episcopatus jubet exstingui.

Et duodecima Synodus Toletana Episcopatum, in sancti Pimenii monasterio à Stephano Emeritensi Episcopo ad violentam Wambæ Regis jussionem erectum, destruit, exsufflat, & C. 8. addit: *Si quis de cætero contra hæc Apostolica jussa & Canonum interdicta, in locis illis eligat Episcopum fieri ubi Episcopus nunquam fuit, sit in conspectu omnipotentis Dei anathema, & insuper tam ordinans, quàm ordinatus gradum sui ordinis perdat, quia non solùm antiquorum Patrum decreta, sed & Apostolica ausus est convellere instituta*.

Verba hæc, *ubi nunquam fuit Episcopus*, statuunt novam legem. Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, aut certè eorum Synodis semper licuit in locis competentibus, præsertim jure civitatis donatis à Principe, erigere novos Episcopatus. Nam & suam Diœcesim, erecta apud Fussalenses nova cathedra, dissecuit & decurtavit Sanctus Augustinus. Et dum Valens Augustus ex una Cappadocia fecit duas, Cæsaræensis Ecclesiæ decori primatiali providens Sanctus Basilius erexit varias novas cathedras, plurimumque indè fructum provenisse scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus. Nihilominùs natæ sunt & lites magnæ. Quis enim nesciat patrata ab Anthymo, Tyanensi Episcopo, novo adversùs Basilium Metropolita secundæ Cappadociæ? Episcopatuum novorum erectio passim peperit turbas, quas tandem extinxit Gregorius septimus, erectionem hanc Sedi Apostolicæ reservans, in dictatu: *Soli Pontifici licet novas Plebes congregare, divitem Episcopatum dividere, pauperes unire*.

At Sedem Apostolicam accusant quidam, quòd suæ in generalibus Synodis plenipotentiæ consulens, per regnum Neapolitanum in vicis & parvis locis erexerit tot Episcopatus. Respondeo accusari & injustè & imperitè. Leonis Isauri Imperatoris est opus istud. Ejus tempore, uti ex Epistolis Gregorii secundi patet, Roma erat medius limes Romanorum & Barbarorum; omnis ultra Romam Oriens Augustis Constantinopolitanis, omnis cis ipsam Occidens parebat Longobardis, Francis, Burgundis, Gothis, aliisque Barbaris. Quòd impiis ejus contra sacras imagines jussionibus servire nollet dictus Pontifex, dictus Augustus omnes Illyrici, Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ, reliquæque usque Romam Italiæ Provincias Romanæ Sedis Patriarchali potestati subtraxit violenter, transcripsitque in Patriarcham Constantinopolitanum. Sicilia ac Italicæ Provinciæ nullum huc usque habuerant Metropolitam, nisi Papam, cujus ob Apostolicæ Sedis reverentiam erat vastissima Provincia. Hinc Isaurus in Sicilia Syracusas erexit in Metropolim, postmodum à Nortmannis translatam Panormum Italiæ Provincias implevit Episcopis, hominibus sibi obstrictis, per quos miserum populum circumscriberet in suam impietatem. Multiplicavit & Metropolitas, quòd illi secundùm Canones Chalcedonenses, recipiendæ consecrationis gratia, accedere deberent Constantinopolim, & varia isthic profiteri. Nortmanni tandem invasere utramque Siciliam, Episcoposque subtraxerunt Constantinopolitano, Sedi tamen Apostolicæ non reddiderunt, usque ad Adrianum quartum Pontificem & Gulielmum secundum Siciliæ Regem, de quibus in supplemento Sigeberti Gemblacensis Robertus Montensis: *Gulielmus Rex cum Papa Adriano pacem fecit, cedendo ei consecrationes Episcoporum regni sui & Ducatus, sicut antiquitùs eas habuit Romana Ecclesia, undè discordia fuerat inter patrem suum Rogerium & Innocentium secundum, & Eugenium tertium, Romanos Pontifices*. A. 1. 57. Hasce consecrationes ad se ex Apostolico Canone spectare, scribit ad Michaelem Augustum Nicolaus primus. De hisce Episcopatibus ad avitum numerum & modum reducendis frequenter actum est, etiam nuper in Synodo Tridentina. At aliter visum est Sedi Apostolicæ, in cujus potestate jam esse audivimus, *quodcumque rectè habere probaverit*.

CANON VII.

HOsius Episcopus dixit: Importunitas nostra, & multa assiduitas, & injustæ preces effecerunt, ut nos non habeamus tantam gratiam & libertatem dicendi, quantam debebamus habere. Multi enim Episcopi non intermittunt ad castra accedere, & maximè Afri, qui, quemadmodùm cognovimus à dilecto fratre nostro & Coepiscopo Grato, salutaria consilia non admittunt, sed ita contemnunt, ut unus homo in castra plurimas & diversas, & quæ non possunt juvare Ecclesias, preces afferat, & non (ut debet fieri & convenit) pauperibus & laicis, vel viduis opem & auxilium ferat, sed sæculares dignitates & functiones aliquibus acquirat. Hæc ergò perversitas detrimentum non sine offendiculo & condemnatione nobis conciliat. Convenientiùs autem existimavi, ut Episcopus illi suum auxilium præbeat, cui ab aliquo vis affertur; vel si quæ vidua injuria afficiatur, vel si quis pupillus privetur iis, quæ ad ipsum pertinent. Si quidem hæc nomina justam habeant causam & supplicationem. Si itaque dilecti fratres, hoc omnibus videtur, statuite nullum oportere Episcopum ad castra accedere, præter eos quos pius Imperator noster suis litteris accersit. Sed quia sæpè contingit, aliquos, qui egent misericordia, ad Ecclesiam confugere, qui propter sua peccata vel relegatione, vel in insulam deportatione damnati, vel quavis sententia addicti sunt; iis non esse negandum auxilium, sed sine cunctatione & dubitatione iis veniam esse petendam. Si itaque hoc quoque placet, omnes unà quoque vestrum suffragium ferte. Responderunt omnes: Decernatur & hoc.

SCHOLION.

HOcce intercessionis officium esse nobilem Episcopalis muneris portionem semper existimavit Ecclesia, uti liquet ex Epistola Sancti Augustini ad Comitem Macedonium. Sanctum Ambrosium, ut pro Pagano, viro illustri, quòd Gratianum Augustum contumeliosè tractarat, capitis damnato, supplicaret, per ferarum portam unà cum venatoribus ingressum in amphitheatrum, atque illic supplicasse
L.7. c.24. spectanti Principi, scribit Hermias Zozomenus. Et ipse Ambrosius ad Theodosium Augu-
Epist.17. stum: *Debeo tuis beneficiis, quibus me petente liberasti plurimos de exiliis, de carceribus, de ultimis necis pœnis*. Ejusdem precibus dati fuerant Thessalonicenses, ideoque eorum cædem prævaricatorio Comitum consilio post peractam, adeo durè ab illo vindicatam adfirmat Presbyter Paulinus. Eodem pro reis zelo arsisse Sanctum Augustinum, variis exemplis ostendi possit, Sanctusque Possidius testatur. Etiam à Firmo, Mau-
C. 20. rorum Rege barbaro & gentili, ad depre-
L.24. c.25 candam à Theodosio Duce, Augusti patre, veniam legatos Episcopos scribit Ammianus Marcellinus.

Antiqua Sancti Nicolai Myrensis Episcopi acta plus dicunt. *Eodem propè articulo temporis, quo carnifex, vibraturus ictum, securim acceperat, compositis damnatorum cervicibus ad ferrum excipiendum, Nicolaus exclamans sistere carnificem jubet, & divino actus numine de manu ejus magna-* L.2.f.622.
nimus securim excussit in terram, vinctosque solvit. Quod ipsum posterioribus sæculis factum etiam à Balduino Vigornensi Episcopo scribit Rogerus Hovedensis. Quòd publicum latronem, à Comite Engolismensi ob populi contestatoriam contradictionem sibi negatum atque occisum, ad vitam revocarit Sanctus Eparchius monachus, Gregorius Episcopus Turonensis. Nam & monachi huic officio se miscuerunt. L.6.c.8.
Ejus causa Sanctum Antonium frequenter de solitudine egressum, habes à Zozomeno. Sanctus
item Bernardus ac Nortbertus eidem pietati stu- L.1.c.13. Epist.37. 38. 39.
duere.

Sanctissimum officium fœdare cœpit Paulus Samosatensis, de quo apud Eusebium Synodus Antiochena ad Dionysium Papam: *Ad maximam divitiarum affluentiam pervenit*, utique pro L.7.c.24.
reis intercedendo, atque *ita eorum liberalitate, qui litibus implicati tenebantur, quique, quò ab adversariorum calumniis liberarentur, ad dandum valdè propensi erant, nequiter abusus*. Sceleratum est istud lucrum, ideoque Sanctus Remigius, Remensis Episcopus, ab Eulogio, viro potenti, cui vitam & fortunas à Clodovei Regis gladio

gladio & fisco obtinuerat, oblatam Ecclesiæ suæ villam Sparnacensem recipere noluit:
L. 1. c. 14. *Bonum*, inquit Flodoardus, *cunctis relinquens exemplum Episcopis, cæterisque Sacerdotibus, ut dum pro his, qui ad Ecclesiæ sinum vel servorum Dei præsidia confugium faciunt, intercedunt, aut bona quælibet agunt, hæc pro temporali recompensatione non expleant, nec transitoria velint recipere, sed juxta mandatum Domini, quæ gratis acceperint, studeant quoque gratis impendere*. Intercessiones pretio facere est unum è facinoribus, quæ in Principum Eunuchis etiam gentiles fuere detestati. Rectè adversùm insanas Mon-
L. 5. c. 17. tani Prophetissas Apollonius, antiquus Ecclesiæ Scriptor apud Eusebium: *An non universa Scriptura videtur vetare Prophetam, ne munera & pecuniam accipiat? Quando ego igitur fortè video Prophetissam aurum, argentum, vestes pretiosas cupidè accipientem, quid est, cur illam non Prophetissarum numero excludam?* Alios nævos officio impegerant hoc tempore partim Eusebiani, partim orthodoxi, eosque corrigit Canon præsens.

Officium flaccescere cœpit ob tres postmodum causas. Primam edicit Paulinus Presbyter in vita Sancti Ambrosii: *Ambrosius ingemiscebat vehementer, cùm videret radicem omnium malorum avaritiam magis magisque crescere in hominibus, & maximè in iis, qui in potestatibus erant constituti, ita ut interveniendi apud illos gravissimus illi labor esset, qui omnia pretio distrahebant*. Alteram apud Flodoardum dat Sanctus Remi- L. 1. c. 14.
gius, dicens supra memoratum Eulogium fuisse *verecundiæ confusione depressum*, ideoque fieri voluisse monachum, *quòd contra natalium suorum decus vita donari per indulgentiam meruisset*. Apud barbaros ignominiosum erat ad Ecclesiæ preces de vindice Principis gladio liberari. Tertia causa, quam adducit Hosius, est *importunitas nostra, & assiduitas, & injustæ preces*, & vanitas, ex qua jam pridem fœlicium, quàm infœlicium negotiis malumus misceri.

CANON VIII.

HOsius Episcopus dixit: Hoc quoque vestra solertia dixit, ut quia visum est, ne aliquis Episcopus in condemnationem incidat ad castra veniens, si qui eorum ejusmodi, quarum superiùs meminimus, habeant preces, per proprium Diaconum mittant. Ministri enim persona non est invidiosa, & quæ concessa fuerint, citiùs perferri poterunt.

EDITIO ALIA.

HOsius Episcopus dixit: Hoc quoque Providentia vestra tractare debet, quia decrevistis, ne Episcoporum improbitas nitatur, ut ad Comitatum pergant. Quicumque ergò, quales superiùs memoravimus, preces habuerint, vel acceperint, per Diaconum suum mittant, quia persona ministri invidiosa non est, & quæ impetrarit, celeriùs poterit referre.

SCHOLION.

ETiam ex causis per Canonem præcedentem probatis nequit ipse Episcopus accedere, sed preces scriptas debet mittere ad Principis Comitatum. Primò, *ne Episcopus in damnationem incidat*, id est, ne suspectus fiat aut judicetur ex non probatis causis accessisse: ne infirmis ejusmodi judiciorum aut suspicionum, quibus ipse damnetur, det ansam. Deinde, quia *Diaconi persona non est invidiosa*; Defert enim non tantùm ab Episcopo, sed & à Metropolita suo probatas & signatas preces, ideoque non subjacet periculo jam dictarum suspicionum. Confidentiùs, quoniam alieno nomine, postulat à Principe, eidemque, utpotè dumtaxat ministro, possit Princeps liberiùs negare. Importunitatem displicuisse Principibus, liquet ex Comitis Macedonii Epistola ad Sanctum Augustinum. Tertiò, quòd Diaconus concessa citiùs perferre possit, utpotè non habens morosam pompam Episcopalis evectionis. Hunc Canonem respexit Paulinus Presbyter, dicens de Sancto Ambrosio, apud Theodosium pro militibus Eugenii tyranni partes secutis supplicante: *Ob-* Ambros.
secravit scriptis Imperatorem, misso Diacono. Erat Epist. 16.
is Felix Diaconus, postea Episcopus Bononiensis. Porrò *Comitatus* est vox Romana, de qua & Possidius in vita Sancti Augustini: *Apud Mediolanum, ubi tunc temporis Imperatoris Valentiniani Junioris erat Comitatus*, id est, Curia seu Aula. Quocircà Canon præscribit solis intercessionibus

ſionibus apud ipſum Principem, cujus auribus non niſi ex cauſis & modo dictis vult, uti & Synodus Antiochena loquitur, *adferri moleſtiam*. Antiqua Epiſcopis libertas manſit apud quaſvis Imperii Poteſtates officiales ſupplicandi per ſemetipſos.

CANON IX.

HOſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque conſequens eſſe exiſtimo, ut ſi in quacumque Provincia Epiſcopi ad fratrem & Coepiſcopum ſuum mittunt preces, is qui eſt in majori civitate, hoc eſt, in Metropoli, ipſe miniſtrum ſuum & preces mittat, præbens ei commendatitias quoque litteras, ſcribens videlicet per conſequentiam etiam ad fratres & Coepiſcopos noſtros, qui ſcilicet illo tempore in locis, vel civitatibus agant, in quibus piiſſimus Imperator Rempubl. gubernat. Si quis autem Epiſcopus habet amicos in Aula Palatii, & velit aliquid, quod ſit honeſtum & juſtum impetrare, ne prohibeatur per ſuum miniſtrum & rogare, & iis mandare, ut bonum ſuum auxilium ei velint præbere. Qui autem Romam accedunt (quemadmodùm ſuperiùs dictum eſt) dilecto fratri noſtro & Coepiſcopo Julio preces, quas habent dandas, præbere debent, ut ipſe priùs examinet, ſi quæ earum non ſint imprudentes; & ſic ſuam opem & curam præbens, eos ad caſtra mittat. Omnes Epiſcopi dixerunt, Eis placere, & eſſe convenientiſſimum hoc conſilium.

EDITIO ALIA.

ET hoc conſequens eſſe videtur, ut de qualibet Provincia Epiſcopi ad eum fratrem & Coepiſcopum noſtrum preces mittant, qui in Metropoli conſiſtit, ut ille & Diaconum ejus & ſupplicationes deſtinet, tribuens commendatitias Epiſtolas pari ratione ad fratres & Coepiſcopos noſtros, qui in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur, in quibus fœlix & beatus Auguſtus Rempublicam gubernat.

SCHOLION.

SOla Epiſcopi auctoritas nequit Diaconum mittere ad Comitatum: accedere debet & Metropolitæ judicium, qui preces diſcutiat, probet, ſignet, commendet, non tantùm Principi, ſed & Epiſcopo, in cujus parochia contigerit eſſe illum. Quæſtio erat, an Diaconus & preces dirigi poſſent ad ſolum Principem, nequaquam ad amicos Palatinos, futuros earum adjutores? An datæ ad hoſce litteræ eiſdem, quibus datæ ad Principem, legibus adſtringerentur? Reſponſum eſt non adſtringi. Dicta eſt à nobis ratio ad Canonem præcedentem.

Addit Canon, ut Romam tranſiens Diaconus preces ſuas exhibeat & ſubmittat Pontifici, quomodo ſubmiſerat Metropolitæ. Afris ſuis plùs impoſuere Canones Carthaginenſes: *Placuit, ut quicumque ad Comitatum ire voluerit, in formata, quæ ad urbis Romæ Eccleſiam mittitur, intimetur, ut indè etiam ad Comitatum formatam accipiat.* C. 106. Ne videlicet Donatiſtæ, uſurpato Eccleſiæ Africanæ nomine, poſſent, quomodo frequenter tentarant hactenus, Principi obrepere, deinceps ad ipſum ſine Romani Pontificis formata non admittendi.

CANON X.

HOsius quoque Episcopus dixit; Hoc quoque necessarium existimo, ut cum omni cura & omni diligentia examinetur; ut si quis dives, vel ex foro Scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur, non priùs constituatur, quàm Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere. Habebit autem uniuscujusque Ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & constantia, & moderatio possit cognosci: & ipse divino sacerdotio dignus existimatus maximum honorem assequetur. Neque enim convenit, neque scientia & bona conversatio hoc recipit, ut temerè & leviter ad id accedatur, ut Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus promptè ac facilè constituatur. Sic enim meritò Neophytus existimetur, quandoquidem beatissimus Apostolus, qui fuit etiam Doctor gentium, maximè prohibuisse videtur, ne celeres fierent institutiones. Longissimi enim temporis probatio & conversationem, & uniuscujusque mores non improbabiliter exprimere poterit. Omnes dixerunt ipsis placere, & omninò non oportere ea subvertere.

SCHOLION.

HUnc Canonem Nicolaus primus Pontifex, in litteris ad Episcopos Diœceseos Constantinopolitanæ laudatis in octava Synodo, esse dicit decimum tertium: Ex quo liquet Romanam Ecclesiam tunc usam prima editione latina. Hæc porrò est secunda Neophytorum species, de qua in eisdem litteris idem Pontifex ex Gregorio magno; *Apostolus Neophytum ad Ordines vetat sacros accedere. Sicut autem tunc Neophytus dicebatur, qui initio in sanctæ fidei erat conversatione plantatus, sic modò Neophytus habendus est, qui repentè in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit.* Vetustum in Ecclesia malum, cœptum ab antiquis hæreticis, quorum Ordinationes Tertullianus in libro Præscriptionum dicit esse leves, inconstantes, temerarias: Etenim *conlocant sæculo*, id est, sæcularibus desideriis, *obstrictos*. Ab his jure hæreditario traductum ad Eusebianos, de quibus Sanctus Athanasius in Apologia ad Constantium Augustum: *Posteaquam ex veris, senibusque Episcopis alii in exilium deportati essent, alii metu fugati, Ethnici homines, Catechumeni, primariique Decurionum, & quisquis fama opulentiæ notus erat, ad spem Episcopatus pro Christiana Religione Arianismum profitebantur. Neque deinde, ut Apostolus præcepit, quæsitum, si quis esset irreprehensibilis, sed juxta scelera impiissimi Hieroboam, si quis plus pecuniæ offerret, nomine Episcopi honorabatur. Nec apud illos ullo in discrimine erat, sive Ethnicus, sive non, modò aurum daret.* Hinc dicit Hosius: *Si quis dives*. Compescit enim Eusebianam simoniam.

Act. 7. L. 7. Epist. 112. C. 41.

Difficultatem faciunt hæc verba, *Ex foro Scholasticus*, id est, causarum Advocatus. Etenim Photius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ ex laico mœchus, dixit Canonem non de quovis laico, sed de solo *Forensi & Curiali* loqui, adeoque sui ex bonarum litterarum secreto studio adsumpti promotionem ei non adversatam. Respondet verò, & rectè, antiqua admonitio de Photii Pseudo-Synodo: *Sardicensis Concilii non est hic sensus*. Ait forum latissimè pro quavis sæculari vita accipi, agere Canonem de quovis laico, sive ex fori contentionibus, sive è quibusvis studiis adsumpto.

Etenim Syricius Pontifex, in litteris ad Himerium Tarraconensem Episcopum, & ad omnes orthodoxos, adeò Canonem intelligit de quovis laico, ut & ad Monachos extendat, in Diaconum, Presbyterum, aut Episcopum non promovendos, nisi custoditis singulorum ordinum præfixis interstitiis. Quis nesciat ejus animum à Sancto Paulino Nolæ Episcopo graviter aversum? Aversus creditur, quòd ille se à Lampio Barchinonensi Episcopo permisisset subitò Presbyterum è monacho consecrari. Eodem modo Canonem intelligunt Zozymus Pontifex in Epistola ad Hesychium Episcopum Salonitanum, Celestinus in Epistola ad Episcopos Calabriæ & Apuliæ, Leo magnus in litteris ad Anastasium Thessalonicensem, & ad Episcopos Mauritaniæ Cæsaræensis, Gelasius in Epistola ad Episcopos Lucaniæ, Symmachus in litteris ad Cæsarium Arelatensem, ad Auxanium ejus successorem Vigilius, variæque Synodi Gallicanæ. Gregorius magnus in litteris suis assiduè clamat, ne laica persona ad Episcopatum præsertim adsumatur, Ecclesiarum vacantium visitatoribus, quorum erat id impedire, gravia minatus.

C. 1. Epist. 3. C. 2. Epist. 84. c. 3. Epist. 87. C. 1. Epist. 9.

Porrò

Porrò in Canone nostro Hosius singulariter expressit divites, & Scholasticos, quòd ad arietandam Ecclesiam Eusebiani adsumerent præsertim ejusmodi. Gravissimum Ecclesiarum suo tempore morbum fuisse, queritur Sanctus Gregorius Nazianzenus Sextos, Pyrrhones, contradicendi libidine incitatas linguas, ad nihil vacantes, quàm ad novi aliquid cum Athenienfibus dicendum vel audiendum: Erant è foro adsumpti Episcopi, qualis & apud Donatistas fuit loquax ille Petilianus.

Rectè dixit: *Dives, vel Scholasticus*. Adsumpsere enim Eusebiani etiam homines imperitissimos, illotis manibus, ac prophanis animis sordidos; Saules inter Prophetas, judiciorum fidem pretio addictam habentes; Sacerdotes mercede dantes responsa, Prophetas non nisi numerato argento vaticinantes, quibus nomine, communione, consessu jungi Nazianzenus erubuit, ideoque abjecto Episcopatu fugit in Pontum, de quibus plura inferiùs ad Synodum Constantinopolitanam. Adeò Canon noster subitò sanare non potuit rabiem præsumptionis Eusebianæ. Orat. 1.

Etiam in Gallia grassatum est virus sub prima Francorum Regum serie. Hæc est Neophytorum hæresis, quam Sanctus Gregorius magnus inde ejecit. Etenim de Chilperico Rege, quem sui temporis Neronem atque Herodem vocat, scribit Gregorius Episcopus Turonensis: *Ejus tempore pauci Episcopatum Clerici meruerunt*. Et de Gumtramno, Rege in multis laudabili: *Cum jurejurando Rex pollicitus fuerat se nunquam ex laicis Episcopum ordinaturum: Sed quid pectora humana non cogat auri sacra fames?* Dalmatius Ruthenensis Episcopus moriens in testamento suo Regem adjuravit terribilibus Sacramentis, ne sibi successor è laico daretur, alii item Episcopi officio non defuere: At sine fructu, quousque se adjunxit Gregorius. Rectè vocatur hæresis, utique Simoniana: Francorum enim Reges auro vendebant cathedras suis præsertim Palatinis. L.6.c.46. L.8.c.22.

Altera Canonis pars servari mandat singulorum Ordinum interstitia, eaque esse longi temporis, quo ministrantis fides, probitas, continentia, moderatio plenè cognosci possit; atque ita ille probatus legitimo progressionis modo gradatim adscendere fastigium Episcopale. Interstitiorum tempora non determinat, relinquit Episcoporum arbitrio; determinavit postmodum Syricius Pontifex in supra laudatis litteris ad Himerium Episcopum Tarraconensem: In Lectoratu & Exorcistatu duos, in Acolytatu & Subdiaconatu quinque, quinque in Diaconatu, decem annos expleri mandat in Presbyteratu, atque tunc primùm posse evehi ad Episcopatum, addens servanda hæc etiam à monachis. Confirmant Celestinus & Leo magnus Successores in litteris ad Episcopos Galliæ, & Mauritaniæ Cæsareensis. Gelasius monachos omnibus à Lectoratu ad usque inclusivè Presbyteratum gradibus anno uno, laicos intra annum & medium insigniri permisit, verùm dispensatoriè ob summam in devastata per Barbaros Italia inopiam Clericorum. Eandem ob causam Passivo, Firmano Episcopo, vacantis Aprutinæ Ecclesiæ visitatori, mandat Gregorius magnus, ut Opportunum, probatissimum laicum, monachum faciat, & mox Subdiaconum, ac post aliquantum temporis promoveat in Episcopum. Eadem die dari plures Ordines sacros primus permisit Clemens sextus, uti notat & culpat Henricus monachus Rebdorffiensis. Epist. 9. L. 10. Epist. 13. A. 1342. 1351.

Tertia Canonis pars dat sui statuti duas rationes. Prima est, quòd scientia & bona conversatio non patiantur, ut Episcopus, Presbyter, Diaconus temerè, ac subitò fiant. Rectè enim Gregorius Nazianzenus ridet Eusebianæ factionis reliquias, quòd passim Episcopos, Angelis atque Archangelis æqualem paraturam, *unius dieculæ spacio, velut simulacrum ex argilla, fingerent*. Quem in vita Sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani imitatus Nicetas Paphlago Photium, Ecclesiæ Constantinopolitanæ ex laico mœchum, vocat *Sanctum extemporalem*, ac ipse in octava Synodo Ignatius: *Natum subitò juxta fabulas gigantem*, id est, rem impossibilem, fabulisque adnumerandam. Orat. 1.

Altera ratio est, quòd laicus ex Apostolico Canone sit reverà Neophytus, licèt non ille, de quo dictum: *Oportet Episcopum esse non Neophytum*, tamen ille, de quo dictum: *Nemini citò manus imposueris*, &: *Hi probentur primùm*. Probari enim non possunt, nisi longissimi temporis in singulis gradibus ministerio, & conversatione. Et quoniam id non tantùm de Episcopis & Presbyteris, sed, & de Diaconis dixit Apostolus, ideò ad eosdem Canonem quoque Hosius extendit. Ex quo postmodum secunda Synodus Arelatensis, Syricius Pontifex, cunctique ejus successores accepere fundamentum secundi Nicæni Canonis, qui de solis Episcopis, & Presbyteris statuit, etiam ad Diaconos extendendi.

Quantùm Romana Ecclesia promotiones hujusmodi semper sit aversata, liquet ex Anastasio Bibliothecario in vita Stephani quarti. Etenim Constantini laici per ejus fratrem Totonem, Nepesinæ civitatis Ducem, in Papatum intrusionem esse dicit impiæ præsumptionis propositum, in Ecclesia Dei inauditam ac impiam novitatem, novitatis errorem, impiam novi erroris, ac temeritatis præscriptionem: Ejusque causa Constantinus cum omnibus ab illo ordinatis Episcopis & Clericis synodaliter damnatus est, ab irato ob Apostolicæ Sedis injuriam Romano populo violenter excæcatus, cæcusque, ad instar fatui salis, abjectus in plateam. Antiqua tamen de Photii Pseudo-Synodo admonitio fallitur dicens: *Romanæ Ecclesiæ nullum*, hoc dempto schismatico invasore Constantino, *unquam datum è laico Pontificem*. Ita enim, Spiritu sancto, qui supra omnes Canones, per columbam designante, electum Sanctum Fabianum Eusebius adfirmat. Ita & Sanctus Severus promotus ad Ravennæ Ecclesiam, cujus electiones dudum per columbam fuisse divinitùs directas, ostendit Hieronymus de Rubeis in ejus Annalibus. L.6.c.22.

CA-

CANON XI.

HOsius Episcopus dixit : Hoc quoque definire debemus ; ut quando Episcopus ex alia civitate in aliam civitatem, vel ex alia Provincia in aliam Provinciam accesserit, jactationis gratia propriis laudibus magis serviens, quàm religionis sanctificationi, & velit longiori tempore illic agere, illius autem civitatis Episcopus doctrinæ non fuerit peritus ; ne illum despiciat, & frequentiùs concionetur, studens dedecore afficere & vilipendere personam Episcopi (hic enim prætextus solet turbas excitare) nec ejusmodi calliditate alienam Sedem sibi conciliare & attrahere studeat, non dubitans sibi traditam Ecclesiam relinquere, & in aliam transire. Ad hoc ergò tempus definiendum est. Nam Episcopum non recipi, inhumanum & incivile existimatum est. Recordemini autem, Patres nostros in tempore præterito judicavisse, ut si quis laicus in aliqua urbe agens, tribus diebus dominicis, in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur. Si hoc ergò de laicis statutum est, non oportet, nec convenit, sed neque est utile, Episcopum, si nullam habet graviorem necessitatem, vel negotium difficilius, à sua Ecclesia diutius abesse, & sibi commissum populum deserere. Omnes Episcopi dixerunt, Hanc quoque sententiam esse convenientissimam.

SCHOLION.

CAnonem intelliges ex facto Severiani Gabalensis Episcopi, & Antiochi Ptolomensis in Phœnicia, quos Constantinopolim venisse quæstus causa concionaturos, primasque istic in Sanctum Joannem Chrysostomum turbas movisse, referunt Socrates & Zozomenus. L. 6. c. 21. L. 8. c. 10. Ruffinus in litteris ad Macarium culpat Sanctum Epiphanium, quòd *se per omnes gentes & linguas evangelizandi necessitatem habere putaret*. Etiam Dorotheum, Marcianopolitanum Episcopum, secundæ Mesiæ Metropolitam, Constantinopoli coram Nestorio Patriarcha concionari solitum, atque ita istic Nestorianæ lepræ largas propagines fecisse, scribit Sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus ad Celestinum Pontificem & Acacium Episcopum Berrhæensem. Basilius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Archimandrita, in precibus ad Theodosium Augustum, addit repugnare sacris Canonibus, huic utique nostro Sardicensi. Et Persidis atque Armeniæ Clerus apud Proclum Constantinopolitanum Episcopum, in precibus coram quinta Synodo lectis, accusat Theodorum Mopsuestenum Act. 5. f. 551. Episcopum, quòd *vili secundæ Ciliciæ oppido non contentus in Antiochena Ecclesia, Paræcia ad eum non pertinente*, ausus sit, *tamquam eruditus sermocinator prædicare*. Eundem istic prava prædicasse, ac ex ipsa eorum revocatione popularem auram venatum & consecutum scribit ad Nestorium Constantinopolitanum Joannes Episcopus Antiochenus. Hujusmodi ergò *declamatores*, *rabulas*, *garrulosque sine ratione* circumforaneos, quorum, uti ad Nepotianum Sanctus Hieronymus scribit, unicus scopus est, *verba volvere*, Epist. 2. *& celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere*, ejus volubilem animum à proprio Episcopo distrahere, atque ita illius Cathedram venari, noster Canon compescit.

Attamen quia hospitem Episcopum ejicere, aut non recipere, est incivile atque inhumanum, ejus apud alienam Ecclesiam moræ tempus præfigit Hosius ex vigesimo primo, qui de laicis statuens longè potiori jure extendi possit ad Episcopos, Canone Eliberino. C. 80. Hic est pro Episcoporum residentia palmaris Canon, C. 41. innovatus postmodum, licèt ex alia causa, à Synodo Trullana & Francofordiensi, ab Agathensi etiam ad Presbyteros & Diaconos extensus. Neque tamen verbi adjutorium fratri à fratre impendi penitùs vetat, dummodo impendatur, quomodo ab Honorato Massiliensi Episcopo impensum laudat in catalogo Gennadius Presbyter Massiliensis.

CANON XII.

HOsius Episcopus dixit : Quia nihil est prætermittendum , hoc quoque definiatur . Quidam fratres et Coepiscopi in civitatibus, in quibus Episcopi constituuntur , videntur valdè pauca , quæ sibi sint propria , possidere ; in aliis autem locis magnas possessiones, ex quibus etiam possunt opem ferre pauperibus : Iis ita concedendum esse judico , ut si in suas possessiones venturi sunt , et fructus suos collecturi, tribus diebus Dominicis , id est , tribus septimanis in suis possessionibus degant ; et in Ecclesia , quæ propè est , in qua Presbyter populum congregat , ne congregationis expers esse videatur , conveniat , et officia divina obeat ; et ne frequentiùs in civitate , in qua est Episcopus , adsit . Eo enim modo et res ejus propter ipsius absentiam nihil detrimenti patientur , et arrogantiæ ac superbiæ crimen effugere videbitur . Omnes Episcopi dixerunt : Placet quoque constitutio.

SCHOLION.

Epist. 33. c. 2. ETiam hunc Canonem innovat Synodus Francofordiensis , ejusque vigore Hincmarum Laudunensem Episcopum reprehendit Hincmarus Remensis, quòd ad Abbatiam , ex Regio beneficio obtentam in aliena Provincia , frequenter tenderet , *diutiùs contra Sardicenses Canones immorans* , utique ultra tres Dominicas, seu septimanas.

At cur illis Dominicis jubetur hospes Episcopus in proxima rurali Ecclesia adesse Divinis , cur vicina Cathedralis vetatur , cur hanc adire est superbiæ & arrogantiæ, seu crimen , seu suspicionem incurrere ? Rationem dat prima Synodus Arelatensis : *Ut peregrino Episcopo locus sacrificandi detur* . Hospiti Episcopo plurimus semper delatus fuit honor. Oblatus , immò quasi violenter impositus in publico Ecclesiæ conventu ; non tantùm sacrificandi , sed & concionandi locus , adeò ut quidam urbaniores Episcopi hospiti suo , tanquam suffraganei Metropolitano, ad sacrificium inservirent . Ejus honoris quidam avidi obibant alienas Ecclesias : Hanc vanitatem circumcidit Canon , præsertim in aliena Ecclesia concionandi cupiditatem & ansam , proscriptam à Canone præcedenti .

Confundit item Arnoldum Brixiensem , Chilpericum Francorum Regem , Fredericum secundum Imperatorem , Wicleffistas, aliosque Ecclesiasticarum possessionum, ac divitiarum osores, blaterantes olim Ecclesiam vixisse ex solis fidelium quotidianis oblationibus . Etiam quosdam malè opulentos Episcopos & Clericos , qui easdem possessiones esse putant non *munus reddendæ rationi obnoxium* , *sed vitæ adjumentum* , *liberumque imperium* , *omni rationum metu solutum* . Sunt res in opem pauperum impendendæ. Greg. Naz. Orat. 1.

CANON XIII.

HOsius Episcopus dixit : Hoc quoque omnibus placeat ; ut si Diaconus , vel Presbyter , vel etiam aliquis ex Clericis sit excommunicatus , & ad alium Episcopum, qui eum novit , confugerit , scientem eum à proprio Episcopo esse communione motum ; non oportere Episcopo & fratri suo injuriam facientem , ei communionem præbere . Sin autem hoc facere ausus fuerit , sciat , cùm convenerint Episcopi , se ipsum causam esse dicturum . Omnes Episcopi dixerunt : Hoc judicium et pacem usque custodiet, et omnium concordiam tuebitur.

SCHOLION.

ESt innovatio quinti Nicæni Canonis , idque contra Eusebianos , qui Julium Pontificem de suscepto, ac restituto Athanasio , tanquam dicti Canonis prævaricatorem criminantes, legitimè damnatis per nostros Episcopos Clericis ubique aperiebant Romuli asylum .

CANON XIV.

HOsius Episcopus dixit: Quod autem me undequaque movet, retinere non debeo. Si inveniatur quis Episcopus ad iram propensus (quod quidem ab ejusmodi homine abesse debet) et adversus Presbyterum, vel Diaconum citò commotus, eum ex Ecclesia eiicere voluerit; providendum est, ne is repentè condemnetur, et communione privetur. Omnes Episcopi dixerunt: Qui eiicitur, potestatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolis ejusdem Provinciæ: Si autem Metropolitanus abest, ad finitimum concurrendi, et rogandi, ut suum negotium accuratè examinetur. Neque enim non sunt aures præbendæ iis qui rogant. Ille quoque Episcopus, qui jure vel injuria eum expulit, æquo animo ferre debet, ut rei fiat examinatio, et vel ejus confirmetur sententia, vel corrigatur. Priusquam autem diligenter et ex fide singula examinata fuerint, qui communionem non habet, non debet ante rei cognitionem sibi communionem arrogare. Si autem Clerici aliqui convenerint, et ejus superbiam et arrogantiam viderint, quia non convenit contumeliam, vel injustam expostulationem pati, acerbioribus et gravioribus verbis eum debent corrigere; ut ei, qui jubet, quæ decent, inserviant et obediant. Sicut enim debet Episcopus ministris sinceram dilectionem et affectum præbere; eodem modo et subjecti debent Episcopis non fraudulentum ministerium et obsequium exhibere.

SCHOLION.

ETiam hic Canon est innovatio quinti Nicæni. Postremæ partis sensum meliùs exprimit prima Editio latina: *Hi verò*, utique Episcopi, *qui conveniunt ad audiendum, si viderint Clericorum esse fastidium & superbiam, quia jam non decet ut Episcopus injuriam vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo: Quia sicut ille Clericis synterum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere ministeria.*

Porrò quod de finitimo, dum Metropolita abest, Episcopo Canon statuit, ubique non fuit receptum. Quædam Provinciæ eo casu ad suum Proto thronum, aut, ubi non erat ejusmodi, ad Seniorem Comprovincialem, utpotè absentis Metropolitæ vicarium, voluerunt provocari. At hæc omnia jam pridem cessant, ex quo Sedis Metropolitanæ vacantis potestas data est Capitulo, & vicariis ab ipso electis.

Hoc Canone Hincmarus Remensis Episcopus abusus est ad Clerum Galliæ inferiorem Romanæ appellationis asylo spoliandum, ex Caroli Calvi Imperatoris nomine scribens ad Joannem octavum Pontificem: *Potest fieri, ut illi, qui in vicinis Parochiis sunt hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique, juxta sacras regulas, ad manus impositionem & ad Synodos huc convenire solent, ipsi pro reclamatione Presbyterorum suorum ad examinationem conveniant, sicut sacri Canones ac leges præcipiunt, ut ad Primatem uniuscujusque Provinciæ, qui negocia videntur habere, concurrant, vel ad Synodum, qui se læsos existimant, quò non sit difficile testes producere, invitentur. Transalpinis autem, & aliis, qui similiter in longinquis regionibus commorantur, Apostolica Sedes & sacrorum Canonum promulgatores, loquente in eis Spiritu sancto, quæ sunt unicuique Provinciæ possibilia, & auctoritati convenientia, atque paci Ecclesiæ congruentia, tenenda & exequenda discretissimè præfixerunt.* (Epist. 47. c. 13. 21.)

Remensium Clericorum, ab Ebbone Archi-Episcopo ordinatorum, & per Nicolaum Pontificem, ad quem damnati appellarant, factam restitutionem jam pridem oderat Hincmarus, ejusmodi præsertim ob causas non sustinens appellatos Episcopos Romam evocari. Hinc Joannis Pontificis afflictiones varias, & animum in illis non satis firmum nactus, non ampliùs supplicandum duxit Sedi Apostolicæ, sed per Carolum Augustum, quasi per alterum Justinianum, præscribendas Authenticas & Novellas. Quemque Metropolitam edixit esse Primatem suæ Provinciæ, ejus synodale judicium esse à Clero inferiori inappellabile, ideoque Romam provocare posse illos solos Clericos, quorum Episcopi spectant ad Romani Pontificis Provincialem Synodum & manus impositionem; id est, quorum Romanus Pontifex est proprius & proximus Metropolita. Ita statui non tantùm à Sardicensibus Canonibus, sed & à Carthaginensibus.

Fateor ita statui à Carthaginensibus. Africanæ enim Ecclesiæ perpetua, per ipsos Apostolos aut quosvis istic primos Prædicatores plantata, consuetudo solis Episcopis Romanam appellationem indulsit; Clerum omnem inferiorem, non sui Provincialis, sed Carthaginensis per omnem Diœcesim Africanam Primatis judicio jubens esse contentum. Erat consuetudo adversa Canonibus, attamen tolerabilis, utpotè ab Innocentio tertio postmodùm indulta Siculis: Eam verò in manus Gregorii magni jam pridem Afrorum Episcopi cesserant, ideoque stupenda est Hincmari præsumptio, tentantis resuscitare mortuam, ejusque fœtidos cineres per Galliam seminare. In Afras, natura fuscas, Gallicanæ aut Germanicæ cutis candorem ambientes fœminas rectè Tertullianus in libro de earum cultu: *Pudet eas nationis, quòd non Germanæ atque Gallæ sint procreatæ.* Cap. 6. Ex adverso Hincmarus Gallos, quoad Ecclesiastica judicia, tentabat facere Afros. De quo plura alibi.

CANON XV.

HOsius Episcopus dixit: Hoc quoque omnes definiamus; ut si quis Episcopus ex alia Parochia velit alienum ministrum, sine consensu proprii Episcopi, in aliquo gradu constituere, irrita, et infirma ejusmodi constitutio existimetur. Si qui autem hoc sibi ipsis permiserint, à fratribus et Coepiscopis et admoneri, et corrigi debent. Omnes dixerunt: Hoc quoque decretum stet firmum et immobile.

SCHOLION.

EST innovatio sexti decimi Canonis Nicæni. C. 5. A prima Carthaginensi Synodo plus postulavit atque obtinuit Privatus, Vegeselitanus Episcopus: *Ut nec Laicum sibi usurpare possit Episcopus de Plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi, de cujus Plebe est.* Respondit enim Gratus, Africæ Primas, & Synodi Præses: *Hæc observantia pacem custodit: Nam & memini in sanctissimo Sardicensi Concilio statutum, ut nemo alterius Plebis hominem usurpet. Sed si fortè erit necessarius, petat à Collega suo, & per consensum habeat.* At fallitur, aut certè à simili argumentatur: De solo alieno Clerico statuit manifestè noster Canon. Alienum Laicum non posse in Clerum adsumere dudum fuit Afrorum privata lex: Nam & Siricii Pontificis de Epist. 4. hac re Canon loquitur de solis Afris. Tandem tamen & universa Ecclesia recepit, statuens neminem ordinari, nisi ab Episcopo originis, domicilii, aut beneficii. Etenim Calixtus primus Pontifex, & Julius primus, in spuriis illis, rectis tamen & sui temporis disciplinam exprimentibus litteris, quas sub septimi sæculi finem natas credimus, statuunt, ut nullus Episcopus judicet, retineat, excommunicet, ordinet Parochianum alienum. Quod ipsum in Gallicanis Ecclesiis observari jussit Adrianus primus per tradita tum Capitula Engilramno Episcopo Metensi. Eo igitur tempore omninò ubique vigebat hæc disciplina. Collapsam apud nos restituerunt Gregorius septimus, Clemens quartus, Gregorius decimus, ac plenissimè A. 1176. Bonifacius octavus; apud Græcos Michael Anchialus, Patriarcha Constantinopolitanus.

CANON XVI.

ÆTius Episcopus dixit: Non ignoratis, qualis quantaque sit Thessalonicensium Metropolis. Sæpè itaque ad eam ex aliis Provinciis Presbyteri et Diaconi accedunt, et brevis temporis mora non contenti, permanent, et omne tempus illic agentes transigunt; vel vix tandem post plurimum tempus in suas Ecclesias reverti coguntur. De iis ergò definiendum est. Hosius Episcopus dixit: Ea decreta, quæ de Episcopis constituta sunt, serventur etiam in hujusmodi personis.

SCHO-

SCHOLION.

QUidam existimant Thessalonicam ex tunc fuisse totius Illyricianæ Diœceseos Civile & Ecclesiasticum caput, Prætorii Præfecto, & Sedis Apostolicæ Vicario sublime. Errant. Dudum quippè post in Synodo Aquilejensi dixit Amenius Syrmiensis Episcopus: *Caput Illyrici non nisi civitas est Syrmiensis*. Et ad Castellianum, primæ Justinianæ Episcopum, scribit Justinianus Augustus: *Antiquis temporibus Syrmii Præfectura fuit constituta, ibique fuit omne Illyrici fastigium, tam in civilibus, quàm in Ecclesiasticis causis. Postea autem Attilanis temporibus, eisdem locis devastatis, Appennius Præfectus Prætorio de Syrmitana civitate Thessalonicam profugus venerat, tunc ipsam Præfecturam & sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus non sua auctoritate, sed sub umbra Præfecturæ meruit aliquam Prærogativam.* Novel. 11.

Miscet vera falsis, ut Ecclesiam Thessalonicensem justè videatur mutilare parte privilegiorum, transcripta in Cathedram primæ Justinianæ. Licèt namque Illyriciani Prætorii Præfectura, nequaquam tamen honor Sacerdotalis; id est, totius Diœceseos Primatus Episcopalis, unquam fuit apud Syrmium, ideoque ex ipso per Attilam destructo non migravit Thessalonicam.

Deinde, Primatus hic dudum Thessalonicæ fuit ante tempora Attilana. Attilæ ac fratris ejus Bledæ prima in Illyricum irruptio fuit Cyro solo Consule, de qua Comes Marcellinus in Cronico: *Hunnorum Reges cum numerosis suorum millibus in Illyricum irruerunt: Naisсum, Singidunum, aliasque civitates, oppidaque plurima Illyrici exciderunt*. Et ad annum sequentem: *Bleda & Attila fratres, multarumque gentium Reges, Illyricum Thraciamque depopulati sunt*. Fuit is annus Christi post quadringentesimum quadragesimus secundus, tertius Sancti Leonis Pontificis, quo tempore Primatum Thessalonicensem constat fuisse antiquum. Ita namque dictus Pontifex ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem: *Sicut Præcessores mei Præcessoribus tuis, ita etiam ego Dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex Divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adjuvares; & longinquis ab Apostolica Sede Provinciis præsentiam quodammodo nostræ visitationis impenderes.* Epist. 84. c. 1.

Quocircà Justinianus Augustus palam hallucinatur Primatum hunc esse umbram Præfecturæ Thessalonicam traslatæ. Et apud nos Latinos phrasis illa olet pessimè. Est Græcorum regula, statuens Ecclesiasticam civitatis dignitatem civili semper adaptari, ut umbram corpori; verùm quam latina Ecclesia, ut Apostolicorum Canonum ruinam, semper fuit detestata: Ex illa tandem Græci adeò profecerunt, ut Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ non æquarent tantummodò, sed & præferrent. Suo id loco ostendemus.

Et hic Primatus non fuit ipsius sedis Thessalonicensis ordinarius, sed singulis Episcopis personaliter delegatus: fuerunt vices Apostolicæ, datæ ea lege, qua ad Maximianum Syracusæ Episcopum, suum in Sicilia Vicarium, scribit Gregorius magnus: *Quas vices non loco, sed personæ tribuimus*. L. 2. Ep. 4. Delegante Pontifice, aut delegato Episcopo moriente, opus erat delegatione nova, uti liquet ex adductis verbis Sancti Leonis. Et hinc ad Hugonem, primæ Lugdunensis Metropolitam, reliquarum trium Apostolicum Vicarium & Primatem, Vicarii Thessalonicensis potestate, quasi omnium Vicariorum generali regula, metientem & suam, rectè scribit Sanctus Ivo Carnotensis Episcopus: *Personale hoc fuisse intelligimus privilegium, non generale Decretum, maximè cùm legationis officium pars sit Apostolicæ sollicitudinis, non plenitudo potestatis, quæ etiam pars modò plus, modò minus recipit, pro arbitrio committentis.* Epist. 59.

Hujus Vicarii Primatus originem quidam esse existimant legem seu Rescriptum Theodosii Augusti ad Atticum Episcopum Constantinopolitanum, exstans in codice & Theodosiano & Justinianæo: *Omni innovatione cessante, vetustatem & Canones Ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Provincias servari præcipimus. Si quid dubietatis emerserit, id oportet non absque scientia viri reverendissimi, sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui Sacerdotali, sanctoque Judicio reservari.* Ad quæ verba D. Cardinalis Cæsar Baronius: *Planè commentitios suggessit Imperatori Atticus, quos dicit Canones Ecclesiasticos, ex quorum præscripto ita se sancire Theodosius profitetur. Nunquam enim antea vel in aliquo definitum apparet esse Concilio, neque rerum usu monstrari potest esse servatum, ut Illyricorum Ecclesiæ subjectæ fuerint Episcopo Constantinopolitano.* A. 421. At Rescripti mentem D. Cardinalis non plenè percepit. Suam illud novitatem in nullo fundat antiquo Canone. Statuit duo. Primò, ut Ecclesiasticæ per Illyricum Provinciæ regantur more & Canone antiquo, citra omnem, seu quoad judicia, seu quoad consecrationes, innovationem. Deinde, ut graviorum causarum relatio atque appellatio non ampliùs ad Romanum fiant, sed ad Constantinopolitanum Episcopum, atque in ejus Synodo audiantur & finiantur. Illyricianam diœcesim Pontifici aufert, transcriptam in jus Patriarchicum Regiæ civitatis. Hæc est unica per Rescriptum inducta novitas, nec ullum pro ipsa antiquum Canonem Princeps adducit.

Veram itaque Rescripti causam adducit Zozymus, dicens, Occidentalis ac Orientalis Augustorum de Illyrico litem esse antiquam; L. 2. utpotè motam inter Licinium etiam & Constantinum. Et quidem ipsum tunc Constantino cessit, qui moriens illud, uti & Africam, adnexuit Imperio Occidentali. Hinc ejus filio Constantio Thracia fuit Imperii limes. L. 4. Divisionem etiam Valentinianus firmavit. At Theodosii senioris testamentum, Arcadio & Honorio filiis Orientale & Occidentale Imperium dividentis, de Illyrico fuit ambiguum, ideoque illi de ipso non parùm disceptarunt. In ejus possessione se misit Arcadius, at ejus ministris offensus Stilico L. 4. 5.

eo evocavit Alaricum Gothum, qui armis illud Honorio vindicaret. Hæc est vera origo tot barbaricarum irruptionum, & captæ Romæ à Gothis. Arcadio succedens filius Theodosius paternam prætensionem credidit Ecclesiasticis dispositionibus adjuvandam, de Illyrico tentans quod postmodum perfecit Imperator Leo Isaurus. Ab antiqua Roma quoad res Ecclesiasticas avulsum populum speravit etiam quoad civiles facilè avellendum. Rescriptum prodiit Eustathio & Agricola Consulibus, anno Domini quadringentesimo primo, tertio Bonifacii primi Pontificis, ideoque quidam volunt Primatum Thessalonicensem ab eodem Bonifacio erectum. Injuriosissimo enim in Canones & Romanam Ecclesiam Rescripto Pontifex sese opposuit, & quò istam diœcesim adversùs Episcopi Constantinopolitani rapinas defenderet, Thessalonicæ erexit Ecclesiasticæ Præfecturæ speciem, à Zozymo nuper Pontifice repertam, datamque Patroclo Episcopo Arelatensi: Sedis Apostolicæ Vicarium, qui à Romana Ecclesia longinquam diœcesim in ejus pristina obedientia contineret. Et ita hactenus fuit passim existimatum.

At multa obsunt. Etenim Theodoretus, L.5.c.17. Ecclesiasticæ hierarchiæ peritissimus, de Theodosio seniori agens, dicit Thessalonicam, licèt Macedoniæ subjectam urbem, utpotè secundæ dumtaxat Macedoniæ metropolim, præesse omnibus gentibus spectantibus ad Prætorium Illyricianum. Laudat ejus Ecclesiasticam Præfecturam, proindeque dicit Bonifacio Pontifice longè vetustiorem. Neque verum est, quod alicubi Dom. Petrus de Marca vult, Theodoretum ad sui temporis statum respexisse. Et Nicolaus primus Pontifex, Patriarchicas Romanæ Ecclesiæ diœceses à Leone Isauro invasas enumerans, ac à Michaele Augusto repetens, disertè adfirmat Illyrici Provincias semper spectasse ad Romanum Patriarchatum, & à Sancti Damasi usque ad Hormisdæ Pontificis tempora per Vicarium Thessalonicensem fuisse directas. Quod ipsum in litteris, Bulgariam repetentibus, ad Sanctum Ignatium Constantinopoleos Patriarcham, scribit Joannes Pontifex octavus. Et Sanctus Leo magnus hasce vices, uti Anastasio Episcopo à sese, ita ejus Prædecessoribus à suis Prædecessoribus dicit fuisse delegatas: At verò à Bonifacii Pontificis tempore nullum Anastasius Præcessorem habuerat, nisi solum Rufum, ideoque ut Sanctus Leo verum scribat, Primatus hic debet esse antiquior.

Epist.2. (beside: Augusto repetens) — Epist.78. (beside: Bulgariam repetentibus)

Nec desunt argumenta, quæ suadeant Bonifacio esse posteriorem. Etenim in Actis Ephesinæ Synodi post litteras, quibus Celestinus Pontifex ad dictam Synodum invitarat Joannem Antiochiæ Patriarcham, habetur hæc subnotatio: *Hæc eadem Epistola scripta fuit Juvenali Hierosolymitano, Rufo Thessalonicensi, & Flaviano Philippensi, Episcopis per Orientem, à pari*. Philippensis est omninò Metropolita Illyricianus: Si ergo cum Thessalonicensi sit à pari, nulla huic in illum fuit potestas. Et in Synodi Chalcedonensis Actis refertur Eutyches appellasse à Sancto Flaviano *ad Concilium Episcopi Romani, Alexandrini, Hierosolymitani, & Thessalonicensis*: Ex quo videtur Thessalonicensis fuisse, non Vicarius, sed ordinarius Primas.

Respondeo hæc omnia, in quibus huc usque sumus miserè hallucinati, lucidè aperiri à Romana Bonifacii secundi Pontificis Synodo de causa Stephani Larisseni Episcopi, Thessalorum Metropolitæ, adversùs Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum. Ecclesiasticæ antiquitatis eruditio Eminentissimo D. Francisco Cardinali Barberino, qui illustrissimi D. Lucæ Holstenii opera produxit Synodum è vaticana Bibliotheca in usum publicum, summè est obligata. Hac igitur in Synodo habemus duas Epistolas, quibus Sancto Acholio Thessalonicensi Episcopo, ad primam Synodum Constantinopolitanam cum suis Illyrici Episcopis profecturo, Sanctus Damasus Pontifex dat instructiones varias, mandatque nullas deinceps permitti Episcoporum translationes: Quòd nempe ipsorum confirmatio ad illum, ut Sedis Apostolicæ istic Vicarium, spectaret. Et ad ejus successorem Anysium scribit Damasi successor Siricius: *Litteras dedimus, ut nulla licentia esset sine consensu tuo Episcopos in Illyrico ordinare*. Ad eundem scribit Siricii post Anastasium successor Innocentius: *Tibi Prædecessores mei Episcopi, Damasus, Siricius, Anastasius, ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ traderent cognoscenda*. Eandem potestatem illi confirmat. Eadem impartit Anysii successorem Rufum, exprimens quas illi subjicit Provincias: Achajam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Cretam, Daciam mediterraneam, Daciam Ripensem, Mæsiam, Prævalim, & Dardaniam. Imirari se dicit suos Antecessores, qui etiam Acholio & Anysio dignitatem istam delegarunt. Eandem illi delegat Innocentii post Zozymum successor Bonifacius, & adjungit: *Sollicitudinem tuam minorem facere nova, quæ vires habere non possunt, tentamenta non debent. Non est enim cedendum eorum studiis quos novitas rerum & indebitæ desiderium dignitatis accendit*. Data est Epistola anno Pontificatus quarto: Palam agit adversùs Attici Episcopi Constantinopolitani ambitum, & suprà adductum Theodosii Rescriptum. Plures istic sunt similes & aliorum Pontificum litteræ, omninò videndæ. Et ita soluta, immò firmata manent tria priora argumenta, volentia Primatum hunc esse lege Theodosiana priorem. Quare graviter excessit Justinianus Augustus, qui damnatam à Romana Ecclesia legem suo codici inseruit, ad resumendas Attici rapinas inflammavit Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum, Illyrici Ecclesias implevit turbis & scandalis, & ita Bonifacium secundum Pontificem ad laudatam Romanam Synodum coegit. Ex ejus hisce nugis tandem abortitus fuit Primatus primæ Justinianæ.

Epist.1.2. (beside: Sanctus Damasus Pontifex dat instructiones) — Epist.3. (beside: consensu tuo Episcopos in Illyrico ordinare) — Epist.4. (beside: Innocentius: Tibi Prædecessores) — Epist.8. (beside: facius, & adjungit)

Quarti argumenti solutionem haurio ex Tertulliani de Præscriptionibus libro, enumerante variarum gentium metropoles: *Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses*. Cap.36. Et ex Synodo Chalcedonensi, cui Zozon Philippensis Episcopus sese subscribit Metropolitam

primæ

primæ Macedoniæ. Philippensium civitas sub prima Romanorum monarchia, uti & ante sub suis Regibus fuerat, erat totius gentis caput, & post factam in septem Provincias divisionem mansit primæ Macedoniæ Metropolis, ideoque ejus Episcopus Thessalonicensi, secundæ dumtaxat Metropolitano, subesse noluit, imitatus Perigenem Corinthi Episcopum, Achajæ Metropolitam, adversùs quem post Xixtum tertium Pontificem scripsit successor Sanctus Leo in litteris ad Achajæ Episcopos, lectis item in laudata Synodo Bonifacii secundi: *Volumus custodiri quæ Sedis Apostolicæ authoritas crebra constituit, scilicet ut per Illyricum Ecclesiæ constitutæ ad curam fratris & Coepiscopi nostri Anastasii Thessalonicensis urbis Antistitis pertinerent*. Achaja erat Proconsularis Provincia, ideoque dignitate ista inflatus, & ab Episcopis Constantinopolitanis animatus Perigenes Vicario Thessalonicensi recalcitrabat, & sine ejus confirmatione *Episcopos suo arbitrio ordinabat*. Porrò Philippensis Episcopi litem definire tunc nolens Celestinus Pontifex, & ipsum, & Thessalonicensem scripsit à Pari. Definisse videtur ante Synodum Ephesinam. Etenim istic Flavianus Rufi Vicarium egit, & suæ subscriptioni addidit: *His quoque sanctissimum Patrem nostrum Rufum subscribere adfirmo. Nam cùm propter ægritudinem huc venire non posset, mihi hæc mandata dedit*. Voces, *Patrem meum*, & *Mandata dedit*, palam ostendunt Rufum uti Superiorem à Flaviano agnosci.

Epist. 15.

Ad quintum respondet Innocentius tertius in litteris ad Archi-Episcopum Thessalonicensem: *In definitione quondam fidei orthodoxæ Joannes Thessalonicensis Antistes primus post Apostolicæ Sedis Legatos, & quatuor Patriarchas, sic legitur subscripsisse: Joannes misericordia Dei Episcopus Thessalonicensis, & vicarius Apostolicæ Sedis Romæ Legatus*. Factum id fuit in Synodo sexta. Apostolicæ vicis causa locum in generali Ecclesiæ conventu habebat post Patriarchas, & Primates autocephalos: Huic sessioni nititur appellatio Eutychetis. Ex vicario ordinarium Primatum facere primus tentavit Paulus Episcopus, idcircò dejectus, & damnatus à Martino primo.

L. 3. Epist. 38.

Epist. 12, 13.

Restant duæ quæstiones. Prima est, an hic Vicarius præfuerit toti penitùs Diœcesi Illyricianæ? Pro parte affirmativa facit adducta Theodosii Augusti lex, statuens *de omnibus Illyrici Provinciis*: Adversùs illam erectus est Primatus, adeoque per omnem penitùs Diœcesim. Partem negativam probat adducta auctoritas Nicolai primi, dicentis: Apostolicas vices fuisse dumtaxat per novam & veterem Epirum, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Daciam Ripensem, Daciam mediterraneam, Mæsiam primam, Dardaniam, Prævalitanam, quibus addi debent Creta & Macedonia salutaris, ut sint universim Provinciæ duodecim. At verò Sextus Rufus addit Dalmatiam, duas Pannonias, duas Noricorum, & Suaviam, dicens totam Diœcesim decem & septem Provinciis constitisse. Meliùs Jornandes, decem & octo.

Respondeo hæc, si tempora distinguas, facilè conciliari. Etenim Augustorum de Illyrico litem diremit tandem Theodosius Junior, filiam Eudoxiam, uti Jornandes scribit, Valentiniano tertio dans ea lege, ut potior Illyrici pars, nempè duodecim per Nicolaum Pontificem enumeratæ Provinciæ, manerent imperio Orientali, Occidentali sex reliquæ. Tunc nata est distinctio Orientalis & Occidentalis Illyrici, & hujus Provinciæ adjectæ Prætorio Italiæ. Pendente ergò Augustorum lite, Vicarius Thessalonicensis præerat Diœcesi integræ; facta pace & divisione, ad Orientalem partem contracta est potestas ejus, quòd Occidentalis nullum jam pateretur periculum à rapina Episcopi Constantinopolitani. Quòd Dalmatia sub Gregorio magno nullam penitùs à Thessalonicensi dependentiam habuerit, lucidum est ex ejusdem Pontificis actis in causa Maximi Metropolitæ Salonitani. Nec desunt alia argumenta.

Altera quæstio est; cur Nicolaus Pontifex Primatum hunc durasse dicat ad usque dumtaxat Hormisdam Pontificem? Respondeo causam esse Justinianum Augustum, circa Hormisdæ tempora mutantem sursùm deorsùm omnia in Illyrico. *Sancimus*, scribit ad Petrum Præfectum sacrorum Prætoriorum, *primæ Justinianæ, nostræ Patriæ, Archi-Episcopum habere semper sub sua jurisdictione Episcopos Provinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, & Prævalis, & Dardaniæ, & Mysiæ superioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipsum verò à proprio ordinari Concilio, & in subjectis sibi provinciis locum obtinere Sedis Apostolicæ Romæ, secundùm ea, quæ definita sunt à sanctissimo Papa Vigilio*. Dat non tantùm vices Apostolicas, sed & Primatum ordinarium, qualem & Lugdunensi postmodum Ecclesiæ in quatuor Lugdunenses Provincias dedit Gregorius septimus. In quinta Synodo coactus hæc Vigilius dedit, ejusque successores dudum tolerarunt dispensatoriè, uti liquet ex illis, quæ de Metropolita Larisseno, & adversùs Felicem Sardicensem, Primatui huic recalcitrantem, scribit Gregorius magnus. Porrò prima Justiniana est Acridana civitas; postmodum Bulgarorum Metropolis, ex Michaelis Archi-Episcopi in Romanam Ecclesiam & fidem orthodoxam facinoribus famosior, quàm ex natalibus Justiniani. Videatur Nicephorus Calixtus. Mansit quidem vicariatus Thessalonicensis, at non parum mutilatus: Et huc respicit Nicolaus primus.

Novell. 131. c. 3.

L. 2. Epist. 45. 46.

L. 4. Epist. 10.

L. 16. c. 37.

L. 17. c. 28.

Et hinc tandem liquet, cur civitati Thessalonicensi, licèt maximæ & amplissimæ, nullam specialem gratiam indulgendam duxerit Hosius: Quòd nempè, uti ex Flavio Vopisco in Floriano patet, esset quidem è dignissimis imperii civitatibus, quibus novi Principis promotionem solebat significare Senatus; nullum tamen haberet Primatum Ecclesiasticum, nullas adhuc Apostolicas vices.

C. 5.

CANON XVII.

SUggerente fratre nostro Olympio, hoc quoque placuit; ut si quis Episcopus vim passus, injustè ejectus sit, vel propter scientiam, vel propter Catholicæ Ecclesiæ confessionem, vel propter veritatis defensionem, et fugiens periculum, innocens execrationi subjectus in aliam urbem venerit, ne prohibeatur illic tamdiu agere, donec revertatur, vel à facta sibi injuria possit liberationem invenire. Durum enim est, atque adeò gravissimum, eum, qui injustam ejectionem passus est, à nobis non suscipi. Is enim debet à nobis plurima humanitate et benignitate excipi.

SCHOLION.

L.3.c.10. EPiscopos è Nicæna Synodo ad propria redeuntes Constantinus Augustus ad pacem adhortatus addidit apud Eusebium: *Si quisquam inter illos ex sapientiæ præstantia multum laudis adeptus fuisset, nulla in illum flagrarent invidia*. Non vanè præsumpsit. Quosvis enim doctiores Episcopos, uti in Epistola ad Solitarios demonstrat Sanctus Athanasius, fictis calumniis & auctoritate Constantii Principis, ejecerunt è Sedibus Eusebiani. *Abiguntur Pastores*, scribit ad Italiæ & Galliæ Episcopos Sanctus Basilius, *ut greges dispergantur*, ac intrudantur illi, qui in graviorem blasphemiam sunt prolapsi, quoniam Episcopatus jam fit præmium impietatis. Hosce ergò ejectos hoc Canone Olympius Episcopus solatur. Humanitatem & benignitatem eis exhibendam exponit, agens de Episcopis per barbaricam hostilitatem ejectis, Gregorius magnus in litteris ad Illyrici Episcopos: *Coepiscopos nostros consolandos, convicturosque vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipite: Non quidem ut per communionem Episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere.* A sanctissimo Pontifice respisci hunc Canonem, rectè docet Hincmarus Remensis. Eadem charitate Episcopos Ægypti à Timotheo Æluro, Sedis Alexandrinæ pervasore ejectos, Leo magnus Pontifex, & Anatolius Constantinopolitanus Episcopus exceperunt: Joannes octavus ejectos à Saracenis. Turstino Eboracensi, per Henricum primum Angliæ Regem impiè relegato, locum inter Dominos Cardinales & palii ubique usum dedit Calixtus secundus, uti refert Thomas Stubs in libro de gestis Pontificum Eboracensium. Hujusmodi relegatis variam in laicos relegatores potestatem dedit Clemens quintus: Antiquam, qua Sanctus Thomas Cantuariensis etiam in ipsum Regem fuerat usus: Ejectis per Barbaros Canon Trullanus propriorum Clericorum permittit ubique ordinationes.

Epist.69. 72. Epist. 9. c.16. 15. Epist.45. c.10. Epist.76.

CANON XVIII.

GAudentius Episcopus dixit: Scis frater Aetie, quòd tunc, cùm Episcopus constitutus, es pax deinceps viguit; ne aliquæ dissidii reliquiæ remaneant, visum est, ut qui à Musæo & Eutychiano constituti sunt, quia nulla eorum culpa inveniebatur, omnes susciperentur.

CANON XIX.

HOsius Episcopus dixit: Meæ mediocritatis hæc est sententia; quia quieti & patientes esse debemus, & perennem in omnes habere misericordiam, eos, qui semel in Clerum Ecclesiasticum ab aliquibus fratribus nostris promoti sunt, si nolint redire ad eas, ad quas nominati sunt, Ecclesias, deinceps non admitti: Eutychia-

num autem ne Episcopi quidem sibi nomen usurpare; sed neque Musæum ut Episcopum existimari. Si autem laicam communionem petiverint, non oportere eis denegari. Omnes dixerunt, Placet.

SCHOLION.

Similis lis fuit postmodum inter Stephanum & Bassianum de Episcopatu Ephesino, quos & ambos, quòd non nisi mutuis vitiis ordinationem suam defenderent, dejecit Synodus Chalcedonensis, annua tamen pensione ex Ecclesiæ bonis, & Episcopi nomine donatos. Act. 10. Musæus & Eutychianus, quibus laica dumtaxat communio pro gratia dari permittitur, debent graviùs excessisse. Contendisse videntur de Episcopatu Thessalonicensi: Ætius enim, dejectorum probabiliter successor, Synodo subscribit ut illius Ecclesiæ Episcopus. At Conventiculi Philippopolitani, variè tamen mutila & vitiosa, synodalis Epistola Episcopum Thessalonicensem Synodo præsentem fuisse dicit nomine Joannem. Quidquid sit, è dejectis Episcopis modò hic, modò ille videtur in Sede prævaluisse, atque ita ordinati ab eis Clericis, persecutionis metu, fugisse successivè ad alias Ecclesias: Synodus, paci studens, omnes admittit in accepto gradu, dummodò redeant ad titulum suæ ordinationis. Hunc Canonem attendit Nicolaus primus Pontifex, restituens Remenses Clericos ab Ebbone, dubio Episcopo, ordinatos.

CANON XX.

Gaudentius Episcopus dixit: Hæc salutariter & congruè definita, & nostræ Sacerdotum dignitati convenienter, & quæ Deo & hominibus placuerunt, potentiam & vires suas obtinere non poterunt, nisi etiam metus editas sententias consecutus fuerit. Ipsi enim scimus, sæpè propter paucorum impudentiam, divinum & inprimis venerandum Sacerdotii nomen in damnationem incurrisse. Si quis ergò præter ea, quæ omnibus visa sunt, ausus fuerit, studens fastui magis & arrogantiæ servire, quàm Deo placere, aliquid aliud agere; sciat jam se criminis reum, ac defensioni obnoxium constituere, & Episcopatus honorem ac dignitatem amittere. Omnes responderunt: Decet, & placet nobis hæc sententia. Porrò autem hoc quoque illinc erit maximè notum & comprobatum, si unusquisque vestrum, qui estis in transitu seu canali constituti Episcopi, cùm viderit Episcopum, quærat causam adventus, & quò pergat; et si eum quidem in castra proficiscentem invenerit, quærat conditiones, quæ superiùs propositæ sunt; et si evocatus veniat, ei abeunti nihil impedimenti fiat: Sin autem ostentationis gratia, quemadmodum vestræ Dilectioni superiùs dictum est, vel propter aliquorum postulata in castra festinat; nec litteris ejus subscribat, nec cum eo communicet. Omnes dixerunt: Hoc quoque decernatur.

SCHOLION.

A Factione Eusebiana fuisse spretos & conculcatos quosvis Ecclesiæ Canones Julius Pontifex & Sanctus Athanasius assiduè lamentantur. Omnem Canonum observantiam & Ecclesiæ disciplinam ab ipsa pessumdatam, apud Italiæ & Epist. 69. 70. Galliæ Episcopos queritur Sanctus Basilius. Præsumptionem hanc fuisse præcipuum factionis fundamentum scribit Theodoretus. Eam hoc Canone Gaudentius Episcopus frænare conatur.

Canalis erat Regia ad Comitatum via, per cujus metas, uti in vita Constantini scribit Eusebius, erant *equi publici* ad iter celeriter conficiendum dispositi, aliaque instrumenta rei vehiculariæ. L.3.c.6. Hinc infrà dicitur *Canalium Italiæ*. Habebat rectores & officiales varios, quos inter erant Curiosi, Provinciæ Præfecto, quid in canali fieret, crimina præsertim, referentes. Hinc inquisitioni contra Sanctum Athanasium

per Synodi Tyriæ legatos Episcopos apud Mareoten faciendæ Constantinus Augustus unà cum Philagrio, Ægypti Præfecto, & Anthonino commeatuum Præfecto Centenario, adesse voluit etiam Palladium, Ducenarium Palatinum, suum *Curiosum*, uti liquet ex litteris Cleri Alexandrini & Mareotici ad dictos Legatos atque Præfectos, exstantibus post Synodum Tyriam. Erat itaque munus non ignobile. Quoad Episcopos Comitatum petentes Canon imponit Episcopis in canali habitantibus.

DISSERTATIO
DE SYNODO SARDICENSI.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur occasio Synodi Sardicensis.

CHalcedonensis Synodi ad Marcianum Augustum Relatio Sardicensem Synodum convenisse dicit adversùm reliquias Arii. Finita enim atque dimissa Nicæna Synodo, Arianæ personæ atque hæreseos causam susceperunt duo Eusebii, alter Nicomediensium, alter Cæsaræensium in Palæstina Episcopus, à Sancto Hieronymo in libris L. 1. c. 4. contra Ruffinum meritò dictus *Signifer Arianæ factionis*. Tentavere tria: Arianæ perfidiæ eversivam vocem, *Consubstantiale*, tamquam novam, sacris litteris ignotam, & Sabellianismi suspectam circumscribere, suo tempore proscripturi; zelosioribus & doctioribus Episcopis, quos potentes hostes Nicææ senserant, criminationis, de Sabellianismo præsertim, talionem reddere, abjicereque ad laicos; Ecclesiam & Rempublicam implere motibus, eosque transcribere in dictos Episcopos, hac arte in Principis odium deducendos; invadere, in quibus Ecclesiasticæ potestatis nervus, Sedes Patriarchales ac Regiæ urbis Episcopatum, atque ita sternere viam ad læsum errorem plenè tandem restaurandum. Oderant præsertim Eustathium Antiochenum, *contra Arium*, ut inquit Sanctus Epist. 126. Hieronymus, *tubam clarissimam*, & Athanasium Alexandrinum, Alexandri, septimo post Synodum mense defuncti, ex divina revelatione successorem, non tantùm ob res Nicææ actas, sed etiam quòd novellus Episcopus ad nullas preces vellet Arium suo cardini reddere.

Vivo Constantino, licèt hæresis hoste infensissimo, firmissimoque custode Nicænæ fidei, obtinuere duo: Sancti Eustathii, tamquam hominis Sabelliani, flagitiosi, facinorosi, turbulenti, ab Antiochena; à Tyria autem Synodo dejectionem Sancti Athanasii, tamquam pluribus & majoribus maculosi, quæ licèt non crederet Princeps, Episcopum tamen, quidquid Sanctus Antonius intercederet, ut inquietum aversatus est, ablegavitque in Galliam, ratus absentiam ejus fore inter Episcopos fibulam pacis. Fecit circumventus: hujus tamen erroris causa, illum in Sanctorum tabulas recipere numquam voluit Ecclesia Romana. Correxit moriens, testamento, quod adstante & frustrà renitente Eusebio Nicomediensi conditum adserit L. 1. c. 31. Theodoretus, Athanasium mandans revocari & restitui, quod filii, non Constantinus tantùm, sed & Constantius, amplissimè sunt executi, edicentes grandem hunc exulem, non ut damnatum aut proscriptum, sed ut æmulæ factionis trucidare quærentis manibus subtractum, in Gallia, tamquam honorifico asylo, egisse. Ita ille gloriosus in Sedem & ministerium rediit, Tyria sententia, in qua nihil Canonis aut synodalis justitiæ custoditum, non rescissa per aliam Synodum, sed contempta. Ita enim tractandas hujusmodi contumelias & convicia potiùs, quàm sententias, dixit in Synodo Ephesina Acacius Act. 4. Episcopus Melitinensis. Quin immò ad senten- f. 416. tiam non fuisse processum à Synodo Tyria, quidquid Zozomenus dicat, scribit Julius Pontifex ad Factionem Eusebianam.

Eodem fermè tempore moritur Sanctus Alexander Constantinopolitanus Episcopus, succeditque Paulus, orthodoxus, juvenis, animo plenus, Athanasio dignus in passionibus Collega. Quæ omnia iniquissimis oculis adspiciens Eusebius Nicomediensis per ficta & morum & electionis Episcopalis vitia Paulum extrusit; per Constantii, cujus versatilem mentem per Amitam Constantiam ac ejus à sacris domesticis Presbyterum Arianum jam sibi affixerat, potestatem seipsum intrusit; Arianus, quòd Arii in fœtidis locis nuper à Deo percussi nomen pessimè fœteret apud omnes, dici noluit; horrendiores perfidiæ blasphemias aut temperavit, aut fucavit; Nicænæ Sinodi factus est inimicus & defensor, quasi quæ rectum de fide sensisset, lapsa tamen circa vocem *Consubstantiale*; sese caput & ducem ostentavit novæ Sectæ & factionis, ex ejus nomine dictæ Eusebianæ; cœpit & tanti Episcopatus & capti Principis potestate, tamquam duobus cornibus indomitus taurus, & Ecclesiam & Rempublicam concutere & ventilare.

Ante omnia ventilare Athanasium, Principi jam invisum ex novis criminationibus, verùm non probatis. Quare sistendum duxit in ejus reditu ad Sedem & functionem Episcopalem. Etenim quomodo, juxta Apostolum, nemo sibi

sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron; ita nemo synodaliter ejectus eundem resumit, nisi per eandem aut majorem Synodum, quæ illa iniqua, contumeliosa & convitiosa vincula solvat, revocatus, uti in litteris ad Diœceseos Constantinopolitanæ Episcopos, lectis & probatis in octava Synodo, docet ex hoc ipso Apostoli loco Nicolaus primus. Coacta igitur Antiochena Encæniorum Synodo, Athanasium denuò damnavit Eusebius, tanquam Apostolici Canonis, & Ecclesiasticæ dignitatis prævaricatorem, qui à Tyria Synodo dejectus refugisset ad laicum Principem Constantinum secundum, ejus sacra jussione exufflasset Ecclesiasticum judicium, ac semetipsum in Episcopatum reposuisset. Ejus in Sedem, quod Tyria Synodus non præsumpserat, intrusit Gregorium Cappadocem, idque militari manu, de qua Julius Pontifex: *Ecclesia incendium passa est, virgines denudatæ, monachi conculcati, Presbyteri & multi ex plebe indignè habiti & violati, Episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati. Sacra mysteria ab Ethnicis direpta, & in terram abjecta sunt, ut vi cogerent nonnullos ad constitutionem Gregorii approbandam*, eique communicandum. Epist.4.

Eadem barbarie factio fœdavit Ecclesias plurimas, plurimos Episcopos ejecit, præsertim Marcellum Ancyranum, Lucium Adrianopolitanum, & Asclepam Gazensem. De Acacio Lusco, Cæsaræensium in Palæstina Episcopo Hieronymus in catalogo virorum illustrium: *Acacius in tantùm sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem, Arianum*, id est, Arianorum communione pollutum, *Episcopum constitueret*. Attamen hoc post Synodum Sardicensem.

Et quidem Sanctus Eustathius gavisus est solvi ab Episcopali onere, & pro nomine Jesu pati infamem exauctorationis contumeliam, secedens in otium Ecclesiasticum ex Apostoli consilio, *Redimens tempus, quoniam dies mali sunt;* at verò Sanctus Athanasius videns fluctuanti Ecclesiæ necessarium ducem, noluit creditam sibi divinitùs stationem deserere, provocavitque ad Romanam Ecclesiam, Julius autem Pontifex ejus damnatricem factionem ad reddendas judicii rationes Romam evocavit, *secutus Ecclesiæ Canonem*.

Extimuit, nec tamen parere voluit Eusebius, sciens Romæ judicandum sine Constantio Augusto, sine milite, sine Commentariensi: Aulicis technis, consutis blanditiarum dolis, quorum, utpotè sorex Palatinus, erat longè peritissimus, circumduxit Pontificem, quousque à Pontifice, qui corda intuetur, Jesu Christo ad cœleste tribunal evocatus sensit sibi artes non prodesse. Rediit tum in Episcopatum Paulus, denuoque per Constantium ejectus Romam profugit, unàque cum Marcello, Lucio, Asclepa, aliisque plurimis adjunxit se Athanasio appellanti.

Eorum damnatores per octodecim menses exspectavit Julius, vidensque nihil nisi tergiversationes ac injurias advenire, dictos appellantes gradui & communioni reddidit, voluitque recipi & in Sedes. Quare Antiochiam rediit factio, novam fecit Synodum, in appellantes & eorum communicatores edidit æquivocos & dolosos Canones, quibus visi sunt damnatorum Episcoporum ad laicos Principes recursum sistere, reverà autem subvertere Sancti Apostoli Petri divina privilegia, appellationes Romanas. Adversùm ea scripserunt litteras impudentissimas, de quibus erubuit omnis Synodus Romana.

Canones Conc. Sard. Tom. I.

Videns ergò Julius audaciam proficere in novam hæresim, Augusti brachii auxilium non tantùm Athanasio ac aliis appellantibus Episcopis, sed & ipsi Apostolo Petro expostulavit à Constante Augusto, de quo Theodoretus: *Simul atque ita audivit Constans, litteras scripsit ad fratrem Constantium, quibus eum hortabatur, ut hæreditatem pietatis paternæ integram inviolatamque servaret. Quibus litteris persuasus Constantius mandatum dedit, ut Episcopi tum Orientis, tum Occidentis, Sardicam, quæ est in Illyria urbs, gentis Daciæ primaria, adventarent*. Et Sanctus Athanasius in litteris ad Solitarios: *Interim Constans Imperator & quid Alexandriæ, & per universum orbem contra Catholicos gereretur, rescivit. Missæ igitur sunt litteræ à Constante ad fratrem suum Constantium, ibique de amborum sententia placuit, ut Synodus celebraretur, & de rebus actis cognitio fieret, ne ulteriùs injuriosè habiti injuriis afficerentur, vel injuriosi ulteriùs pergerent injuriam facere*. Instructum & rogatum Constantem dicit à Romana quinquaginta fermè Episcoporum Synodo, quæ appellantium Episcoporum communionem susceperat, Eusebianas adversùm illos criminatrices litteras, tanquam calumniosas, aversata. Quocirca primus hujus Synodi auctor & convocator fuit Julius Pontifex, de quo idem Sanctus: *Episcopus Romanus Julius Synodum jussit fieri, ubicumque vellemus*. L.2.c.5.

CAPUT SECUNDUM.

Synodi locus, schisma, tempus.

SAncti Athanasii translator Petrus Nannius hanc Synodum passim vocat Sardiniensem, alii Sardensem. Pessimè. Aliud quippè est Sardinia, aliud Sardis, in Asiatica Diœcesi Lydorum Metropolis, aliud Sardica, Metropolis Daciæ mediterraneæ. Electa hæc est de utriusque Augusti consensu tanquam Synodo opportunissima, utpotè limes utriusque imperii, continua Hæmimonto, Thracum Provinciæ, primæ versùs nos ex imperio Orientis.

Ab utroque Augusto invitatus fuit Julius Pontifex, at ille, Sylvestrum Antecessorem imitatus, *honestam*, inquit prima synodalis Epistola, *& necessariam dedit absentiæ excusationem*, loco suo mittens Hosium, Cordubensem Episcopum, Archidamum & Philoxenum, Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, ejusdemque Diaconum Leonem. Hosii Præsidentiam & tertia synodalis Epistola, & singuli ferè Canones, & Synodi subscriptio demonstrant, nec non Synodi Chalcedonensis Relatio ad Marcianum Augustum; *Illis, qui apud Sardicam contra reliquias Arii conve-*

nerunt, Hosius ad proferendam sententiam praerat. Eum Athanasius in litteris ad Solitarios appellat *Synodi Patronum*. Hincmarus Remensis in litteris contra Hincmarum Laudunensem Episcopum perperam adjungit Vincentium Capuanum & Calepodium Episcopum Neapolitanum : Gratianus etiam Januarium Beneventanum, Vincentium Athanasius scribit Synodi jam peractæ fuisse Legatum ad Constantium Augustum.

Epist 33. c. 24.

Ad Synodum itaque venerunt & Occidentales & Orientales Episcopi. Orientales fuisse numero septuaginta dixit in Florentina Synodo Andræas Metropolita Rhodiorum : Septuaginta sex, idque ex Sancti Athanasii & Sabini Macedoniani testimonio, Socrates & Zozomenus. Philippopolitani Conventiculi Epistola synodalis fuisse dicit octoginta : Ei subscribunt soli septuaginta tres, at desunt Ursacius Singidunensis, Maris Chalcedonensis, & vacuum Episcopi nomen Ischyras, quos certum est adfuisse. Asterius Arabs & Arius Palæstinus ab illis ad nos defecere. Quare corrigenda jam dicta Hincmari Epistola, dicens fuisse solos sexaginta sex.

Sess. 7.

L. 2. c. 16. L. 3. c. 11.

Obstare videtur Sanctus Athanasius in secunda Apologia, dicens adfuisse Episcopos Ægyptios nonaginta quinque, Cyprios duodecim, quindecim Palæstinos. Respondeo per Episcopos Orientales non quosvis hìc ex Oriente, sed intelligi solos factionis Eusebianæ. Addit Athanasius de istis laudatis: *Eorum, qui in Synodo cæterorumque aliorum*, qui post Synodum in suis Sedibus *subscripserunt, ista sunt nomina*. Ex quibus verbis nonnulli volunt eos omnes Synodo non adfuisse. Res latet in obscuro. Ut ut sit, ipsa Synodus ad Julium Pontificem scribit Eusebianorum dumtaxat quosdam fuisse *mentis sacrilegæ, Arianæ hæresis pestifero veneno tinctos; multos verò rectæ fidei cultores*. Eorum post Eusebium jam defunctum Duces fuere Theodorus Heracleensis in Europa Episcopus Metropolita, Narcissus Neroniadis, Stephanus Antiochenus, Georgius Laodicensis, Acacius Palæstinorum Cæsareensis, Menosantus Ephesinus, Ursacius Singidunensis, & Valens Mursiensis. Habuere secum *Pædagogos & advocatos Musanianum Comitem & Hesychium Castrensem, quorum opera se, quibus volebant, terribiles ostendebant, & insidias, quibus libitum erat, innectebant*, rati per eos agere omnia in Synodo, *& nos metu conterritos minimè Sardicam occursuros*.

Epist. 1. Epist. 3.

S. Athan. Epist. ad Solit.

In itinere, inquit tertia synodalis Epistola, *certis in locis conciliabula in morem Synodi per se habuerunt, & fœdera cum interminationibus conflaverunt. Rem ita actam esse, per Macarium*, alio nomine Arium, *Palæstinum*, in Petra Palæstinæ, *& Asterium Arabem*, in Petra Arabiæ Episcopum, *qui unà cum eis in itinere fuerunt, & ab eorum infidelitate recesserunt, rescifcere licuit, qui cùm ad sacram Synodum venissent, simul & de vi, quam passi essent, conquesti sunt, & quanta pravitate in rebus agendis usi essent, indicaverunt. Id quoque ab illis additum, esse illic multos rectæ fidei cultores, quos isti probibuerunt, ne huc venirent, pericula minasque, si quis ab ipsis recederet, denunciantes, ac propterea curasse, ut omnes in itinere eodem domicilio uterentur, ne vel tantillum quisquam ab illis seorsim agere posset*.

Episcopos Occidentales Socrates, Zozomenus, atque Hincmarus adfirmant fuisse trecentos, idque ex Sancto Athanasio. At longè aliter in operibus hodie exstantibus Sanctus Athanasius, in speciem sibi ipsi adversus. In Epistola ad Solitarios scribit ex Occidente & Oriente in urbem Sardicam convenisse Episcopos plùs minùs tercentum, comprehensis & Eusebianis. Post horum è Synodo fugam solos orthodoxos fuisse ait è Provinciis plusquam triginta quinque, enumeratis in secundæ Apologiæ exordio, Ægypto, Lybia, Pentapoli, Palæstina, Arabia, Isauria, Cypro, Pamphylia, Licia, Galatia, Dacia, Mysia, Thracia, Dardania, Macedonia, Epiro, Thessalia, Achaja, Creta, Dalmatia, Scifcia, Pannonia, Norico, Italia, Piceno, Thuscia, Campania, Calabria, Apulia, Brutiis, Sicilia, Africa, Sardinia, Hispania, Gallia, Britannia. Sunt numero triginta sex, & quædam non Provinciæ, sed vastissimæ Diœceses. Ex eis plusquam trecentos Episcopos adserit adfuisse Synodo, atque ab omnibus comprobatam suam innocentiam.

At verò sub ejusdem Apologiæ finem ait sibi attestatos Episcopos trecentos quadraginta quatuor. Ex Asia, Phygia ac Isauria sexaginta ante Synodum, reliquos ducentos octuaginta quatuor in ipsa aut post ipsam, *Sacrum quippè Sardicense Concilium ad eos, qui interesse non poterant, decreta sua misit, qui ipsi quoque suffragiis suis ea approbarunt*. Plures invitatos Episcopos ex varia causa non advenisse, etiam testatur Socrates. Quod, inquam, dicti ducenti octoginta quatuor Episcopi non omnes Synodo adfuerint, disertè videtur affirmare Athanasius: *Eorum autem, qui Synodo subscripserunt, cæterorumque aliorum, ista sunt nomina: Hosius ab Hispania, &c.* Quomodo hæc cohæreant, quæstio est non facilis.

Aliud ego respondere nescio, quàm numeros esse vitiatos, uti asserit & D. Cardinalis Baronius; Epistolæ enim ad Solitarios, ubi hodie correctè legimus, *Plùs minùs trecentum*, antiqua editio Basileensis, quam & hodie vir doctus sustinere molitur; habet, *Plùs minùs centum*. Sub Apologiæ finem de Episcopis trecentis quadraginta quatuor credo non ambigendum, quorum soli centum sexaginta duo fuere Occidentales, seu Diœceseos Romanæ. Nam & Theodoretus universim fuisse dicit solos ducentos & quinquaginta, atque id constare ex testimonio veterum. Zacharias Chalcedonensium Metropolita Schismaticus ad octavam Synodum asseruit trecentos fuisse. De quibus nolim latiùs quærere, & non invenire.

Utraque ergò pars profecta est Sardicam: Et quidem Eusebiani Comitum deducentium armato satellitio terribiles, *arbitrati nos metu conterritos minimè occursuros*, unàque rea criminum conscientia pavidi, hærentes, num synodale judicium subituri intrarent civitatem. Hinc tertia Epistola synodalis: *Venerunt illi quidem in Sardorum civitatem, ut adventu suo existimationem, quasi non peccassent, excitarent, & pro*

per-

perfunctoria purgationis specie adventum suum ostentarent. Ingressos mox Athanasius, Marcellus, aliique plurimi Episcopi & Ecclesiarum legati Clerici de horrendis in Deum & homines facinoribus atque flagitiis, iniquissimisque judiciis accusavere, Hosius Præses evocavit ad rationes coram Synodo agenda sine Comite, milite, Commentariensi. Erat enim Sardica in Occidentali imperio extra potestatem Constantii.

Hæc, inquit ad Solitarios Athanasius, *illi conspicati, etsi alacriter advenerant, tamen cùm animadverterent nostram fiduciam, intra Palatium se recluserunt, quo in loco domicilium habebant. Atque ibi ita inter se consusurrarunt: Ad alia venimus, alia conspicimus: Accessimus cum Comitibus, & sine Comitibus res agitur, prorsùs futurum est, ut condemnemur. Nostis, qualia sint decreta ordinationesque: Athanasio in manu sunt monumenta omnium Mareotæ actorum, quibus ille quidem purgatur, nos autem confundimur. Quid igitur hæsitamus, quid moramur? Fingamus aliquam caussificationem, & discedamus, ne, si manserimus, condemnemur. Melius est de fuga erubescere, quàm convictos de sycophantia damnari. Si fugerimus, poterimus aliquo modo hæresim propugnare. Quòd si fugientes condemnaverint, habemus Cæsarem propugnatorem, qui non permissurus est, ut à populis de Ecclesiis ejiciamur.*

Justus Athanasius confidebat ut Leo, cum *fiducia promptus ad causam dicendam*, jactansque eos à se sycophantiæ convicendos. Eodem animo aderant Episcopi & Clerici plurimi: Quidam vincula & ferrum promentes, quæ ab exilio detulerant; aliorum in vinculis adhuc existentium, aut trucidatorum amici advenerant de civitatibus & Ecclesiis plurimis, unàque testes irrefragabiles & lucida probationum documenta. Arius & Asterius, qui per viam à factione ad nos defecerant, venerabiles Episcopi, *eorum vafriciem, & quantoperè res suas suspectas habebant, judiciumque metuerent, aperiebant.* Epist. 3. Synod.

Hisce de causis, licèt frequenter citati, timuerunt prodire in Synodum, fugam meditati. Prætexuere alias duas. Primam suprà ad tertium Canonem audivimus ab eorum synodali Epistola Philippopolitana; Dixere Patriarchalium Synodorum judicia honoranda, ideoque Athanasium & alios cum illo damnatos à se Episcopos, quousque eorum causa retractatur; non inter Episcopos & Judices, sed inter laicos & reos oportere stare; Hosius verò Romanæ Ecclesiæ auctoritatem voluit intactam & salvam.

Altera causa fuit insigne mendacium, de quo Athanasius ad Solitarios: *Illi, cùm hæc audirent, & magis magisque percellerentur, absurdiore, quàm Antiochiæ, caussificatione usi sunt, & sub eo prætextu, quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per litteras scripsisset, fugam adornarunt, & sine pudore hanc cavillationem pro excusatione per Eustathium Presbyterum Sardicensis Ecclesiæ renunciarunt*. Fugerunt Philippopolim, Hæmimonti, quæ est vicina & secunda Thraciæ Diœceseos Provincia, Metropolim, attentaturi desperatum facinus, in Ecclesia huc usque inauditum.

Sulpicius Severus Synodum coactam dicit sub Constantino magno, ad quem locum rectè Carolus Sigonius: *Nihil fingi potest perversius. Nam Concilium Sardicense rogatu Constantis & permissu Constantii actum est anno decimo, postquam Constantinus pater è vita discessisset. Moritur Constantinus anno Domini trecentesimo trigesimo septimo, Concilium Sardicæ habetur anno trecentesimo quadragesimo septimo*. Adstipulatur in Chronico Ecclesiastico Onuphrius Panvinus, dicens factam Synodum Ruffino & Eusebio, Constantii Eunucho, Consulibus. Socrates de Consulibus convenit, at putat annum hunc à Constantini morte fuisse undecimum. Nempè computat ab ipso mortis die & Consulatu Feliciani & Titiani, atque ita concordat. Surianæ editionis ad hanc Synodum Epigraphe, recentior, addita per nescio quem sciolum, errat factam Leontio & Sallustio Consulibus, anno sexto Constantii Principis, Christi Domini trecentesimo quadragesimo quarto. Et certè Consulatus ille fuit Constantio non sextus, sed octavus imperii annus. L. 2. c. 16.

Etiam huic Synodo Episcopi subscripsere non secundùm acceptæ ordinationis ætatem, sed divisi in Patriarchatus seu Diœceses. Primùm Legati Apostolici cum Episcopis Italiæ, Illyrici, Hispaniæ, Galliæ, & Africæ, quæ sunt Patriarchica Diœcesis Romani Pontificis. Sequitur Diœcesis Ægyptiaca, deinde Cyprii & Palæstini Episcopi, qui sunt Diœcesis Antiochena. Huic subscriptionis ordini attestatur in secunda Apologia Sanctus Athanasius, ideoque de illo non licet dubitare. Ex quo liquet Nicænæ Synodi subscriptiones, quæ Romanæ Diœceseos Episcopos à Romanis Legatis sejungunt, esse vitiatas.

At inter hujus Synodi subscriptores cur non sunt Sanctus Athanasius, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Lucius Adrianopolitanus? Utique propriæ causæ & absolutioni noluerint subscribere. Et Paulum Constantinopolitanum Sardicæ non adfuisse, scribit Theodoretus. Subscriptorum indiculus, secundæ Canonum editioni latinæ subnexus, eos continet, at potiùs danda fides indiculo Athanasii. L. 2. c. 5.

Cur inter Africanos Episcopos Nessus præponatur Grato Charthaginensi Episcopo, totiusque Diœceseos Primati, fateor me ignorare. Certè condendis Canonibus non Nessus, sed Gratus fuit interlocutus. Plura ad Canones Africanos.

CAPUT TERTIUM.

Exponitur Synodi de fide Decretum.

De hujus Synodi actis hæc generatim pauca Theodoretus; *Multis morbis vexabatur Ecclesia, ad quos curandos Concilium necessariò requirebatur*. Eos edisserit synodalis Epistola ad Julium Papam; *Tria fuerunt, quæ tractanda erant. Nam & ipsi Religiosissimi Imperatores permi-* L. 2. c. 5.

miserunt, ut de integro universa discussa disputarentur. Et ante omnia de sancta fide, & de integritate veritatis, quam Eusebiani violaverunt. Secunda de personis, quas dicebant esse dejectas, de iniquo judicio, ut si potuissent probare, justa fieret confirmatio. Tertia quæstio, quæ verè quæstio appellanda est, quòd graves & acerbas injurias, intollerabiles etiam & nefarias contumelias Ecclesiis fecissent, eùm raperent Episcopos, Presbyteros, Diaconos & omnes Clericos, in exilium mitterent, ad deserta loca transducerent; fame, siti, nuditate, & omni egestate necarent, alios clausos carcere, squalore & putore conficerent, nonnullos ferreis vinculis, ita ut cervices eis arctissimis circulis strangularentur. Denique ex ipsis quidam vincti in eadem injusta defecerunt pœna, quorum ambigi non potest martyrio gloriosam mortem exstitisse. Adhuc quoque quosdam audent retinere. Eorum in loca suos congerrones intruserant, demutato Episcopatu in præmium facinorosæ atque hæreticæ iniquitatis. Quibus ex verbis vides perpetuum esse Synodi generalis morem, ut primùm de fide statuat, deinde de personis, tertiò morum Canones condat.

Generalis Synodi dogmaticam de fundamentali præsertim fidei capite definitionem retractare, res est summi moliminis. De Nicæna Synodo id postulanti Constantio Augusto reposuit Alexander Constantinopolitanus Episcopus *nefas istud non pati Ecclesiæ instituta*. Addidit Synodus Ariminensis esse sanctorum Patrum, à quibus facta definitio, contemptum: Immò & Spiritus sancti in ipsis locuti. Ephesinam Synodum obtestatur Capreolus Carthaginensis Episcopus, ne Nestorianis *secundæ disputationis prætextu vocem jam dudum ablatam renovari patiatur: Si quis enim ea, quæ jam olim dijudicata sunt, denuò in disputationem vocari sinat, is sanè nihil aliud facere censebitur, quàm de fide, quæ hactenus valuit, ipse dubitare*. Pelagianis novum examen flagitantibus constanter reponit Augustinus solam jam pœnitentiam, nequaquam audientiam superesse. In Ephesino latrocinio rectè, licèt non recta mente, Dioscorus Episcopus Alexandrinus: *Si quis præter ea, quæ placuerunt Patribus, qui in Nicæa convenerunt, aut inquirit, aut discutit, aut retractat, anathema sit. Si sanctus Spiritus consedit cum Patribus, sicut manifestè consedit, & ordinavit quæ ordinata sunt, qui retractat ea, Spiritus cassat gratiam*. Exclamavitque Synodus: *Omnes hæc dicimus, Anathema sit, qui retractat*. Sanctus Leo magnus nec ipsi Chalcedonensi Synodo permisit in Ephesina contra Nestorium acta esse ullam potestatem. Eutychianistis per Orientem adversùs eandem Chalcedonensem Synodum barbaricè grassantibus, ejusque retractationem per Leonem Augustum postulantibus respondit hoc esse *ad vetitum scientiæ boni & mali lignum manus extendere, Ecclesiæ universæ auctoritates ad hæreticæ petitionis arbitrium infringere, atque ita nullum corrigendis Ecclesiis modum ponere, sed data rebellandi licentia dilatare magis, quàm sopire certamina*. Et ipse & ex ipso Facundus Hermianensis Episcopus, nec non alii passim Patres assiduè clamant ejusmodi retractationis expostulationem esse pestem detestandam. Adversùs Marcum Ephesinum Episcopum rectè Josephus Episcopus Methonensis: *Hostibus Synodorum œcumenicarum illud unum inditur nomen, ut hæretici appellentur*.

Zozom. l. 2. c. 28.

Socrat. l. 2. c. 29.

Epist. 73. 75. 78.

Hinc oritur dubium, quomodo hæc nostra Synodus laudet Constantium & Constantem Augustos, quòd universa, etiam Nicænæ Synodi decreta de fide, permiserint de integro disputari. Etenim Theodosio Augusto, per Nestorii fautores circumvento, Ephesinas de fide definitiones, quòd factiosè, humano affectu, & Joanne Patriarcha Antiocheno absente præcipitatas diceret, suspendenti, mandantique retractari, generosissimè Synodus se opposuit, tandemque edito Canone frænavit ejusmodi præsumptiones.

Respondeo esse duas fidei definitæ retractationes, de quibus Sanctus Leo Pontifex, retractandæ Chalcedonensis fidei causa ad Orientem per Divalem jussionem invitatus, scribit ad Leonem Augustum: *Præceptioni vestræ in eo adnitar obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præsentiæ meæ instar exhibeant, & quæ sit Apostolicæ fidei regula, demonstrent, patefacientes in omnibus & probantes, non esse omninò inter Catholicos computandos, qui definitiones venerabilis Synodi Nicænæ vel sancti Chalcedonensis Concilii regulas non sequuntur. Prænoscat igitur Pietas vestra, venerabilis Imperator, hos, quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos à Sede Apostolica profecturos: Quia de rebus apud Nicæam vel apud Chalcedona definitis nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum fixit auctoritas. Instructioni autem parvulorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore sanari, ministerii nostri præsidium non negamus. Et sicut simpliciores non spernimus, ita à rebellibus hæreticis abstinemus. Nimis quippè indignum, nimisque injustum est, eos ad libertatem disputationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per Prophetam dicens: Filii alieni mentiti sunt mihi*. Omninò mentiti: utpotè *qui ficto diligentiæ nomine, dum veritatem se mentiuntur inquirere, mendacia desiderent seminare*. Arrogantem & perduellem hæreticæ contumaciæ spiritum non iteratis disputationibus, sed bina dumtaxat correptione tentandum mandat Timotheo ipse Apostolus, egregiè in libro Præscriptionum elucidatus à Tertulliano.

Epist. 78. c. 3.

Epist. 75. c. 2.

Eusebiani Nicænam Synodum, vocem præsertim, *Consubstantialo*, tanquam Sabellianam, aut certè istius lepræ suspectam, piarumque aurium offensivam, in seductæ plebis, ac quorumdam etiam simpliciorum Episcoporum errorem & odium circumscripserant per artes pessimas: finxerunt, teste Zozomeno, divina sororis per somnium revelatione permotum Constantinum Augustum de dicta voce hæsitasse, providisseque aliam Synodum, quam morte præventus Constantio filio jusserit exequendam. Et de Valente Mursiensi Episcopo Sulpicius Severus: *Valens, ut reverentiam sui adderet, Angelum sibi fuisse Magnentianæ victoriæ nuntium respondit*, atque ita Constantium Principem sibi in satellitem dementavit. Hisce ergò circumscriptis liberandis Julius Pontifex permisit Nicænæ Synodi expositivam retractationem.

L. 3. c. 18.

De hac in septima sessione Synodi Florentinæ

An-

Andræas Metropolita Rhodiorum: *Synodus Sardicensis sancivit rectam & sanam esse à trecentis decem & octo Patribus Nicænis editam fidem, atque ab omni Christiano suscipiendam.* Et Synodi Chalcedonensis ad Principem Martianum Relatio: *Apud Sardicam contra reliquias Arii convenerunt.* Et Theodoretus: *Beati illi Patres non solùm nos ea docuerunt, quæ ad divinam Trinitatis naturam pertinent, verùm etiam quid de Mysterio Dominicæ Incarnationis sentiendum est, enucleatè docuerunt.* Refert decretum integrum tertiæ synodali Epistolæ adnexum: Addit Hermias Zozomenus: *Eodem tempore aliam quoque fidei formulam ediderunt, pluribus quidem verbis scriptam, quàm quæ in Nicæno Concilio edita fuisset, sed tamen eandem complectentem sententiam, & verbis non multùm ab illa discrepantem. Ad extremum Hosius & Protogenes, Sardicensis Episcopus, qui principem locum inter Episcopos Occidentis obtinebant, veriti, ne quibusdam viderentur decreta Nicæni Concilii innovare, scripsere ad Julium Pontificem, & testati sunt se illa quidem rata habere, sed quò faciliùs intelligerentur, ea pluribus verbis explicasse eo consilio, ne Arianis, qui brevitate formulæ fidei in eo Concilio editæ abutebantur, facultas ex verbis daretur imperitos in absurdam aliquam opinionem rapiendi.* Et Sanctus Vigilius Tridentinus Episcopus, Eutychianos, adserentes Nicænæ Synodo nihil addi potuisse à Chalcedonensi, confundere conatur auctoritate Sardicensis, quæ septem definitionum capitula addiderit, adversa illis, contra quos fuit congregata.

L. 2. c. 8.
L. 3. c. 11.
L. 5.

Verùm figmenta hæc sunt, de quibus ad Ecclesiam Antiochenam Sanctus Athanasius, præscribens leges, quibus & Eustatianum schisma & Ariana hæresis in communionem & pacem reciperetur: *Tabellas, quas nonnulli jactant, quasi in Sardicensi Synodo de fide conscriptas, ne legi quidem semel aut proferri sinatis. Nihil enim tale Concilium definivit. Quamvis enim certi homines nonnulla, quasi quæ deessent Nicæno Concilio, adscribere vellent, idque acriter contenderent, sancta tamen Synodus, quæ Sardicæ convenit, indignè id tulit, decretoque sancivit, ne quid ulteriùs de fide scriberetur, & sese contentos esse Nicæna fide declaraverunt, ut cui nihil deesset, & in qua integra & solida pietas contineretur, neque edendam esse aliam professionem fidei, ne illa, quæ Nicææ scripta est, suos numeros non habere videretur, neve illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio hujusmodi suppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide definiant. Quapropter si quis hæc aut aliud quidpiam cavillabitur, compescite illos, & ad studium pacis inducite: Nihil enim in istis agnoscere possimus, nisi solam contentiositatem.* Et infrà addit Eusebius Vercellensis Episcopus, degens tunc Alexandriæ: *Quia fama apud exteros increbuit de tabella Sardicensis Concilii, ne ea ultra Nicænam fidem decreta esse putetur, meo suffragio denuncio, quò nihil luxamenti aut noxæ Nicænæ fidei indè oboriatur, neque eam ea de causa proferendam censeo.* A sui auctoribus fuerat sparsa per Ecclesias. Admiror Theodoretum, Ecclesiæ Antiochenæ subditum, & frequentissimum hospitem hæc ignorasse.

Quin immò hæc ejus tabella seu appendix videtur non esse illa, quam quidam Episcopi voluere adscriptam, sed nescio quæ alia supposita, aut certè vitiata. Etenim Ursacium & Valentem, Episcopos nimiùm Arianos, esse dicit Sabellianos ac Patripassianos, quo dici nihil possit absurdius. Et conjuratam Eusebianorum turbam arguit, quòd Patris & Filii & Spiritus sancti dicat esse distinctas subsistentias seu hypostases; ipsa verò profitetur unicam, addens: *Quam vocem Hæretici pro substantia usurpant.* Quæ nimiùm aliena sunt à phrasi & sensu Ecclesiæ Occidentalis, cujus Episcopos certum est fuisse majorem Synodi hujus partem. Quòd namque latina Ecclesia dudum in Deo noluerit admittere tres Hypostases, quòdque non Eusebiani, sed ipsa, ob non plenam Græci idiomatis notitiam, putarit idem esse Hypostasim & usiam, liquet ex Sancti Athanasii Synodo Alexandrina, Gregorii Nazianzeni encomio in funere ejusdem Sancti, Sanctique Hieronymi litteris ad Damasum Papam. Posterior est ista quæstio, suo loco elucidanda. Porrò decretum, *quo sancivit hæc Synodus, ne quid de fide ulteriùs scriberetur, declaravitque se contentam Nicæna fide*, nova indies Eusebianorum Symbola compescit. Amissum est injuria temporum, & ejus nullam mentionem faciunt litteræ synodales.

CAPUT QUARTUM.

Exponuntur Synodi acta de personis.

Altera Synodi quæstio & sessio fuit de personis dejectis per Eusebianos, iniquo judicio, ac jure Romanæ appellationis. Ante omnia discussi, damnatique, uti in causa Sancti Joannis Chrysostomi ad Ecclesiam Constantinopolitanam scribit apud Zozomenum Innocentius primus Pontifex, dolosi Antiocheni Canones, stabilitum atque in Canones supra expositos redactum Romanæ non tantùm appellationis, sed & evocationis jus, probataque & confirmata omnia, quæ Julius Papa hac in re egerat atque decreverat. L. 8. c. 26

Prima dejecta persona, ex cujus odio omnem Ecclesiam & Romanam Rempublicam Eusebiani concusserant, fuit Sanctus Athanasius, de quo Hosius, Synodi Præses, ad Constantium Augustum: *Fui ipse in Sardicensi Concilio, ipseque ultrò Athanasii inimicos provocavi, cùm ad Ecclesiam, ubi ego commorabar, advenissent, ut si quid contra eum haberent, ederent, promisique eis securitatem, neve quidquam aliud exspectarent, quàm rectum in omnibus judicium, idque non semel, sed bis feci. Quòd si nollent rem ab universa Synodo disceptari, saltem me judice uterentur: Promisique etiam nos Athanasium, si in noxa reperiretur, omnibus modis ejecturos esse. Quòd si innocens deprehendatur, & vos ostenderit calumniatores, & æquè illum recusaveritis, ego illi persuadebo, ut mecum in Hispanias veniat. Athanasius autem conditionibus obtemperavit, nihil contrà oblocutus; illi verò ad omnia æquè diffidentes recesserunt.* Quid enim de Athanasio volverent in animo,

docent

docent verba Constantii Augusti ad Liberium Pontificem in colloquio Mediolanensi: *Praeclaram illam victoriam de Magnentio & Sylvano non tanti facerem, quanti Athanasii ab Ecclesiasticarum rerum administratione abdicationem*. Quocirca à Synodo Athanasius est declaratus integer atque innoxius à fracto calice & dejecto altari, aliisque portentosis calumniis, amplissimeque firmatus in reddita per Julium Episcopali communione, adeò ut, inquit ipse in secunda Apologia, *Ursacius quoque & Valens, cùm antea se pro calumniatoribus gessissent, pœnitere se facti sui protestarentur. Non solùm enim sententiam pro nobis dictam approbaverunt, sed & se caeterosque meos adversarios calumniatores esse confessi sunt, qua pœnitentia etiam scriptis prodita Eusebium socium calumniae & fingendi criminis coartificem liquidissimè convincunt*. Scriptis prodita eorum pœnitentia est, quem ibidem Athanasius refert, in ipsa postmodum Romana urbe exhibitus Julio Pontifici pœnitentiae libellus, de quo Sulpitius Severus: *Ad Athanasii absolutionem etiam illud accessit, quòd Ursacius & Valens, Principes Arianorum, cùm post Synodum Sardicensem viderentur à communione secreti, coram positi à Julio Romanae urbis Episcopo veniam poposcerunt, quòd innoxium condemnassent, meritoque eum sententia Concilii Sardicensis absolutum professi sunt*. Fictam hanc pœnitentiam extorsit metus Constantis Augusti, ad quem Illyricum, in quo illi Episcopi, pertinebat.

Secundus fuit Paulus Episcopus Constantinopolitanus, de quo cur litterae synodales nullam mentionem faciant, audiamus à Theodoreto: *Paulum Episcopum Constantinopolitanum, qui pro sana doctrina se periculis offerebat, Ariani tanquam seditionis auctorem ac ducem accusabant, aliaque nonnulla ei objectabant crimina, quae per calumniam pietatis cultoribus inferre solebant. Verùm populus veritus adversariorum insidias, hunc Paulum Sardicam proficisci id temporis non sinit*. (L. 2. c. 5.) Calumniae fundamentum erat, quòd Hermogenem Ducem, dum jussu Constantii Paulum Sede & civitate ejecit, motus populus Constantinopolitanus trucidasset. Aliam calumniam addidit Conventiculum Philippopolitanum. *Nudi ab ipso ad forum trahebantur Presbyteri, &, quod cum lacrymis luctuque dicendum, consecratum Domini corpus ad Sacerdotum colla suspensum palam publiceque profanabant*. Quòd namque olim non Episcopi tantùm, sed & fideles laici, immò & Catechumeni, Eucharistiam gestarent ad pectus, liquet ex illis, quae in fratris sui Satyri catechumeni encomio funebri scribit Sanctus Ambrosius. Porrò populi praefatum metum non fuisse vacuum docuit secutus eventus, de quo Sanctus Athanasius in Epistola ad Solitarios: *Paulus primùm quidem in Pontum relegatus est, posteà à Constantio ferro vinctus in Singra Mesopotamiae, rursum indè Emesam, atque ex Emesa Cucusum Cappadociae circa deserta Tauri abreptus, quo in loco laqueo per Eusebianos strangulatus vitam finiit*. Quòd ejus per Julium Pontificem facta restitutio fuerit confirmata Sardicae, liquet ex facto Constantis Augusti, qui acta synodalia potenter exequens etiam Paulum reponi jussit in Sedem.

Tertius fuit Asclepas Gazensis Episcopus, de quo tertia synodalis Epistola: *Asclepas prolatis etiam monumentis Antiochiae confectis docuit, cùm ibi simul & accusatores & ipse ejus Metropolita Eusebius Caesareensis adessent, judiciis Episcoporum, qui huic causae praesidebant, se innocentem pronunciatum esse*. Et Hermias Zozomenus: *Asclepas Gazae Episcopus, cùm doctrinae Arianae adversaretur, in crimen vocatus est ab Arianis, quòd altare everterit, & propterea fuerit abdicatus*. (L. 3. c. 7.) Et Conventiculum Philippopolitanum: *In civitate Gaza Provinciae Palaestinae Asclepas altare comminuit, multasque seditiones effecit*. Unà cum Athanasio damnatum è Synodo Tyria Socrates testatur. (L. 1. c. 29.)

Quartus fuit Lucius Episcopus Adrianopolitanus, de quo dictum Conventiculum: *Adrianopoli Lucius post reditum suum sacrificium à sanctis & integris* (ita Arianos vocat) *Sacerdotibus confectum, si fas est dicere, canibus projiciendum jubebat*. Etiam Sancti Athanasii principale crimen ferebatur, quo Ischyrae Presbyteri Meletiani Altare, Calicem, Missalem librum in Mareotae Ecclesia destruxisset. Ita ad Evaisenos & monachos suos de Eustathio Sebastensi Episcopo scribit Sanctus Basilius: *Basilidis Paphlagonici altaria, cùm Paphlagoniam transiret, subvertit Eustathius, & propriis mensis Missae munus perficit*. (Epist. 72. 73.) Arianos altaria nostra, sacra vasa, & thronos Episcopales profanis cantibus & saltibus profanasse, Eucharistiamque projectasse in terram, scribit Gregorius Nazianzenus. (Orat. 20. 23. 25.) Addit se Constantinopoli sacrificantem lapidatum, & altare cum sacrificio eversum. (Epist. 81.) Etiam à Donatistis Eucharistiam nostram canibus projectam; altaria diruta, rasa, lavata, fractos & conflatos Calices Dominici Sanguinis portatores, abjectam per fenestras sacri Chrismatis ampullam, lotos & exorcizatos Ecclesiarum parietes, quin & manus, quibus haec attigerant, expurgatas, refert Optatus Episcopus Milevitanus. (L. 2. c. 7.) Quod ipsum de Wandalis Arianis Victor Episcopus Uticensis. De Timotheo Æluro, Ecclesiae Alexandriae maecho, quòd Pontificales sedes, in quibus sederat Sanctus Proterius ejusdem civitatis Episcopus, fregisset, exussisset, nec non ab ipso sacrata altaria diluisset aqua marina, in litteris ad Anatolium Ecclesiae Constantinopolitanae Episcopum, exstantibus post Synodum Chalcedonensem, queruntur Episcopi Dioeceseos Ægyptiae. (Epist. 23.) Eadem Photius in Sanctum Ignatium Patriarcham, & Graeci Schismatici patrant in nos Latinos. Quin & grassante Pseudo-Anacleti, seu Petri Leonis Schismate adversùs Innocentium secundum, scribit Guilielmus Abbas de Sancto Bernardo: *Priusquam Pictaviensium propalata fuisset & obfirmata perfidia, obtulerat Abbas sanctus in eorum Ecclesia sacrificium Deo. Post cujus discessum Decanus ejusdem Ecclesiae altare, in quo Divina mysteria celebrarat, impiè quidem, sed non impunè confregit*. (L. 2. c. 6.) Post breve enim tempus per immissos à Deo vindice Angelos malos percussus desperantem animam evomuit in infernum. (L. 2. c. 10. 13.) Etiam Donatistas à canibus, quibus Eucharistiam nostram projecerant, actis in rabiem fuisse laniatos scribit Optatus Milevitanus.

Eodem modo Gaufredus, Carnotensis Episcopus, Innocentii secundi per Aquitaniam Legatus, altaria, quae Girardus Engolismensis Episco-

Episcopus, Pseudo-Anacleti Legatus, consecrarat, destruxit, uti ait Chronicon monasterii
L.3.c.4. Maurigniacensis. Altare, in quo Reinoldus, seu Reginaldus, Coloniensis Episcopus, Octaviani adversùs Alexandrum tertium Schismatis fautor, & Frederici primi Augusti ad Henricum secundum Angliæ Regem Legatus, celebrarat in Anglia, à Catholicis eversum fuisse, referunt
A. 1165. Matthæus Paris, & Radulfus de Diceto. De Altaribus per ipsum Octavianum & ejus Episcopos consecratis hæc Rogerus Hovedensis: *Altaria, quæ ab ipsis dedicata erant, demolita sunt*: Ex statuto Synodi Lateranensis. Et Christianus Moguntinus Episcopus pallium Archi-Episcopale, quod à Guidone Cremensi, Octaviani successore acceperat, propriis manibus exussit coram omnibus Cardinalibus & Alexandro tertio, atque ab ipso aliud accepit.
L.2.f.568.
F. 569.

Ita olim Hæreticorum & Schismaticorum Altaria, sacra vasa, Sacramenta tractabat Ecclesia, & vice versa ipsi nostra, quòd nos leprosos, sese integros præsumerent: Ea tractabat tanquam Baal, aut certè excelsorum altaria & sacrificia, quæ destruxerunt pii Reges Israel. Et quidem Ischyras sese Meletii in Mareotæ Ecclesia Presbyterum adseverabat; ideoque ab Eusebianis crimini datum Athanasio, ejusque Presbytero Macario, quòd Meletianos à Synodo Nicæna admissos ad Ecclesiæ pacem tractassent tanquam Schismaticos, eorum sacra subvertentes. Verùm illi reposuere, quòd Ischyras nec Meletii Presbyter, sed merè laicus esset, Presbyteratus mendax & personatus histrio; quòd Meletiani relapsi cum Arianis conspirassent; quòd contra Decretum Nicænum Meletio defuncto ordinassent Joannem successorem, quòd in Mareotæ nullam habuissent Ecclesiam, adeoque nullum istic eorum altare, calix, liber potuisset everti aut exuri.

Quintus fuit Marcellus, Ancyræ Episcopus, Metropolita primæ Galatiæ, de quo tertia synodalis Epistola. *Recitata quoque sunt scripta nostri in Sacris Collegæ Marrelli, & deprehensa est Eusebii dolosa ars. Quæ enim Marcellus per modum quæstionis tractaverat, ea tanquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata quoque sunt in his quæstionibus, quæ antecederent & subsequerentur, & inventa est bona & recta fides istius viri. Non enim ex sancta Maria, ut ipsi asseverabant, verbo Dei initium attribuit, neque finem ejus regno constituit, sed regnum ejus initio & fine carere scriptis prodidit.*

Asterium, gentilium litterarum in Cappadocia Professorem, conversum ab idolis ad Arium potiùs quàm ad Christum, librosque pro Ariana perfidia scribentem, Marcellus libro, cui titulus *De æterno Christi regno*, impugnavit, & quibusdam visus est cum Paulo Samosatensi, Montano & Sabellio Divini Verbi & Spiritus Sancti personales subsistentias in unam cum Patre confundere, & delirare Christum Dominum ante Mariam non fuisse, de quo prolixior Eusebianæ fidei professio, per Eudoxium Germanicensem Episcopum missa ad Ecclesiam Romanam: *Præterea illos detestamur, qui Dei filium solum & simplex verbum Dei, & substantia carere, & in altero esse, commentitia ratione asserunt, & modò tanquam ex ore prolatum, modò tanquam in mente alicujus inclusum, à quibusdam appellatum dicunt, ipsum autem Christum, & Dominum, & filium Dei, & mediatorem, & imaginem Dei non fuisse ante sæcula statuunt, sed ex tempore illum Christum & filium Dei fuisse, ex quo nostram ex Virgine carnem ante quadringentos annos integros adsumpsit. Nam ab illo tempore regnum Christi principium habuisse volunt, & post mundi consummationem & judicium finem habiturum*: Quod tunc à filio tradendum sit Patri. *In quo errore Marcelliani versantur*. Et Synodi Chalcedonensis ad Marcianum Augustum Relatio: *Photinus atque Marcellus aliam adversùs filium blasphemiam innovarunt, eum prorsus existere audaci calumnia negantes, sed unum eundemque ipsum Patrem & Filium & Spiritum sanctum appellatum ipsi affirmantes, & usque ad vocabulorum tantummodo sonum Trinitatis definivere substantiam*. Hunc ejus fuisse sensum scripto ostenderunt, & Constantio Augusto persuaserunt Eusebius Pamphyli, & ejus successor Acacius Luscus, cujus verborum partem intexuit operi suo Sanctus Epiphanius, Episcopi in Palæstina Cæsaræenses.
Socrat. l.2.c.15.

Oderant Marcellum Eusebiani ex causis variis. Primam adducit Julius Pontifex in litteris ad Factionem Eusebianam: *Marcelli fides, confessioque Nicææ spectata est, cùm Arianis contradiceret*. Et infrà: *Et nostri Presbyteri, qui tunc Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur: Nam & eum tunc quoque in sententiis dicendis dimicasse cum Ariana hæresi, testes fuere*. L.2.c.31.
Alias causas adducit Zozomenus: Quòd in Tyria Synodo Athanasii damnationi, & in Hierosolymitana Arii restitutioni suffragari, Eusebianis communicare, & exstructam à Constantino magno Hierosolymis Basilicam cum illis dedicare noluisset. Factum id dixere in contemptum Principis & Augustæ Majestatis, atque ita illum in Hierosolymitana primùm notaverunt, deinde in quadam Constantinopolitana Synodo damnarunt ut auctorem doctrinæ novæ, ejus in sedem ordinarunt Basilium, omnia dicti libri exemplaria jusserunt perquiri & exuri.

Julium Pontificem, cui ejus damnationem retulerat Eusebius Nicomediensis, appellavit, Romamque accessit Marcellus, expostulans atque impetrans per missos Romanos Presbyteros evocari & adversarios: Recta se credere & docere, damnatumque per invidiam ostendit, gradui restitutus est à Julio, cujus factum unà cum Marcelli libro retractavit hæc Synodus, & confirmavit. Egregia, quam Sanctus Epiphanius refert, ad Julium Epistola se Marcellus expurgavit. Quod ipsum faciunt Ancyranæ Ecclesiæ Clerici, de eadem lepra accusati, litteris ad orthodoxos Episcopos exulantes Dio-Cæsarææ. Atque ita liquet & Romanam Ecclesiam & Synodum Sardicensem non temerè processisse.

Innocentiæ & Sedi suæ restituti fuerunt & alii plures Episcopi & Clerici: At ego Scolia scribo, non gesta Episcoporum. Hinc ergò itum ad discutienda Arianorum crimina, flagitiosa, facinorosa, barbarica. Eorum præcipui auctores damnati, Theodorus Heracleensis Episcopus, Narcissus Neroniadis, Acacius Cæsaræensis,

Menophantus seu Menophanes Ephesinus, Ursacius Singidunensis, Valens Mursiensis, Stephanus Antiochenus, ac Georgius Laodicensis, absens, ob ream conscientiam comparere non ausus. Et ob hæresim & ob crimina *Sacrosancta Synodus communi calculo exauctoratos omninò ab officio Episcopatus submovit, decrevitque eos non modò Episcopos non esse, sed ne dignos quidem fidelium communione: alienos & indignos nomine Christiano*, seu communione laica. Ursacii & Valentis, quòd Pannones & Illyriciani ad specialem Romani Patriarchatus Diœcesim & curam spectarent, causam Julio Pontifici specialiter retulit Synodus, dicens esse adolescentes impios & imperitos, & quòd Valens relicta propria civitate invadere tentasset Cathedram Aquilejensem, idque per vim & popularem turbam, in qua victor Episcopus fuerit obrutus, calcatus, occisus. *Causam mortis præbuit Valens, qui perturbavit, qui sollicitavit*. Juvenes tunc fuisse ostendunt tragœdiæ eorum, de quibus apud Gratianum Augustum questi sunt dudum post Synodus Aquilejensis, Sanctus Ambrosius, & Presbyter Paulinus. L. 3. de Spirit. S. c. 2.

Eodem rigore damnati sunt Gregorius Alexandrinus, Basilius Ancyranus, & Quintianus Gazensis, ordinati ab Eusebianis in locum Athanasii, Marcelli & Asclepæ. Declarati sunt Ecclesiarum invasores lupi, quibus communicari non possit, & quorum litteræ non possint recipi, nec vicissim mitti. Addit synodalis ad Ecclesiam Alexandrinam Epistola Gregorium, quoniam ab Hæreticis ordinatus & intrusus, nunquam fuisse Episcopum. Et Sanctus Athanasius in litteris ad Solitarios: Patres Sardicenses *resciderunt omnes illius in dandis Ordinibus constitutiones, interdicentes, ne quisquam ab illo ordinatus in Ecclesia vel nomen sui Ordinis obtineret, idque in odium inauditorum scelerum ejus*. Eum, quòd perfidiæ non potenti satis zelo patrocinaretur, ipsi postmodum Eusebiani abjecerunt. Et horum intrusorum causa, statuit quartus Canon noster, ut Romanæ appellationi deinceps servetur effectus suspensivus, adeoque ut ipsa pendente in appellantis Episcopi sedem nullus intrudatur. Innovavit Apostolicum Canonem: Gregorii enim ordinationem fuisse appellatorii judicii præoccupationem & injuriam, novum in Ecclesia modum, ab Eccclesiastico Canone & Apostolica traditione alienum, disertè scribit Julius Pontifex ad Synodum Antiochenam.

Damnatus à Synodo fuit & Ischyras, Athanasii calumniator. Verùm quo fuco Ischyras mentitus est sese Presbyterum? Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus in Synodorum fragmentis credit fuisse Diaconum: *Ischyras*, inquit, *de Diacono adseritur Episcopus ordinatus*. Ita enim, non *Syrus*, est omninò legendum. At certum est merè laicum fuisse. Ita testantur, quibus homo longè notissimus, Ecclesiæ Mareoticæ Clerici in litteris ad Synodum Tyriam: *Ischyras nunquam in sacris Ecclesiæ ministris fuit, sed primùm jactavit se Colluti Presbyterum*. Ajunt fuisse mendacium, de quo Hosius Cordubensis Episcopus, ac Sylvestri Pontificis Legatus in generali ante Nicænam Alexandrina Synodo judicasset, mendacem damnans, ut laicum in ordinem redigens, atque ita inanis illius Presbyterii famam exsufflans. Alexandrina civitas, quomodo & hodie etiam Romana, divisa erat in varias Ecclesias seu titulos, variosque illis præsidentes ac in illis populum docentes Presbyteros Cardinales, quos inter erant vasa iniquitatis bellantia Arius & Collutus. Collutum jam dicti Mareotici Clerici, in litteris ad Philagrium Præfectum, Palladium Curiosum, & Antonium Centenarium, fuisse ajunt non verum, sed imaginarium Episcopum, in dicta Synodo damnatum ab Hosio, jussum se gerere pro Presbytero, omnesque ab illo ordinatos retrusos in priorem Ordinem. Frustrato, uti Theodoretus scribit, Episcopatus ambitu lassus Presbyteralem suam Ecclesiam in Cathedralem vertit, illic se ostentans Episcopi simulacrum, à nullo, nisi à seipso ordinatus, ordinansque varios. In Presbyterii gradu defunctum scribit Synodus Alexandrina. Ab illo & Ischyram ordinatum crediderunt primùm Clerici Mareotici, at postmodum repererunt & istud esse mendacium. Erat ergò ille merus laicus, modò à Colluto, modò à Meletio se promotum mentiens; istique mendacio Eusebiani superposuere Episcopatum. Et quidem sine Basilica: Habuit enim solam domunculam rusticam in prædio cujusdam Isionis, solosque septem communicantes, ut in Synodo Tyria est ipse confessus. Hæc erat Basilica, in qua Mareotem visitans Sanctus Athanasius fingebatur Altare, Calicem, Missalem librum destruxisse. Hæ, inquam, sunt scenæ, quibus hæresi Arianæ diabolus prælusit, & collusit. Quòd verò vanum hoc Episcopi simulacrum duxerint ad hanc Synodum Eusebiani, apud Socratem testatur Sabinus Macedonianus. L. 1. c. 4. L. 2. c. 16.

Etiam Photini, Syrmiensis Episcopi, causam & hæresim discussam & damnatam ab hac Synodo affirmat Sanctus Epiphanius. Et Sulpicius Severus: *De Photino Episcopo Syrmiensi non est rescissa sententia, quia etiam nostrorum judicio hæreticus probabatur*. At longè aliter & veriùs in fragmentis Synodorum Sanctus Hilarius, Pictaviensis Episcopus, horum omnium testis oculatus, agens de Synodo Syrmiensi: *Ad tollendum ex Episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes*. Non ergò Sardicæ, sed Syrmii fuit in ipsum confirmata, seu non rescissa prior, utique Mediolanensis, sententia, Sulpitiusque Severus acta Syrmiensia transcribit in Sardicensem Synodum, decem annis priorem. Rectè tamen addit: *Marcellum gravabat, quòd Photinus auditor ejus fuisse in adolescentia videbatur*. A Marcello imbutum fuisse dicit Hilarius, ejusque Diaconum. Ejus blasphemia statim cœpit gravare magistrum: At verò apud Sardicensem Synodum integerrima fuit Marcelli existimatio, adeoque liquet Photinum tunc necdum erupisse. Et Conventiculum Philippopolitanum, quod adversùs Marcellum scrutatum est omnes latebras, illius nullam facit mentionem. Graviùs labitur liber Pontificalis in vita Sancti Sylvestri, nec non brevis Epilogus de Romano ejusdem Pontificis Concilio, dicentes Photinum damnatum in Synodo Nicæna.

Fol. 409.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Exponuntur Acta Conventiculi Philippopolitani.

PHilippopolim intra Orientalis Imperii limites abiere Eusebiani, ubi extra Constantis Augusti metum, & sub Constantii alis latrare possent, quidquid suggerebat rabies. Ante omnia canonicas sui à Sardicensi Synodo factas damnationes iniquis innocentium vicissim damnationibus exsufflare tentarunt. Primò damnavere Marcellum, tanquam *omnium hæreticorum pestem execrabiliorem*, *& impudentem Galatam*, *declinantem in aliud Evangelium*, cum Paulo Samosatensi, Sabellio, & Montano delirantem, & pervertentem multos. Ejus, quidquid fucare & fallere conaretur, pravum sensum dixere jam discussum sæpiùs, & de ipso sese certos.

Deinde denuò damnarunt Sanctum Athanasium, Paulum Constantinopolitanum, Asclepam Gazensem, ac Lucium Adrianopolitam, ob criminationes partim enumeratas, partim videndas in Epistola synodali. Et quia illos appellantes in communionem susceperat Julius Pontifex, reddideratque gradui Episcopali, eum ut Synodi Orientalis, & quinti Nicæni Canonis prævaricatorem subdiderunt eidem damnationi, ut satis dictum supra ad Canonem tertium. Addiderunt & Hosium, quem ob ætatis & vitæ eximia merita *Senem Abrahamicum* Athanasius vocat, Synodi Præsidem; Protogenem Sardicensem Episcopum, & Maximinum Treverensem, utpotè Julii ad prævaricandum incentores, traductos & aliorum criminum. Sese dixere veram Sardicensem Synodum, nostros verò Episcopos *multitudinem scleratorum*, quorum tamen principale scelus erat eorum cum Sacramentis Altaria evertisse.

Edidere tandem novum fidei Symbolum, quasi tamen Nicæni confirmatorium, in quo contra Marcellum expressere *Christi regnum esse incessabile*, *permanens in æterna sæcula*. Omisere vocem *Consubstantiale*, idque contra Divales Principum litteras & jussiones, de quibus Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus in Apologia ad Constantium Augustum: *Damnans quoque & substantiæ nomen*, *quo te & in Sardicensi Synodo*, *& in Syrmiensi*, *pium esse Occidentalibus mentiebaris*. Divales namque litteræ scriptæ fuerunt ex communi nomine Constantii & Constantis, quem fuisse constat constantissimum fidei Nicænæ custodem & defensorem. At Eusebiani post factum Synodi schisma de suo Constantio confisi ita præsumpserunt. Exstat profanum Symbolum ad calcem Epistolæ synodalis.

Ipsum esse perversum & Arianum scribit ad Solitarios Sanctus Athanasius, Sanctus tamen Hilarius in rectum sensum interpretatur, hoc ipsum beneficium præstans eorumdem Symbolo Antiocheno, Seleuciensi, & Ancyrano. Ambos conciliat Sanctus Gregorius Nazianzenus, de Synodo Seleuciensi, etiam sublatæ voci *Consubstantiale* substituente vocem *simile secundùm Scripturas*, dicens in funebri Sancti Athanasii encomio: *Piam & veterem doctrinam*, *ac Trinitatis patronam*, *labefactata voce*, CONSUBSTANTIALIS, *sustulit*, *per scripti autem dogmatis ambiguitatem impietati fenestram aperuit*. Hæc enim verba, *Simile secundùm Scripturas*, sunt *simplicioribus hominibus illecebra impietatis hamo circumjecta*, *statua ad omnes pertranseuntes se obvertens*, *communis utriusque pedis cothurnus*, *cribatio ad omnem ventum accommodata*. Antiqua Hæreticorum sapientia est sub orthodoxis vocibus hæreticum sensum, quasi sub ovinis lanis lupum, & sub mellis suco venenum occultare, atque ex illis, tanquam ex fidis latebris, simplicioribus nostris dolosissimè insidiari: Sic, inquit Sanctus Hieronymus, librare & temperare sententiam, ut neque nobis displiceant, neque suos offendant; ad instar funambuli esse cautos, & quasi supra aristas ambulare. Arte artem invadit Sanctus Hilarius, Eusebianis populis ostendens pessimorum magistrorum versutiam & mentem versatilem, seque paratum, non solummodo ad Nicænum, sed & varia ipsorum Symbola, dummodo accipiantur, quomodo illi ipsi apud nos exponunt. Epist. 61. c. 2.

Hanc synodalem Epistolam sparsere per omnes Ecclesiæ & Imperii diœceses, inscriptam Gregorio suo Alexandriæ Episcopo, Amphioni Nicomediensi, Donato Carthaginensi, aliisque id genus. Ei subnectitur hæc subnotatio: *Explicit decretum Synodi Orientalium apud Sardicam Episcoporum à parte Arianorum*, *quod miserunt in Africam*. Amphion est ille, quem Nicæna Synodus in Eusebii Nicomediensis dejecti locum promovit, eidemque pœnitenti rursum cedere coegit, & qui postmodum defecit ad Eusebianos, atque ita Eusebio Constantinopolim translato, rediit in sedem Nicomediensem.

Porrò Donatus ille est omninò Donatus magnus, quo dicti Donatistæ, & de quo Sanctus Augustinus ad Comitem Bonifacium, rogantem, inter Arianorum & Donatistarum errorem quid interesset: *Ariani Patris & Filii & Spiritus sancti diversas substantias esse dicunt*, *Donatistæ autem non hoc dicunt*, *sed unam Trinitatis substantiam confitentur*. *Et si aliqui ipsorum minorem Filium esse dixerunt quàm Pater est*, *ejusdem tamen substantiæ non negarunt*: *Plurimi verò in eis dicunt se omninò credere de Patre & Filio & Spiritu sancto*, *quod Catholica credit Ecclesia*. *Aliquando autem*, *sicut audivimus*, *nonnulli ex ipsis volentes sibi Gothos conciliare*, *quando eos vident aliquid posse*, *dicunt hoc se credere*, *quod & illi credunt*: *sed Majorum suorum auctoritate convincuntur*, *quia nec Donatus ipse sic credidisse asseritur*, *de cujus parte se esse gloriantur*. Epist. 50.

Pergit Augustinus in litteris ad Eleusium, Glorium, & Felicem, Donatistas Episcopos, de Fortunio eorum Episcopo Tubursicensi: *Protulit quoddam volumen*, *ubi volebat ostendere Sardicense Concilium ad Episcopos Afros*, *qui erant communionis Donati*, *dedisse litteras*. *Quod cùm legeretur*, *audivimus Donati nomen inter cæteros Episcopos*, *quibus illi scripserant*. *Itaque flagitare cœpimus*, *ut doceretur*, *utrum ipse esset Donatus*, *de cujus parte isti cognominantur*: *fieri enim potuisse*, Epist. 163.

se, ut alicui Donato alterius hæresis Episcopo scripserint, cùm maximè in illis nominibus nec Africæ mentio facta fuerit. Variè urget Donatum illum non fuisse Carthaginensem, & addit: *Sanè quoniam nescio quando audiveramus Arianos, cùm à Catholica communione discrepassent, Donatistas sibi in Africa sociare tentasse, ad aurem mihi hoc ipsum frater Alipius suggessit. Tunc accepto ipso volumine, ejusdem Concilii statuta considerans, legi Athanasium Episcopum Alexandrinum catholicum, & Julium Romanæ Ecclesiæ Episcopum, nihilominus catholicum, illo Concilio Sardicensi fuisse improbatos. Undè apud nos constitit Arianorum fuisse Concilium, quibus isti Episcopi catholici vehementissimè resistebant. Itaque ad diligentiorem discussionem voluimus ipsum volumen accipere, atque auferre nobiscum: Qui noluit dare, dicens, ibi nos habere illud, quando aliquid in ipso considerare vellemus.*

Et in libris adversùs Cresconium Donatistam, de antiqua, licèt jam amissa, Orientalium communione gloriantem, adducentemque principium Epistolæ Concilii Sardicensis, ubi Donati Carthaginis Episcopi nomen erat adscriptum: L.3.c.34. *Disce, quod nescis: Sardicense Concilium Arianorum fuit, quod notum jam diu est, ut habemus in manibus, contractum maximè contra Athanasium Episcopum Alexandrinum catholicum, qui eorum errorem in ipsa civitate exortum præ cæteris acriter arguebat & refellebat. Non igitur mirum, si illi hæretici Donatum sibi adsciscere tentaverunt, quos per totum orbem catholica damnabat Ecclesia: Quamquam nos sine civitatum nominibus Episcopos, ad quos hæ litteræ datæ sunt, habeamus. Aut ergò aliquis Donatus fuit non in Africa Episcopus, cui nomen Carthago à vestris est additum, aut, ut dixi, Africanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentavit adjungere. Quod hinc maximè credibile est, quòd ad Carthaginis Episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis Ecclesia scriberet: ubi saltem vester scribi debuit, quem Romam soletis vestris paucis mittere ex Africa. Sed Deo gratias, quòd nec valuit, si tamen cœpta est, illa conspiratio hæreticorum Orientalium cum Afris hæreticis prævalere. Tu Arianos jam inter hæreticos, & vobis & nobis detestandos, posuisti.*

Referre hæc verba omnia volui, quòd ex illis varia doceamur. Primò, quòd acta Synodalia, quæ Augustinus à Fortunio Donatistarum Tubursicensi Episcopo audivit, vidit, poposcit, ac postmodum nescio à quo impetravit, fuerint ea ipsa, quam modò habemus, & cujus fragmenta recitat Sanctus Hilarius Pictaviensis, Conventiculi Philippopolitani Epistola synodalis, damnans Julium Pontificem, Sanctum Athanasium, aliosque Episcopos orthodoxos. Non ad Catholicos, sed ad Donatistas missa fuerat, ideoque illam ignorabat Augustinus, & ex eorum archivis tandem accepit. Quòd ab Afris ad nos venerit, docet superiùs laudata subnotatio.

Secundò, quòd, quidquid Sanctus Augustinus hæreat, eadem Epistola fuerit omninò scripta ad Donatum Carthaginensem, quòdque Eusebiani, quomodo Meletianos traxerant, ita conjurationi suæ conati sint addere & Donatistas, quorum capitalia audierant odia in invisam sibi Ecclesiam Romanam. Inimicissimarum hæreseon & schismatum non communionem, sed confusionem conciliare est adversùs Deum & Christum ejus vafricies diaboli antiqua.

Tertiò, quòd irritus fuerit conatus iste. Conjurare enim, & ab avita Divinæ Trinitatis fide discedere noluit Donatus; Ejus superbia, quam Christo Domino sese æquasse scribit Optatus Milevitanus, ad paucorum Schismaticorum à pari societatem non poterat inclinari. Quorumdam Donatistarum circa Trinitatis Majestatem titubatio nata est ex conversatione cum Arianis Gothis. Quocirca conatum pro effectu malè acceperunt Fortunius & Cresconius, adfirmantes Eusebianis, *qui de Sardicensi Concilio hæc scripta miserunt, facinus displicuisse traditorum, & ab eorum communione se retraxisse, & propterea communicasse Donato.* Eorum scopus fuit longè alius. L.3. c.34.

Quartò, quòd dicta synodalis Epistola variè olim fuerit descripta. Quædam exemplaria Episcopis, ad quos missa, adjunxere, quædam non adjunxere suarum civitatum nomina, & hæc posteriora credidit meliora Sanctus Augustinus. Dat causam in eisdem libris contra Cresconium: *Concilium Sardicense non additis civitatum nominibus legi solet, quia nec ipse mos est Ecclesiasticus, quando Episcopis Episcopi scribunt Epistolam. Undè nescio, quis iste Donatus: Miror, si non in vestris litteris Carthaginensis factus est. Quamquam potuerint illi, tam longinquis terris ab Africa separati, requirere, quis Carthaginis esset Episcopus.* Et hoc est omninò verum. Nos hodie habemus Epistolam istam cùm nominibus civitatum. L.4. c.44.

Quintò, quòd Orientalis Ecclesia ad Carthaginensem, adeoque & alium quemvis Romani Patriarchatus Episcopum, etiam Metropolitam, scribere non consueverit de causis Ecclesiasticis, nisi per Romanum Episcopum, eorum Patriarcham. Cum alienis subditis, inscio Principe, tractare negotia, res est suspecta. Qua lege versùs alios Patriarchas nunquam ligatus fuit Romanus Antistes, utpotè, quod in libro de pudicitia Tertullianus dicit, Pontifex maximus atque Episcopus Episcoporum. Eam, quòd dejicere illum, & in ordinem cogere tentarent, omisere Eusebiani, Donatistam, latitantem Romæ in nescio qua rupe seu monte, ideoque dictum Montensem seu Rupitanum, ignoravere.

Sextò, quòd dictus Eusebianorum conatus factus fuerit, cùm à communione Catholica discrepassent. Etenim priùs post Sardicensem Synodum inter Orthodoxos & Eusebianos factam esse Christianæ communionis & contesserationis apertam dissociationem, scribit Hermias Zozomenus, de qua largiùs ex occasione. L.3. c.12.

Restabat executio veræ Sardicensis Synodi, Sanctique Athanasii & aliorum in communionem & gradum restitutorum Episcoporum etiam in sedes restitutio: Res difficilis, tandem adimpleta per Constantem Augustum. Etenim fratri Constantio, nisi & ipse in suo imperio adimpleret, bellum & eversionem minatus est, atque ita tandem Synodus & istic recepta. Honorificentissimis litteris Athanasium Constantius revocavit. At Constantis mors denuò turbavit omnia:

omnia: Athanasius novis calumniis & exiliis vexatus, Paulus Constantinopolitanus strangulatus. De Lucio Adrianopolitano hæc Athanasius ad Solitarios: *Lucii Adrianopoleos Episcopi manus, cervicemque, plurima adversùs ipsos audacia utentis, & impietatem redarguentis, iterum, ut priùs, ferro vinxerunt, vinctumque in exilium deportarunt, ibique, quod ipsos minimè latet, exstinctus est.*

Constantis Augusti metus etiam Ursacium & Valentem adegit, ut, quod suprà dictum, priùs ab ipsa Synodo, deinde Romam profecti à Julio Pontifice peterent veniam & gratiam. Erant enim Occidentales Episcopi, sine Pontificis & Augusti Constantis adsensu in sedibus suis non mansuri. Quin & Maris Chalcedonensis, in Bythinia Ponticæ Diœceseos, Episcopus illis se junxit, de quo apud Theodoretum Liberius Pontifex in colloquio cum Constantio Augusto: *Ursacius, Valens, & Maris in Sardicensi Concilio libellos supplices dederunt, postularuntque veniam de eo, quòd commentarios unius partis suffragiis per calumniam in Mareote contra Athanasium confecerant. Quos libellos jam habemus in manibus.* L. 2. c. 16.

CAPUT SEXTUM.

De Sardicensis Synodi, & Canonum ejus auctoritate.

SArdicensis Synodus habuit plures æmulos: Non tantùm damnatos ab ipsa Eusebianos, sed & varios ex causa varia orthodoxos. Primò, Sanctum Basilium, & ejusmodi alios, ob restitutum Marcellum Ancyræ Episcopum, quem certum est cum Paulo Samosatensi & Sabellio delirasse, atque adeò Synodum fuisse ab ipso circumventam. Ad Sanctum Gregorium Nazianzenum, suadentem à Sede Apostolica & omni Occidentali Ecclesia adversùm grassantes varias Arianorum & aliorum Erronum sectas auxilia peti, hæc Basilius: *Si Dominus sit nobis propitius, quali adminiculo indigemus; sin autem ira Dei permanserit, quale nobis auxilium ab Occidentalium supercilio & fastu adesit? Qui veritatem neque norunt, neque discere sustinent, verùm falsis opinionibus præpediti illa nunc faciunt, quæ priùs in Marcello patrarunt: Nempè cum iis, qui veritatem ipsis annunciant, contendentes, hæresim autem per seipsos stabilientes. Ego sanè ipse absque communi litterarum figura volebam ad eorum Antesignanum scribere: De Ecclesiasticis quidem nihil, nisi per ænigmata; quoniam nec intelligunt nostratium veritatem, neque viam, qua possint addiscere, amplectuntur.* Loquitur oculo per iram turbato. Epist. 10.

Iræ causam edicit Sanctus Gregorius Nazianzenus, de Vitalis, Antiocheni Apollinaristarum Episcopi, æquivocis & dolosis vocibus scribens ad Cledonium: *Quoniam igitur hæ voces, si rectè intelligantur, cum pietate conjunctæ sunt, si malè, impietatem adnexam habent; quid mirum, si Vitalis quoque verba nos quidem in commodiorem, magisque piam sententiam acceperimus, ita suadente voluntate; alii autem scripti sententia exardescant? Quod Damasus quoque ipse, cùm postea rectiùs edoctus fuisset, simulque eos in pristinis expositionibus perstare audiisset, eos ab Ecclesia proscripsit, fideique libellum cum anathematismo delevit. Tum etiam quòd fraudem eam, in quam per simplicitatem inciderat, permolestè ferret.* Per hos, inquam, dies Damasus Pontifex, doloso æquivocæ professionis libello circumscriptus, Vitalem, ut orthodoxum, in communionem receperat: Hinc in iram, frequenti jejunio studentium more, pronior Basilius clamabat à Latinis denuò fieri, quæ priùs patrarant in Marcello, ideoque afflictis Orientalibus Ecclesiis nullum adversùs hæreticos auxilium ab illis exspectandum. Epist. 2.

Romana tamen Ecclesia omninò misit auxilium, & Legatos, de quibus jam mitior Basilius ad Sanctum Athanasium: *Quæritur autem & hoc à nonnullis illic, ut & nobis ipsis videtur, necessariò ut Marcelli hæresim illi, cùm venerint, tanquam malam & nocivam, & à sana fide alienam exterminent. Quoniam ad hunc usque diem in omnibus, quas scribunt, litteris pessimè quidem audientem Arium sursùm ac deorsùm versantes anathematizare atque ex Ecclesiis eliminare non cessant, Marcellum verò, qui ex diametro respondentem Ario impietatem attulit, atque contra eandem Unigeniti, Divinitatisque essentiam impiè egit, verbique appellationem malè usurpavit, ne semel quidem accusare videntur.* Marcello impositam impietatem & Julius Pontifex, & Sardicensis Synodus, & omnis Latina Ecclesia omninò semper non tantùm accusarunt, sed & damnarunt, at Marcellum ab illa credidere immunem: Hæc distinguere debuerat Sanctus Basilius. Epist. 51.

Et quidem Sardicense de Marcello judicium diu constanter defendit latina Ecclesia. Rationem dat, agens de Syrmiensi Synodo, Sulpicius Severus: *Nacti Ariani istiusmodi occasionem seu relapsi seu detecti Marcelli, conspirant penitùs Sardicensis Synodi decreta subvertere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur, quòd tam injustè fuisset pro Athanasio judicatum, quàm Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus esse probaretur.* Ex Synodi circa Marcellum errore ejusdem de Athanasio judicium sunt exsufflare conati, nescientes, aut veriùs dissimulantes utile ab inutili non vitiari. Sciebat illud Romana Ecclesia, Athanasii tamen amore dudum esse inconcussum voluit etiam de Marcello judicium, quousque Liberius Pontifex probavit, Macedonianorum professionem & fidem, ab Eusthathio Sebastensi, Sylvano Tharsensi, & Theophylo Castabalorum Episcopo allatam, Socrat. L. 4. c. 11. in qua anathema dicebatur etiam Marcellianis. Eisdem anathema dixit, & contra eos hæc verba, *Cujus regni non erit finis*, Synodus Constantinopolitana inseruit suo Symbolo, per Damasum Pontificem, ac omnem sub cœlo Ecclesiam probato. Marcelli damnationem etiam à Synodo Chalcedonensi probatam, jam supra est, ostensum.

Hinc quæritur, an ergò Julius Pontifex & Sardicensis Synodus circa Marcelli personam erraverint? Adfirmavit in octava Synodo Zacharias, Chalcedonensium Metropolita Schismaticus; Act. 6.

Mar-

Marcellum Ancyranum Julius Romanus suscepit, & Sardicensis Synodus, trecentos Episcopos habens, justificavit eum, sed usque in præsens ut hæreticus anathemati subjicitur. Ostendere tentat etiam Nicolaum primum Pontificem circa Photii personam errare potuisse, atque errasse. Respondit verò Metrophanes, orthodoxus Metropolita Smyrnensis: *Quod dixisti, Multos, Romanorum Ecclesia justificante, damnatos arbitramur, & rursus damnante justificatos, falsum est, & procul à veritate. Denique Marcellum quidem anathematizantem omnem hæresim, & eam maximè, quam habere dicebatur, justè ac regulariter Julius Papa Romanus, & Sardicensis Synodus recepit. Novissimè autem ad proprium vomitum reversum, & deprehensum hæreticum, hi, qui circum Sylvanum erant, anathematizarunt, quibus & Liberius per litteras suas, qui post Julium fuit, concordat, dicens:* MARCELLUM DENUO IMPIE DOGMATIZANTEM. *Hoc autem non est reprobatio judicii Julii vel Sardicensis Synodi, ob factam Marcello mentis mutationem.*

Adstipulatur Sanctus Hilarius, Pictaviensis Episcopus, in fragmentis Synodorum, agens de Synodo Syrmiensi: *Fotinus hæreticus deprehensus, nec tum quidem per factionem populi potuit ex Episcopatu amoveri. Sed Athanasius Marcellum, qui post recitationem libri, quem scriptum ediderat, sententia Synodi Sardicensis Episcopatui erat redditus, ubi quædam alia nova miscere sentit, & ambiguis prædicationibus ejus, in quam Fotinus erupit, doctrinæ viam quærere, à sua communione separat: Anteriore tempore, quàm Fotinus arguitur, præventam judicio meditationem corruptæ voluntatis ostendens, & non ex libri editione condemnans.* Et infrà: *Negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese Ecclesiæ Marcellus abstinuit.* De Fotino igitur, ejus olim Diacono & discipulo, jam palam errante & seducente, agens cum Marcello Athanasius advertit hominem à libri, per Sardicensem Synodum absoluti & probati, dogmatibus, datisque tunc expositionibus recedere, miscere nova quædam, & ambiguis locutionibus defendere discipuli errores: Hinc ejus communionem est aversatus.

Hoc ipsum tradit Sulpitius Severus, dicens Marcellum Synodi Sardicensis tempore fuisse innoxium, meritòque absolutum, & addens: *Interjecto deinde tempore Athanasius, cùm Marcellum parùm sanæ fidei esse penitus comperisset, à communione suspendit, habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus spontè concederet.* Quocirca labitur Carolus Sigonius, dicens hujus rei Sulpitium esse solum auctorem.

Objicit nobis hæc verba Sancti Epiphanii: *Interrogavi ipse aliquando beatum Papam Athanasium de hoc Marcello, quomodo de ipso sentiret. Ille verò neque ipsum defendit, neque rursum graviter adversùs ipsum invectus est, at solùm risu levi edito ostendit flagitium non magnum ipsum esse, sed habebat ipsum, velut qui se purgasset.* Favet Sanctus Hieronymus in Catalogo: *Feruntur contra Marcellum Asterii & Apollinarii libri, Sabellianæ eum hæresis arguentes: sed & Hilarius in septimo adversùs Arianos libro nominis ejus quasi hæretici meminit. Porrò ille se defendit non esse dogmatis, cujus accusatur, sed communione Julii & Athanasii, Romanæ & Alexandrinæ urbis Pontificum, se esse munitum.*

Respondeo hæc elucidari à Sancto Hilario in jam laudatis fragmentis: *Illud autem cunctis cognitum esse oportet, nullam unquam adversùs Marcellum præter eam, quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps Synodum fuisse contractam, neque Syrmii aliquod in eum expressum fuisse judicium.* Damnatus istic fuit unà cum Photino & Athanasio, idque, quod Sulpitius Severus advertit, astuto consilio, ut Imperatores sententiam, de Photino & Marcello veram, crederent de Athanasio non aberrare. Et egregius fidei orthodoxæ defensor, Paulinus Treverensis Episcopus, oblato sibi decreto *ita subscripsisse traditur se in Photini & Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare.* Tunc enim Athanasius à Marcelli communione omninò se sejunxerat. Attamen sine novo examine & judicio fuit decretum istud: Philippopolitani conventus in Marcellum sententia fuit dumtaxat confirmata, Romanaque Ecclesia ex omnibus actis Syrmiensibus probavit sola constituta in Fotinum. Hinc igitur ab Epiphanio rogatus Athanasius noluit in Marcellum respondere duriùs: Hinc ipse Marcellus, licèt ab Athanasio, Paulino, ac ipso Liberio Pontifice notatus, Julii Pontificis & Sardicensis Synodi decreto semper se defendit, quomodo ab Anastasio Pontifice percussus per Antecessoris Siricii litteras sanare, aut sanum ostendere sese conatus est Ruffinus. Inflictum tamen à Liberio vulnus fuit omninò lethale: Exinde omnis Ecclesia pessimè de Marcello sensit, tanquam qui Synodum Sardicensem & Julium Pontificem æquivocis, aut palam mendacibus professionibus circumscripsisset. Porrò laudata superiùs Liberii verba undè acceperit Metrophanes Smyrnensis Episcopus, ignoro: Periisse debet ista Liberii Epistola; per Socratem adducta nihil habet ejusmodi. Forsan fuere in Epistola ad Synodum Thyanensem, laudata à Sancto Basilio in litteris ad Occidentales, aut in Epistola ad Sanctum Athanasium, cujus superstes fragmentum damnat Marcelli, non expresso nomine errorem, rogans cum subscriptione damnari etiam ab Athanasio, Epist. 74. quem utique Liberius norat jam communione à Marcello sejunctum.

In tali enim judicio innocuè falli posse Ecclesiam ostendit eleganter Facundus Episcopus Hermianensis. *Nam si legere dignentur* trium L. 7. c. 3. Chalcedonensium Capitulorum osores, *invenient etiam Timotheum, Appollinaris discipulum, à beato Athanasio per ignorantiam temporibus beati Damasi Sedi Apostolicæ velut orthodoxum commendatum, atque ab ipso Papa Damaso sine cohibentia hæresis simpliciter esse susceptum. Invenient etiam Pelagium Hæresiarcham, à quo Pelagiani dicuntur, in judicio Palæstinorum Episcoporum, quæ contra Christi gratiam sentiebat, operientem, pravasque sententias suas versutia interpretantem, per eandem ignorantiam absolutum. Invenient postremò beatum quoque Zozymum, Apostolicæ Sedis Antistitem, contra Sancti Innocentii decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cælestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum, atque appel-*

appellantem Apostolicam Sedem , & ipse gestis discusserat , tanquam veram & catholicam laudantem, insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quòd ab illis hæretici crederentur, cùm necdum ipsi Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestius detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos . Et tamen nec Athanasium , nec Damasum, nec illos Palæstinos Episcopos, & Zozymum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt , sed potiùs pro merito suæ fidei catholicos judicat & honorat, quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia malignorum . Facundum labi credo de Timotheo : Non enim hunc, sed
Epist.2. Vitalem, æquè Apollinarii discipulum, fuisse
Epist.58. à Damaso circumscripto susceptum , liquet ex Gregorii Nazianzeni ad Cledonium, Hieronymi ad Damasum, Damasi ad Orientales Epistola, nec non ex quarto libro ipsius Facundi. Omninò culpandus est Sanctus Basilius, hac de causa Damasum Pontificem & omnem Occidentis Ecclesiam, quomodo Sardicensem Synodum & Julium Pontificem ob Marcellum, arguens de patrato facinore, stabilita hæresi, ignorata veritate. Non advertit hac ipsa fidelia etiam Athanasium & amicum Nazianzenum insigniter denigrari.. Malè Paulinum Antiochenum Episcopum, Marcello adhuc communicantem, arguit, quòd ejus dogmatibus fidem habeat: Quis enim nesciat Paulinum, Sancti Hieronymi Ordinatorem, fuisse plenè orthodoxum: Culpandus item, in libello de appellationibus Afrorum ad Romanam Ecclesiam, Marcus Antonius Capellus, Zozymi Pontificis de Cælestio ad Africanam Ecclesiam litteras, à Facundo laudatas, damnans suppositionis.

Epist.74. Restat quæstio, an etiam de Marcelli libro errarint, aut errare potuerint Julius Pontifex, & Synodus Sardicensis? Constanter respondet Sanctus Hilarius, in laudatis fragmentis, non errasse. *Docetur*, inquit, *etiam recitatione libri Marcellum innocentem deprehendi, falsitatem quoque judicii Ariani*, Constantinopolitani per Sardicense cassati, *exstantis adhuc libri fides arguit. Nunquid propter libri vitium Marcellus ab Athanasio abstentus est?* An in librorum judicio circumveniri & falli possit Ecclesia, acriter est ventilatum ad tempora quintæ Synodi, ob Ibæ Edesseni Episcopi Epistolam, probatam à Synodo Chalcedonensi. Errasse Synodum, ideoque expurgandam dixere quidam trium Capitulorum impugnatores. Ast librorum judicia ad dogmaticas definitiones pertinere, esse infallibilia & immobilia, sine Spiritus Sancti injuria rettactari non posse, operosè, & nervosè docuerunt Victor Tonnonensis Episcopus, ac præsertim Facundus Hermianensis, suo loco, res enim longa est, discutiendi.

Alter Synodi & Canonum Sardicensium adversatius fuit Aurelius Carthaginensis Episcopus, nec non & omnis Africana Synodus, in qua & Sanctus Augustinus, idque ob litem de Cleri Africani appellationibus ad Sedem Romanam. Ecclesiæ Africanæ Clerus inferior, ex immemoriali regionis consuetudine, Romam appellare non poterat, coactus Primatis Carthaginensis, aut ejus Synodi judicio acquiescere. Erat consuetudo rationabilis, utpotè quam etiam inferiori Siciliæ Clero imposuit Adrianus quartus Pontifex, à Guilielmo Rege coactus, liberrimeque confirmavit Innocentius tertius, nova concordata statuens Reginæ Constantiæ, ejusque filio Frederico secundo. Spreta hac consuetudine, Apiarius Siccensis Ecclesiæ in Mauritania Presbyter, ab Urbano Episcopo suo gravatus, Romam provocavit ad Zozymum Pontificem, qui appellationem suscepit, & reclamantibus Africanis Episcopis rationes facti sui dedit ex tertio, quarto, & quarto decimo Canonibus Sardicensibus, scribens esse Nicænos. Inchoavit, non finivit litem. Etenim ad Bonifacium primum Pontificem hæc Afri: *Quamvis plurimos codices legerimus, sed nunquam in Nicæno Concilio in latinis codicibus legimus Canones, quemadmodum inde*, ex urbe Romana, *in* Zozymi Pontificis *commonitorio directi sunt*. Et ad Pontificem Celestinum: *Ut aliqui tanquam à tuæ Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum*. Quarto Sardicensi Canone id lucidè statutum est, atque ita etiam lucet Africanis Episcopis hanc Synodum fuisse penitus ignotam. Nescierunt ipsam à Conventiculo Philippopolitano distinguere, credidere Arianam, ut suprà audivimus à Sanctis Alipio & Augustino. Faustinus, Potentinus Episcopus, & Romani Pontificis Legatus, Synodo sextæ Carthaginensi non tantùm *obstitit*, sed & *varias injurias irrogavit, quasi Romanæ Ecclesiæ asserens privilegia*, atque ex illis volens Apiarium recipi in gradum & communionem per Zozymum reddita: At persuadere nequiit missos Canones esse legitimos, longè minùs Nicænos. Lis dura & longa, mollita per Bonifacium secundum Pontificem, tandemque, quod suo dicendum loco, plenè exstincta per Gregorium magnum.

Duæ hìc sunt quæstiones. Prima est, quomodo Africani Episcopi ignorarint Synodum & Canones Sardicenses. Etenim Gratus Carthaginensis Episcopus, cum triginta quinque suæ Diœceseos Collegis, adfuerat Synodo, quosdam Canones popo sceratet & impetrarat; omnes publicarat per Africam, ac in usum deduxerat, uti docet quintus Canon primæ Synodi Carthaginensis. Oblivio prætendi nequit ex lapsu temporis. Etenim Grato successit Restitutus, Restituto Genetlius Genetlio Aurelius, vir insigniter eruditus. Respondeo & fateor hanc ignorantiam esse veraciter admirandam, tamen fuisse: Radicem ignoro. Etiam Nicænum Canonem, duos in eadem civitate Episcopos vetantem, ordinationis suæ tempore ignoravit Augustinus, atque etiam ejus Ordinator Megalius, Calamensis Episcopus, Numidiæ Primas: Eo namque opposito Augustini ordinationem penitùs impedire potuisset, sine infœlici recursu ad poculi amatorii criminationem.

Altera quæstio est, quomodo Zozymus Pontifex Canones Sardicenses dixerit Nicænos. Marcus Ephesiorum Metropolita, in Synodo Sess. 20.
Florentina de Sanctis Patribus per Græcos frequenter vitiatis conventus, dixit nihil id esse miri, cùm ipse Latinorum supremus Pontifex Zozymus, & quidem ad Synodum scribens de re gravissima, adulterarit Canones, pro Nicænis

nis supponens Sardicenses. Eum arguit impostuᵣæ. Probat ex libro Canonum: utique ex Codice Canonum Ecclesiæ universæ, in quo nullus est Canon Sardicensis. Respondit verò frater Joannes de monte nigro, Fratrum Prædicatorum in Lombardia Prior Provincialis: *Nullum nobis fide dignum & classicum produxisti testem de Zozymo, quòd ita corruperit Canones. Apud Latinos nunquam invenietur facta à Zozymo Papa hæc depravatio.* Missos in Africam Canones ait veraciter fuisse Nicænos, utique ex illis octuaginta, quos à Marco Papa Athanasius postulavit, & Marcus Athanasio misit. Addenti, *Sed omittamus hoc, indiget enim disquisitione*, Ephesius acquievit: *Placet omitti, non est enim præsentis temporis hæc quæstio.* Nempè neuter vidit ejus fundum, neuter scivit illas Marci & Athanasii litteras esse suppositițias Isidori merces, atque esse solos viginti Canones Nicænos.

Dico ergò Zozymum Pontificem locutum fuisse ex phrasi consueta totius Ecclesiæ latinæ. Etenim etiam Innocentius primus Victricio Rothomagensi Episcopo, & Sanctus Leo magnus Theodosio Augusto scribens, Sardicensem Canonem vocant Nicænum. Phraseos radicem in laudata Synodo adduxit ipse Marcus Ephesius, rogatus, cur Symbolum Constantinopolitanum & à Latinis & à Græcis vocetur passim Nicænum, respondensque: *Quòd hoc virtute illud contineat*, ac istud non sit, nisi hujus lucidior expressio. Etiam Nicæni Canones virtute continent Sardicenses, & Sardicenses non sunt nisi Nicænorum elucidatio, facta ad destruendas novas strophas, atque in Sanctum Petrum Apostolum & ejus Romanam Sedem injurias Eusebianorum. Quidquid Sardicæ expressum est de Romanis appellationibus, est antiquus Ecclesiæ Canon, perpetua consuetudo, Apostolica & Evangelica traditio, redacta à Synodo Nicæna in paucas hasce & generales syllabas, *Suis privilegia serventur Ecclesiis.* Meritò ergò Sardicenses Canones semper diximus Nicænos.

Tertius Sardicensium Canonum hostis fuit impius Photius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ invasor, auctorque horrendi schismatis, qui suum, à decimo Canone damnatum, ex laico Episcopatum purgare volens, Sedi Apostolicæ scripsit Sardicenses Canones non esse aut fuisse in usu Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Respondit
Epist. 11. verò Nicolaus primus Pontifex: *Quomodo penes vos non sunt Canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus concordia Canonum apud vos texitur, ipsi quoque reperiuntur?* Quinquaginta tituli sunt Joannis Scholastici, Patriarchæ Constantinopolitani, in quinquaginta titulos divisa, & Sardicenses etiam continens, Canonum collectio, qua Patriarchatus Constantinopolitanus fuit omninò semper usus. Et ipse Photius suo Nomo-Canoni inseruit etiam Canones Sardicenses. Eorumdem vigore, non tantùm Sanctus Patriarcha Ignatius, sed & Photii intrusor, Gregorius Asbesta, Syracusæ Archi-Episcopus, nuper ad Apostolicam Sedem provocarant.

Quartus tandem & pessimus horum Canonum hostis fuit Auxilius, Clericus Francus, in opere de Ordinationibus Formosi Pontificis. Proscindit præsertim secundum, qui Episcopis certo modo translatis negat laicam communionem, id est, sacramentalem Reconciliationem, etiam in fine. Repugnare dicit decimo tertio & quinto decimo Nicænis, in quos nulla fuit Hosio potestas: Esse non Catholicum, sed Catharum seu Novatianensem. Fundare se possit in Sancto Leone magno, à quo supra audivimus Nicænos Canones esse Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, esse in finem usque mundi mansuras regulas, in quas nihil possit ulla alia Synodus, sive minor sive major. Ex eodem principio Marcus Ephesius in Florentina Synodo Sess. 5.
dixit Ephesinum Canonem, vetantem Symboli additamentum, à nulla posteriori Synodo potuisse solvi.

Rectè verò respondit Cardinalis Julianus. Sess. 7.
Non credimus hoc vobis non convenire nobiscum, quasi Patres illi secundæ, tertiæ Synodi, quartæ, quintæ, sextæ, & septimæ, si voluissent addere ad Symbolum vocem illam, DEIPARA, *minimè potuissent. Alioquin si Chalcedonensis Synodus posuisset in Symbolum vocem illam*, DEIPARA, *subjectane esset & illa anathemati? Respondeat Dominus Ephesius, dicat unum verbum, aut affirmet aut neget.* At obmutuit non Ephesius tantùm, sed & ipse Bessarion Metropolita Nicænus, aliud nescientes affirmare, quàm esse dubium problema. Cardinalem Julianum largiùs exposuit Andræas, Rhodiorum Metropolita latinus, dicens Ecclesiam non ex Angelis, sed constare ex mutabilibus & futuros rerum successus varios nescientibus hominibus, ideoque opus esse, ut usque ad sæculi consummationem sit eadem illi semper auctoritas, qua priores Canones possit mutare & auferre per posteriores, prout suaserint temporum rationes. Absit, ut Sanctus Leo magnus huic doctrinæ adversetur: Dumtaxat vult approbatos à Sede Apostolica Canones Nicænos per nullam sine ejusdem Sedis adsensu Synodum posse alterari: *Canon quippe Ecclesiasticus vetat*, Socrat. l. 2. c. 13.
ne decreta absque sententia Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur. At verò in Sardicensi Synodo Hosius Romanæ Sedis mandatum habuit, ac ejus acta omnia Julius Pontifex rata duxit & firmavit. Et quòd tertius decimus Nicænus Canon nulli unquam pœnitenti in fine negari communionem absolutionis permittat, est penitus falsum. Quis nesciat ab illo non admissam secundam publicam pœnitentiam, longeque minùs secundam Reconciliationem? Quòd eadem gravissimis quibusdam, licèt primis, lapsibus negari possit, liquet ex Sancto Athanasio, ad Solitarios scribente, Leontium Antiochenum Episcopum, ob nota flagitia & facinora, nec ad laicam communionem oportuisse admissum. Hujus tamen nostri Canonis rigorem non legi usquam usu receptum.

Hisce ergò contradictionibus non obstantibus, plenam ubique dignitatem obtinuit tandem Synodus Sardicensis. Etenim non tantùm Julius Pontifex per Occidentales & Septemtrionales, sed & Sanctus Athanasius per Ægypti Provincias illam solemniter publicavit, de quo
Hermias Zozomenus: *Athanasius concessit Alexandriam, Conciliumque Episcoporum Ægypti cogendum curavit, quo decreta tum Sardicæ de ipso,* L. 4. c. 1.

tum in Palæstina sancita, suffragiis suis quoque confirmarent. Palæstinæ sancita sunt ejusdem Synodi publicatione facta synodaliter per Maximum Episcopum Hierosolymitanum. Hujus publicationis causa, motas Athanasio novas calamitates per Constantium Augustum, Socrates testatur. L. 2. c. 22. Nihilominus ipsi Eusebiani ex Synodo Ancyrana ad eundem Principem legavere Basilium Ancyranum Episcopum, Eustathium Sebastensem, Leontium Cyzicenum, & Leontium Presbyterum Thalamepolitanum, supplicantes recipi & servari Synodum Sardicensem. Zozomen. l. 4. c. 12. 13. Ejusdem auctoritate usa est prima generalis Synodus Constantinopolitana ad Damasum Pontificem scribens, esse veterem Ecclesiæ legem, & Sanctorum Patrum in Nicæna Synodo decisionem, ut singularum Provinciarum Antistites unà cum finitimis, modò ipsis ita visum fuerit, Episcopis ordinent Collegas in suis ipsorum Provinciis. Quòd Provincia sufficientes ad ordinationem celebrandam Episcopos non habens possit ex vicina Provincia evocare subsidium, nequaquam in Nicæna Synodo statutum est, sed in sola Sardicensi.

Proinde Patres Constantinopolitani ex quarto Nicæno & sexto Sardicensi conflant mixtum Canonem, atque ita more latino Sardicensem vocant Nicænum. Universa item Orientalis Ecclesia, apud Chalcedonem adunata, licèt ejus Canones necdum inscripsisset suo Codici, in Relatione tamen ad Marcianum Augustum insigni elogio prædicavit, & pro authentica agnovit Synodum Sardicensem.

Joannes tandem Scholasticus, favore Justiniani Principis in Sancti Eutychii dejecti locum Patriarcha Constantinopolitanus, collegit & toti suo Patriarchatui servandum præscripsit novum Codicem Canonum, digestum in quinquaginta titulos, laudatumque à Nicolao primo Pontifice, atque illi omninò inscripsit Canones Sardicenses. Quæ post ipsius editionem prima conscripsit Canones, Trullana Synodus confirmavit, & ad omnem Orientem extendit, disertè exprimens etiam Canones Sardicenses. Idem facit antiquus incogniti Græci liber synodicus apud Christophorum Justellum. Idem in octava Synodo Zacharias Chalcedonensis Metropolita Photinianus, ipse Photius in Nomo Canone, & Marcus Ephesius in Synodo Florentina. Idem celeberrimi Canonum Collectores Græci, Arsenius Monachus, Alexius Aristinus, & Symeon Logotheta. Licèt dumtaxat ut Occidentis Patriarchalem videantur agnoscere, certum est fuisse œcumenicam, uti liquet ex Sancto Athanasio, nostrisque supra dictis ad Synodum Nicænam. Quia tamen eadem cum Nicæna censetur, non auget numerum œcumenicarum.

CANONES
CONCILII CONSTANTINOPOLITANI.
CANON PRIMUS.

Non spernendam esse fidem Patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicæa Bithyniæ convenerunt, sed manere eam ratam oportet, & anathematizari omnem hæresim, specialiter autem Eunomianorum, sive Anomæorum, & Arianorum, sive Eudoxianorum, & Semiarianorum, sive Pneumatomachorum (id est, qui contra Spiritum sanctum pugnant) & Sabellianorum, & Macedonianorum, & Photinianorum, & Apollinaristarum.

SCHOLION.

Nicæno Symbolo non acquiescentes Eusebiani condidere novem successivè disparata, immò & contraria, adeò ut eorum unus Sophronius, Pompejopolitanus in Paphlagonia Episcopus exclamarit in Synodo Seleuciensi: *Si nova in dies singulos nostræ ipsorum voluntatis & sententiæ prolatio sit formula fidei, fieri non potest, quin accuratam veritatis susceptionem simus brevi prorsùs amissuri*. L. 2. c. 32.

Addit Socrates recipi oportuisse Nicænum Symbolum etiam à Sophronio, atque ita futuros in Ecclesia non fuisse tot motus temerarios, inconsultos, seditiosos, turbulentos. Huic consilio hæc, in qua Eusebiani plures, Synodus tandem acquiescit ob metum Damasi Pontificis & Theodosii Augusti.

Eunomiani, Anomæi, Eudoxiani, Ariani sunt iidem, orti ab Ætio Ecclesiæ Antiochenæ Diacono, reducente purum putum Arianismum, de quo semper erubuerant Eusebiani. Hinc meritò dicti Ariani. Dicti & Eudoxiani ab Eudoxio, primùm Germaniciensi in Provincia Eufratesia, dein Antiocheno, ac tandem Constantino-

politano Episcopo: Attamen minùs famoso apud Latinos, adeò ut Sanctus Gregorius ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Episcopum Antiochenum scribat ignotum sibi esse Eudoxium, in synodicis ac Enthronisticis Patriarcharum ad Sedem Apostolicam litteris non consuetum anathematizari, à nulla Synodo damnatum, atque addit: *Canones quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. De Eudoxianis Romana Ecclesia nihil hactenus novit.* Ait Eudoxii non Augustinum, non Philastrium Brixiensem Episcopum, non alium hæreseon enumeratorem, sed solùm meminisse Zozomenum Græcum, mentitum varia, ac ob nimias Theodori, Mopsuestiensis in secunda Cilicia Episcopi, à quinta Synodo nuper damnati, laudes à Romana Ecclesia non receptum. Toti notissimus orbi fuit ob facinora Eudoxius, verùm ex Constantii Augusti metu, uti scribit Theodoretus, linguam frænans, per Eunomii Cyziceni Episcopi dialecticas argutias & linguam versatilem propugnavit pestem, atque ita illa non Eudoxiana dicta est, sed Eunomiana, Anomæa item atque Exoucontia. Causam dat Zozomenus: *Quòd Filium Patri dissimilem, & ex nihilo ortum statuat.*

L.6. Epist. 31.

L.2. c.27.

L.4. c.2.

Porrò de Zozomeno adversùs Sanctum Gregorium hæc Melchior Canus in opere de locis: *Zozomeni mendacia non excuso: Græcus namque fuit, & natio hæc fuit semper ad mentiendum promptula. Atqui in novem Ecclesiasticæ historiæ libris nihil tale Zozomenus scribit, quale secundò loco de Theodori laudibus illi objicit Gregorius. Non video, quomodo responderi possit, nisi dicamus aut Gregorium alios libros Zozomeni legisse, qui in manus nostras non venerunt, aut memoria lapsum pro Theodoreto Zozomenum scripsisse. Nam Theodoreti verba illa sunt, quæ Gregorius retulit.* Theodoretus nimiis Theodori laudibus clausit historiam suam, Zozomenus de illo nihil habet, nisi quòd fuerit Libanii sophistæ auditor. Et in Florentina Synodo Andræas, Rhodiorum Metropolita latinus, adversùm Græcos ejus auctoritate, tanquam veraci & firma, fuit usus. Respondet verò in notis ad Romanum Martyrologium D. Cardinalis Baronius: *Non advertit Canus nos non habere integram historiam Zozomeni, & complures ejus libros excidisse.* Rectè ostendit excidisse res octodecim annorum, & addit. *Quibus præsertim temporibus, exurgente hæresi Nestoriana, quæ ab eodem Theodoro ducit originem, de eodem Theodoro prolixior erat absque dubio narratio.*

L.11. c.6.

Die 23. Decemb.

Ego tamen inclinor in partes Melchioris Cani. Etenim Theodorus Mopsuestiensis fuit Nestorii magister, in Ecclesiæ pace defunctus ante ejus prædicationem, adeoque res illius nequaquam Nestorianis miscendæ, sed à Zozomeno fuerant referendæ suis temporibus, ante Agricolæ & Eustathii Consulatum, Christi annum quadringentesimum vigesimum primum, in quo finit hodie Zozomenus. Existimo igitur à Sancto Gregorio Zozomenum positum pro Theodoreto. Addo tamen, quòd olim Francis, rogantibus, cur Synodus Constantinopolitana Symbolo non addidisset, *Filioque*, respondit Leo tertius Pontifex: *De tantis Patribus non judicemus.*

Pro, *Macedonianorum*, textus Græcus habet *Marcellianorum*. Et rectè. Macedoniani enim sunt supra expressi Pneumatomachi, nomen habentes à Macedonio Constantinopolitano Episcopo, de Deo Filio cum Ecclesia Catholica, de Spiritu sancto cum Ario sentientes, ideoque Semi-Ariani. Pergit Sanctus Gregorius in jam dicta Epistola: *Romana Ecclesia reliquas hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat.* Ex quo non vanè colligitur etiam Damasus Pontifex Marcelli Ancyrani damnationem admisisse.

CANON II.

EPiscopi, qui extra Diœcesim sunt, ad Ecclesias, quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant & permisceant Ecclesias: sed secundùm regulas constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus ea, quæ sunt in Ægypto tantùm gubernet, Orientis autem Episcopi, solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Asianæ Diœcesis Episcopi ea, quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodo Diœcesim pertinent, gubernent: Ponti autem Episcopi, Ponticæ tantùm Diœcesis habeant curam: Thraciæ verò, ipsius tantummodo Thraciæ.

Non invitati Episcopi ultra Diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, vel quibuscumque disponendis Ecclesiasticis caussis, servata regula, quæ supra scripta est de unaquaque Diœcesi. Manifestum namque est, quòd per singulas quasque Provincias Synodus

dus provincialis administrare & gubernare omnia debeat, secundùm ea, quæ sunt in Nicæa definita.

Ecclesias autem Dei, quæ sunt in barbaricis gentibus constitutæ, regere atque administrare oportet secundùm consuetudinem, quæ à Patribus obtinuisse dignoscitur.

SCHOLION.

L. 5. c. 8. AD hunc Canonem ita Socrates: *Dispartitis Provinciis, Patriarchas constituunt, deciduntque, ut nullus Episcopus, relicta sua Diœcesi, ad Ecclesias exteras demigraret: Nam antea propter persecutionum tempestates illud facere cuique liberum erat. Nectario igitur ampla illa civitas Constantinopolis, & tota Thracia sorte obvenit. Ponticæ autem Diœceseos Patriarchatus Helladio, Cæsareæ Cappadociæ post Basilium Episcopo, Gregorio Nyssæ, hæc est urbs etiam Cappadociæ fratri Basilii, & Otrejo Melitinæ, quæ est in Armenia, contigit. Patriarchatum item Asiaticum Amphilochius Iconii Episcopus, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ, sortitò capiunt. Ægypti Diœcesis Timotheo Alexandriæ Episcopo tribuitur. Ecclesiarum denique versùs Orientem Diœcesim iidem Episcopi, qui antea, Pelagius scilicet Episcopus Laodicææ, & Diodorus Tharsi obtinent: Honoris prærogativa Ecclesiæ Antiochenæ servata, quam Meletio tum præsenti tribuerunt.*

Fœdè hallucinatur, ac miscet vera falsis. Primò, falsum est quòd Canon dispartitis Provinciis instituat Patriarchas. Etenim de tribus legitimis Patriarchis, Romano, Alexandrino, & Antiocheno, eorumque juribus agens sextus Canon Nicænus dicit: *Servetur antiqua consuetudo*. Utique Apostolica: Dictos namque Patriar- L. 6. Epist. 37.
chatus esse Sancti Petri Apostoli opus scribit Gregorius magnus ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum.

Secundò falsum est, quòd Episcoporum ad alienas Ecclesias demigratio, seu alienarum Ecclesiarum quoad judicia, Ordinationes, aut quamvis administrationem invasio sit interdicta ad excludendum vetustum morem, toleratum olim causa gentilium persecutionum. Gentilium persecutiones jam dudum exstinctæ erant, & ex earum necessitate toleratum morem jam pridem excluserat Nicæna Synodus per quartum & sextum Canonem, confirmatum atque innovatum à tertio Sardicensi. Rectiùs Zozomenus dicit hìc aliud non fieri, quàm innovari ex causis statim dicendis Canones Nicænos.

Tertiò, falsum est quòd Ponticæ Diœceseos Primatus detur Episcopis Cæsaræensi, Nysseno, ac Melitinensi. Nyssenus enim non est, nisi Provincialis Episcopus: Et quomodo idem Primatus ex æquo in tres dividatur? Falsum, quòd Asiatica Diœcesis ad Ephesium privativè spectans Iconiensi & Antiocheno in Pisidia, aut quòd Antiochenus Patriarchatus detur Laodicensi aut Tharsensi. Quomodo illis detur salva dignitate Ecclesiæ Antiochenæ? Invicem sese hæc perimunt. Non item Thracia Diœcesis datur Constantinopolitano. Nimium deviant hæc omnia.

Erroris causa est, quòd in unum confundantur duo longè disparatissima, præsens nempe Canon, & Theodosii Augusti lex ad Auxonium Asiæ Proconsulem de restituendis Basilicis, exstans integra in Theodosiano, elegantique compendio relata à Facundo Hermianensi Episcopo, & Hermia Zozomeno. *Legem Imperator* L. 4. c. 2.
addidit, ut rata haberetur fides Concilii Nicæni, L. 7. c. 9.
utque Ecclesiæ illis committerentur, qui in subsistentiis trium personarum unam & eandem confiterentur Divinitatem. Hos porrò esse, qui congruerent in fide cum Nectario Constantinopoli, in Ægypto cum Timotheo Alexandriæ Episcopo, in Orientalibus Ecclesiis cum Diodoro Tharsensi & Pelagio Laodicensi in Syria Episcopo, apud Asianos cum Amphilochio Iconiensis Ecclesiæ Præsule, in civitatibus verò Ponti à Bythinia usque ad Armeniam cum Helladio Cæsaræensis in Cappadocia Ecclesiæ Episcopo, & Otrejo Melitinæ Episcopo, in Thraciæ autem, Schytiæque urbibus cum Terentio Tomorum & Martyrio Marcianopolis Episcopo. Hos enim & Imperator quoque visos, & coram allocutus approbavit, de quibus & integra constabat fama, quòd suis Ecclesiis religiosè præessent.

Legem exponit jam dictus Facundus: *Religiosus Princeps hoc certum esse judicium statuit, ut si quis jam laudatis Episcopis non communicaret, hæreticus haberetur*, & tanquam convictus hæreticus, quoad omnes pœnas, ab Ecclesiarum & Provinciarum Rectoribus tractaretur. Singulis Orientalis Ecclesiæ Diœcesibus confirmat suas orthodoxæ communionis radices. Laica potestate dare Princeps non poterat, à Synodo datas solummodo confirmat, uti liquet ex litteris Sancti Gregorii Episcopi Nysseni ad Flavianum Antiochenum.

Prima, ac per omnem Ecclesiam universalissima communionis radix, seu, ut Sanctus Hie- Epist. 16. c. 2.
ronymus loquitur, *tutissimus communionis portus*, est Sedes Apostolica seu Romanus Episcopus, de quo Regula antiqua: *Qui Romanæ Ecclesiæ non communicat, catholicus non habeatur*. Donatistas non esse catholicos convincit Optatus Milevitanus Episcopus, quòd Romæ non communicarent Sanctorum memoriis: *Solet enim*, ut in octava Synodo dixere amplissimi Magistratus, *Romana Ecclesia ab omnibus advenis professionem fidei exigere, ac tum demum ad Sancti Petri ædem*, in qua etiam hodie ejus memoriæ à fidelibus communicatur solemni submissionis signo, *admittere*. Undè & per miras artes hæretici omnes Romani Episcopi communionem sunt sibi conati suffurari.

Radix generalis habet sibi longè plurimas subordinatas: Omnem præsertim Patriarcham, Primatem, Metropolitam, Episcopum per suam Diœcesim, Provinciam, Parochiam. Per eos, ut legitimum medium, quisque eorum subditus debet Roma-

no Episcopo, & omni sub cœlo Ecclesiæ sociari, sibique in Sanctorum communione congruum locum sortiri. Ita Damasus Pontifex communionis radicem Diœcesi Antiochenæ dans Paulinum Episcopum, omnes istic orthodoxos vult ipsi, id est, sibi per ipsum adunari. Et in Romana per octavam generalem probata Synodo Adrianus secundus graviter arguit Photium, quòd adhuc laicus à Sancti Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani communione sese separarit,
Act. 7. *ac per hoc ab universali Ecclesia, quæ ipsi beatissimo Patriarchæ communicabat, se reddiderit penitus exortem, atque inter schismaticos procul dubio constituerit.*

Verùm enim verò in particularibus Ecclesiis quandoque est schisma, cujus singulæ partes Romanæ Ecclesiæ communionem jactant, adeoque clamare tunc cogitur homo veraciter Christianus, quod in Antiochenæ Ecclesiæ schismate
Epist. 58, 57. Eustathiano Sanctus Hieronymus ad Damasum Papam: *Hinc præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat; Ego interim clamito, Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt. Possem credere, si unus hoc assereret: Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obtestor Beatitudinem tuam, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes.* Vitalis erat Apollinaristicæ, Meletius Campensis, Paulinus Eustathianæ partis Episcopus, singuli de Romana fide & communione gloriantes: Nuper enim ab Athanasio & Gregorio Nazianzeno circumscriptis commendatus Vitalis obrepserat in Damasi communionem. Quoniam in invicem pugnabant, rectè dicit Hieronymus aut duos mentiri aut omnes. Hinc in ipsa Antiochena Diœcesi positus nulli communicabat Antiocheno
Epist. 57. Episcopo, sed Episcopis Ægyptiis, *quasi parva navicula delitescens sub navibus onerariis.* Homo enim germanè orthodoxus, dum non potest per proprium, semper velit per alienum Episcopum, aut etiam per probatos monachos uniri Sedi Apostolicæ, unico canali, per quem Dominus Jesus Spiritum suum sanctum in nos traducit. Quia autem proprio Episcopo non communicare est res periculis obnoxia, inquirit sedulò Hieronymus, cui è dictis tribus adfigere possit suam animam, idque à Romano Episcopo, cujus est de subordinatis communionis radicibus judicare.

Harum dubietas hujus Synodi temporibus erat non tantummodo in Antiochena, sed in omni fermè Ecclesia Orientali. Grassabantur istic Eunomiani, Eusebiani, Macedoniani, Photiniani, Appolinaristæ, ipsique orthodoxi in seipsos frustatim discissi. Lucium Alexandrinum Episcopum & Eudoxium Constantinopolitanum Valens Augustus radices scripserat, Damasum Pontificem & Petrum Alexandrinum Episcopum Theodosius, solum Damasum Gratianus, ei non communicantem Episcopum mandans proscribi tanquam hæreticum, & excludi de Basilicis orthodoxo tradendis. Verùm,
E. ist. 57. ut rectè Sanctus Hieronymus, tantis spaciis divisi fideles nequeunt ab uno Romano Episcopo Sanctum Domini petere, ideoque imperfectum supplevit hæc nostra Synodus, singulis regionibus dans suas radices, earum in fide orthodoxa præstantiores Episcopos, Theodosio Augusto notos & probatos.

Patriarchatui Alexandrino Timotheum Alexandrinum, Antiocheno Pelagium Laodicensem & Diodorum Tharsensem, Diœcesi Asiaticæ Amphilochium Iconiensem & Optimum Antiochenum Pisidiæ, Ponticæ Helladium Cæsaræensem, Gregorium Nyssenum, & Otrejum Melitinensem, Thraciæ Terentium Tomitanum & Martyrium Marcianopolitanum, civitati Constantinopolitanæ Nectarium ejus Episcopum. Exindè harum Ecclesiarum laicis, Clericis, Episcopis non suffecit soli suo Episcopo, Metropolitæ, aut etiam Primati communicare nisi communicarent & alicui ex jam dictis. Et quidem Ephesino & Heracleensi Primatibus, nec non Patriarchæ Antiocheno fuit ablata radicis dignitas: fuit suspensio à nobili parte Patriarchicæ & Primatialis majestatis. Rectè addit Socrates: *Honoris prærogativa Ecclesiæ Antiochenæ servata.* Hæc namque suspensio solos reos aut suspectos Episcopos puniit, sedium privilegia non castravit.

Hocce decretum respicit Synodus Aquilejensis in litteris ad Gratianum, Valentinianum, & Theodosium Augustos. *In Orientalibus partibus cognovimus quidem, summo gaudio atque lætitia, ejectis Arianis, qui Ecclesias violenter invaserant, sacra Dei templa per solos catholicos Sacerdotes frequentari; sed tamen inter ipsos catholicos audivimus crebras dissensiones, impacatamque discordiam.* Queritur Timotheum Alexandrinum, & Paulinum Antiochenum, antiquos suæ communionis socios, gravari, vexari, & quæri, *quibus sit impartienda communio, quibus obseranda.* Romana, omnis Occidentalis, atque Ægyptiaca Paulino Antiocheno, & quidem ut communionis radici, reliqua Orientalis Ecclesia semper communicarat Meletio, aut ejus successori Flaviano, atque ita hæc ex solis Orientalibus Episcopis adunata Synodus, nolens offendere Romanam sedem, radicis dignitatem cavit dare Flaviano, nec tamen voluit dare Paulino. Etiam Timotheo Alexandrino data debita dignitas passa est nescio quos obices. Hæc improbat Aquilejensis Synodus, rogatque per Principes emendari. Ob has, aliasque causas solùm hujus Synodi Symbolum admisit Ecclesia Romana. Et hæc quidem de lege Theodosiana.

Porrò prima Canonis pars, Nicænam Synodum imitata, supra Romanam Ecclesiam, cui à Domino concessa omnia, nihil audet constituere, tangit solos Patriarcham Alexandrinum, & Antiochenum, tresque Primates Autocephalos, jubens contentos esse suis Diœceseos & potestatis limitibus juxta sextum Canonem Nicænum. Per hosce namque dies Sanctus Basilius, Ponticæ Diœceseos Primas, Sanctum Gregorium Nazianzenum, uti in hujus vita scribit Gregorius Presbyter, Constantinopolitanis, ad Thracicæ Diœceseos Europam Provinciam spectantibus, Episcopum, aut certè Doctorem dederat; Petrus autem Alexandrinus Patriarcha, Sancti Athanasii successor, ei confirmarat *ejusdem Ecclesiæ Præfecturam.* Et mutata postmodum mente, Maximum Cynicum per suos

Epi-

Episcopos curavit superordinari. Hanc præsertim usurpationem, temerariam, scandalosam, seditiosam, Canon compescit.

Deinde, trium Diœceseon, Asiaticæ, Ponticæ, & Thracicæ, Primates confirmat in suo antiquo Exarchatu & Autocephalia. Errant, qui illos Romani Pontificis juri Patriarchico olim paruisse existimant, primùmque hoc Canone exemptos, ut eis invadendis pararetur via Episcopo Constantinopolitano. Aliud demonstrat silentium Romanæ Ecclesiæ de hac in se injuria; Certè non minùs pro hisce Diœcesibus, quàm postmodùm pro Illyrico & Bulgaria, pugnasset. Quis nesciat labores, quibus eas, à Synodo Chalcedonensi in Episcopum Constantinopolitanum transcribi cœptas, sibi ipsis restituere conatus est Sanctus Leo magnus? Quòd Sanctus Basilius per omnem Ponticam Diœcesim exercuerit Primatiale jus, & quidem Autocephalum, lucidissimè dicunt plures ejus Epistolæ; Idem ante Nicænam Synodum fecisse ejus Antecessores, docent in Bibliotheca sanctorum Patrum Sanctus Nicon, & Sanctus Firmilianus in litteris ad Sanctum Cyprianum. Eodem jure Asiaticam Diœcesim à Polycrate Ephesiorum Episcopo administratam quis non videat? Erat successor Sancti Joannis Apostoli, de quo Sanctus Hieronymus in catalogo virorum illustrium: *Totas Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias*. Quod & de Thracica Diœcesi, ejusque Primate Heracleensi Episcopo possit facilè ostendi, dictumque aliquid est supra ad sextum Canonem Nicænum.

Altera Canonis pars idem statuit, quod prima pars tertii Sardicensis. Horrendè grassabatur alienarum præsertim Ordinationum invasio. Etenim, ut Eusebii Vercellensis Episcopi, Luciferi Calaritani & Eusebii Samosatensis pios labores taceam, Apollinarius, Laodicensis Hæresiarcha, uti scribit Facundus Hermianensis Episcopus ex Sancto Petro Alexandrino, in Patriarchalem Antiochenam Cathedram intruserat suum discipulum Vitalem, ei soli ab omnibus communicari mandans, Paulinum autem verum istic Episcopum anathematizari. Ab eadem factione intrusos Episcopos in varias Cappadocum Ecclesias, testatur Gregorius Presbyter in vita Sancti Gregorii Nazianzeni. Etiam Macedonius atque Eudoxius, Constantinopolitani Pseudo-Episcopi, ita fuerant in jura aliena grassati. Etiam Synodus Seleuciensis, ejecto Eudoxio, Antiochenis dederat Anianum Episcopum, quomodo olim Antiochena Alexandrinis Gregorium, de quo Julii Pontificis querelas quis ignorat? Digerere nequibant Orientales, quòd Meletio Antiocheno, licèt per Acacianos promoto, jam tamen fidem orthodoxam profitenti, ejusque ob causam plurima passo, Lucifer Calaritanus, idque sine auctoritate Sedis Apostolicæ, Paulinum superordinasset. Hæc ergò omnia, ne fiant deinceps, Canon compescit.

L. 4. c. 2.

Ejus tertia pars Ecclesiis Barbaricis, quoad judicia & Ordinationes, confirmat vetustas suas consuetudines. Ecclesiæ verò Barbaricæ sunt Ecclesiæ constitutæ in Barbarico, id est, extra Romani imperii fines in solo Barbarorum. Romanus enim orbis, Romania; quidquid extra illum, barbaricum seu barbaria olim dicebatur. Hinc in litteris ad Solitarios scribit Sanctus Athanasius *Romam esse Metropolim*, adeoque & Romanum Episcopum Metropolitam *Romaniæ*, id est, Episcopum Episcoporum, & omnium in Romano imperio existentium Patriarcharum Patriarcham. Etiam in Barbarico fuisse Ecclesias antiquissimas, testantur in libro contra Judæos Tertullianus, in dialogo cum Tryphone Justinus Martyr, & Sancti Joannis Apostoli Epistola ad Parthos. Deerat istic Romanæ Reipublicæ forma, ad quam Ecclesiæ Hierarchia conquadraretur, vereque in historiæ suæ proemio scribit Guilielmus Neubrigensis: *Barbaræ Nationes, etiam olim ad fidem conversæ, contentæ Episcopis, de Pallii prærogativa non curabant. Denique Hibernenses, Norici, Dani, Gothi cùm olim Christiani fuisse, & Episcopos habuisse noscantur, nostris temporibus Archi-Episcopos habere cœperunt*. Archi-Episcopos, at sine Pallii insignibus, habuisse Hibernenses, adfirmat Sanctus Bernardus in vita Sancti Malachiæ, Episcopi Dunensis. Quidquid sit, Barbaricæ Ecclesiæ habuere Hierarchiam à Romanis diversam, & hanc Synodus sancit manu-teneri.

C. 7. F. 88.

CANON III.

Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quòd sit nova Roma.

SCHOLION.

Byzantium, Europæ, quæ Diœceseos Thracicæ est sexta & novissima Provincia, sub Heraclea Metropoli civitatem, à Constantino magno mutatum in Constantinopolim, Sextus Rufus vocat *secundas Romani imperii arces*. Addit Hermias Zozomenus: *Quam urbem Constantinus æquales partes cum urbe Roma in regendo, administrandoque imperio obtinere voluit*. Et Socrates: *Lege sancivit, ut secunda Roma vocaretur*. Ad instar Romæ divisa fuit in quatuordecim regiones, aureum milliarium pro umbilico habuit, capitolium, pontem sublicium, obeliscum, theatra, circum maximum, horrea, amphitheatra, pistrina, thermas, columnas concavas, duas basilicas, porticus, omnia veteris Romæ

C. 4. L. 2. c. 2.

Romæ insignia, nec non & urbis Præfectum ornatum Romana in civiles & criminales causas potestate. Hinc ejus etiam Episcopus statim cœpit cristas erigere. Etenim non tantùm Eusebius Nicomediensis Episcopus eximiam Bithyniæ Metropolim, atque Eudoxius Germanicensis Antiochenum Patriarchatum Cathedræ huic posthabuit, sed & Alexander, Alexandrinus Patriarcha, Arii Presbyteri sui novas prædicationes & varias insolentias, non Primati Heracleensi, sed Alexandro Constantinopolitano Episcopo singulariter retulit, tanquam cæteris per Orientem Episcopis eminentiori. Hinc ergò tandem hæc Synodus dedit illi secundum dignitatis in Ecclesia locum, Alexandrino in tertium, Antiocheno in quartum detruso, contra Apostolicam institutionem, & sextum Canonem Nicænum. Rectè de Græcis Græcus Anastasius Bibliothecarius in præfatione Synodi octavæ: *Familiaris est illis ista præsumptio, & singularis quodammodo ambitionis indicium: Siquidem in secunda Synodo, contra statuta magnæ Nicænæ Synodi & Sanctorum decreta Præsulum Romanorum, Alexandrinæ privilegia Sedis Constantinopolitano contulere Pontifici.* Et hæc sunt prima & adhuc rudia lineamenta Patriarchatus Constantinopolitani.

Act. 16. Hic est Canon, de quo ad Synodum Chalcedonensem dixit Lucentius, Esculanus Episcopus, & Sedis Apostolicæ Legatus: *In Synodicis Canonibus non habetur.* Et Sanctus Leo Pontifex

Epist. 53. §. 5. in litteris ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum: *Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio, nunquamque à Prædecessoribus tuis ad Apostolica Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia subjicere fomenta voluisti.* Et in litteris ad Pulcheriam Augustam:

Epist. 55. *Superbum nimis est & immoderatum, ut venerabilium Patrum Nicænorum decreta solvantur, quorumdam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum. Nam sexagesimus ferè annus hujus jactantiæ esse jactatur.* Ex quibus liquet hunc Canonem à Damaso Pontifice non tantummodo non fuisse confirmatum, sed & nunquam ipsi relatum. Nativum Græcis esse vitium, ut suis superioribus, laico præsertim Principi & Regiæ civitati, ultra modum adulentur, testatur jam laudatus Anastasius in præfatione ad septimam Synodum: Ex eo fonte prodiit Canon, ideoque de illo ipsi auctores apud Sedem Apostolicam erubuerunt. Multis sæculis illum damnavit eadem Sedes, admisit tandem ex causis suo loco dicendis Innocentius tertius in Synodo Lateranensi, & in Florentina Eugenius quartus confirmavit.

Canonis causa fuit jam dicta Byzantii in Constantinopolim mutatio, seu quòd Constantinopolis sit *nova Roma*, secunda civitas Imperii Romani. Supremam namque Christianitatis Episcopalem Cathedram Dominus Christus figi jussit Romæ, prima Romanæ monarchiæ Metropoli; secundam Sanctus Petrus Apostolus Alexandriæ, tertiam Antiochiæ posuit, in secunda & tertia Romanorum civitate: Romanarum Provinciarum Metropoles, civitates, castra, fines, esse jussit & Metropoles, civitates, castra, fines Provinciarum Ecclesiasticarum. Quam regulam secuta hæc Synodus Episcopo Constantinopolitano dedit secundum in Ecclesia locum. Eam, quòd ab humana pravitate in fomentum adsumeretur, Ecclesia postmodum reprobavit.

Socrates Episcopo Constantinopolitano datum adserit non tantummodo secundum locum, sed & totius Thracicæ Diœceseos Primatum. Quod expansis ulnis amplectuntur recentiores Græci schismatici. Errant manifestè. Etenim secundus Canon disertè mandat etiam Thracicam Diœcesim quoad omnia more vetusto administrari juxta sextum Nicænum Canonem, utique à Primate Heracleensi. Cujusque Primatus eminens portio est suæ Diœcesi esse radicem communionis, qua quempiam sine noxa aut causa privari non permittit justitia Christiana: At verò Nectarium Constantinopolitanum Episcopum, in synodalibus ad Damasum Pontificem litteris ornatum tot encomiis, hæc nostra Synodus radicem dat soli civitati Constantinopolitanæ, ideoque clarum est illum non donatum Præfectura Diœceseos Thracicæ.

Quin immò clarum existimo factum illum solo honore & nomine Metropolitam, quos Florentina Synodus non primarios aut medios, F. 316. sed postremos vocat, quibus nulla est Provincia, nulli suffraganei, licètque à vero Provinciæ Metropolita passim exemptis, manet semper quispiam character avitæ subjectionis. Radicis dignitas & Episcopalis potestas sunt ejusdem extensionis, adeoque quomodo illa, ita & hæc Nectario restricta fuit ad solam civitatem Constantinopolitanam. Quòd etiam tempore Sancti Leonis magni, post invasas Synodi Chalcedonensis auctoritate tres autocephalas Diœceses, nullo habuerit comprovinciales suffraganeos, non obscurè colligi datur ex Anatolii Constantinopolitani & Joannis Heracleensis Episcopi litteris ad Leonem Augustum, exstantibus post Epist. 26. 27. jam dictam Synodum. Anatolius solus, Joannes cum tota Europæ Synodo scribit, tanquam verus atque integer Metropolita. Et Synodo Florentinæ Antonius Heracleensis Episcopus subscribit ut totius Thraciæ & Macedoniæ Primas, exutus tamen autocephalia. Et Synodo ad Quercum, à qua damnatus Sanctus Joannes Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus, præsedisse Paulum Heracleensem scribit Photius in Bibliotheca: L. 59. Nempe licèt ille ab hujus Metropolitica, non tamen à Primatiali auctoritate erat exemptus. Et in avitæ subjectionis characterem etiamnum hodie Constantinopolitanus, non aliorum Patriarcharum more ab aliquo comprovinciali suffraganeo, sed consecratur à Primate Heracleensi.

Quæ omnia Græci hodie schismatici, licèt de suo Constantinopolitano Patriarchatu portentosa somnient, palam confitentur. Etenim Petrus Antiochenus scribit ad Archi-Episcopum Gradensem: *Quinque in universo orbe à Divina gratia dispositum est esse Patriarchas: Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum. Sed neque ex his omnes propriè Patriarchæ nominantur, sed impropriè. Namque Præsul Romanus Papa dicitur, Constantinopo-*

nopo-

nopolitanus Archi-Episcopus, Alexandrinus Papa, Hierosolymitanus Archi-Episcopus, solus verò Antiochenus propriè id sortitus est Patriarcha audire, dicique. Et hoc Tua Charitas, si diligenter perquisierit, inveniet per omnes Scripturas confirmari. Idem tradunt Nilus Doxopatrius & Theodorus Balsamon. Quid verò Archi-Episcopi; Audiamus ab eodem Theodoro. *A sanctis Patribus sancitum est, ut eæ Diœceses, quæ multas habent urbes sub Episcoporum gubernatione constitutas, à Metropolitanis administrentur, quos etiam ipsi Canones appellant primos; quæ verò sub se non habent urbes aliquas Episcoporum regimini subditas, Archi-Episcopos habeant Pontifices: ut inferiores hæ quidem sint Metropolibus, at Episcopatibus superiores.* Archi-Episcopus itaque est Metropolitano inferior, nullos habet sub se Episcopos, est Episcopus à suo Metropolita exemptus, tertii Ordinis Metropolita solo nomine & honore, qualem, dempta exemptione, Hierosolymitanum fecit septimus Canon Nicænus. Et hinc Synodo octavæ post Metropolitas Archi-Episcopi subscribunt. Scio hæc schismaticorum principia esse nova & variè devia: Evincunt tamen, quòd præsens Canon Constantinopolitano nihil dederit, nisi exemptionem & locum.

CANON IV.

DE Maximo Cynico Philosopho, propter indisciplinationis ejus doctrinam, quæ Constantinopoli orta est, statutum est, ut neque Maximus fuisse aut esse etiam putetur Episcopus, neque si qui ab eo sunt ordinati, qualemcumque gradum Clericatus obtineant, omnibus scilicet, quæ circa eum, vel ab eo gesta sunt, in irritum revocatis.

SCHOLION.

MAximus, Philosophus Cynicus, genere Alexandrinus, Constantinopoli per Sancti Gregorii Nazianzeni ministerium in Christum credidit, baptizatusque, inquit in dicti Sancti vita Gregorius Presbyter, *ficta pietatis specie ita Episcopum cepit, ut eadem cum illo domo, eademque mensa uteretur, atque ipsi quidvis esse censeretur*, tandem & in Presbyterum promotus. Et quoniam à Lucio, homine Ariano, Pseudo-Episcopo Alexandrino, in orthodoxos barbari instar grassante quædam passus fuerat, orthodoxo ejusdem civitatis Episcopo Petro, Sancti Athanasii successori, etiam gratus fuit. Addit laudatus Presbyter alienum fuisse ab Antisthenis dogmate. Exponit Jacobus Billius in scholiis: *Cynici, teste Laertio, Antisthenem sectæ suæ Principem habuerunt. Hi cùm pecunias & ventris voluptates adspernarentur, atque ex instituto parcè admodum viverent, nihil tale Maximus ille agebat.* Ex Dei ventris amore in Judam versus magistro insidiari cœpit, & per furtivos nummos licitare ejus Episcopatum. Petrum Alexandrinum, à quo tamen in Sede Constantinopolitana firmatus Nazianzenus, seduxit in mentem aliam, atque ita per auro corruptos, qui Ægyptium frumentum advexerant, ejus Episcopos clandestinè in domo Scenici Choraulæ Episcopus ordinatus, omnem Orientem implevit scandalis & contentionibus.

Etenim à civibus Constantinopolitanis ejectus, & à Theodosio Augusto, per quem firmari sibi Episcopatum postularat, ignominiosè repulsus, *Alexandriam navi petiit, cùmque eisdem technis quosdam Petri familiares auro pellexisset, ipsum quoque pari improbitate aggreditur. Aut enim mihi,* (Gregor. Presbyt.) *inquit, Principis civitatis Episcopatum asscre, aut à tuo non abstinebo. Et quidem in perspicuum malum audax hominis facinus desiisset, nisi Alexandriæ Præfectus, seditionis & cædium metu, Maximum urbe exturbasset.*

Tandem ad Apollinarii hæresim delapsus meruit hunc Canonem, quo stabilita & confirmata antiquissima, haud dubiè ab Apostolis aut proximis eorum successoribus tradita, forma judicandi de Episcopis & Clericis per violentiam, simoniam, aut aliam quamvis pravitatem intrusis. Eandem quippe sententiam, uti supra dixit Sanctus Athanasius, in Gregorium Alexandrinæ Ecclesiæ intrusum, & ab ipso ordinatos Clericos tulit Synodus Sardicensis, in ejusdem Ecclesiæ sanguinarium pervasorem Timotheum Ælurum Sanctus Leo Pontifex, totiusque Orientis Episcopi, à Leone Augusto consulti, in ejus successorem Petrum Mogum Simplicius & Felix tertius Pontifices, nulla Zenonis Augusti prece mobiles, malentesque pati miserabile totius Orientis schisma Acacianum, quàm istius Episcopatum aut Clericales ordinationes. Et jure meritò. Episcopi enim intrusi sunt adulteri, raptores, latrones, uti de Photio Constantinopolitano, in quem voluerunt servari hunc Canonem, dixere Nicolaus primus Pontifex, Adrianus secundus, & Synodus octava.

Quærit Anastasius Bibliothecarius, cur Acacii Constantinopolitani, & Ebbonis Remensis Episcopi dejecti potiùs, quàm Photii Clericos in suo gradu susceperit Romana Ecclesia, respondetque illos Episcopatu legitimè accepto dumtaxat humanitùs excidisse, hunc autem, nostro Maximo per omnia similem, fuisse intrusum & invasorem, adeoque Episcopi nomine nunquam dignum. Quam regulam etiam hodie passim servat Apostolica Sedes.

CANON V.

DE libello Occidentalium, etiam eos suscipimus, qui Antiochiæ unam Patris & Filii & Spiritus sancti Deitatem confitentur.

SCHOLION.

PRo voce, *Libello*, alia editio retinet vocem Græcam, *Tomus*, de cujus germana significatione est quæstio, dicitque apud Photium in Bibliotheca Efremius Patriarcha Antiochenus:
L. 229. *Sed adhuc vide hæresços impudentiam. Reprehendit enim Leonem Pontificem, qui Epistolam suam* TOMUM *vocaverat, nescientes rudes, quomodo Sanctus Cyrillus & strenuus Athanasius, aliorumque Patrum cœtus, pios labores* TOMOS *vocent*. Agit adversùm Eutychianistas, qui dogmaticam Sancti Leonis magni Epistolam, priùs ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, deinde ad Synodum Chalcedonensem pro instructione missam, omni calumniarum genere & modo arietantes, etiam dixere non rectè vocari tomum. Ejus enim apud omnem in Oriente orthodoxum famosissimus titulus erat: *Tomus Sancti Papæ Leonis*.

Dicta igitur vox duas præsertim habet significationes. Prima significat grande volumen, atque ita Origenes, uti ad Pammachium &
Epist. 65. L. 1, c. 1. Oceanum, & in libris contra Ruffinum scribit Sanctus Hieronymus, edidit scholia, homilias, & tomos. *Disputationes majores*, inquit Marianus Victorius, *seu commentarios, tomos vocavit*. Et Ruffinus in secundo libro invectivarum in Sanctum Hieronymum: *Tertium, quod scripsit Origenes, ipse tomos, nos volumina possumus nuncupare, in quo opere tota ingenii vela spirantibus ventis dedit, & recedens à terra in medium pelagus confugit*. Hinc tomos ejus scholiis opponit, in quibus rem *summatim breviterque perstringit*. Ita sexta Synodus, Gloriosissimi Judi-
Act. 14. ces, & Georgius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus atque Carthophylax, agunt de *tomo quinti Concilii Actionem septimam continente*, id est, *Carthacco volumine*. Et nos etiam hodie de quovis scriptore dicimus, quòd ediderit tot & tales tomos.

Alia significatio importat authenticis & sacrosanctis verbis circumscriptam fidei aut cujusvis professionis formulam seu decretum. Ita Liber Pontificalis laudatam Sancti Leonis Epistolam dicit esse *tomum, id est, fidem Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ*. Et Sanctus Agatho Pontifex, in litteris ad Constantinum quartum Augustum, ejusque filios Heraclium & Tyberium, probatis & lectis
Act. 4. in dicta sexta Synodo, adducit testimonium *ex tomo Theodosii hæretici Alexandrini scripto ad Theodoram Augustam, & tomo dogmatico Pyrrhi Episcopi Constantinopolitani*, confirmatorio Ecthefeos Heraclii & Constantis Augusti. In Synodo Florentina, post stabilitam inter nos & Græcos
Sess. 25. concordiam, utriusque gentis delecti Episcopi scripserunt *tomum & definitionem unionis sanctissimarum Ecclesiarum*. In octava Synodo Theophylactus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Referendarius, produxit & solemniter exussit *omnes tomos chirographorum à Photio exactos*. Et apud Franciscum du Chesne Acta de reformatione monasterii Dionysiani libellum accusationis vocant tomum. Etenim & hæc suam formulam habent immobilibus verbis circumscriptam. Et Josephus, Methonensis Episcopus, Marcum Ephesiorum Primatem arguit, quòd sua in Synodum Florentinam calumniosa scripta ad instar tomi voluerit recipi & honorari. Eodem telo Eutychianistæ invadebant Sanctum Leonem Pontificem, ejusque dogmaticam Epistolam, dictatam veraciter à Spiritu sancto. At sine fundamento. Nec enim ipse, sed plena Chalcedonensis Synodus, omnis Orientalis Ecclesia, rursumque sexta Synodus eam ita glorificavit, dicens rectæ fidei titulum, columnam, firmamentum.

Quocirca & in præsenti Canone *tomus Occidentalium*, est quoddam fidei decretum, seu quæpiam professionis formula, missa ab Ecclesia Occidentali. Andreas, Rhodiorum Metropolita latinus, in Florentinæ Synodi septima sessione esse putat fidem Synodi Sardicensis. *Patres*, inquit, *secundæ Synodi susceperunt Synodum à Constantino Sardicæ celebratam, quæ vocatur etiam Occidentalis*. Verùm neque sub Constantino facta est Sardicensis Synodus, nec missa à Damaso Pontifice ad Constantinopolitanam, aut Ecclesiam Antiochenam, cujus lites non in isto pendebant cardine.

Christophorus Justellus, in Notis ad Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, esse credit libellum, de quo hæc ipsa Synodus ad Damasum Pontificem & Episcopos Occidentales: *Pleniorem delectationem animis poteritis percipere, si libellum in Concilio Antiochiæ convocato de fidei decisione editum, & eum etiam, qui superiori anno à Constantinopolitano Concilio generali compositus est, legere placuerit*. Prior libellus est decretum Sy- L. 5. c. 3.
nodi Antiochenæ, memoratæ à Theodoreto, in qua adversùm Eunomianos, Arianos, Macedonianos, Sabellianos, Photinianos, Apollinaristas stabilita Nicæna fides, initaque inter Paulinum & Meletium Episcopos pacta pacificatoria de Cathedra Antiochena; posterior est ipsum Symbolum Constantinopolitanum. Verùm uterque fuit ad Occidentales, neuter Occidentalium, seu ab Occidentalibus.

Quocirca memoratus à Canone libellus est C. 10.
ille, de quo idem Theodoretus: *Damasus, vir omni genere laudis florentissimus, simul ut hanc sectam exortam accepit, non Appollinarem solum, verùm etiam Timotheum ejus discipulum abdicavit, quam rem Episcopis etiam Orientales Ecclesias gubernantibus significavit*. Et Ruffinus in litteris ad Ma-

Epist. 2. Macarium: *Damasus Episcopus, cùm de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionem Ecclesiasticæ fidei, cui subscribere deberent, conscribendam mandavit*: Et antiqua Damasi Pontificis vita, per Constantinum Cajetanum è Romanis Canonicorum Sancti Petri Archivis exscripta, & publicata per Martium Milesium: *In diebus illis Damasus, convocatis Episcopis de diversis mundi partibus, celebravit Concilium, in quo condemnavit Macedonium, Eunomium, Apollinarem: Quam sententiam confirmari præcepit in sancta secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata fuit*. Duas ad Paulinum, non, ut dolosè ex causis notis Theodoretus scribit, Thessalonicensem, sed Antiochenum Episcopum, Damasus scripsit litteras, quarum prior, dolosè item suppressa ab eodem scriptore, Paulino Episcopatum confirmat, & per omnem Diœcesim Orientalem ponit radicem communionis; altera Arianis, Eunomianis, Apollinaristis, aliisque Erronibus tum grassantibus, figit formam professionis, qua in Ecclesiam recipiantur. Ambas aut Damasus aut Paulinus misit ad Synodum, executionem rogans, isteque est Occidentalium libellus. Verùm enim verò Paulinum, quoniam ab Occidentalibus ordinatum, semper aversati sunt Orientales, ideoque illi neque Antiochenum Episcopatum confirmare, nec radicis dignitatem tribuere dignati, neque tamen abjicere, aut ejus corrivali Meletio, aut successori hujus Flaviano palam adhærere ausi, omnes generaliter Antiochenos, sive Paulini, sive Flaviani sequaces, qui Nicænam de consubstantiali Trinitate fidem profiterentur, admiserunt in communionem, sedis contentione suspensa. Idque ob libellum Occidentalium, id est, ob reverentiam Ecclesiæ Romanæ.

At fuit fucata reverentia. Licèt enim nullam in hoc Canone; in synodalibus tamen sequentis anni litteris ad Damasum Pontificem, Sanctum Ambrosium Mediolanensem, Acholium Thessalonicensem, aliosque Occidentalium Primates Episcopos scriptis, Flavianum in defuncti Meletii locum, contra memoratorum pactorum juratam fidem, ordinatum mirificè commendant, confirmant in Episcopatu, atque adeo Paulinum abjiciunt, aut certè contemnunt. Hinc pro illo indignati Ambrosius, Acholius, reliquaque Aquilejensis Synodus, Gratiano, Valentiniano, & Theodosio Augustis queruntur: *Vetustæ communionis sociis sua prærogativa servetur, quorum nobis hæc non superflua cura est*. Absit igitur, ut Damasus Pontifex hunc Canonem confirmarit. Longa fuit ista Antiochena lis, quam sub Siricio Pontifice moderari cœpit Synodus Capuana, plenè tandem exstinxit Innocentius primus.

CANON VI.

Quoniam multi Ecclesiasticum Ordinem confundere & subvertere volentes, inimicè & sycophanticè adversùs orthodoxos Episcopos, qui Ecclesias administrant, accusationes quasdam confingunt, nihil aliud quàm Sacerdotum bonam existimationem contaminare, & in pace degentium populorum tumultus concitare conantes: ea de causa placuit sanctæ Synodo Episcoporum, qui Constantinopoli convenerunt, nec sine discussione admittere accusatores, nec omnibus eorum, qui Ecclesias administrant, accusationes permittere, nec omnes excludere: sed si quis propriam quidem querelam, id est, privatam, intendat Episcopo, ut detrimento aliquo, vel injuria aliqua ab ipso affectus, in ejusmodi accusationibus nec accusatoris personam, nec religionem examinari: Oportet enim Episcopi conscientiam esse omnibus modis liberam, & eum, qui sibi injuriam factam esse dicit, cujuscumque sit religionis, jus suum consequi. Si autem sit crimen Ecclesiasticum, quod Episcopo intenditur, tunc examinari personas accusatorum: ut primùm quidem hæreticis non liceat orthodoxos Episcopos pro rebus Ecclesiasticis accusare. Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, & qui sunt postea à nobis anathematizati. Ad hæc autem & eos, qui se sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem sunt & abscissi, & adversùs canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt. Præterea autem & si aliqui eorum ab Ecclesia ob aliquas causas priùs condemnati, & ejecti vel excommunicati fuerint, sive ex Clero, sive

ex laicorum ordine, nec eis licere Episcopum accusare, priusquam proprium crimen absterserint. Similiter autem & eos, qui priùs rei facti, accusatique sunt, non priùs ad Episcopi vel aliorum Clericorum accusationem admitti, quàm se objectorum sibi criminum insontes ostenderint. Sed si nonnulli nec hæretici, nec excommunicati fuerint, nec priùs damnati, vel aliquorum criminum accusati, dicant autem se habere aliquas adversùs Episcopum criminationes, eos jubet sancta Synodus primùm quidem apud Provinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi, qui aliquarum rerum accusatur. Quòd si evenerit, ut provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem Synodum Diœcesis illius Episcoporum, pro hac causa convocatorum; & accusationem non priùs intendere, quàm æquale periculum sibi statuant, si quidem in rebus examinandis accusatum Episcopum calumniari convicti fuerint. Si quis autem iis, quæ, ut priùs declaratum est, decreta fuerunt, contemptis, ausus fuerit vel Imperatoris aures molestia afficere, vel sæcularium Principum judicia, vel universalem Synodum perturbare, neglectis Diœcesis Episcopis; eum nullo modo esse ad accusationem admittendum, ut qui Canonibus injuriam fecerit, & Ecclesiasticum ordinem everterit.

SCHOLION.

EXponenda primitùs est significatio duarum vocum, *Canonicos Episcopos*, &, *Diœcesis*. Quidam enim pro priore ponendam existimant, *Episcopos communicantes*. At sine necessitate. L. 3. Epist. 35. Nam & in litteris ad Victorem & Columbum, Africæ Episcopos, Gregorius magnus ea voce utitur, exponit verò octava Synodus in litteris Encyclicis, dicens Ignatium Patriarcham fuisse Ecclesiæ Constantinopolitanæ *legitimum & canonicum Pontificem*. Act. 10. Gallicanæ Synodi & Regum Francorum Capitularia latinè vocant *Episcopos Regulares*, id est, promoros atque viventes secundùm leges, Canones, seu regulas, qui proinde non possunt non esse communicantes, atque ita canonicus & communicans Episcopus sunt plenè aut ferè idem.

Vox, *Diœcesis*, hodie nobis significat parochiam seu territorium Episcopi, olim habuit significationes varias. Primò, accepta fuit pro una parochia rusticana. C. 36. Ita quarta Synodus Carthaginensis rusticorum Parochos vocat *Presbyteros, qui per diœceses regunt Ecclesias*. Eodem modo loquuntur Synodus tertia & secunda. Secundò significat, more nostro, unius Episcopi territorium. L. 2. Epist. 11. L. 6. Epist. 38. Ita accipit Gregorius magnus in litteris ad Joannem Velitrensem Episcopum, ad Cyprianum Siculi patrimonii Rectorem, & ad Joannem Metropolitam Ravennæ. Tertiò, pro integra provincia. L. 7. Epist. 44. Ita Himerio Tarraconensium Metropolitæ mandat Siricius Pontifex, ut suas decretales litteras omnibus in sua Diœcesi, quam certum est fuisse unicam Provinciam, constitutis Episcopis promulget. Quartò denique accipitur pro plena natione, seu plurium Epist 1. c. 16. provinciarum in unam administrationem, seu præfecturam unitarum congerie, quæ significatio creditur esse institutum Constantini Augusti, Romanæ Reipublicæ regimen quoad varia mutantis & meliori forma donantis. Ita dicimus diœcesim Orientis, Asiaticam, Ponticam, Thracicam, Ægyptiacam; & ad Sylvestrum Pontificem scribit prima Synodus Arelatensis, quòd in suo patriarchatu habeat majores diœceses, utpotè Italicam, Africanam, Hispanicam, Gallicam, Illyricanam. Eodem sensu præsens Canon dicit *Majorem synodum diœcesis illius Episcoporum*. Eaque significatio fuit olim famosior & principalis.

Quis nesciat Eusebianorum, Meletianorum, Macedonianorum, Eunomianorum, Apollinaristarum in hujus temporis orthodoxos Episcopos calumnias, Synodos, iniquissimas dejectiones? Iniquitas humani generis destructrix, de qua etiam gentiles, uti in Commodi Augusti vita scribit Ælius Lampridius, exclamavere ad C. 18. Pertinacem Augustum: *Delatores ad Leonem*. Eandem, fixo accusationibus modo, damnat prima Canonis hujus pars, distinguens inter causas civiles & criminales, prioresque etiam in orthodoxum Episcopum à quovis, posteriores non nisi à persona integra permittens intentari. Quod ipsum Gallicanæ, Africanæ, Ephesina, & Chalcedonensis Synodus etiam aut statuerunt, aut probarunt. Ejus causam dat Adrianus primus Pontifex in Capitulis traditis Engilramno Metensi Episcopo, quòd sit indignum, ut quis accuset illum, qui est, quod ipse esse non potest.

Canon ergò accusandi licentia privat cunctos & è populo & è Clero hæreticos, ab Ecclesia de quovis crimine damnatos, dejectos, excommu-

municatos, accusatos, vulgò notatos, nec non & illos, qui sanam fidem profitentes sese separant à canonicorum Episcoporum communione, & adversùm illos faciunt congregationes proprias, quas Sanctus Basilius in litteris Canonicis ad Sanctum Amphilochium, Iconiensem Episcopum, vocat *Parasynagogas & illegitimos conventus*. Tangit illos germanè orthodoxos, quos Sanctus Ambrosius & Synodus Aquilejensis *vetustæ communionis socios*, Sanctus autem Athanasius & Synodus Alexandrina, in litteris ad Ecclesiam Antiochensem, appellat *eos, qui fuerunt in veteris Ecclesiæ communione*, & adversùm quos statuunt secundus & tertius Canones Antiocheni. Ecclesiæ Antiochenæ Eustathiana pars, id est, orthodoxi, Sancto Eustathio per Eusebianos iniquissimè dejecto, adhærentes, quomodo Placido, Stephano, Leontio, Euzoio, aliisque Episcopis palam Arianis, ita Meletio, licèt jam orthodoxo, olim tamen Ariano, & per Arianos ordinato, nunquam communicare voluerunt, ideoque erexerunt sibi altare separatum, propriumque tandem Episcopum, Paulinum. Qualis inter orthodoxos divisio, etiam in aliis Ecclesiis grassabatur. Eos ergò tanquam canonicis Episcopis rebelles Canon abjicit quasi ad schismaticos, privatque jure accusandi, ut ita in throno stabiliat suum Meletium aut Flavianum. Et hæc est una ex causis, ob quas de hoc Canone ad Michaelem Augustum scribit Nicolaus primus: *Constantinopolitanæ Synodi sextum Capitulum, quod tamen non apud nos inventum, apud vos haberi perhibetur*. Hunc, inquam, Canonem semper refutavit Ecclesia Romana.

C. 1.

Epist. 9.

Eadem Canonis pars mandat, ut accusaturus *æquale sibi periculum statuat, si quidem in rebus examinandis accusatum Episcopum calumniari convictus fuerit*. Sese inscribere & obligare debet ad talionem. Non tantùm non secretò, sed nec ab absente per procuratorem aut scripturam potest accusari. Inscribendi sui modum in Synodo Chalcedonensi exponit Theodorus, Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, Episcopum suum Dioscorum accusans: *Et ipse ego hanc accusationem propria subscripsi manu: Theodorus, Diaconus sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ magnæ Alexandrinæ civitatis suprascriptus, Sancto & universali Concilio hos libellos obtuli. Et post hoc idem Theodorus dixit: Paratus sum, adveniente Reverendissimo Episcopo Dioscoro in hoc sanctum vestrum Concilium, meis adesse accusationibus*. Eodem modo in Synodo Tyria fecit Ischyras in Sanctum Athanasium, de quo adversùs accusationem excipiente Socrates: *Ostendi postulat Athanasius, ut Ischyras accusator Presbyteri gradum & dignitatem, nam ita in accusatione scriptum erat, obtinuisset*. Gradus seu titulos suos etiam inscribere debebat accusator, omneque hìc mendacium faciebat criminosum, atque ita accusationem exufflabat. Addidit Athanasius *iniquum esse, ut Macarius Presbyter in vinculis teneretur constrictus, ejus autem accusator liber versaretur*. Quocirca non tantùm ad talionem inscribi debebat accusator, sed & poni in ipso accusati statu. Et licèt præsens Canon de solo præsertim Episcopo accusando definiat, liquet tamen olim etiam de Presbyteri & cujusvis Clerici aut laici ita accusatore servatum, idque ex Romanis legibus, quibus, ubi deficerent Canones, Ecclesia in suis judiciis fuit passim usa. Hinc adversùs Syagrium, Veronensem Episcopum, admittentem sacræ Virginis accusatores, *delationis nexu sese obligare non ausos*, exclamat Sanctus Ambrosius: *Ubi hæc cognitionis solemnitas, ubi talis judicandi formula? Si leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt*. Epist. 46.

Act. 3.

L. 1. c. 21.

Infamis tamen aut læsa persona, licèt accusare nequeat, gravare potest, cogereque ad purgationem. Etenim de adulteræ complice aut lenone scribit Sanctus Ivo Carnotensis Episcopus ad Girbertum, Archi-Diaconum Parisiensem: *De se confessis non est credendum super crimen alienum, si tamen aliàs honesti sunt, & ex eorum accusatione fama crebrescit, & fœdus rumor infirmorum conscientias percutit, cogenda est mulier, ut sese expurget, etiam examine ferri candentis*. Epist. 249. Nefandum crimen per violatos etiam pueros accusari & probari statuit Gregorius magnus in litteris ad Anthemium Campaniæ Subdiaconum, L. 8. Epist. & Fortunatum Episcopum Neapolitanum. Le- 25. 26. genda, quæ Sanctus Ivo scribit ad Hugonem Primatem Lugdunensem de causa fœdissimi juvenis Joannis, electi in Episcopum Aurelianensem. Addit in litteris ad Eudonem Normandiæ Dapiferum: *Secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ aliter agitur contra simoniacam & Neophytorum hæresim, quàm adversùs cætera crimina. Nam cùm in aliis accusationibus accusatorum & testium innocentia quæratur, ad insimulationem talium etiam infames personæ admittuntur*. Epist. 27. Ad ejusmodi pestes profligandas de naturalis juris plano & simplici oportet procedi, omisso omni Canonum & legum additamento. Summa pietas est hìc esse crudelem. Westphalos ad secretas delationes & probationes etiam capitaliter, idque magno gentis fructu, damnari jussos à Carolo magno scribit Æneas Sylvius in libro de statu Europæ sub Frederico tertio Augusto, qui, teste Gunthero in opere de gestis Frederici primi, primus sustulit formam illam judicandi. C. 29. L. 1. c. 7.

Altera Canonis pars denuò damnat Episcoporum synodaliter damnatorum recursus ad laicos Principes, sua jussione suspensuros sententiam, aut alteri Episcopali judicio retractandam delegaturos: Hujusmodi namque recursus jam pridem damnarat Antiochena Synodus Encæniorum. Has, inquam, Ecclesiasticarum causarum per Principem factas delegationes, & quasvis generatim sacras jussiones, dummodo Canonibus conformes, quandoque toleravit Ecclesia, semper tamen est detestata. Adversùs Flavianum, Antiochiæ Episcopum, nolentem parere decretis Synodi Capuanæ, *remeantemque ad precum auxilia & imperialium Rescriptorum suffragia*, exclamat Sanctus Ambrosius in litteris ad Theophylum Alexandriæ Episcopum: *Iterum ad hujus sæculi judicia recurrendum, iterum ad Rescripta?* Epist. 9. Sancto Hieronymo quasi facinus improperat Ruffinus, quòd Paulum Episcopum à laudato Theophylo dejectum instigarit per imperiale Rescriptum repetere Sacerdotium, nec aliud reponere scivit Hieronymus rubore perfusus, quàm non insultandum alienis miseriis, nec aliena vul- L. 3. c. 5.

vulnera propalanda, fassus *nefas Pontificum sententias convelli* à laico Principe. Est nefas à Paulo Samosatensi & Donatistis primitùs tentatum, impugnatum gravissimè à Gregorio magno, exstinctum à Gregorio secundo ob impias violentias Leonis Isauri.

Tertia Canonis pars statuit ordinem judicialium de Episcopo instantiarum: Primam coram Provinciæ, secunda coram Diœceseos, tertiam denique mandans & permittens priùs fieri coram generali totius Ecclesiæ Synodo. Et hæc est altera causa, ex qua Canonem semper refutavit Romana Ecclesia, non tantùm generali Synodo, sed & sibi ipsi auferri nolens primas aut secundas instantias, divino jure debitas, præsertim in causis fidei. Etenim Sanctus Epiphanius Joannem Hierosolymæ Episcopum, in concione Origenizantem, non Metropolitæ Cæsaræensi, aut Patriarchæ Antiocheno, sed statim detulit Siricio Pontifici, uti scribit ad Pammachium Sanctus Hieronymus. Addit Origenem in ipsa civitate Alexandrina delatum de pravo dogmate ad Fabianum Papam. Etiam Sanctum Epiphanium de ordinato contra Canones Paulino, fratre Sancti Hieronymi, Romæ accusavit dictus Episcopus Joannes: Et de lue Nestoriana Sanctum Flavianum Episcopum suum Eutyches, Archimandrita & Hæresiarcha Constantinopolitanus. Longè plurima sunt istiusmodi exempla. Hinc Innocentius primus Victricio Rothomagensi Episcopo scribit omnem Clerici aut Episcopi causam in prima instantia tractandam à Provinciæ Synodo, salva tamen dignitate Ecclesiæ Romanæ, cui est jus & præventionis & evocationis. Quocirca præsens Canon olet Eusebianam rebellionem, in quam impegit & Synodus Basileensis.

Epist. 61. c. 4. 16. Epist. 65. Epist. 62.

Em. Norisii Adnotatio. Vid. epist. 3. Nicolai primi. §. Igitur.

CANON VII.

EOs, qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum, qui ex hæreticis servantur, recipimus secundùm subjectam hìc consequentiam & consuetudinem. Arianos quidem, & Macedonianos, & Sabbathianos, & Novatianos, qui dicunt seipsos Catharos, & Aristeros (hoc est, mundos vel sinistros) & Tessaradecatitas, sive Tetraditas, & Apollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sancta Dei catholica, & Apostolica Ecclesia; & signatos, sive unctos primùm sancto Chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos signantes dicimus, *SIGNACULUM DONI SPIRITUS S.* Atqui Eunomianos, qui in unam demersionem baptizantur, & Montanistas, qui hìc dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eundem esse Patrem, & Filium opinantur, utrumque simul confundentes, & alia gravia, & indigna faciunt; & alias omnes hæreses; quoniam hìc multi sunt hæretici, & maximè qui ex Galatarum regione veniunt; quicumque ex his rectè fidei adscribi volunt, ut Græcos admittimus: & primo quidem die ipsos Christianos facimus; secundo Catechumenos; deindè tertiò exorcizamus, sive adjuramus ipsos, ter simul in faciem eorum, & aures insufflando. Et sic eos catechizamus, sive initiamus, & curamus, ut longo tempore versentur in Ecclesia, & audiant Scripturas; & tunc eos baptizamus.

SCHOLION.

PRimus apud Afros hæreticorum & schismaticorum Baptisma exsufflare & iterare cœpit Agrippinus Carthaginensis Episcopus, cujus Presbyterum, quòd idem doceat, fuisse Tertullianum quidam opinantur. Errorem strenuè defendit ejus successor Sanctus Cyprianus, damnavit verò Stephanus Pontifex, ex palmari hoc Christianæ veritatis principio, *Nihil innovetur*, eorum utique, quæ semper observavit Ecclesia, atque adeò ab Apostolis accepit. Quod eversurus Sanctus Firmilianus, Cæsaræensis in Cappadocia Episcopus, Ponticæ Diœceseos Primas, ex Iconiensi Synodo ad Sanctum Cyprianum scribit à Stephano infamari Petrum & Paulum Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint; neminem tam esse stultum, qui id credat; esse traditionem humanam & erroneam, rectè ab Afris cognita veritate expunctam, & addit: *Cæterùm nos*, non tantùm Pontici, sed &, quos in factionem suam traxerat, Asiatici & Cilices, *veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum*

rum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod à Christo & ab Apostolis traditum est. Nec invenimus hoc apud nos aliquando cœpisse, cùm semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus, & sanctum Baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus. Communione ejectus erat à Stephano Pontifice, ideoque turbato mentis oculo cæcutit & errat varia. Cautè legi debet tota ejus Epistola. Etenim primum in omni Ecclesia post hæreticos aut schismaticos rebaptizare ausum fuisse Agrippinum, testatur Vincentius Lerinensis. Et Nicæna Synodus omninò admisit Baptisma Novatianensium.

Ejus tamen decreto non omnes utique orthodoxi statim paruere. Etenim suo adhuc tempore fuisse de istorum baptismo varias dissensiones scribit ad Sanctum Basilium Sanctus Amphilochius, Iconiensis Episcopus, Lycaoniæ in Diœcesi Asiatica Metropolitanus, adjungens de suis Asiaticis, quod ita exprimit Basilius: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omninò visum est, propter multorum œconomiam & dispensationem eorum baptisma suscipi, suscipiatur*. Novatianensium itaque Baptisma, & Nicænum de ipso Canonem quidam Asiatici receperunt, verùm non ut dogmatis regulam, sed ut morum mutabilem disciplinam, in qua quemque Episcopum *sequi oporteat morem suæ Ecclesiæ & regionis*. De quibus quia non plenè constabat Amphilochius, consuluit Basilium. (Epist. 1. c. 1.)

Basilius, licèt veraciter Sanctus, & Magni cognomen meritò sortitus, homo tamen Cappadox, Romanis & omnibus Occidentalibus ex causis suprà insinuatis non plenè æquus, ac Firmiliano suo nimiùm adfixus, respondit varia. Primò, & meritò arguit Sanctum Dionysium, Alexandriæ Episcopum, quòd, licèt *Canonicus*, id est, Ecclesiasticorum Canonum peritissimus, admiserit Baptisma datum à Pepuzenis seu Montanistis: *Quamnam enim habet rationem, verum eorum Baptisma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque baptizant? Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt. Quare etiamsi hoc magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio*. Montanistæ enim Spiritum sanctum delirabant in suo Montano incarnatum, ideoque & in hujus nomine scelerate baptizabant. (C. 1.)

Deinde distinguit hæreticos, schismaticos, ac fideles in parasynagogis seu illegitimis conventibus à canonicorum suorum Episcoporum communione spontaneè separatos; hæreticos esse dicens, *quibus de ipsa in Deum fide est dissensio*, & addens: *Visum est ergò ab initio hæreticos*, eorumque Baptisma, *omninò rejicere*, utique ex Apostolica & perpetua Ponticæ Diœcèseos consuetudine, uti dixit Firmilianus.

Hinc pergit ad schismaticos, quos ita definit: *Schismata sunt ii, qui propter aliquas Ecclesiasticas causas & medicabiles quæstiones inter se dissident*. Et infrà: *Schisma est de pœnitentia dissentire ab iis, qui sunt in Ecclesia*. Hinc ejusmodi esse dicit Novatianenses, Encratitas, Hydroparastatas, Saccophoros, Apotactitas, & addit: *Visum est ab initio eos, qui se absciderunt, qui schismatici dicuntur, ut qui sint adhuc Ecclesiæ, admittere*. Pergit: *Verùm enim verò antiquis visum est, Cypriano dico & nostro Firmiliano, eos omnes uno calculo subjicere: Quoniam separationis quidem principium per schisma, qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent ampliùs in se gratiam Spiritus; laici effecti nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem*. Schismaticorum Baptisma priùs à Cypriano & Firmiliano exsufflari cœpisse existimat, ideoque esse rem disciplinæ adiaphoræ, in qua quisque possit & debeat sequi morem suæ regionis. Errat in ipso lumine: Certum quippe est etiam hanc exsufflationem esse ausum & temeritatem Agrippini. Et quis admittat Novatianenses, aliosque Errones, de Divina substantia non errantes, non esse hæreticos? At non vacat discutere singula.

Quæstio specialis erat de Encratitarum Baptismo, pro quo & contra quem faciebant vicissim duæ rationes. Contra ipsum faciebat primò, quòd de ipso Deo errarent, cum Marcionitis fabulantes duo principia, ideoque essent non schismatici, sed omninò hæretici. Deindè, licèt in Sanctam Trinitatem baptizarent, tamen *ut se redderent non suscipiendos ab Ecclesia, adgressi essent proprio deinceps Baptismo præoccupare: unde suam quoque consuetudinem deleverant*. Pro ipso autem faciebat primò nuperum nescio quod decretum synodale, vigore cujus *Zoin & Saturninum, qui erant ex illorum ordine, in Episcoporum Cathedram susceperat* ipse Basilius. Deinde, Romanæ Ecclesiæ interdictum atque auctoritas, quam cum suo Firmiliano nunquam ille præsumpsit damnare.

Hinc ergò respondet: *Encratitæ, & Saccophori, & Apotactitæ subjiciuntur eidem rationi, cui & Novatiani, quia de illis editus est Canon, etsi diversus. Quæ autem sunt adversùs eos, silentio prætermissa sunt. Nos autem una ratione eos rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & à Romanis, alicujus œconomiæ gratia, nostra tamen oratio vires obtineat, quandoquidem est veluti Marcionistarum germen eorum hæresis, nuptias abhorrentium, & vinum aversantium, & Dei creaturam inquinatam esse dicentium, eos in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum Baptismum baptizati fuerint. Ne dicant enim*, IN PATREM ET FILIUM ET SPIRITUM SANCTUM BAPTIZATI SUMUS, *qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant; instar Marcionis & aliarum hæresum. Quamobrem si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, ut & is, qui fecit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur*. Alium pro Encratitis, alium pro Novatianensibus dicit editum Canonem: Pro his enim Nicænus est editus, longè eminentioris auctoritatis. Addit illorum per subreptionem tacita veritate extortum, ideoque synodaliter retractandum, & ex nunc ab observantia suspensum: Encratitæ enim se in Divinam Trinitatem baptizare mentiti sunt, utpotè surculus & pars duplicem Divinitatem fabulantis Marcionis, cujus fœdum & profanum lavacrum Ecclesia semper damnavit. (C. 47.)

Hæc omnia, ob Romanæ Cathedræ reverentiam & metum, definire non ausus, quasi disputans in Ecclesiam projecit Basilius, fecitque vacilla-

vacillare multos. Synodo huic Constantinopolitanæ, paucis ante annis ad Dominum translatus, non interfuit, quare hasce quæstiones ad ipsam retulit Sanctus Amphilochius, ab Ecclesia sciri volens, num Romanum iterandi Baptismatis interdictum spectaret ad dogma, an ad solam disciplinam. Grassabatur & nova audacia Arianorum rebaptizantium, novumque Eunomii baptisma. Quare omnes contentionum fluctus in dudum jactata miserabiliter Orientali Ecclesia componere volens Synodus, statuit accuratè de singulis, definiens quinam hæretici per novum Baptisma, quinam per solum Chrisma essent in Ecclesiam admittendi.

Et quidem Chrismatis usum & consecrationem, tanquam Judaicam superstitionem, sceleratè in nobis damnant Albigenses, Wicleffistæ, Lutherani, Calvinistæ. Est res antiquissima, omninò Apostolica atque Evangelica traditio, de qua Tertullianus in libro de Scorpiaco:
C. 1. *Nobis* adversùs scorpiorum morsus non magia, aut medicina, sed *fides præsidium est, si non & ipsa percutitur diffidentia signandi statim, & adjurandi, & ungendi bestiæ calcem. Hoc denique modo etiam Ethnicis sæpè subvenimus, donati à Deo ea potestate, quam Apostolus dedicavit, cùm morsum viperæ sprevit*. Adducit exemplum insigne in libro ad Scapulam, Africæ Proconsulem.
C. 4. *Ipse etiam Severus*, Romanorum Imperator gentilis, *Pater Antonini* Caracallæ, *Christianorum fuit memor. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominatur, Evodiæ Procuratorem, qui eum per oleum*, ab Episcopis benedictum, *aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem & Antoninus*
C. 7. *optimè noverat, lacte Christiano educatus*. Et in libro de Baptismo: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant*. Eadem habet in libro de Resurrectione, in libro Præscriptionum, & in libris contra Marcionem. Nec ipse solus, sed & Sanctus Cyprianus, & omnis corona sanctorum Patrum. Est ritus *de pristina* Judæorum *disciplina* mutuatus, ac per ipsum Jesum Christum, nec non & ejus Apostolos donatus nova benedictione, novisque significationibus, atque ita Christianis factus non quæpiam tantùm cæremonia, sed & proprium Sacramentum.

Attamen hæreticos per Chrisma recipiendi ritus non est adeo vetustus. Etenim ejus Sanctus Cyprianus, Firmilianus, Dionysius Alexandrinus, Dionysius Corinthiorum Episcopus, & vetusti alii, qui de recipiendis hæreticis scripsere, non meminerunt. Prima ejus authentica memoria est in septimo Canone Laodiceno, mandante Novatianenses & Quartodecimanos *ungi sancto chrismate, & sic sancto Mysterio communicare*. Meminit & Sanctus Basilius in litteris canonicis ad Sanctum Amphilochium, dicens
Q. 14. de Encratitis: *Omni ratione statuatur, ut qui ex illorum Baptismo accedunt, ungantur à fidelibus, & sic ad mysteria accedant*. Et antiquus Auctor quæstionum Justino Martyri adscriptarum, di-
Q. 86. cens omnes generaliter hæreticos recipi *per sancti unguenti inunctionem ac perfusionem*. Justinus ille esse non potest, qui Origenem laudat longè juniorem. Trullana Synodus Canonem hunc & ritum non solummodo innovat & confirmat, sed & imponere vult Ecclesiæ Romanæ, omnique Latinæ.

Etenim Romana, Italica, Africana, & aliæ plures latinæ Ecclesiæ in recipiendis hæreticis nunquam usitavere unctionem. Adversùs Sanctum Cyprianum, hæreticos per novum Baptisma recipientem, statuit Sanctus Stephanus Pontifex: *Nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in pœnitentiam*. Quem ritum semper usque ad Agrippini Episcopatum in Africa viguisse, fatetur frequenter Sanctus Cyprianus. De Sancto Eusebio Papa liber Pontificalis; *Hæreticos invenit in urbe Roma, quos sola manuum impositione reconciliavit*. Quod ipsum sta- C. 8.
tuunt prima Synodus Arelatensis, Siricius Pontifex in litteris ad Himerium Episcopum Tarraconensem, & Innocentius in litteris ad Victricium Rothomagensem. Eodem modo Arianos recipi inculcat assiduè in dialogo contra Luciferianos Sanctus Hieronymus, atque ita quosvis C. 9.
semper hæreticos receptos à Sylvestro, Marco, Julio, & aliis veteribus Episcopis Romanis. Et antiquum fidei adversùs Arianos Breviarium, vulgatum à Jacobo Sirmondo: *Arianos non rebaptizamus, sed per manus impositionem reconciliamus*. F. 131.
Susceptos similiter à Damaso Pontifice Apollinaristas, insinuat Ruffinus in litteris ad Macarium. Et Gennadius Massiliensis in catalogo laudat Epist. 2.
Ursinum monachum, quòd hæreticos quosvis docuerit non rebaptizandos, sed *post sanctæ Trinitatis & Christi simplicem confessionem sufficere ad salutem manus impositionem catholici Sacerdotis*. De hoc Ecclesiarum differenti ritu scribit Gregorius magnus ad Quirinum, & reliquos, non in Hibernia, sed in Hiberia, catholicos Episcopos: *Ab antiqua Patrum traditione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis Oriens reformat*. L. 9. Epist. 61.

Obstare tamen videtur Siricius Pontifex, Himerio Tarraconensium Metropolitæ vetans rebaptizari Arianos, mandans cum Novatiensibus, aliisque hæreticis *recipi per solam invocationem septiformis Spiritus Episcopalis manus impositione*, & addens: *Quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit*. Respondeo Pontificem ad rebaptismum præsertim respicere. Servari vult antiquum morem, quo olim nec Oriens, nec Occidens Arianos rebaptizavit, recepitque sola impositione manus: At Occidens manum nudam, Oriens imponebat manum unctam, cujus diversitatis, quòd ad propositam quæstionem non faceret, noluit Papa meminisse.

Dixi plures solummodo latinas Ecclesias hac unctione non fuisse usas. Etenim Galliarum atque Hispaniarum Ecclesiæ redeuntes hæreticos omninò unxerunt. Etenim de Lanthildi, sorore Regis Clodovei, ab Ario ad Christum conversa, scribit Sanctus Gregorius Episcopus Turonensis: *Confessa æqualem Patri Filium & Spiritum sanctum, chrismata est*. Et de Brunichildi L. 2. c. 31.
Regina,

Regina, uxore Sigeberti Regis Francorum, filia autem Athanagildi Regis Gothorum in Hispania: *Credidit & chrismata est*. Eodem modo Gondobaldum Burgundionum, à Sancto Avito Episcopo Viennensi, & Richaredum Gothorum in Hispania Regem Arianum scribit chrismatum à Sancto Leandro Hispalensi. Quòd ipsum de omnibus hæreticis statuunt Synodi Gallicanæ, prima Arausicana, secunda Arelatensis, atque Epaonensis. Primæ Arelatensis octavus Canon ignorat hunc ritum: Quòd nempe totius Romanæ Diœceseos illic adessent Episcopi, quorum plures illo non utebantur. Quando in Gallia cœperit, ignorare me fateor.

L.4. c.27.
C. 1.
C. 17. 26.
C. 16.

Causam, ex qua Hispanicæ Ecclesiæ Arianos unxerint, adducit antiquum supplementum Gregorii Turonensis: *Eo anno Richaredus, Rex Gothorum, divino amplectens Religionem Christianam amore, priùs secretiùs baptizatur: Post hæc omnes Gothos, qui tum Arianam sectam tenebant, Toletum adunari præcepit, & ad legem Christianam baptizari fecit*. Quod ipsum apud Franciscum du Chesne adfirmant alii antiqui Francorum Scriptores. C. 8.

Verùm quomodo Arianos, quos in Hispania rebaptizari rigidissimè ex Romana Regula vetuerat Himerio Tarraconensi Episcopo Siricius Pontifex, Sanctus Leander rebaptizavit? Quomodo id toleravit Gregorius magnus, qui illos non rebaptizandos disertè scribit in laudata Epistola ad Episcopos Hiberiæ? Rationem dat supra laudatum fidei Breviarium. *Nos reverentiam habemus dominicis verbis, & Arianos sic certum est baptizare. Nam si sic baptizarent, quomodo credunt, in nomine Patris majoris, & in nomine Filii minoris, & in nomine Spiritus sancti multò minoris, tunc demum non iterabimus, sed dabimus Baptismum, quia non secundùm regulam, quam Dominus tradidit, baptizabunt*. Contextum hunc Jacobus Sirmondus non nihil aliter legit, sed certum est, ex rationibus, hoc modo legendum. Porrò Hispani Gothi dominicam Baptismi regulam omninò mutarant. Eos Domino cecinisse, non *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, sed *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*, atque adeo in eadem verba baptizasse, scribit in chronico suo testis fidissimus, Joannes Biclarensis. At verò baptisma hoc fuisse semper non tantùm ab Ecclesia, sed & à Deo per miraculum loquente, damnatum atque exufflatum, scribit in Collectaneis Theodorus Lector. Hac ipsa de causa Reginam Brunichildim, dum in Gallias venit, rebaptizatam adfirmat monachus Aimoinus: Quòd nempe Gothorum more in Hispaniis fuisset tincta. Hinc ergò Gothos ad Ecclesiam venientes, utpotè omnis Christiani Sacramenti vacuos, etiam unxit Sanctus Leander.

F. 132.
L.3. c.4.5.

Hæc tamen omnia intelligi debent de hæreticis in hæresi natis & baptizatis, nequaquam de lapsis in illam post susceptum in Ecclesia Baptismum. Antiquam Ecclesiæ Regulam Cresconio Donatistæ eleganter exponit Sanctus Augustinus: *Cùm veniunt ad nos vestri, accipiunt quod non habebant, & salubriter habere incipiunt, quod tantò perniciosiùs, quantò indigniùs habebant. Accipiunt enim primitùs ipsam Ecclesiam, & in ea charitatem, pacem, unitatem, per fontem ejus proprium atque invisibilem Spiritum sanctum. Faciliori autem venia, quod nondum habuerunt, accipiunt, quàm si habuissent, & deseruissent. Et hoc discernitur apud nos, ut aliter recipiantur, qui catholicam reliquerunt; aliter, qui ad illam primitùs veniunt. Illos enim ampliùs gravat crimen desertionis; hos autem non à se diruptum, sed cognitum & retentum vinculum relevat unitatis*.

L.2. c.16.

Elucidat hæc Innocentius primus Pontifex in litteris ad Rufum Episcopum Thessalonicensem: *Nostræ lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem, laicam tantùm tribuere communionem; at verò hos, qui à Catholica ad hæresim transierunt, non aliter oportet, nisi per pœnitentiam suscipi*. Et in litteris ad Victricium Rothomagensem: *Venientes à Novatianis vel Montensibus per manus tantùm impositionem suscipiantur: Quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati. Præter eos, si qui fortè à nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes, & ruinam suam cogitantes, redire voluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt*. Ex hæresi ad Ecclesiam post spontaneum ex ipsa lapsum redeuntes coguntur ad plenam publicam pœnitentiam, ad singulas ejus quatuor stationes; ex illa, in qua nati, ad hanc venientes excusantur à Fletu & Audientia, coguntur ad solam manus pœnitentialis impositionem, id est, ad solam Substrationem. Quod ipsum statuit sexagesimus Canon Synodi Agathensis, dicens de lapsis in hæresim: *Lapsis grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas*. Eos compellit ad omnes quatuor pœnitentiæ stationes, & addit: *Quòd si ardua vel dura fortè putaverint, statuta præteritorum Canonum*, utique longè duriora, implere debebunt. Antiquissima est etiam in alios reos hæc distinctio & regula. Nam quosdam ad plenam, quosdam ad non plenam pœnitentiam cogendos scribit in litteris ad Pomponium Episcopum Sanctus Cyprianus. Epist.22. C.4. 5.

Quocirca hæc manus impositio fuit omninò pœnitentialis, gravissimeque exorbitat in opere de pœnitentia Joannes Morinus, existimans fuisse manum sacramentalis Confirmationis. Erat enim manus illa, de qua adversùs Sanctum Cyprianum statuerat Sanctus Stephanus Pontifex: *Si quis à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Erat manus illa, qua Innocentius primus jam dixit dari communionem laicam, ac esse plenæ pœnitentiæ imaginem & partem. De qua Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas: *Manus autem impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse videretur*. Et alibi in eodem opere: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Utique oratio Substrati pœnitentis expurgativa, frequenterque iterata, quod longè remotum est à manu confirmationis. Erat manus sicca sine chrismate. L.6 c. 7. L.6. c.23. L.3.c.16.

Joannes Morinus objicit decretum Vigilii Pontificis ad Æthereum Episcopum de lapsis in hæresim ad Ecclesiam redeuntibus: *Quorum reconciliatio non per illam manus impositionem, quæ per invocationem sancti Spiritus fit, operatur; sed* C. 1.

per illam, qua Pœnitentiæ fructus perficitur. Ponit discrimen inter hæreticos natos & lapsos, hos dicens per manus impositionem in pœnitentiam, istos recipiendos per manus impositionem in sanctum Spiritum. Quod ipsum Sanctus Cyprianus frequenter, Sanctus Leo magnus in variis Epistolis, & Sanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos lucidè tradunt. Et hinc Stephani Pontificis laudatum decretum, *Manus illi imponatur in Pœnitentiam*, depravatum credit idem Morinus, legendumque, *Manus imponatur in Sanctum Spiritum*.

Fateor manum hæreticis natis imponi solitam passim ab Ecclesiæ Patribus dici manum in Spiritum sanctum. Nunquid ideo non pœnitentialis? Absit. Arcanum aperit Sanctus Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas: *Spiritus autem sanctus quod in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi Majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait*, QUONIAM CHARITAS DEI DIFFUSA EST IN CORDIBUS NOSTRIS PER SPIRITUM SANCTUM, QUI DATUS EST NOBIS. *Ipsa est enim charitas, quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt. Ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi, nisi in Catholica Spiritus sanctus*. Et in alio ejusdem operis loco: *Propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, manus hæreticis correctis imponitur*. Hoc est, manum istam, licèt pœnitentialem, Majores nostri passim vocavere manum in Spiritum sanctum, ut ita omnes ad Ecclesiam venientes hæretici in ipso ingressu profiterentur nullibi, nisi in Catholica esse Spiritum sanctum, & ideo se ad illam venire, ut ab ipsa hunc accipiant, quem alibi nec per ipsum baptisma, aut aliud quodvis Sacramentum acceperant aut potuerant accipere. Quocirca lapsis & natis hæreticis imponebatur manus alia & alia, id est, aliis purgativis precibus, & ritibus vestita, utraque tamen pœnitentialis. Nec aliud dicit Vigilii decretum. Porrò Stephani decretum, in Sancti Cypriani litteris fidissimè custoditum, depravationis arguere, est in probatissimos Ecclesiæ thesauros, sub correctionis fuco, insolenter nimium grassari. Eandem ergò manum antiqui Patres quandoque in pœnitentiam dicunt, quandoque in Spiritum sanctum: Quòd nempe pœnitentialis esset; sed qua in simplex & viduum, acceptum in hæresi aut schismate, Baptismum introducebatur Spiritus sanctus.

L. 3, c. 16.

L. 6, c. 23.

Ex eisdem principiis Græcarum & Gallicarum Ecclesiarum unctio nequaquam fuit confirmationis Sacramentum. Etenim prima Synodus Arausicana, secunda Arelatensis, ac Epaonensis, hæreticum, in fine vitæ postulantem admitti in Ecclesiam, permittunt, si desit Episcopus, ungi à Presbytero: At verò Gallicana Ecclesia Confirmationis Sacramentum omninò nunquam permisit per Presbyteros dari. Et unctionem hanc non tantùm permisit, sed & probavit Romana Ecclesia, uti liquet ex laudatis litteris Gregorii magni ad Episcopos Hiberiæ: Quis verò ferat probatum ab illa, ut datum per quosvis hæreticos Confirmationis Sacramentum exsuffletur? Nimium portentosa sunt hæc dogmata. Et Græci igitur, & Galli, immò & Hispani, manum, quam natis & validè baptizatis hæreticis imponebant, ornabant sacro chrismate, ut expressiùs demonstrarent per illam dari Spiritum sanctum, quem isti ad sua separata altaria nec acceperant, nec potuerant accepisse. Chrisma enim est proprius typus Spiritus sancti.

Prætereà & Græci, & Galli, & Hispani ungebant solos hæreticos natos; lapsos, Romano more, cogebant ad plenam pœnitentiam. Ungebant item solos laicos, ac inferiores usque ad Subdiaconum Clericos, quibus etiam solis Romanorum ritum sequentes Ecclesiæ manum imponebant. Rationem dixi supra ad undecimum Canonem Nicænum, suoque loco dicam largiùs. Nam & uncta & sicca manus erat Pœnitentialis, ideoque neutra admovenda capiti Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ob reverentiam sublimis in Ecclesiastica ordinatione suscepti Sacramenti. Et hinc octavus Nicænus Canon, recipiendis Novatianensium Clericis figens modum, nec unctæ nec siccæ manus meminit: Quòd præsertim de Episcopis statueret, & Clericis majoribus.

Objici possit brevis & vetus Epilogus Synodi Romanæ sub Sancto Sylvestro Pontifice. *Constituit* in dicta Synodo Sylvester Pontifex; *ut Presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet, nisi Episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, & sacrosancto chrismate per Episcopalis manus impositionem sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret*. Ex quibus verbis liquent tria dictis nostris adversa. Primò, quòd etiam Romana Ecclesia Arianos redeuntes unxerit. Secundò, quòd unxerit etiam Presbyteros. Tertiò, quòd ista unctio fuerit ipsum Sacramentum Confirmationis.

Respondeo Epilogum hunc esse hominis obscuri & impuri. Longè aliter loquitur liber Pontificalis in vita Sancti Sylvestri. *Constituit, ut Presbyter Arianum resipiscentem non susciperet, nisi Episcopus loci designaret eum. Constituit & chrisma ab Episcopo confici*. Hæc Epilogus & vitiat & miscet, atque ita enormiter evagatur.

Porrò hæc quosvis hæreticos ungendi disciplina viguit usque ad Ephesinam Synodum, & hæresim Nestorianam. Et lapsos enim & natos Nestorianos sine manu ad solam professionem recepit omnis Ecclesia, eandemque gratiam fecit Messalianis, Eutychianistis, Monothelitis, Iconoclastis, aliisque cunctis sequentibus. Apollinaristas, omnibus his seniores; eodem modo recepit Damasus Pontifex, atque ita initiavit hanc viam misericordiæ. Quin immò etiam Novatianenses Quartodecimanos ad solam professionem recepit Nestorius, Constantinopolitanus Episcopus, neque id Ephesina Synodus in ipso improbavit. Etiam Joannes Hierosolymitanus Episcopus, & Atticus Constantinopolitanus fuere nati in hæresi Macedoniana: Et quia in Catholica postmodum evecti sunt ad Episcopatum, certum est sine chrismate & imposita manu in Ecclesiam receptos. Hæc enim manus, quod ex Optato Milevitano liquet, faciebat indispensabiliter irregularem. Istis crediderim factam singularem gratiam.

Porrò Canon dicit chrismandam frontem,

os,

os, oculos, nares, aures. Hic enim fuit omnium Græcorum mos, de quo & Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus in tertia catechesi meminit, addens & pectus. Et Severus Alexandrinus in libro de Baptismo: *Educit Baptizator Baptizatum è medio aquarum, & dat eum susceptori suo, & ungit omnia membra ejus, & manus, & pedes, & nares. Tum demum induitur suis vestimentis*. Fontem enim baptizandus intrabat naturaliter nudus. Nos Latini baptizatis cæremonialiter solum verticem, sacramentaliter solam semper frontem chrismate unximus; baptizandis ex simplici oleo etiam scapulas & pectus: Quomodo Hispani & Galli conversos hæreticos unxerint, huc usque ignoro.

Hasce voces, *Signaculum Spiritus sancti*, quidam apud Græcos fuisse putant verbum seu formam Christianæ Confirmationis. Crediderim falli. Etenim à Decentio Eugubino Episcopo hocce latinorum verbum rogatus Innocentius primus respondit: *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad interrogata respondere*. Et infrà: *Reliqua, quæ scribi fas non erat, cùm adfueris, interrogati poterimus edicere*. Quæ secreti disciplina à Græcis semper religiosissimè fuit custodita, etiam à Primatibus hujus Synodi Episcopis in scriptis à sese libris. Substantiale, suo tempore apud Græcos usitatum. Confirmationis verbum edisserit Severus Alexandrinus: *Tribus vicibus ait Episcopus, Chrismate sancto obsignatur talis N. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Videtur esse antiquissimum: Etenim antiquissimi Græcorum Patres hoc Sacramentum passim vocant *Sigillum*, ac ejus impressionem, *obsignationem*. Ungebant tribus vicibus, non membra singula, sed solam frontem: Ex quo colligas ejus solius unctionem fuisse Sacramentum. Et quia istius Canon præsens non meminit, liquet hanc hæreticorum reconciliatoriam unctionem fuisse meram cæremoniam. Hinc illos etiam à Gallis & Hispanis credo non in fronte fuisse unctos.

Epist. 1. c. 3.

Audiamus nunc Synodi mentem de responsis Sancti Basilii ad Sancti Amphilochii quæstiones. Probat, inquam, Synodus, & in Canonem redigit Romanum de Baptismo dogma & consuetudinem, statuens Arianos, Macedonianos, Sabbathianos, Novatianenses, Tessaradecatitas, & Apollinaristas non posse rebaptizari, quòd nempe in trium Divinarum personarum nomine juxta Evangelicam Regulam essent baptizati. Definit id non ad disciplinam solummodo, sed omninò ad dogma pertinere. Hinc & Symbolo inseruit: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*. Id est, Baptisma, legitima Divini nominis invocatione sanctificatum, ubicumque sive intra sive extra Ecclesiam detur aut accipiatur, confiteor esse unum, nec salva Evangelica lege posse exufflari aut iterari.

Hinc pergit Canon ad humana baptismata, reperta per varios hæreticos tum grassantes, ac rebaptizandos dicit primùm Eunomianos, idque ideo, quòd *baptizent in unam demersionem*. Trinam enim mersionem, ab Apostolis institutam, primus Eunomius ausus est mutare in unicam, de qua re etiam in Hispaniarum Ecclesiis durissimæ olim fuerunt contentiones. Hispania, quomodo Ecclesiæ sub cœlo omnes, usa semper fuit mersione trina usque ad ingressum Gothorum Arianorum, eo Apostolico ritu abutentium ad erroneè & impiè profitendam triplicem Divinitatis naturam. Hinc Catholici Hispani, ad demonstrandam in ipso fidei Sacramento rectam suam fidem de unica Divinitate, unicam mersionem adsumpserunt. Mansit divisio usque ad Richaredum Regem, quem per Sancti Hermenegildi fratris & Martyris merita illuminavit Deus, admisit verò in Ecclesiam Sanctus Leander, Metropolita Hispalensis. Voluit hic à Gothis tunc deseri mersionem trinam, tanquam Arianismi adhuc suspectam, scandalosam, & piorum oculorum offensivam: noluerunt illi, dicentes non esse Arii aut Arianorum commentum, sed Apostolicum Canonem, à Romana etiam Ecclesia semper observatum & retentum. Consultus Gregorius magnus Pontifex respondit: *De trina mersione baptismatis nihil responderi veriùs potest, quàm quòd ipsi sensistis: Quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ diversa consuetudo* Eleganter ostendit utrumque mersionis ritum esse legitimum, sacræque significationis mysterio aptum, trinam mersionem mandat proscribi ex Hispania & Gothorum jam conversorum usu, dans causam: *Ne dum, quod faciebant, faciunt, nostrum se morem vicisse glorientur*. Verùm Gothi non paruerunt, ipsosque inter atque Hispanos crevit dissensio, adeo ut quarta Toletana Synodus lamentetur in hæc verba: *De Baptismi Sacramento, proptèr quod in Hispaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur & unitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diversæ in baptizandis quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt*. Gothi Hispanos dixere non baptizatos. Neque mireris hoc. Etenim & Marcus, Ephesiorum Metropolita, eadem de causa dixit nos Latinos non esse validè baptizatos. Quin immò Gregorius Proto-Sycellus, orthodoxæ veritatis & Synodi Florentinæ defensor eximius, illi respondit in hæc verba: *Esse porrò necessariam trinam mersionem, patet. Nam & à Sanctis hoc traditum est, nempe ad significandam triduanam Domini sepulturam: Ita sanè traditum est: Et Ritualia Latinorum ita observandum docent*. Ad quæ verba Scholiastes marginalis: *Loquitur de necessitate quadam consuetudinis, non autem absoluta*. At nescio, an plenè ad mentem hominis Græci. Ut ut sit, post longas Hispanorum & Gothorum contentiones denuò ab utraque parte recursum est ad Sedem Apostolicam, tandemque receptum Gregorii magni laudatum decretum, his verbis: *Quapropter quia de utroque Sacramento, quod fit in sancto Baptismo, à tanto viro reddita est ratio, quòd utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare adsertionem, dum sequuntur & morem*. Ita quievere omnes motus, & trina mersio intra Hispanias mansit apud solos Gothos in Ariana perfidia pertinaces.

L. 1. Epist. 41.

C. 5.

F. 721, 722.

Et hinc præsens Canon rectè damnat Eunomium, quòd trinam mersionem in unicam mutarit. Nec enim ejusmodi Erronis fuit mutare
L.6.c.26. ritum Apostolicum. Hermias Zozomenus & quidam alii illum excusant, & Eutychio & Theophronio, ejus Presbyteris & discipulis, attentatum adscribunt; at credendum potiùs huic Canoni & Synodo, cui adstipulatur & Theodoretus. Hæc tamen audacia non fuit causa, ob quam Canon Eunomii baptisma exufflat.
L.6, c.26. Veram causam edicit dictus Zozomenus: *Quòd non in Trinitatem, sed in Christi mortem assereret baptizandum*. Clariùs exponit Theodoretus in quarto libro hæreticarum fabularum: *Eunomius subvertit sancti Baptismi ritum, à Domino & Apostolis traditum, & contrariam legem apertè tulit, dicens non oportere ter immergere eum, qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Domini*. Quòd nempe Dominus, justus pro injustis, non nisi semel sit mortuus. Ejus mersionem fœdam, flagitiosam, à castis auribus relegandam describit idem Theodoretus. Baptisma hoc exufflat etiam, qui huic Synodo adfuit, Sanctus Gregorius Nazianzenus, & Canon quinquagesimus inter eos, qui vulgò dicuntur Apostolorum.

Exufflat Canon noster etiam baptisma Montanistarum, in Phrygia præsertim grassantium. Causam supra audivimus à Sancto Basilio. Eosdem rebaptizari mandat octavus Canon Laodicensis, dicitque Gregorius Nazianzenus in tertia oratione de pace: *Phrygum ne nunc quidem sopitus furor, non multùm à prisca initiandi ratione recedentium*. Et Gregorius magnus ad Episcopos
L. 9. Epist. 61. Hiberos: *Hi verò hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Cataphrygæ, qui Spiritum sanctum perverso sensu esse quendam pravum hominem Montanum credunt, cùm ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptismum non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minimè susceperunt*. Hac de causa
C. 8. 9. Sanctus Hieronymus eos non adjungit illis, quos in dialogo contra Luciferianos testatur à Romana Ecclesia non rebaptizari.

Canon tandem exufflat & Baptisma Sabellianorum, quòd Patrem & Filium in unum confundant, adeoque non baptizent in nomine
C. 1. trium Personarum. Neque obest Sanctus Hieronymus, in laudato dialogo adseverans etiam Praxeam, Sabellii magistrum, qui, teste Tertulliano, Patrem crucifixit, à Romana Ecclesia non rebaptizari. Etenim Sabelliani fuere similes Photinianis seu Bonosianis, quos in sanctæ Trinitatis nomine non baptizare, ideoque à nobis rebaptizari scribit in laudata Epistola Gregorius magnus, utrumque verò de illis negat secunda Synodus Arelatensis. Error nempe sibi ipsi non cohærebat, diversisque temporibus & locis habuit alios & alios errores & ritus. Eadem de causa dixi Arianos fuisse & non fuisse rebaptizatos. At quæstio est, quomodo Sanctus Hieronymus in dicto dialogo adfirmet Romæ non consuetos rebaptizari Ebionitas, Manichæos, Marcionitas, aliosque duplicis Divinitatis fabulones, quos fœdum & ridiculum baptisma habuisse tradunt Sanctus Ireneus, & Sanctus Epiphanius? Respondeo Hieronymum loqui eo ipso sensu, quo Sanctus Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas. L.3. c.15. *Si Evangelicis verbis*, IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, *Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quàm catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis non solùm Marcion aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiæ tot diversitates opinionum fortasse, quot homines numerarent*. Nec Hieronymus, nec Augustinus voluerunt disquirere baptisma singulorum.

Hæc Canonis verba, *Maximè qui ex Galatharum regione veniunt*, illustrat Sanctus Hieronymus, Synodo huic coævus, in præfatione ad librum secundum Commentariorum super Epistolam Sancti Pauli Apostoli ad Galathas: *Scit mecum, qui vidit Ancyram, Metropolim Galathiæ civitatem, quot nunc usque schismatibus dilacerata sit, quot dogmatum varietatibus constuprata. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, & Manichæos: Nota enim hæc jam humanæ calamitatis vocabula sunt. Quis unquam Passalorincitas, & Ascodrobos, & Artotyritas, & cætera magis portenta, quàm nomina, in aliqua parte Romani orbis audivit? Antiquæ stultitiæ usque hodie manent vestigia*. Stultitiæ nativæ, ex qua Galathas Apostolus dixit stultos & insensatos. Eadem respexit Sanctus Gregorius Nazianzenus in tertia oratione de pace: *Galatharum amentia, impiis nominibus affluentium*. Quæ omnia impia monstrorum nomina Canon meritò mandat rebaptizari.

SYMBOLUM

Concilii Constantinopolitani.

CRedimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non

factum,

factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: & incarnatus est ex Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, ac sepultus. Et tertia die resurrexit secundùm Scripturas. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris. Indè venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Exspectamus resurrectionem mortuorum; & vitam futuri sæculi. *Amen.*

SCHOLION.

Credimus. Exponit apud Sanctum Augustinum in sermonum popularium appendice Auctor incognitus: *Vide, quòd Dominus noster non nos jubet discutere divina judicia, sed credere; nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere*. Neque enim, quod voluere hæretici varii, ratio & intellectus fidem, sed rationem & intellectum fides præcedere debet, obtenebratum vitiatæ mentis oculum mundans, faciensque nos, de quibus in Evangelio Dominus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et Propheta Isaias: *Nisi credideritis, non intelligetis*. Ita ex Septuaginta, quos cum Hebraica veritate solidè conciliat, passim Sanctus Augustinus. Serm. 59. c. 2.

IN DEUM. Exponit idem Auctor: *Non dicit*, CREDO DEUM, *vel* CREDO DEO: *Quamvis & hæc saluti necessaria sint. Aliud est enim credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi est credere vera esse, quæ loquitur; credere illum, credere, quia ipse est Deus; credere in illum, diligere illum*. Et ipse Augustinus in sermone de verbis Domini: *Multum interest, utrum quisque credat ipsum esse Christum, & utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe & sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergò in Christum credit, credendo in Christum venit in eum Christus, & quodammodo unitur in eum, & membrum in ejus corpore efficitur: Quod fieri non potest, nisi spes accedat & charitas*. Nimium ergò errant, qui solo gehennarum metu credunt justificari hominem, & è mundi corpore transferri in corpus Christi. Quisquis affectu saltem super omnia necdum diligit Deum, in ipsum necdum credit, ipsum Symboli caput solo verbo & lingua tenet, solis labiis honorat Deum, corde in alia distracto. *Credit Christum, sed odit Christum; Habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ*, ad instar dæmoniorum: *Nam & illa puniri timebant. Qui autem non credunt Christum, adhuc nec dæmones imitantur*. Et quoniam amor noster soli Deo adfigi potest, in solum Deum credi potest, juxta verbum Domini, quo se æqualem Patri Deum definiit: *Creditis in Deum, & in me credite*. Et verbum Apostoli: *Credenti in eum, qui justificat impium*. Serm. 61. c. 2. Auctor incog. ser. 59. c. 2.

In unum Deum. Evertit non tantùm Arianos, sed & Marcionitas, Encratitas, Manichæos, aliosque duplicis Divinitatis fabulones, adversùs quorum filios Priscillianistas, hac Synodo posteriores, dixit, Symbolum exponens, prima Synodus Toletana: *Si quis dixerit vel crediderit alium Deum esse priscæ legis, alium Evangeliorum, anathema sit*.

Omnipotentem. Damnat gentile dogma Origenis, errantis finitam esse Dei potentiam, nec laudis prætextu circumscriptionem ejus tollendam: Deum tanta fecisse, quanta sub manu comprehendere & continere poterat; tantam materiam, quantam poterat administrare & ornare: Infinita enim complecti est impossibile. De quo videndum Rescriptum Justiniani Augusti ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum.

Damnat & Hermogenem, aliosque increatæ, ex qua operetur Deus, materiæ blaterones. Quod namque increatum, & non Deus est, Deo alienum est: qui ex alieno operari, & ab ipso in opere suo debet adjuvari, neutiquam est omnipotentes, uti variè in libro contra dictum Erronem demonstrat Tertullianus. *Non est omnipotens, si non & hoc potens, ex nihilo omnia perficere*. C. 8. 9. 15.

Factorem cœli & terræ. Hasce voces Nicæno Symbolo superaddidit ex Apostolico hæc Synodus, haud dubiè contra supra memoratas Galatiæ pestes, præsertim Borboritas, id est, cænosos ob nimiam nefandorum mysteriorum turpitudinem, quos Gnosticos, & duplicis Divinitatis fabulones fuisse, adeoque & de Deo Creatore errasse, testatur in libro de hæresibus Sanctus Augustinus. C. 6.

Visibilium omnium. Non perfectorum tantùm, sed & minutissimorum usque ad muscam & culicem, de quibus rectè Tertullianus in libro de anima: *Deum recogites tantùm artificem in modicis*, C. 10.

dicis , *quantùm & in maximis* . De istis vocibus in sexta sessione Synodi Florentinæ dixit ad Marcum Ephesium Andreas Rhodiorum Archi-Episcopus latinus : *In Symbolo primæ non dicebatur* , *visibilium omnium & invisibilium*; *& tamen secundæ Synodi Patres addiderunt* . Ex quo fonte hauserit, nescio : Certè nullum Symboli Nicæni sine istis vocibus codicem licuit huc usque videre .

Et invisibilum . Denuò impetit duplicis Divinitatis fabulones, nugantes Angelos & animos nostros esse increatos, utpotè partes, effluxiones aut irradiationes substantiæ Divinæ, adversùm quos laudata Synodus Toletana : *Si quis dixerit animam humanam esse Dei portionem vel Dei substantiam* , *anathema sit* .

Et in unum Dominum Jesum Christum . Exponit Asclepas Trallensis Episcopus in litteris ad Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum, duos Dei filios dogmatizantem : *Hæc impietas in tempore Pauli Samosateni renovata invaluit* , *& sanctæ memoriæ Patres in Constantinopoli congregati* , *licèt ipsum non invenerint* ; *tamen dogma ipsius condemnarunt* , *hoc est*, *non sapere duos filios* : *Ideo unum filium in ipsorum diffinitione confessi sunt* . Verius est , quòd excutiant Apollinarii hoc tempore grassantis , & distinctas perfectasque Domini nostri Jesu Christi naturas mutilantis & confundentis , in nos calumnias , de quibus Gregorius Nazianzenus in litteris ad
Epist. 2. Cledonium Presbyterum : *Nos accusant* , *quasi duas naturas distinctas* (meliùs, *Divisas*, vertisset Jacobus Biblius) *aut inter se pugnantes*
Epist. 1. *invehamus* , *atque excellentem & admirabilem unionem dividamus* : *Atque hac illecebra vulgus pertrahunt* . Latiùs in ejus vita edisserit Gregorius Presbyter. Hinc *amoliendæ calumniæ causa*, prædicari ubique jussit idem Gregorius ; *Si quis duos filios* , *alterum ex Deo & Patre* , *alterum ex matre* , *non autem unum atque eundem induxerit* , *is ab ea filiorum adoptionem excidat* , *quæ rectè credentibus promissa est* . Et Damasus Pon-
Epist. 1. tifex Paulino Antiocheno Episcopo mandat, ut etiam ab ipsis Apollinaristis ad Ecclesiam venientibus aut redeuntibus curet eundem articulum anathematizari. Hisce vestigiis insistit nostrum Symbolum.

Ex Patre natum ante omnia sæcula . Hæc
Sess. 7. non sunt in Symbolo Nicæno. Per nostram Synodum addita rectè in Florentina Synodo advertit laudatus Episcopus Rhodiorum : utique contra Marcellum Ancyranum, ejusque discipulum Fotinum , Syrmiensem Episcopum, delirantes Divinum Verbum non æternum & substantiale , sed nescio quid temporale & prolatitium esse, quòd primam origenem acceperit in Virginis utero & homine Christo .

Deum de Deo . Etiam hæc addita Rhodius adsirmat. At certum est labi. Nullus Nicæni Symboli authenticus codex illis caret . Illum corrigit D. Cardinalis Julianus, dicens ad Græ-
Sess. 7. cos : *Nos differentiam quandam habemus inter libros nostros & vestros* : *Nam Constantinopolitano Symbolo* , *quod postea Ephesi & Chalcedone recitatum est* , *non habetur vox illa*, DEUM DE DEO . *Opus igitur hoc est videre in codicibus authen-*
Sess. 12. *ticis* . Et in alia Sessione : *Domine Præsul Ephesie* , *has voces* , DEUM DE DEO ; *non habetis* , *at nos habemus* : utique in Symbolo Constantinopolitano . Etiamnum hodie generalia Concilia , per Paulum quintum Pontificem typis vaticanis vulgata , in Ephesinis & Chalcedonensibus actis referunt Symbolum Constantinopolitanum sine istis vocibus . Hasce , *Deum verum de Deo vero* , quòd illas includant , Græci crediderunt sufficere ; nos Latini Nicænæ Synodi verbis Spiritu sancto conditis , & totius mundi reverentia consecratis , judicavimus nihil posse superflui inesse .

Deum verum de Deo vero . Etiam hæc verba Rhodius vult in Symbolo Nicæno non fuisse : Sibi ipsi adversus , ubi dicit de Sancto Agathone Papa , scribente ad Synodum sextam : *Agatho Pontifex addit Nicæno Symbolo* , *& quædam demit* : *Dicit enim de Filio* , FILIUM EJUS UNIGENITUM ; *non dicit*, ET IN UNUM DOMINUM JESUM CHRISTUM FILIUM EJUS UNIGENITUM . *Deinde dicit*, ANTE OMNIA SÆCULA EX IPSO NATUM . *Tollit illa*, DEUM VERUM DE DEO VERO , LUMEN DE LUMINE, GENITUM NON FACTUM . *Interserit*, TAM QUÆ IN CŒLO, QUAM QUÆ IN TERRA : *Quod nec in nostro nec in vestro Symbolo habetur* . Voces hæ , *Deum verum de Deo vero* , ut per Sanctum Agathonem potuerint subtrahi, debent Nicæno Symbolo infuisse . Neutrum ille recitat Symbolum , sed ex utroque quædam definitioni suæ consona desumit.

Qui descendit de cœlis . De hisce verbis denuò ad Marcum Ephesiorum Episcopum dixit in Florentina Synodo D. Cardinalis Julianus Cæsa-
rinus : *Nos differentiam quandam habemus inter* Sess. 7.
libros nostros & vestros : *Nam in Constantinopolitano Symbolo* , *quod postea Ephesi & Chalcedone recitatum est* , *non habetur vox illa* , DE CŒLIS. Et codex ab illo prolatus carebat illis vocibus , habebatque annotationem marginalem : *Vides* , *ut Græci dicant* , DE CŒLIS. Isidoro tamen Ruthenorum Metropolitæ roganti , *An non & vos* , utique in publico Ecclesiæ cantu , *dicitis*, DE CŒLIS , respondit : Maximè . Eadem differentia est in ipso Nicæno Symbolo. Etenim Nicænæ Synodi acta residua , exemplaria ex Alexandrinis & Constantinopolitanis archivis missa ad Aurelium Episcopum Carthaginensem , Symbolum in sexta Ephesinæ Synodi actione lectum , nec non & à Socrate relatum , habent simpliciter , *Descendit* ; at verò lectum in Synodo Chalcedonensi , & quod suis ad Jovinianum & Leonem Augustos litteris inseruerunt Sanctus Athanasius & Sanctus Leo magnus, habent , *Descendit de cœlis* . Aliud nescio, quàm quòd ad laudatum Cardinalem dixit laudatus Isidorus : *Undè sit orta hæc differentia* , *nescimus* .

Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine . Hasce voces Nicæno Symbolo ex Apostolico addidit hoc nostrum . Rationem dat Diogenes Cyzicenus Episcopus , adversùs Eutychetem , de Nicæno ubique buccinantem , de Constantinopolitano autem Symbolo altissimè silentem , dicens ad Synodum Chalcedo- Act. 1.

nensem:

nensem : *Dolosè præposuit Synodum sanctorum Patrum , quæ in Nicæa facta est . Accepit namque additamenta à sanctis Patribus nostris propter perversum intellectum Apollinaris , Valentini , & Macedonii , & qui eis similes sunt . Et additum est in Symbolo sanctorum Patrum* : QUI DESCENDIT, ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE. *Hoc namque prætermisit Eutyches , tanquam Apollinarista . Nam etiam Apollinaris suscepit sanctam Synodum , quæ in Nicæa facta , secundùm propriam perversitatem intelligens verba ; effugit* DE SPIRITU SANCTO ET MARIA VIRGINE , *ut ne omninò unionem carnis confiteretur . Etenim sancti Patres , qui in Nicæa convenerunt ,* QUOD INCARNATUS EST *dixerunt ; Sancti autem Patres , qui post ipsos fuerunt , explanaverunt , dicentes ,* DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE. Synodalis ad Martianum Augustum Relatio ait voces illas additas contra illos , quibus diabolus persuasit negare carnalem Dei nativitatem ex Virgine , *Dei-Genitricis* vocabulum ab ejus generatione subripere , profanis sermonibus prædicare Divinitatem convertibilem atque passibilem , negare animæ nostræ medicinam, atque eam sine intelligentia in Salvatore adserere : *Qui palam sunt Apollinaristæ*. Et Marcus Ephesiorum Metropolita in Synodo Florentina : *Secunda Synodus explanavit Symbolum prioris , de Incarnatione Dei verbi propter hæresim Apollinarii addens voci illi* , INCARNATUS , *illud* , DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: *Hoc enim non habetur in Symbolo primæ* . Sess. 5.

Apollinaris quippe resorbuit atque revomuit sordes Valentini , de quibus Sanctus Augustinus in libro de hæresibus : *Confingit Valentinus Christum à Patre missum , spiritale vel cœleste corpus secum attulisse , nihilque adsumpsisse de Virgine Maria , sed per illam , tanquam per rivum aut per fistulam , sine ulla carne de ipsa adsumpta transisse* . Apollinarii sensum exponit Gregorius Nazianzenus in litteris ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum : *Affirmat Apollinaris nequaquam adventitiam esse carnem illam ob naturæ nostræ transformationem ab unigenito filio secundùm dispensationem adsumptam , verùm carnalem illam naturam in filio jam indè à principio fuisse*. Domini carnem esse dixit cœlestem , antesæcularem , Divinæ ejus essentiæ naturaliter insitam , aut de ipsa factam, probans ex Apostolo dicente Adamum primum hominem de terra terrenum , Christum verò secundum fuisse de cœlo cœlestem . Probavit & ex Symbolo Nicæno , definiente Christum Patri consubstantialem, utique non tantummodo secundùm Deitatem , sed & secundùm carnem . Quam blasphemiam exhorrens Sanctus Athanasius exclamat in litteris ad Epictetum Episcopum Corinthi : *Quis infernus ista evomuit?* Et Gregorius Nazianzenus in litteris ad Cledonium Presbyterum : *Si quis carnem è cœlo descendisse , ac non hinc & è nobis esse dixerit , anathema sit : Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit , extra Divinitatem est . Si quis Christum per Virginem , tanquam per canalem decurrisse & defluxisse , ac non in ea divino modo , quia absque viri opera , humano ; quia procreationis lege , formatum esse dixerit , in simili impietate versatur* . Hæc novi erroris corrigendi studio jussit ubique prædicari . Porrò illud , *Secundus homo de cœlo cœlestis*, & ejusmodi testimonia alia , *propter cœlestem unionem dici existimandum est* . Epist. 1.

Hasce voces , *Natum ex Maria Virgine secundùm Scripturas* , tanquam omni fideli notissimam tesseram assiduè in laudata Epistola inculcat Sanctus Athanasius . Etiam Tertullianus in libro de Carne Christi dicens adversùs Valentinum: *Qualis est tortuositas vestra , ut ipsam EX syllabam , præpositionis officio adscriptam , auferre quæratis , & alia magis uti ? Per Virginem dicitur natum , non ex Virgine* . Variè ostendit dicere semper Scripturas *Ex Virgine* , & Valentinianæ locutionis speciem in ipsis non reperiri . Quidam Apostolicum Symbolum existimant fuisse verbum brevissimum , ex errorum nascentium causa auctum successivè à viris Apostolicis , adeoque hasce voces adjectas adversùs Valentinum . Quidquid de priori sit , de posteriori errant . Etenim Apostolicum Symbolum strictissimo compendio referens in libro de velandis Virginibus Tertullianus disertè dicit : *Natum ex Virgine Maria* . Eoque omninò respexit Sanctus Athanasius . Adversùs Valentinum per Apostolos locutus est spiritus ille , qui & per Prophetas . Etiam adversùs Ebionem , qui Dominum natum blasphemat de concubitu Josephi . Quomodo hæc Nicæni , *Ex Patre natum* , verum , plenum , Patri consubstantialem Deum Filium ; ita hæc nostri & Apostolici Symboli verba , *Ex Maria Virgine* , important , uti in ipso fidei decreto ait Synodus Chalcedonensis , verum , plenum , consubstantialem filium hominem ex matre .

Hinc additum , *De Spiritu sancto* . Nam Valentinus carnem nostram Domino abstulit , *quòd oporteret similem nostri carnem similiter nasci , non de Spiritu , nec de Deo , sed de viri voluntate* . Virginis conceptum & partum impossibilem , ex viro & fœmina ortum credidit contagio obnoxium , adeoque indignum Deo . Hoc ipsum de Apollinario Sanctus Hieronymus in libris contra Pelagianos , & Damasus Pontifex scribit in litteris ad Paulinum Episcopum Antiochenum : *Sicut confitentes Dominum humanum corpus suscepisse , non statim ei & humanas vitiorum adjungimus passiones ; ita & dicentes eum suscepisse & hominis animam & sensum , non statim dicimus & cogitationum eum humanarum subjacuisse peccato* . Humanam carnem sine solemni nostræ originis contagio , humanam mentem sine solemni spiritus bello non posse suscipi cæcutivit argutus Apollinarius , atque ita excidit ipso capite Symboli , quo credere se profitebatur in Deum Patrem omnipotentem . Adversùs eum hæc Synodus verbis , *Ex Virgine Maria* , adjunxit verba , *De Spiritu sancto* . Spiritus namque sanctus à maculante libidinis ardore obumbratam Virginem fœcundavit *absque viri opera* , prolisque corpus & animam Divini verbi personæ infixit : Quòd tamen ejus pater non sit , ostendit in Enchyridio Sanctus Augustinus . Tertull. l. de carne Christi. c. 15. L. 1. c. 7. Epist. 1. Nazianz. Epist. 1. ad Cledon.

Et homo factus est . Esse incarnatum , & inhumanatum seu factum hominem , nequaquam

sunt eadem. Qui differant, dixi ad Nicænum Symbolum ex Synodi Chalcedonensis Relatione ad Marcianum Augustum. Hæc Synodus magis urget voces, *Et homo factus est*, adversùs Apollinarii voces, teste Sancto Athanasio in litteris synodalibus Alexandrinis ad Ecclesiam Antiochenam, *scandalosas & peregrinas*. Eas in litteris ad Cledonium adducit Gregorius Nazianzenus: *Adorandum esse non hominem Deiferum, sed Deum carniferum*. Nihil dementiùs aut stultiùs fingi posse ait Gregorius, novi tamen Dogmatistæ de illis adeo gloriabantur, ut tanquam *insigne & admirandum orthodoxæ elogium* inscriberent domorum suarum vestibulis. Eos Sanctus Hieronymus passim vocat *dimidiatæ œconomiæ* adsertores. Deo namque Verbo aut veram carnem, aut animam, aut mentem detraxere, divisi in tres factiones, de quibus Sanctus Augustinus in libro de dono perseverantiæ: *Non ita dicimus Christum hominem, ut aliquid minus habeat, quod ad humanam certum est pertinere naturam; sive animam, sive in ipsa anima mentem rationalem, sive carnem non de fœmina sumptam, sed factam de Verbo in carnem converso atque mutato: Quæ omnia tria falsa & vana hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias diversasque fecerunt*. Et hæc omnia, quòd Joannes Apostolus dicat, *Et verbum caro factum est*. Caro ex Verbo facta, & quidem sine anima aut mente, quòd in illa ipsum Verbum suppleret animæ aut mentis officia, utpotè conflatum cum ipsa in unam naturam, quomodo in nobis anima & corpus. Adversùm hasce nugas dicit Symbolum, *Et homo factus est*: Homo integer & plenus.

Epist. 2. | C. 24.

Sub Pontio Pilato. Rectè auctor incognitus apud Augustinum in sermonibus de tempore: *Iste Pilatus Judex erat in illo tempore ab Imperatore positus in Judæa, sub quo Dominus passus: Cujus mentio ad significationem temporis, non ad illius personæ pertinet dignitatem*. Et Sanctus Petrus Chrysologus: *Nomen judicis dicimus, ut passionis tempus & rei gestæ veritas sic patescat*. Et Ruffinus in expositione ad Episcopum Laurentium: *Cautissimè, qui Symbolum tradiderunt, etiam tempus, quo hæc sub Pontio Pilato gesta sunt, designarunt: Ne ex aliqua parte velut vaga & incerta gestorum traditio vacillaret*. Erravere igitur in collatione Carthaginensi Donatistæ, dicentes, quòd Apostoli suis Synodis nunquam diem aut Consulem apposuissent.

Serm. 131. | Serm. 58.

Resurrexit tertia die secundùm Scripturas. D. Cardinalis Julianus Cæsarinus in Synodo Florentina protulit varios codices antiquissimos, quorum quidam habebant, quidam non habebant voces, *Secundùm Scripturas*. Non à Synodo hac, sed à nescio quibus Græcis dixit postmodum adpositas, & concludit: *Domine Præsul Ephesie, si & nos duas quasdam voculas apponimus, quæ non erant in Symbolo, non debetis reprehendere nos*. Esse tamen adpositas ab ipsa Synodo insinuat non obscurè Sanctus Gregorius Nazianzenus in tractatu de fide Nicæna. Quidquid sit, vox sancta est, desumpta ex Apostoli ad Corinthios Epistola. Et supra à Sancto Athanasio audivimus etiam hanc esse vocem symbolicam: *Natum ex Virgine secundùm Scripturas*.

Sess. 12.

Et sepultus est. Apostolicum, quod hodie habemus, Symbolum addit, *Descendit ad inferos*, de quo Ruffinus in expositione ad Episcopum Laurentium: *Sciendum sanè est, quòd in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habetur additum*, DESCENDIT AD INFERNA: *sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo, vis tamen verbi eadem videtur esse in eo, quòd* SEPULTUS *dicitur*. Ruffini igitur tempore Aquilejensis habebat, Romana Ecclesia non habebat, modò autem habet, *Descendit ad inferos*. Ex quo confirmatur eorum opinio, qui etiam Apostolicum Symbolum successivè ex causis existimant auctum.

Judicare vivos & mortuos. Facundus Hermianensis Episcopus, in publicata nuper per Lucam Dacherium fidei catholicæ Epistola, hunc articulum ait non contra aliquam hæresim ab aliqua Synodo, sed tanquam fundamentalem ab ipsis Apostolis Symbolo insertum: Ab eo fidelium, Episcoporum præsertim, in Ecclesiæ pacifica communione defunctorum damnatorium judicium reservari supremo judici Jesu Christo, adeoque trium Capitulorum impugnatores, Theodorum Mopsuestenum Episcopum in catholica pace defunctum post mortem damnare ausos, esse ejus superbissimos prævaricatores, utpotè qui supremum Jesu Christi privilegium in se transcribant, ac esse velint Altissimo non tantùm similes, sed & superiores. At gravissimè errare Facundum, ad quintam Synodum ostendemus.

Cujus regni non erit finis. Sunt Gabrielis Archangeli ad Deiparam verba, adjecta contra Marcellum Ancyranum, delirantem Christi regnum, dum Patri fuerit traditum, fore exstinguendum, illumque redigendum in justorum ordinem.

Credimus in Spiritum sanctum. Rectè Sanctus Athanasius in litteris synodalibus ad omnem suam Diœcesim: *Nicæna Synodus non alienavit Spiritum sanctum à Patre & Filio, sed eum unà glorificavit cum Patre & Filio*: utique dicendo, *Credimus & in Spiritum sanctum*. Et Synodi Chalcedonensis ad Principem Marcianum Relatio: *Iterum ait Symbolum Nicænum*, CREDO ET IN SPIRITUM SANCTUM, *sufficientem intelligentiam, quòd Spiritus sanctus Deus sit, piis mentibus tradens. Si enim similiter ut in Patrem & in Filium, ita etiam in Spiritum sanctum credere jussit, manifestum est, quòd quippe ut in Deum spem habere nos præcipit, unam naturam insinuans in Trinitate credentibus*. In quem enim credimus, esse debet verus & plenus Deus.

Dominum. Dicitur contra Macedonianos, de quibus Gregorius Nazianzenus in oratione in Dominicam Pentecostes: *Qui Spiritum sanctum in creaturarum ordinem dejiciunt, contumeliosi sunt & scelerati servi, atque adeo sceleratorum sceleratissimi. Sceleratorum enim servorum est imperium adspernari, & adversùs dominationem insurgere, atque id, quod liberum est, in eandem secum servitutis classem redigere*. Et Basilius, Seleuciæ Episcopus, Metropolita Isaurorum, in litteris synodalibus ad Leonem Augustum, exstantibus post Synodum Chalcedonensem, laudat hujus Synodi *piissimam legem, quam de sancti Spiritus substantia, ejusque Dominatione* Epist. 33.

natione posuit, *religans blasphemam Macedonii linguam*, *& unam naturam esse eandem Patri & Filio & Spiritui sancto publicè confitens*. Addit
Epist. 49. Tresius, Melitinæ Episcopus, Armeniæ secundæ Metropolita, quòd adversùs Macedonium hæc Synodus stabilierit trium personarum eandem substantiam, virtutem, divinitatem, dignitatem, auctoritatem, *Dominationem imminutam*. Et Synodi Chalcedonensis Relatio ad Principem Marcianum: *Quia fides Nicæna simplicem de Spiritu sancto doctrinam protulit, nullo adhuc certamen afferente de eo, illi, qui de Arii stirpe progeniti sunt, apud semetipsos hanc pestilentiam retinentes, veris refutationibus convicti de Filio, in Spiritum sanctum suam blasphemiam transtulerunt, arbitrantes calumniam suam non posse detegi, cùm temerariè eum inter creaturæ vilia deputarent. Undè qui defensionem veritati postea detulerunt, eorum penitus expulere contagia, Dominum illum declarantes*. Quod ipsum in sermone ad Principem acclamatorio dicit Synodus sexta.

Et vivificantem. Hoc enim est in illis, quibus veram Divinitatem Scriptura exprimere solet, nominibus nequaquam infimum, de quo
Orat. de Spir. S. Doctor Nazianzenus: *Quid adeo magnum & divinum est, quod non possit Spiritus sanctus? Quod tam Divinum nomen, quo non appelletur? Eam vim habet, ut nobis vitam afferat, immò qui ipsamet vita est, qui per baptisma & resurrectionem denuo creat*: Quod est solius virtutis Divinæ.

Ex Patre procedentem. Ex hisce verbis Græci sumpsere occasionem errandi de processione Spiritus sancti; in eis hodiernum schisma fundant, arguentes nos tanquam hujus Symboli, & Ephesini de illo Canonis prævaricatores, ausos addere vocem, *Ex Filioque*. Franci, de eodem additamento cum Leone tertio Pontifice contendentes, per Legatos Bernarium Wormatiensem Episcopum, Jesse Ambianensem, & Adalardum Abbatem postulavere de Patribus Constantinopolitanis hocce Symbolum condentibus: *Nunquid non benè fecissent, si quatuor tantùm addendo syllabas tam pernecessarium fidei Sacramentum cunctis deinceps sæculis perspicuum redderetur*? Respondit verò Pontifex: *Sicut ego non audeo dicere non benè fecisse, si fecissent, quia procul dubio sicut cætera, quæ omiserunt, scientes utique, & non tam humana, quàm divina illuminati sapientia fecerunt; ita quoque non audeo dicere illud eos nobis minùs intellexisse, perpendisse cur dimiserint. Tu & tui videte, quid sentiatis de vobis: Nam & ego me illis, non dico, non præferam, sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam*. Omissionis causam non obscurè insinuat laudata Chalcedonensis Synodi Relatio ad Principem, dicens hæc verba, *Ex Patre procedentem*, inserta contra Macedonium ad profitendam plenam sancti Spiritus cum Patre & Filio consubstantialitatem: Eam enim important, quomodo verba, *Ex Patre natum*. Nicæna Synodus de hac, quòd nemo litigaret, nec apicem expressit, ita & hæc de illius necdum impugnata processione: solam stabilivit Divinitatem.

Cum Patre & Filio adorandum. Etiam additur contra Macedonianos, quorum apud Doctorem Nazianzenum hæ erant impiissimæ voces: *Quis Spiritum adoravit? Quis vel veterum vel recentium? Quis eum oravit? Quo Scripturæ loco eum adorandum aut orandum esse, proditum est? Undè hoc habuisti?* Respondet verò Gregorius: *Nos hujus rei pleniorem causam postea reddemus, cùm de non scriptis dogmatibus differemus*. Et Pergamius, Antiochiæ in Pisidia Episcopus Metropolitanus, in litteris ad Leonem Augustum: *Sanctissimi centum quinquaginta Patres infirmitati languoris Macedonii obtulerunt medicinam, docentes Divinitatem unitatis inseparabiliter adorandam*. Et de Sancto Amphilochio, uno horum Patrum, Iconiensi Episcopo, Sanctus Hieronymus in catalogo virorum illustrium: *Amphilochius mihi nuper librum legit de Spiritu sancto, quòd Deus est, & quòd adorandus*: utique adversùm Macedonianos in defensionem hujus Symboli, secuti laudatum à Josepho Methonensi Episcopo locum Sancti Athanasii in dialogo Orthodoxi cum Macedoniano: *Si ostendatur eandem habere naturam, Deitatemque, quam Pater & Filius, Spiritum, qui ex ipso Patrem per Filium effusus est, demonstratum quoque erit, ipsum esse adorandum, & latriæ cultu prosequendum*. Epist. 41.

Et conglorificandum. Desumptum est ex eodem Athanasio in libro adversùs Meletii & Eusebii simulationem: *Atqui impossibile esset in Trinitatis gloria Spiritum conglorificari, nisi esset ex Deo per Filium modo processionis, non factus vi creationis. Non enim factura cum factore, neque servus cum Domino conglorificari debet*. Eò item respicit Gregorius Nazianzenus supra respondens: *Nos hujus rei pleniorem causam reddemus, cùm de non scriptis dogmatibus differemus*. Ex non scriptis dogmatibus unum est hymnus glorificationis, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, nequaquam à Nicæna Synodo, sed ab ipsis Apostolis institutus. Ex illo, inquam, Athanasius & Gregorius, nec non Sanctus Basilius, ac tandem hæc omnis Synodus consubstantialem sancti Spiritus Divinitatem definivit. Ita & Sanctus Augustinus Pelagianos, Scripturis canonis pro originis peccato adduci passim solitis contumaci astutia recalcitrantes, ex Apostolica traditione, qua exorcizantur & Epist. 105. exufflantur etiam infantes, covictos obmutire fecit. Adeo verbum traditum est scripto quandoque potentius. Ex adducto Sancti Athanasii loco rectè Josephus, Methonensis Episcopus, in libro contra Marci Ephesii in Synodum Florentinam calumnias, ostendit Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere.

Qui locutus est per Prophetas. Etiam adponitur contra Macedonianos, apud Gregorium Nazianzenum blaterantes *Spiritus sancti Divinitatem nullo Scripturæ loco consignatam, esse Deum peregrinum, novum, introductitium, prisci hominibus ignotum*. Synodus definit adeo antiquum, ut per Prophetas locutus sit, adeoque Deus, cujus solius est sui Consistorii secreta nosse & enunciare. Videndus primus liber Didymi de Spiritu sancto. Addit Ruffinus: *Is ergò Spiritus sanctus est, qui in veteri testamento Legem & Prophetas, in novo Apostolos & Evangelia* Orat. de Spir. S.

inspi-

inspiravit. Contra duplicis Divinitatis Fabulones Synodus nos etiam profiteri jubet unicum esse utriusque testamenti Deum auctorem.

Et Unam, *Sanctam*, *Catholicam*, *& Apolicam Ecclesiam*. Cur post unius Dei, Patris, Filii Dei-Hominis, & Spiritus sancti confessionem addatur & Ecclesia, edicit Sanctus Augustinus in Enchyridio. *Rectus confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur Ecclesia, tamquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori civitas sua. Quæ tota hìc accipienda est*: Et militans & triumphans, ex hominibus & Sanctis Angelis una. Credimus porrò Ecclesiam, non in Ecclesiam: *Quia Ecclesia non est Deus, sed Dei domus*. Rectè Ruffinus ad Episcopum Laurentium: *Hac propositionis syllaba creator à creaturis secernitur, & divina separantur ab humanis*. Eadem de causa non dicimus nos credere *in remissionem peccatorum, aut in resurrectionem mortuorum*. Addit Sanctus Augustinus: *Spiritus sanctus, si creatura, non creator esset, profectò creatura rationalis esset. Ipse enim esset summa creatura, & ideo in regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret in illa parte, quæ in cœlis est*.

C. 56.
Serm. 131.
Enchyrid. c. 56.

Unam. Edisserit Synodus principales veræ Ecclesiæ notas, quarum prima est unitas, de qua Sanctus Cyprianus in litteris ad Florentium Pupianum: *Ecclesia est Plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse*. Porrò *sicut universa terra*, inquit in libris de Dei civitate Sanctus Augustinus, *ex multis terris, ita universa Ecclesia ex multis constat Ecclesiis*, earumque Episcopatus ex multis Episcopis, qui omnes in unum Romanum, quasi radii in solem, uniuntur. Non ergò solius in cœlo invisibilis Jesu Christi, sed & visibilis in terra supremi Episcopi, nec non & dogmatis unitas facit unam Ecclesiam: Attamen variam variis variarum gentium linguis, moribus, ritibus, tanquam, uti rectè Sanctus Fulbertus Carnotensis Episcopus, *Reginam circumamictam varietatibus*.

Epist. 65.
L. 13. c. 14.

Sanctam. Dicitur adversùm Novatianenses & Macedonianos, cunctis graviter lapsis, tanquam cæteros contagio maculantibus, claudentes suas conventicula, adeoque sibi solis arrogantes veram Christianitatis sanctitatem, exstinctam jam pridem in catholica orbis Ecclesia ex scabiosa malè reconciliatorum communione. Verùm Ecclesia militans nequaquam clausus paradisus est, sed apertus ager, cujus tamen electa frumenta à superseminatis per inimicum hominem zizaniis nec suffocantur, nec fœdantur. In primæva Apostolorum Ecclesia Judas sibi soli, non aliis Domini corpus sumpsit indignè. Neque in solam militantem, sed & in triumphantem credimus Ecclesiam, unum nobiscum corpus purissimum à reatus macula & vitii ruga.

Catholicam. Pro hoc sibi titulo semper pugnasse quosvis hæreticos adfirmat frequenter Sanctus Augustinus. At casso eventu. Neque enim, quod finxerunt Donatistæ, à totius Evangelicæ legis custodia, sed à plena per omnem hujus sæculi locum & tempus diffusione Ecclesia dicitur Catholica. *Diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque suas quasque Provincias continentur; hæc verò à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur*.

Aug. de temp. serm. 131.

Apostolicam. Aliud est Sedes, aliud Ecclesia Apostolica. Distinguit eas in libro Præscriptionum Tertullianus, dicens apud quasdam Ecclesias adhuc præsideri ipsas Apostolorum cathedras, apud quasdam eorum authenticas litteras recitari. Quocirca latè loquendo Apostolica sedes est quævis Episcopalis Cathedra, quæ quempiam Apostolum habuit primum Cardinalem sessorem, aut certè imposito discipulo auctorem. *Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: Sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum à Joanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum*. Hinc & Cyrillus, & Joannes, Cathedræ Hierosolymitanæ, per Sanctum Jacobum Apostolum insessæ, Episcopi se Apostolicæ Sedis Antistites asseruerunt: Quod licèt Synodus Seleuciensis ac Sanctus Hieronymus damnarint, tandem tamen evicisse videtur Episcopus Juvenalis. Eadem de causa in sexta Synodo Constantinus Augustus, & Constantinus Diaconus & Carthophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ejus sedem vocant Apostolicam: Quòd nempe Græci tandem fingere cœperint primum ejus Episcopum fuisse Apostolum Andream.

C. 36.
C. 32.
Epist. 61.

Huncce titulum quidam adeo ambivere, ut extenderint & ad illas Ecclesias, in quibus quis Apostolus fuit sepultus. Ita Cyprii, reperto apud se Sancti Barnabæ corpore, Patriarchicum Ecclesiæ Antiochenæ jugum excussere, dicentes & suam Metropoliticam sedem jam esse Apostolicam. Quod item Turpinus Remensis Episcopus de Compostellana ob Sancti Jacobi, & de Veneta ob Sancti Marci, licèt eò dumtaxat translati, reverentiam adfirmat Sanctus Petrus Damiani.

C. 19.
Ser. 16.

Quin immò omnem Episcopalem Cathedram quidam vocant sedem Apostolicam. Ita Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus appellavit Cathedram Burdigalensem, nec non & alias duntaxat Provinciales. Eodem modo loquuntur secunda Synodus Valentina, & quarta Parisiensis. Et Valentinus, Adrumetini Monasterii Præfectus, Sancto Augustino, Provinciali dumtaxat Episcopo, attribuit Apostolatum. Et Ephesinæ Synodo subscribens Eutychius, Theodosiopolitanus Episcopus, addit sibi hunc titulum: *Eutychius sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Theodosiopolis Episcopus*. Quòd nempè quisque Episcopus sit successor Apostolorum.

C. 1.
C. 1.
Epist. 254.

Verùm propriè & strictè nulla est Sedes Apostolica, nisi quam aut per se, aut per proprium ex Baptismo & manus impositione filium & vicarium, tanquam Cardinalis Episcopus, insedit & fundavit ipse Apostolus Petrus. Quòd ejus solius Cardinalis insessio faciat Sedem Apostolicam, disertè ad Eulogium Alexandriæ Patriarcham scribit Gregorius magnus, adeòque & tres dumtaxat esse Sedes Apostolicas, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam. Quod ipsum

L. 6. Epist. 37.

ipsum in prima sua Synodo, adfirmat Gelasius primus. Hinc Joannem, Hierosolymæ Episcopum, sese pro Apostolicæ Sedis Antistite ostentantem, graviter tanquam Ecclesiasticæ
Epist. 61. Hierarchiæ perturbatorem arguit Sanctus Hieronymus, opposito septimo Nicæno Canone, juxta quem Æliensis Episcopus non est, nisi suffraganeus Metropolitæ Cæsaræensis. Eadem de causa ejus antecessorem Cyrillum jam audivimus damnatum à Synodo Seleuciensi. Et ad Anatolium, Constantinopolitanum Episcopum, Synodi Chalcedonensis auctoritate tres autocephalas Diœceses invadentem, scribit Sanctus Leo magnus, quòd, quidquid egerit, nequeat sedem suam facere Apostolicam. Et
Epist. 54. Bulgaris, quinam Episcopi sint veraciter Patriarchæ, sciscitantibus, respondit Nicolaus primus eos esse solos tres memoratos, quòd soli
C. 92. habeant Sedem Apostolicam: Ea carere Constantinopolitanum & Hierosolymitanum, ideoque licèt dicantur, tamen reverà non esse Patriarchas. Et quia Alexandrinam sedem dumtaxat per Marcum discipulum Sanctus Petrus insedit, in Relatione ad Damasum Pontificem rectè hæc præsens Synodus Cathedram Antiochenam vocat *vetustissimam ac verè Apostolicam*.
Epist. 18. C. 1. Est enim, uti ad Alexandrum ejus Patriarcham scribit Innocentius primus, *Prima primi Apostoli Sedes, quæ urbis Romæ Sedi non cederet, nisi quòd illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gauderet.* Quò respicit & Sanctus Augustinus scribens ad quosdam
Epist. 162. Episcopos Donatistas: *In Romana Ecclesia semper Cathedræ Apostolicæ viguit Principatus.*

Porrò Apostolica Ecclesia aliud non est, quàm Ecclesia Apostolici dogmatis & communionis. Tertullianus in libro Præscriptionum dividit in duas classes: In Ecclesias
C. 20. 21. 32. 36. Apostolicas *fidei matrices & originales*, & in Ecclesias Apostolicas *de consanguinitate doctrinæ*, utpotè *soboles Ecclesiarum Apostolicarum*. Originales & matrices dicit esse illas, *apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum præsidentur, aut ipsæ authenticæ eorum litteræ recitantur, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva voce, quàm per Epistolas postea.* Ejusmodi sunt Corinthiorum, Galatharum, Philippensium, Ephesiorum, Thessalonicensium Ecclesiæ, & præsertim Hierosolymitana, quam in Relatione ad Damasum Pontificem hæc præsens Synodus rectè dicit esse *omnium aliarum matrem*. De Sion enim exivit lex, & verbum Domini de Hierusalem, ad quam multifariè multisque modis olim loquens Deus in Prophetis, novissimè diebus istis non tantùm in Apostolis, sed & in unigenito Filio est locutus. Alias originales & matrices docuerunt Apostoli, quæ acceperant à Christo; hanc ipse Christus, quæ acceperat à Deo.

C. 6. Rectè tamen Tertullianus de Ecclesia Romana: *Ista quàm fœlix Ecclesia? Cui totam doctrinam Apostoli, Petrus, Paulus, & Joannes, cum sanguine suo profuderunt.* Licèt non tempore & propagine, longè tamen eminentiori gradu, Divina nempè supremi Primatus potestate, est omnium Ecclesiarum prima, mater, caput. *Ad Canones Conc. Const. Tom. I.* *hanc Ecclesiam*, inquit Apostolicis temporibus L. 3. c. 3.
vicinus Sanctus Irenæus Episcopus Lugdunensis, *propter potentiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Adeo Romanus Primatus, quod Lutherus & Calvinus garriunt, non est hesternus.

Ecclesiæ ex sola *doctrinæ consanguinitate* Apostolicæ sunt illæ, quæ sunt vera ac germana per legitimum *Apostolici seminis traducem* soboles matricum & originalium, de quibus idem Tertullianus: *Per Judæam contestata fide in Jesum* C. 20.
Christum, & Ecclesiis institutis, in orbem profecti Apostoli eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgarunt, & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exindè Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant: Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Ecclesiarum Apostolicarum. Omne genus ad originem suam recenseatur, necesse est. Itaque tot & tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & Apostolicæ, dum unà omnes probant unitatem: Dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis. Quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem Sacramenti una traditio. Et infrà: *Illæ Ecclesiæ, quæ licèt* C. 32.
nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes non minùs Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Hoc sensu nostrum Symbolum universam Ecclesiam esse dicit, non solummodo unam, sanctam, & catholicam, sed & Apostolicam: utique vel prima origine, vel legitimo traduce.

Hinc hæreticorum & schismaticorum conventicula nullo modo sunt Ecclesiæ Apostolicæ: Neque ut matres, neque ut soboles. Alienum quippe suum dogma neque ab ipsis Apostolis, neque ab eorum in docendi munere per legitimum traducem filiis & successoribus acceperunt. Primus cujusque hæreseos aut schismatis fundator semper est, quod de Victore, primo Donatistarum Romano Episcopo, scribit Optatus Milevitanus: *Filius sine patre, Tyro sine Principe,* L. 2.
discipulus sine magistro, adeoque filius impius, ramus fractus, palmes abscissus, rivus à fonte concisus. Sanctus Irenæus vocat *abscissum à principali successione Apostolorum, qui cum Episcopatus* L. 3. c. 43.
successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt.

Quæstio est, cur omnes hasce veræ Ecclesiæ notas Synodus Symbolo indiderit? Rationem dat Hermias Zozomenus: *Theodosius Imperator* L. 7. c. 12.
vigentium tunc sectarum Antesignanos convocavit, ut aut discerent aut docerent eorum veritatem, de quibus inter se contendebant. Sperabat enim se omnes effecturum esse concordes, si communem ipsis de controversiis doctrinæ disputationem proposuisset. Scio hanc Synodum posteriorem nostro Symbolo: Ejus tamen tempore per omnem Orientem grassabantur Novatianenses, Ariani, Eunomiani, Macedoniani, Photiniani, Apollinari-

ristæ, blaterantes esse multos vocatos, paucos electos, periisse Ecclesiam de orbe terrarum, & in solis suis paucis esse Christum. Et quidem Novatianenses & Macedoniani singulari & modestia & veste singularem sanctimoniam mentiti non paucos in errorem circumscripserunt. Hinc ergò edicit Synodus nullam apud ipsos esse veræ Ecclesiæ notam, ideoque illis esse Ecclesias, quomodo sunt favi apud vespas: Et principales Ecclesiæ notas, ut à fidelium memoria nunquam abirent, Symbolo infixit.

Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Apostolicum Symbolum simpliciter habet, *Remissionem peccatorum*. Causam dat Sanctus Augustinus in Enchyridio: *Post commemorationem sanctæ Ecclesiæ in ordine confessionis ponitur remissio peccatorum: Per hanc enim stat Ecclesia, quæ est in terris*, utpotè sancta hocce potiùs quotidiano dono, quàm perfectione virtutum. Hocce Symbolum addidit *unum Baptisma*, contra Sancti Basilii supra adductas cogitationes. C. 64.

DISSERTATIO DE SYNODO CONSTANTINOPOLITANA.

CAPUT PRIMUM.

Synodi occasio, Episcopi, locus, tempus.

CONstantio, Juliano, & Valenti Augustis, qui Arianis & quibusvis hæreticis permisere omnia, juxta præcedentes prophetias, Meletio Episcopo Antiocheno factas, Ecclesiam tandem suam miserata Divina Clementia dedit successorem Theodosium, Hispanum, avitè pium, utpotè filium christianissimi Ducis Theodosii, impiissimè per Valentem trucidati. Per omnem Orientem grassabantur Ariani, Eusebiani, Eunomiani, Macedoniani, Fotiniani, Apollinaristæ, Novatianenses, enumerataque superiùs Galatharum monstra: Et ipsi Catholici in partes lacerati. Quis enim nescit schisma Eustathianum Ecclesiæ Antiochenæ? Etiam Constantinopolitanam sciderat Petrus Alexandrinus Episcopus, Gregorio Nazianzeno, à se priùs probato & confirmato, superintrudens, & quidem auro mediante, Maximum Cynicum, hominem variè impurum.

Divino negotio vigilanter se dedit Theodosius, cogitationum ferias nesciit, nec dignatus terrena curare, nisi cœlestibus paruisset. Demophilum Arianum Episcopum ejecit Constantinopoli, Episcopatum confirmavit Gregorio Nazianzeno, adversùm hæreses sanxit varia, tandemque indixit totius Orientis generalem Synodum in Regia civitate ex tribus præsertim causis, relatis ab Hermia Zozomeno: ut Nicæna fides confirmaretur, decideretur quæstio de Episcopatu Constantinopolitano, & Macedoniani Ecclesiæ unirentur. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, meminit solius secundæ causæ, dicens de Synodo: *Coit repentè, firmet ut thronum mihi*. Quibus verbis duas alias quidam putant excludi. At Gregorius Presbyter, & hæc ipsa Synodus in Relatione ad Principem disertè ait sese ob omnes tres convenisse. L. 7. c. 7.

Convenere Episcopi & orthodoxi & Macedoniani. Hi ex solo ferè Hellesponto, intra quem præsertim sparsi & conclusi, triginta sex, duce Eleusio Metropolita Cyziceno; istos fuisse centum sexaginta sex scribit apud Photium in Bibliotheca Efremius Antiochenus Episcopus, verùm rectè Photius, ut rem certam, adserit fuisse solos centum & quinquaginta. Gregorius Nazianzenus, in carmine de vita sua, & in ejus vita Gregorius Presbyter, fuisse dicunt *ex omni Romanorum imperio, præterquam ex Ægypto & occiduis partibus*. Ex Occidente tamen adfuit, haud dubiè cum suffraganeis, Sanctus Acholius Thessalonicensis Episcopus, Theodosii Augusti baptizator, & ex Ægypto postmodum supervenit cum suis & variis Macedonibus Timotheus Patriarcha Alexandrinus. Adfuere Episcopi clarissimi; Meletius Antiochenus, Gregorius Nazianzenus, Helladius Cæsaræensis in Cappadocia, Otrejus Melitinensis, Diodorus Tharsensis, Amphilochius Iconiensis, Eulogius Edessenus, Acacius Berrheensis, Gregorius Nyssenus, ejus frater Petrus Sebastensis, & Cyrillus Hierosolymitanus, conversus ad nos à Macedonianis. Adfuisse creditur & Sanctus Hieronymus, utpotè auditor Gregorii Nazianzeni. L. 228.

Adfuere & alii, de quibus dictus Gregorius: *Dimiserunt me ab urbe non admodum repugnantem. Quippe turpissimum erat illorum me fidei cauponum in numero esse, quorum alii nepotes erant eorum, qui tributorum scribæ fuerant, & aliud nihil animo volvebant, quàm falsas & subdolas rationum depravationes; alii ab aratris venerant adusti à sole; alii à ligone & bidente totum diem non quiescente; alii remos, exercitusque reliquerant, redolentes adhuc sentinam, vel corpus fœdatum cicatricibus habentes, populi gubernatores & duces militum, qui ne minimùm quidem concessuri videntur: Nonnulli etiam opificiorum, quæ citra ignem operas suas perficere nequeunt, gnari, ne fuliginem quidem carnis integrè abluerant, flagriones, ac pistrinis digni*. In carmine de vita sua eos vocat turbam graculorum, catervam juvenum similem

similem tabernæ, vespas concito impetu in frontem insilientes, consortio Episcopali indignos, anseres & grues temerè in invicem pugnantes, mutuaque vitia inimico animo proferentes in publicum. Ejusmodi fæces thronis Episcopalibus intruserat factio Eusebiana.

Quæstio est, an à solo Theodosio Augusto, an etiam à Damaso Pontifice fuerit convocata Synodus. Convocatam etiam à Damaso affirmat antiqua, per Martium Milesium publicata, vita ejusdem Pontificis: *Sancta secunda Synodus ejus præcepto & auctoritate apud Constantinopolim celebrata est, cui præfuerunt Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Divinus Gregorius Constantinopolitanus*. Quod ipsum in sermone ad Principem acclamatorio affirmat Synodus sexta. Et Nilus, Rhodiorum Metropolita, in synoptica enarratione Synodorum generalium: *Præerant Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis, Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Gregorius Nyssæ, & Amphilochius Iconii Episcopi*. Act. 18.

Respondeo tamen à solo Theodosio congregatam, utpotè singularem solius Orientis, ad ejus solius motus confirmata Nicæna fide componendos. Nulla enim legatio, nulla Epistola Apostolica adfuit, sine quibus fieri nequit totius Ecclesiæ Synodus generalis. Quomodo à Nilo dicatur præsedisse Damasus, exponit in litteris de septem generalibus Synodis ad Michaelem Bulgariæ Principem Photius, ajens præsedisse Timotheum, Meletium, Cyrillum, Nectarium, atque addens: *Quibus haud multò post & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque sentiens accessit*, id est, jam factam sine suo jussu Synodum habuit ratam, & confirmavit.

Dicti item quatuor Episcopi nequeunt auctoritate Apostolica præsedisse. Etenim Timotheus Alexandrinus non nisi post conditos Canones & Symbolum advenit, non nisi post ejus adventum Nectarius est creatus Episcopus, Cyrillus erat ex Macedoniano Neophytus, & de Meletio ait adducta vita Damasi Pontificis: *Antiochiæ erant tres Hæresiarchæ, Meletius, Vitalis, atque Paulinus*. Quæ paucæ voces tot errores habent, quot syllabas, ideoque authorem suum esse nullius fidei producunt. Ut ut sit, Meletii Episcopatum nunquam probavit Romana Ecclesia, ideoque præsidendi vices nequit illi Damasus dedisse. Ob sedium ergò suarum prærogativam, & singularis doctrinæ aut potestatis meritum præsedisse dicuntur, quomodo in litteris ad Zenonem Augustum Felix tertius Pontifex scribit Nicænæ Synodo præsedisse Sanctum Eustathium Episcopum Antiochenum: Et quomodo Juvenalis Hierosolymitanus, Thalassius Cæsaræensis, & Basilius Seleuciensis in Ephesino latrocinio dicuntur fuisse Synodi Primates. Epist. 5.

Difficultatem habent verba Synodi Chalcedonensis in Relatione ad Marcianum Augustum: *His, qui in his partibus Apollinarii detexerunt pestilentiam, Nectarius cum Gregorio tenuit Principatum*. Et sextæ Synodi sermo acclamatorius ad Principem: *Gregorius & Nectarius conventum congregabant*. Qui simul non fuere Episcopi, quomodo possunt simul Synodo præsedisse, aut illam congregasse? Respondeo tempora distinguenda, duasque aut tres intra breve tempus Synodos Constantinopolitanas, quorumdam errore confusas in unam, quarum primæ Gregorius, secundæ & tertiæ præsedit Nectarius. Apud Chrystophorum Justellum incogniti Auctoris libellus synodicus œcumenicam Constantinopolitanam à Nectarii Episcopi Synodo, dictarum trium postrema, rectè distinguit. C. 75. 77.

Canones Conc. Const. Tom. I.

Synodi locus fuit Oratorium sanctorum Martyrum Pantalemonis & Marini, postmodum *Concordia* dictum, de quo Sanctus Joannes Damascenus in opere de sacris imaginibus: *Erant in Oratorio reliquiæ Pantalemonis & Marini Martyrum, quod quidem Oratorium* CONCORDIA *nominatur, quoniam illic centum quinquaginta Episcopi, Theodosio magno Imperatore regnante, in eandem sententiam convenere*. Quod ipsum in carmine de vita sua testatur Gregorius Nazianzenus. Inivere non tantùm fidei, sed & fraternæ communionis concordiam, etiam inter orthodoxos scissam ex discordiis Eusebianis. Porrò Synodi tempus fuit Consulatus Eucherii & Syagrii, Christi trecentesimus octuagesimus primus, Damasi Pontificis quintus decimus, Theodosii Augusti annus tertius. L. 3.

CAPUT SECUNDUM.

Acta Synodi circa fidem.

Quid circa fidem Synodus egerit, exponit in suis litteris ad Damasum Pontificem. Ait à se stabilitam fidem Nicænam, & circa sanctissimam Trinitatem contra Sabellium, Arium, & Eunomium, & circa dominicam Incarnationem contra Apollinarium, & addit: *De quibus pleniorem delectationem animi poteritis percipere, si libellum in Concilio Antiochiæ convocato de fidei decisione editum, & eum etiam, qui superiori anno à Constantinopolitano Concilio generali compositus est, legere placuerit, in quibus tum fidem nostram uberiùs exposuimus, tum hæresibus nuper excogitatis anathema scriptis proditum denunciavimus*. Et in Relatione ad Theodosium Augustum: *Primùm mutuam inter nos concordiam renovavimus, deinde verò breves etiam pronunciavimus definitiones, quibus & Patrum, qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmavimus, & quæ adversùs eam obortæ sunt, perversas hæreses ac pravas opiniones extrema cum execratione & detestatione reprobavimus*. Fecerunt hæc partim in primo Canone, partim in fidei Symbolo: Et hic est fidei libellus à generali Concilio editus anno superiori. Ex quo liquet in primo congressu editum Symbolum, quod à Gregorio Nysseno Nicephorus Calixtus, à Gregorio autem Nazianzeno fuisse compositum asserit in Florentina Synodo, tanquam ex opinione communi, Marcus Metropolita Ephesius. Quis sit Synodi Antiochenæ libellus, dixi supra. Sess. 23.

Prima itaque damnata hæresis est Spiritus sancti impugnatrix Macedoniana. Confirmatum est Liberii Pontificis, Synodo nuper Thyanensi transmissum, de illa judicium, ac definita, uti scribit Facundus Hermianensis Episcopus, Spiritus sancti cum Patre & Filio consubstantialitas, atque ita cessavit Sancti Basilii dispensatio ob quam insimulatus fuit timiditatis, dissimulationis, prævaricationis, impietatis, tanquam qui de Patre & Filio rectissimum sentiret & doceret, Spiritum verò sanctum convelleret & dejiceret, aut certè rectam de illo doctrinam obscurè subindicaret, ac velut obumbraret, nec veritatem liberè profiteretur, oratoriè magis quàm piè auditorum aures obruens, dicendique facultate subdolum animi consilium obtegens. De sancti Spiritus consubstantiali Divinitate adeo Basilius rectum sensit, ut ipsum Synodus Chalcedonensis in Relatione ad Marcianum Augustum vocet *magnum illum gratiæ ministrum, qui Spiritus Sancti doctrinam diligentiùs tradidit*. Hinc Macedoniani sub Valente Augusto per Cappadociam potenter grassati quæsivere omnem ansam illius ejiciendi de primatiali Cathedra, demutanda in sceleris sui propugnaculum & arcem, ex qua simplices animas caperent & popularentur. Nudam & apertam de Spiritus Sancti consubstantialitate vocem ex Basilii ore venabantur. Quas ille insidias eludens, *aliis quidem vocibus è Scriptura petitis, testimoniisque minimè dubiis eandem vim habentibus adversarios comprimebat, sed tamen propriam & apertam vocem interim usurpare differebat, tum ab ipso Spiritu, tum à synceris ejus propugnatoribus gratiam petens, ac rogans, ne hoc suo consilio offenderentur, nec committerent, ut dum unam voculam mordicus retinere conarentur, omnia perderent*. Salutem nostram non in vocibus, sed in rebus consistere, ideoque has, non istas præsertim curandas, & *Reipublicæ non posse majorem pestem & perniciem adferri, quàm si ab hæreticis occuparetur Ecclesia*.

L. 5. c. 5.

Greg. Naz. Epist. 26.

Orat. de S. Basil.

Egit eo fermè modo cum Macedonianis, quo supra Sanctum Hilarium Pictaviensem Episcopum, dum Philippopolitanum, Antiochenum, & Ancyranum Symbolum admisit & in sanum sensum traduxit, egisse dixi cum Eusebianis. Eorum ambiguas & æquivocas de Spiritu sancto voces tractavit & usitavit eadem arte, abstinens sola vocula, *Consubstantiale*, quam fermè solam, quomodo de filio Eusebiani, ita isti de Spiritu sancto adversabantur. Quam agendi rationem, tanquam è divinis eloquiis haustam dispensationem, & in ejus funebri encomio, & in quodam solemni eruditorum graviter obtrectantium convivio, acriter defendit Sanctus Gregorius Nazianzenus ex auctoritate Regii Prophetæ, laudantis virum justum, qui *disponit*, seu dispensat *sermones in judicio*, asserensque ex Basilii Episcopatu tunc pependisse omnem Cappadociæ Ecclesiam, atque adeo ejus conservationem fuisse vocum ita librandarum justam causam. Quare & librabat solus ipse, Clericis suis, *quos ob nominis obscuritatem nemo accusaturus, patriaque ejecturus esset, loquendi committebat libertatem*. Etiam Gregorius Nyssenus, Theodorus Antiochenus, & Sophronius pro ipso edidere apologias, à Photio in Bibliotheca relatas.

Aliis tamen ejus consilium, tanquam vanum, frigidum, ludificatorium, ignaviæque & dilecto Episcopatui retinendo potiùs, quàm orthodoxæ doctrinæ consulens, sunt insectati, adseverantes, *Longè esse præstantius nostros per veritatis prædicationem tueri, quàm hujusmodi cautione & dispensatione inutiles reddere, nec interim alienos elucrari*. Ab his permotus ipse Apologus Nazianzenus scribit ad Basilium: *Tu verò, vir Divine & sacrosancte, facito, ut nos doceas, quousque in disputatione de Spiritus sancti Divinitate progredi, quasque voces usurpare, & quousque cautione, certaque dispensatione uti debeamus, ut ea adversùs eos, qui contradicunt, in promptu habeamus*. Quin immò in funebri Sancti Athanasii encomio ad istorum sententiam & argumenta accedit penitùs, laudans Athanasium, quòd primus & fermè solus cœperit apertis vocibus consubstantialem Spiritus sancti Divinitatem prædicare, atque addens: *Hujus auctoritate permoti tum Occidentales, tum quidquid in Oriente vitale est, partim animo tenùs pietatem colunt, ulteriùs autem eam non proferunt; velut mortuum quemdam fœtum in materno utero exstinctum; partim eam fomitis cujusdam instar leniter accendunt, hactenus scilicet, ut tempori atque ardentioribus orthodoxis aut piæ plebi utcumque satisfaciant; partim denique omni verborum libertate veritatem prædicant: A qua parte utinam ego stem, non jam timiditati meæ, ignaviæque consulens, eique aliorum timiditatem & mentis imbecillitatem prætexens. Satis, superque dispensavimus, non modò nobis alienos non adjungentes, sed nostros etiam perdentes, quod sanè malorum dispensatorum est*. Patentissimè taxat Sanctum Basilium. Sanctus quippè Athanasius, in litteris ad Ægypti, Syriæ, Phœniciæ, & Arabiæ Episcopos, dispensationem illam graviter culparat. Easdem ob rationes præsens Synodus Spiritus sancti Consubstantialitatem, apertè deinceps ab omnibus profitendam, Symbolo infixit, omni dispensatione rejecta. Jam enim per Theodosium Augustum exstinctus erat hæreticorum dominatus, redditaque de Deo rectè loquendi plena libertas. Licèt porrò vocem ipsam, *Consubstantialem*, Synodus Symbolo non infixerit, infixit tamen variis aliis comprehensam ejus virtutem.

Epist. 26.

Quin immò Nilus Rhodiorum Episcopus in libro de generalibus Synodis dicit editum hoc anathema: *Nos accepimus & credimus omnibus modis sanctum Spiritum esse verum Deum, consubstantialem Deo tum Patri tum Filio, quoniam Dominus Jesus sic dixit, ut baptizemur & credamus in nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quod non dixisset, si creatura esset. Ei igitur, qui non ita sentit, anathema*. Quòd Synodus sancti Spiritus consubstantialitatem definierit, certum atque indubitatum est; at istius decreti fides est penes solum Nilum: Ei nullus antiquus attestatur.

Etiam hæc Symboli verba, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*, impetunt Sancti Basilii dispensationem. Antiquus, ab

Apo-

Apostolis ac ipso Christo Domino traditus, glorificationis hymnus est *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*. Primus mutavit puri puti Arianismi restaurator Ætius, Ecclesiæ Antiochenæ Diaconus, psallendum jubens, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*. Sunt voces æquivocæ, innoxiæ tamen, quibus & Sanctus Leo Pontifex usus est, in sermone de Domini
Ser. 1. c. 3. Nativitate dicens ad populum: *Agamus gratias Deo Patri per Filium in Spiritu sancto*. Eis Arianum virus, tanquam ovinis lanis lupum, subintrusit Ætius, per eas Ariani ab orthodoxis cœperunt distingui, psallentes in sese mutuò, atque ita omnis earum Psaltes aut usurpator haberi cœpit ut convictus & professus Arianus. Hinc illis popularem sermonem concludens dispensator Sanctus Basilius, Arianis quidem & Macedonianis placuit, at orthodoxis displicuit gravissimè, tanquam pravi dogmatis ex pravis vocibus suspectus, & Episcopatum, cujus à Macedonianis retinendi causa dispensabat, ex dispensatione propemodum amisit ab ipsis orthodoxis. Pro vocum suarum innocentia edidit insignem Apologiam, librum eruditissimum de Spiritu sancto ad Sanctum Amphylochium Episcopum Iconiensem, cunctis tamen non satisfecit. Apostolus enim nos unanimes esse mandat non tantùm in eodem sensu, sed & in eadem sententia, verbaque nostra esse non solùm vera, sed & irreprensibilia: Orthodoxus Doctor non dumtaxat recta credere, sed & recta loqui debet, alienus à vocibus, licèt in sensu à se intento veris, suspectis tamen, scandalosis, ac piarum aurium offensivis. Quocirca præsens Synodus avitam glorificandi formulam retinendam jussit, cassata omni dispensatione: Proscripsit Ætianam, de qua quid Deus miraculo ostenderit, & Ecclesia latina senserit, dixi supra ex Theodoro Lectore, & Joanne Biclarensi. Quomodo ea Sanctus Leo sit usus, dicam loco magis opportuno.

Facundus Hermianensis Episcopus, in catholicæ fidei Epistola, adfirmat ipsum hæresis auctorem Macedonium fuisse à Synodo accersitum, auditum, convictum, atque ita damnatum. At certum est falli. Macedonius quippe ante Eudoxii Germanicienſis ex Antiocheno ad Constantinopolitanum thronum translationem fuisse defunctum scribit Hermias Zozomenus.
L. 4. c. 25. Et hinc non ipse, sed ab ipso ordinatus Eleusius Cyzicenus Episcopus, tanquam sectæ caput, Synodo adfuit, eum Synodus, ut nuperæ apud Liberium Pontificem per Legatos factæ de Spiritu sancto Professioni, ejusdemque Pontificis ad Synodum Thyanensem litteris adsentiretur, multùm ursit, & contumaciter cum suis resistentem damnavit. Eos quidam non Macedonianos, sed appellant Marathonianos, à Marathonio Nicomediensi Episcopo, à quo hæresis inventa & Macedonio persuasa, aut plurimùm propagata.

Secunda damnata hæresis est Eunomiana, puri puti Arianismi restauratrix, orthodoxi Baptismi verbum ac elementum alterare ausa, novumque in Domini mortem instituere. Damnata est ex Sancti præsertim Basilii & Sancti Gregorii Nysseni libris, quos ipse Gregorio
Hieron. in Catalog. Nazianzeno, & Sancto Hieronymo primùm lectos Synodo judicandos detulerat, Synodusque probavit. Eunomium seduxerunt lingua volubilis & Aristotelis elenchi: *Horum subsidio*, in- L. 2. c. 28.
quit de Ætio illius magistro Socrates, *captiosas ratiocinationes, quas ipse dissolvere non poterat, imprudens contexuit*. Hæreticorum Patriarchæ, semper Philosophi.

Tertia damnata hæresis est Apollinariorum, patris Presbyteri, & filii Laodicensis in Syria Episcopi. Dum Julianus Augustus humaniorum litterarum scholas Christianis clausit, pater edita Christiana Grammatica, & plerisque antiquæ Scripturæ libris in versum, filius Evangelio & Apostolo in dialogum redactis, evasere clarissimi, & fideli juventuti plurimùm profuere. Nicænam fidem constantissimè defendentes, Georgio Laodicensi Episcopo, homini Eusebiano, damnato per Sardicensem Synodum, noluerunt communicare, & ab eodem talionem reddente fuerunt, tanquam qui sacrilegis Bacchi sacris adfuissent, extra Ecclesiam abjecti. Hinc Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, & cæteris istius ævi Primatibus Episcopis charissimi, adeo ut eorum discipulus, in Ecclesiæ Antiochenæ Cathedram Episcopalem intrusus, Vitalis, ad eorum testimonium & preces, fuerit tanquam orthodoxus à Damaso Papa receptus in communionem. Nimiam cum filio familiaritatem scriptis etiam apologiis purgare fuit coactus Sanctus Basilius.

Audio, inquit in Epistola ad Patrophilum Epist. 82.
Ægensis Ecclesiæ Episcopum, *ipsum omnium eorum, qui libros scribunt, verbosissimum*. Et in Epistola ad Episcopos Occidentales: *Alter ex illis, de quibus vos admonemus, est Apollinarius, haud parùm & ipse Ecclesias contristans. Facilitati namque scribendi, qua per occasionem ad quosvis irrepit, conjunctam habens sufficientem linguæ facultatem, orbem libris suis replevit, contempto Ecclesiaste, qui cavendum esse dicit, ne multi fiant libri. In multitudine autem certum est, quòd multa delinquantur. Nam quomodo potest in multiloquio vitari peccatum? Sunt verò, quæ scribit, etiam ad Theologiam pertinentia, non ex Scripturæ probationibus, sed ex humanis argumentis adstructionem habentia*. Fuisse *de librorum copia gloriatum* scribit in prima ad Cledonium Epistola etiam Gregorius Nazianzenus. Auctor incognitus, in laudata superiùs Damasi Pontificis vita, ait fuisse *virum sanè inter cæteros instructum, sed contentionis vitio nimis agitatum, & adversùs omne quod quisque dixerit, obvium ire delectatum, ideoque ex contentione lapsum*. Acacius Berrhæensis Episcopus, in litteris ad Sanctum Cyrillum Alexandrinum, inter Synodi Ephesinæ acta ex- L. 1. c. 23.
stantibus, fuisse scribit insignem, sed inutilem disputatorem, qui ingenio nimiùm fisus inflantem signorum scientiam, ejusque dolosas technas, ædificanti rerum sapientiæ miscuit, atque ita simplicem Christi fidem fœdavit & amisit. Quod ipsum in Ario Constantinus magnus, in Paulino Presbytero Edesseno, Beati Ephreem Diaconi discipulo, Gennadius Massiliensis, in Nestorio Sanctus Cyrillus, in Eutychete Petrus Chrysologus, in Monothelitis Constantinus quartus, in Petro Abaelardo notat Sanctus Bernardus. Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. Ca-

Cadendi origo fuit vindictæ cupiditas, ac impatientia injuriæ à Georgio Episcopo, quem se indoctiorem existimabat Apollinarius, illatæ, L. 6. c. 25. de qua rectè Hermias Zozomenus: *Ea est humana natura, ut cùm despecta sit, obstinatione insolescat, & tum contentionis, tum novandarum rerum studio flagrare incipiat; at cùm æquales partes fert, soleat se moderatè gerere, & intra eosdem rationis quasi cancellos manere*. Hinc magna ingenia non irritanda injuriis, sed & in multis dispensatoriè toleranda, prudentia Christiana semper judicavit. Et hæc omnia dicta sunt de Apollinario filio, principali fonte erroris.

Errores ejus fuere varii. Primus est supra expositus, atque in tres invicem adversantes sectas divisus, de partu Virginis, & Sacramento Dominicæ Incarnationis.

Secundum adducit Sanctus Gregorius Nazianzenus in prima Epistola ad Cledonium: *Scire necesse est, Apollinarium, quamvis Divinitatis nomen Spiritui sancto tribuerit, vim tamen Divinitatis minimè retinuisse. Etenim ex magno, majori, & maximo, hoc est, ex Spiritu sancto, & Filio, & Patre, tanquam ex splendore, & radio, & sole, Trinitatem constituere: quod quidem disertis verbis in illius libris scriptum est, Divinitatis scala est, non in cœlum subvehens, sed è cœlo dejiciens*. Adsumptæ enim in Deum humanitatis truncator vix potuit non sentire cum Ario. Nam & Arius homini Christo subtraxit animam, ejus in carne officia adscribens Deo Verbo: Ex qua pessima radice postmodum prodiere Eutychianistæ, Synusiastæ, Monophysitæ, Acephali, Theopaschitæ, omnisque pestifer grex confundentium Domini naturas.

Epist. 74. Tertius error est Millenariorum, de quo Sanctus Basilius in litteris ad Episcopos Occidentales: *Scripsit Apollinarius & quædam de resurrectione fabulosè, immò judaicè composita, in quibus dicit nos iterum ad cultum à lege præscriptum reversuros, ita ut iterum & circumcidamur, & Sabbathum observemus, & à cibis in lege vetitis abstineamus, sacrificiaque Deo offeramus, & in templo Hierosolymis adoremus, atque prorsus ex Christianis Judæi reddamur, quibus quidnam potest magis alienum ab Evangelico dogmate dici?*

L. 6. c. 25. Quartum adducit Hermias Zozomenus: *Hujus sectæ fautores ritibus ab institutis Ecclesiæ catholicæ alienis utuntur, & præter sacros hymnos ab Ecclesia institutos cantiunculas quasdam numeris adstrictas, quas Apollinarius excogitavit, cantant. Nam Apollinarius iste præter aliam doctrinam poeticæ & numerorum omnis generis peritus fuit, quarum rerum illecebris multos ad animum sibi attendendum induxit. Quin etiam viri, dum potabant, aut opera faciebant, mulieres autem, dum texebant telas, ejus cantilenas cecinerunt. Nam carmina studio relaxando, festis & aliis cujusque temporis opportunitatibus accommodata composuit, eaque omnia ad Dei laudes prædicandas instituta*. Hausit id à primo sui erroris fonte Valentino, de quo C. 17. Tertullianus in libro de carne Christi: *Etiam cum Psalmis Valentini, quos magna impudentia quasi idonei alicujus auctoris interserit, congressionem dirigamus*. Et in alio capite: *Nobis quoque* C. 20. *in hanc speciem Psalmi patrocinabuntur, non quidem apostatæ, & hæretici, & Platonici Valentini, sed sanctissimi & receptissimi Prophetæ David*. Eis Apollinarius admiscuit virus suum: Qua arte etiam Nepos Chyliastarum dux, Paulus Samosatensis, Harmonius Bardesanis filius, Arius, & Martinus Lutherus multos seduxere.

Quintus tandem error fuerunt variæ, omnibus hæreticis solemnes, in Ecclesiam ac doctiores illius Episcopos calumniæ. Licèt namque Apollinarius cum Ario sentiret, se tamen de Georgio Laodicensi Episcopo vindicatum volens, Arianos hostilissimè insecutus est, non tantùm Divini filii, sed & Spiritus sancti consubstantialitatem apertissimè prædicans, dureque damnans dispensationem Sancti Basilii. Etiam duos filios à nobis dogmatizari mentitus est, atque ita plurimos simplices à nobis avulsit. Per ejus Constantinopoli discipulos motum populum, & ab illo tanquam Christi Domini divisorem hæreticum lapidatum Sanctum Gregorium Nazianzenum, scribit in hujus vita Gregorius Presbyter. Etiam in Paulinum Antiochenum Episcopum, L. 4. c. 2.
Diodorum Tharsensem, Sanctum Basilium, L. 3. c. 5.
Sanctumque Epiphanium fuisse variè debacchatum scribunt apud Facundum Hermianensem Episcopi orthodoxi exulantes Dio-Cæsaraæ. Et de ejus discipulo Timotheo ad eosdem Sanctos Confessores Petrus Alexandrinus Episcopus: *Consiliatoribus vobis in his, quæ occurrunt, utor. Quid oportet me facere sic semper perturbatum, Timotheo diffamante se Episcopum esse, ut per hoc confidentiùs injuriet, & paternas leges infringat? Voluit enim me anathematizare & Basilium Cæsareæ, & Paulinum, & Epiphanium, & Diodorum Episcopos, & soli Vitali communicare*. Eadem audacia primò seipsum, deinde à Flaviano Presbytero extrusus dictum Vitalem, Meletii Episcopi desertorem Presbyterum, intrusit in Antiochenam cathedram, & ex Sancti Basilii odio omnem Cappadociam, tanquam novus gentium Apostolus, Pseudo-Episcopis implevit, scribitque de illo ad Episcopos Occidentales Sanctus Basilius: *Apollinarius de incarnatione tantam movit fratribus perturbationem, ut pauci eorum, quibus colloquii non nihil cum illo intercessit, priscum pietatis characterem conservent, multi verò novationi attendentes ad quæstiones & contentiosas inutilium verborum hæreses aversi sint*. Tantùm valet perversæ mentis lingua diserta.

Error de incarnatione est ejus palmaris, quem præsertim damnat Synodus in suo Symbolo, ac de illo scribit ad Damasum Papam: *Nos doctrinam Dominicæ Incarnationis integram & perfectam tenemus, & neque dispensationem carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus, sed agnoscimus Verbum Dei ante sæcula omninò perfectum esse, & perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse*. Damnant tres Apollinaristici erroris classes, supra ex Augustino adductas, unaque admixtum errorem Arianum, damnata jam pridem à Sanctis Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Eusebio Vercellensi, variisque Synodis Occidentis & Orientis. Damnant item Marcellum & Photinum, de quibus Sanctus Cyrillus Alexandrinus in libro de fide ad Theodosium Augustum: *Dei Verbum anhypostaton, hoc est, evanidum & fluxum, cujusmodi illud est,* C. 6. 13.
quod

quod tunc solum est & intelligitur, dum ore profertur, *dicere audent*, adeoque ante sæcula non fuisse omninò perfectum.

Palmarem damnationis causam edicit Sanctus Athanasius in litteris synodalibus ad Ecclesiam Antiochenam: *Possibile non erat, ut Domino propter nos homini facto corpus sine mente existeret: Non enim corpori dumtaxat, sed & animæ quoque nostræ per ipsum verbum salus est conciliata*. In duobus hominibus, uno vitiatore, altero omnium Salvatore, fides Christiana fermè omnis consistit. Quomodo in Adamo peccante, seipsum contaminante & occidente, omnes peccavimus, sumusque contaminanti & mortui; ita in Christo Jesu per Deum Patrem justificato, à mortuis suscitato, in cœlos exaltato, & ad ejus dexteram collocato, omnes sumus justificati, resuscitati, cœlos adscendimus, & ad Dei dexteram cœpimus sedere: Non solùm tanquam in imitationis exemplo, sed tanquam in vera maleficii ac beneficii radice sui simile traducente. Quomodo in Adamo non cuncti possibiles, sed soli ipsi tanquam naturæ fonti per Deum implantati, ac ex ipso nasciturі homines peccavere: ita in Christo sunt reparati soli illi, de quibus ipse apud Evangelistam Joannem, *Quos dedit mihi Pater, non perdidi ex eis quemquam*. Et quidem illi Pater quosdam ad solum Baptismi characterem, quosdam ad solam fidem, quosdam ad solam temporalem justitiam, quosdam dedit ad beatam sine fine vitam. Quomodo aliud est in Adamo peccasse, aliud ex ipso peccatum contrahere; ita aliud est in Christo fuisse justificatum aut glorificatum, aliud ex ipso justitiam aut gloriam accipere. Quomodo ille sola sibi à semetipso inflicta vitia, ita hic sola traducit dona sibi à Patre infixa, uti solet radix naturalis. *Originem*, inquit Sanctus Leo, *quam sumpsit Christus ex utero Virginis, posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit, ut regeneret unda credentem*. Et hinc nostræ reparandæ justitiæ radix esse debuit Deus & homo. Purus homo traducere, purus Deus illam traducendam nequibat in se habere. Adversùs Eutychianistas rectè ad Zenonem Augustum scribit Simplicius
Epist. 4. Pontifex: *Ne Christianus quidem valet nuncupari, quisquis in Christo redemptionis suæ causas evidenter non agnoscit*. Quisquis in ipso non agnoscit corpus, animam, mentem, eorumque omnium quasvis facultates & operationes, *integrum*, uti ad Paulinum Antiochenum Episcopum scribit Damasus Pontifex, *Adam, totum veterem nostrum sine peccato hominem*, ex quo, tanquam radice, fonte, capite, sanantis novitatis dona, in nos, tanquam ramos, rivos, membra, assumens Deus per aquam suo Spiritu fœcundatam transfundit. Quod è natura nostra Deus verbum in suam personam non adsumpsit, in semetipso non sanavit, adeoque ejus sanitatem nequit ex semetipso in nos via propaginis derivare. Hinc ergò Apollinaris Deo Verbo negans humanam carnem, animam, aut mentem, hujus aut illius sanitatem evertit, nos partim sub peccato, partim sub gratia ponit, atque ita exufflat omnem fructum Sacramenti Dominicæ Incarnationis. Hæc est antiqua, firmissimè imprimenda, Apostoli Theologia, qua omnes Latini & Græci Ecclesiæ Patres cunctas Christum dividentes, confundentes aut mutilantes hæreses quovis tempore expugnarunt.

Apud Sanctum Bernardum exstat Innocentii secundi ad Senonensis & Rhemensis Provinciæ Episcopos Epistola dicens in Nicæna Arium, in Constantinopolitana Manichæum, in Ephesina Nestorium, in Chalcedonensi Synodo Epist. 191. damnatum denuò Nestorium & Eutychetem. Pro Manichæo legendum credo Macedonium: Hac enim in Synodo nihil actum de Manichæo.

Addit incogniti auctoris apud Christophorum Justellum libellus synodicus: *Hæc sancta Synodus Eusebium & Theognium Bythinios, Patrophilum & Ætium Palæstinos, Paulinum & Gregorium Phœnices, Theodorum & Georgium Cilices, Narcissum, Athanasium, Menosantum Ephesi, Theodorum Perinthi, Marcellum Ancyræ, & Apollinarium, & Maximum item deposuit, electionem ejus planè irritam decernens*. Miscet vera falsis: Plerique enim illi Ariani Episcopi, non hìc, sed Nicææ aut Sardicæ fuere damnati. De hujus Synodi fructu legenda est Sancti Ambrosii ad Dominum Jesum Christum Apostrophe in Præfatione librorum de Spiritu sancto.

CAPUT TERTIUM.

Acta Synodi de variis personis.

POst stabilitam fidem agitari ante omnia cœpit quæstio de Episcopatu Constantinopolitano inter Sanctum Gregorium Nazianzenum & Maximum Cynicum, de quo in sexta Actione Synodi octavæ dixit Elias Presbyter, ac Theodosii Patriarchæ Hierosolymitani Legatus & Syncellus: *In secunda sancta & universali Synodo Maximus quidam Cynicus, & omnis ejus manus impositio repulsa est, qui autem promovit eum ad Præsulatum, dejectus non est à sorte sua, Timotheus videlicet Alexandrinorum Provinciæ Episcopus. Non solùm autem ipse minimè est repulsus, sed nec quisquam Episcoporum Timothei, qui pariter inventi, & in Maximi ordinationem & provectionem cooperati sunt, damnatus est, quin potiùs honores & præmia meruerunt: Quoniam Timotheus primus factus est prædictæ Synodi Præsidens, utpotè Alexandriæ Patriarcha, & unà cum Episcopis, qui secum erant, provexit Nectarium Constantinopoleos Patriarcham*.

Ita Synodo suadet damnandum solum Photium, non ejus electores aut consecratores, utpotè qui Principis laici violentia compulsi deliquerint, adeoque Timotheo spontaneè prævaricato sint longè justiores. Nec penitus errat Timotheum fuisse Synodi Præsidem: Nempe à cessione Gregorii usque ad Nectarii intronizationem. Eo tempore medio, quòd Romanus etiam per Legatos abesset, & sedes Constantinopolitana vacaret, erat primus Synodi

Epi-

Episcopus, ideoque jure suo Præses. Errat tamen Elias, & cum ipso Theodoretus, Maximum promotum à Timotheo: Sanctus namque Gregorius in carmine de vita sua disertè scribit designatum à Petro, Timothei Præcessore, & ab ejus Episcopis frumenta consueta ad Regiam urbem deducentibus ordinatum. Hi omninò, Petrus præsertim, merebantur damnationem, abjectionemque ad laicos: At de mortuo in Ecclesiæ pace, & jam judicato à Deo, noluit Synodus judicare.

Ab omnibus itaque synodaliter damnata est ordinatio Maximi, ac Episcopatus Gregorio confirmatus, agente præsertim Meletio Patriarcha Antiocheno, apud Theodosium Augustum, ob prædictum imperium, summæ auctoritatis, tantæque sanctitatis, ut ejus à Valente Augusto ob fidem catholicam relegati effigiem suis annulis, poculis, lectis, portis, parietibus, nomen verò cunctis passim nascentibus imponerent Antiocheni, ita sese, uti in illius Panegyri scribit Sanctus Joannes Crysostomus, de ejus absentia consolantes. Ei adversùs Paulinum semper adhæserant Gregorius & Basilius, ideoque vicem ille reddens, à Basilio inchoatum Gregorii Episcopatum constanter in Synodo defendit.

At ejus mors turbavit omnia, quam solemnissimis exequiis & pomposa ad Ecclesiam Antiochenam translatione Augustus Theodosius, orationibus encomiasticis honorarunt Sanctus Amphylochius Iconiensis Episcopus, & Sanctus Gregorius Nyssenus, inchoans: *Auxit nobis numerum Apostolorum novus Apostolus, coaptatus in ordinem Apostolorum*. Hinc agi cœptum de eligendo successore. Nazianzenus nullum eligendum censuit, sed plenum Episcopatum confirmandum Paulino, Ecclesiæ istius dissidia tandem exstinguenda, faciendumque satis toties jam repetitis mandatis Ecclesiæ Romanæ. At supra memorati fœdi illi, ab Eusebianis promoti, Episcopi constantissimè voluerunt Paulinum à Latinis ordinatum abjici, tanquam opprobrium Ecclesiæ Orientalis, apud quam natus Christus Dominus, ideoque Romana, de Petro & Paulo Apostolis glorianti, quoad nihil inferioris. Resumpsere jam pridem damnatas nugas Conventiculi Philippopolitani, atque ita gravissimè offensus Gregorius, non tantùm Synodo, sed & domo Episcopali excessit, ostendens se ejusmodi in Sancti Petri Privilegia injuriis neutiquam communicare, nec talia blaterantibus velle esse collegam.

Perstitere illi, feceruntque, quod scribunt ad Damasum Pontificem: *Ecclesiæ vetustissimæ, & verè Apostolicæ Antiochiæ reverendissimum & Deo dilectissimum Flavianum Episcopi illius Provinciæ & Diœceseos Orientalis in unum convenientes, tota illa Ecclesia, uti Canon postulat, suffragante, & velut uno ore virum honorificè collaudante, Episcopum ordinarunt. Quæ quidem ordinatio communi concilii consensu approbata est*. Ita non erubuerunt palam imponere. Etenim Ægyptios, Arabes, & Cyprios Romanæ Ecclesiæ & Paulino constanter fuisse fidos,
L.5.c.8. testantur Socrates & Zozomenus. Errat Socrates Episcopatum Antiochenum à Synodo confirmatum Meletio. Quousque adfuit & præfuit Gregorius, Romanos offendere Synodus nolens reliquit indecisam quæstionem, uti liquet ex Canone quinto, pacta inter Paulinum & Meletium inita aut concepta volens custodita.

Cum suis interim Ægyptiis ac quibusdam Macedoniæ Episcopis advenit Timotheus Patriarcha Alexandrinus, & Flaviani promotionem & Gregorii confirmationem acriter impugnans, offensusque Gregorio ob tertium Canonem, quo Ecclesiæ Alexandrinæ Privilegium transcriptum fuerat in Constantinopolitanam. In Flaviano non tantummodo Paulinum, aut suam Alexandrinam ac omnem Ægyptiam, sed & ipsam Romanam ac omnem Occidentalem Ecclesiam, quæ Paulino semper communicarant, dixit injuria affectas; Gregorio autem, licèt Maximi Cynici dejectionem probaret, ab antecessore tamen & fratre suo Petro discordare nolens, objecit Nicænum & Sardicensem de Episcoporum translatione Canonem, aliudque non reposuit Gregorius, quàm illum non esse in usu Ecclesiæ Orientalis. Responsum sanè Gregorio non plenè dignum. Adversùs Flavianum Gregorius, Arabes, Cyprii, & Macedones, adversùs Gregorium omnes Eusebianam lepram olentes Episcopi adhæserunt Timotheo, atque ita omnes variè divisi cœperunt more parùm Episcopali ac synodali turpiter mente & ore digladiari. Hinc sui causa scindi Ecclesiam nolens optimus Gregorius, non dumtaxat Constantinopolitanum, sed &, in quem regredi poterat, Nazianzenum Episcopatum sponte cessit, abiitque in Cappadociam, ad litigantium Synodos deinceps non reversurus. Quò alii tranquillè viverent, tanquam novus Jonas seipsum non in mare, sed in contemplativæ solitudinis tutissimum portum retraxit, in pagi Arianzeni paterno rure vitam monachi acturus, ut in catalogo scribit Sanctus Hieronymus.

Hinc novi motus de Regiæ civitatis Episcopatu, appetito à multis. Accepit tandem Nectarius, nobilis Tharsensis, Theodosio Augusto ab Episcopo suo Diodoro commendatus, de quo ad Damasum Pontificem litteræ synodales: *Ecclesiæ Constantinopolitanæ, recens, ut ita dicam, ædificatæ, quamque ex hæreticorum blasphemia, tanquam ex ore leonis, per misericordiam Dei nuper eripuimus, reverendissimum, Deoque dilectissimum Nectarium in Concilio generali, communi omnium consensu, præsente Theodosio Imperatore religiosissimo, totius denique Cleri, totiusque civitatis suffragiis, Episcopum constituimus*. Solus Gregorius Nazianzenus Ecclesiam Constantinopolitanam eripueret ex Arianorum faucibus, & quasi novam plantarat, cui certè hanc cum Episcopatu laudem non oportuit subreptam.

Huc respicit Sanctus Ambrosius, de seipso ex Neophyto in Episcopum electo scribens ad Ecclesiam Vercellensem: *Ordinationem meam Episcopi Occidentales judicio, Orientales etiam exemplo probarunt*. Nam & Nectarius fuit è catechumeno electus, ideoque illi à laudato Diodoro datus Cyriacus, Adanorum Episcopus, Epist.25.

eum

eum in Episcopali officio eruditurus. Eadem
Epist. 6. via suam è laico promotionem justificare conatus est Photius, respondit verò Nicolaus primus Pontifex, Ambrosium, non instinctu hominum, sed divina vocatione per miraculorum prodigia electum, Nectarium verò ob magnam necessitatem, *eò quòd in sancta Constantinopolitana Ecclesia nullus Clericorum reperiri poterat, qui pessimæ hæreseos nimbosa caligine non foret impe-*
Epist. 5. *ditus*. In litteris ad Michaelem Augustum, factum id ait à secunda Synodo fulta per Sedis Apostolicæ auctoritatem, id est, subsecutam dispensatoriam confirmationem.

De qua quidquid sit, Romanæ ac toti Occidentali Ecclesiæ displicuit gravissimè Flaviani promotio, utpotè facta ad Paulini injuriam, & novas miserias Antiochenæ Ecclesiæ, to-
L. 7. c. 11. tiusque Orientis. Nam & hanc ipsam Synodum graviter fuisse scissam scribit Zozomenus, adeo ut exulceratis animis, nullaque ad Romanam Ecclesiam facta relatione, ab invicem Episcopi discesserint. Hoc ipso anno facta Synodus Aquileensis Gratiano, Valentiniano, ac Theodosio Augustis gratulatur de confirmata per hanc Synodum Nicæna fide, ejectisque per leges imperiales hæreticis de Basilicis; graviter verò dolet crebras inter ipsos catholicos Episcopos dissensiones & impacatas discordias, nec non Timotheo Alexandrino Episcopo, ac Paulino Antiocheno, antiquis amicis & communionis sociis, inlatam injuriam: Paulino promoti Flaviani, Timotheo injuriam tertii Canonis, contra sextum Nicænum & Apostolicum humiliantis Ecclesiam Alexandrinam. Duriora haud dubiè scripsit Damasus Pontifex, atque ita factum est, quod refert Zozo-
L. 7. c. 11. menus: *Ut de hisce rebus cognosceretur, scripsere tum Damasus Pontifex, tum Gratianus Imperator, in Occidentem convocantes Episcopos Orientales*. Omnem Synodum, factorum rationes reddituram, nec non & ipsum cum Flaviano Paulinum, uti disertè testatur Flaviani Encomiastes Theodoretus, Romam ad suam Synodum Damasus evocavit, idque in annum proximè sequentem.

L. 257. Addit tandem apud Photium in Bibliotheca Auctor incognitus causam Sancti Pauli, Episcopi Constantinopolitani, ab Eusebianorum calumniis absoluti per Synodum Sardicensem, & per eosdem Eusebianos apud Cappadociæ Cucusum strangulati, fuisse denuò probatam, ejusque corpus gloriosè translatum Constantinopolim, adeo ut omnis Synodus obviam illi processerit usque Chalcedonem: Idque cum pomposo lumine & cantu, quibus Sanctorum reliquias Ecclesia semper honoravit. Conditum in Ecclesia Pacis, per Macedonium Hæresiarcham ac ejus persecutorem exstructa, quæ indè Sancti Pauli dici cœperit, ac Sancti Pau-
L. 7. c. 10. li Apostoli ab errante plebe existimetur, scribit Hermias Zozomenus.

CAPUT QUARTUM.

De Canonibus & auctoritate hujus Synodi.

PRima quæstio est, an Synodus hæc ediderit septem Canones? Ratio dubitandi est Dionysii Exigui ac Symeonis Logothetæ auctoritas, quorum prior solos tres, posterior solos sex codici suo inscripsit. Et apud Gratianum ex Cardinali Anselmo legimus de hujus Synodi Episcopis: *Condemnata Macedonii hæresi, statuerunt Canones tres, quorum maximè auctor fuit* Dist. 16. c. 10. *Nectarius Episcopus Constantinopolitanus*.

Quod ipsum in Annalibus habet Hermannus A. 381. Contractus. Et ipsa Synodus, Damaso Pontifici referens acta sua distinctè omnia, refert solum primum Canonem de confirmata Nicæna fide, & secundum de administrationibus seu hierarchicis Privilegiis Ecclesiarum. Respondeo tamen esse septem. Etenim ipsa Synodus Theodosio Augusto refert se non tantùm de fide statuisse, sed & varios edidisse Canones ad rectè ordinandum Ecclesiæ statum & disciplinam. Singulos nostros septem habent Photius in Nomo-Canone, Arsenius monachus in synopsi Canonum, Alexius Aristinus, ac præsertim Codex Canonum Ecclesiæ universæ, lectus & probatus in Synodo Chalcedonensi. Et Nicolaus primus Pontifex, in litteris ad Michaelem Augustum, adducit Canonem sextum.

Symeon Logotheta, nescio qua de causa, septimum, Dionysius Exiguus tres posteriores omittit, sciens à Romana, in qua degebat Ecclesia improbari. Eumque & Cardinalis Anselmus, & Hermannus Contractus sequuntur. Eadem de causa Synodus solos duos Damaso Pontifici retulit: Increpata enim retulit irato, ideoque prudentissimè tacuit ea omnia, ex quibus norat acriùs irritandum. Et quatuor priores à se adductos Dionysius Exiguus contrahit ad tres, quomodo Alexius Aristinus ex septem facit octo, septimo diviso in duos. Porrò Canonum horum præcipuum auctorem fuisse Nectarium, est error manifestus. Certum est conditos sub Gregorio Nazianzeno ante Timothei Alexandrini adventum & Nectarii Episcopalem provectionem.

Secunda quæstio est, an tertius Canon de Sedis Constantinopolitanæ secundo in Ecclesia loco sit reverà editus ab hac Synodo? Quidam omninò negant, quidam fatentur editum, at in secundo sequentis anni conventu à paucis Episcopis, adversùs Romanam evocationem auxilia quærentibus, atque ita hoc adulante Canone ementibus Nectarii Episcopi & per ipsum Theodosii Augusti favorem. Etenim primus Synodi conventus, dicto Principi acta sua referens, nullam ejus Canonis facit memoriam. Et Anatolius Constantinopolitanus Episcopus Epist. 55. ad Leonem Pontificem statim à Synodo Chalcedonensi, id est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo primo, scripsit Canonem hunc editum ab annis sexaginta; & anno sequenti, Herculano Consule, ad Pulcheriam Augustam ipse Sanctus Leo esse annos ferè se-

xaginta, adeoque, editus esse non potest à Synodi primo conventu, à quo usque ad Marciani Augusti, & Clodii Adelphii, sub quibus facta Chalcedonensis Synodus, sunt septuaginta, ad Herculani verò & Asparati, sub quibus scripsit Sanctus Leo, Consulatum sunt anni septuaginta & unus. Et Codex Canonum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ex quo in Synodo Chalcedonensi fuit recitatus tertius Canon, sic habet: *Hæc constituerunt Episcopi, qui in Constantinopoli in Dei gratia convenerunt ex diversis Provinciis, secundùm evocationem Dei amantissimi Principis Theodosii, sub Nectario Episcopo Constantinopolitano.* At verò Nectarius non præsedit, nisi secundo conventui.

Respondeo tamen Canonem omninò editum à plena hac Synodo. Etenim jam supra à Chalcedonensi & sexta Synodo audivimus Concilio huic priùs Gregorium Nazianzenum, deinde Nectarium præsedisse, quod de seipso disertè scribit in carmine de vita sua ipse etiam Gregorius: Præsedisse autem non potuit, nisi hujus Canonis vigore tanquam secundus Ecclesiæ Episcopus, adeoque Romano etiam per Legatos absente primus. Et Aquilejensis, hoc ipso anno ante secundum conventum facta, Synodus non queritur tantùm Paulino Antiocheno Episcopo, sed & Timotheo Alexandrino factam injuriam: utique per hunc Canonem, conditum ipso absente. Eundem omninò attendit in oratione de Episcopis, hujus Synodi increpatoria, Gregorius Nazianzenus: *Valete, insolentes estote, Patriarchatus per sortes inter vos distribuite, magnus hic vobis mundus cedat, de locis aliis in alia migrate, hos dejicite, illos attollite. Nimirum hæc jucunda sunt vobis: Pergite.* Vetusti omnes Canonum collectores & codices, etiam Dionysius Exiguus & codex Ecclesiæ universæ, eum agnoscunt ut verum Synodi fœtum: Agnoverunt & in Synodo Chalcedonensi Legati Sedis Apostolicæ, ac post illam ipse Sanctus Leo Pontifex, utpotè eum arguens non de suppositione, sed de solo defectu Romanæ relationis & confirmationis. Antiqua omnium horum septem Canonum Epigraphe, quam relationi ad Principem creditur ipsa Synodus adposuisse, sic habet: *Hæc decreverunt & statuerunt Episcopi, qui Gratia Dei ex diversis Provinciis Constantinopoli convenerunt, vocati à Theodosio gloriosissimo Imperatore.* Secundus sequentis anni conventus, in relatione ad Damasum Pontificem, disertè fatetur se non esse generalem Synodum, recteque scribit Facundus Hermianensis: *Novos constituere Canones non licet, nisi multis & in unum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus.* L.12.c.3. Quòd paucorum ille Episcoporum conventus Damasum Pontificem, quem offensum norat & omni studio placare sategit, hujus Canonis attentato magis irritare præsumpserit, nequaquam est simile vero.

Nec obsunt argumenta in contrarium. Ad primum dico Canonem in synodali ad Theodosium Relatione fuisse omninò expressum hisce verbis: *Certos Canones statuimus, quæ omnia huic nostro scripto subjecimus.* Quin immò nec secundus conventus apud Damasum Pontificem de illo plenè tacuit. Etenim Nectarium Constantinopolitanum Episcopum etiam Flaviano Antiocheno præponit, utique ex præscripto hujus Canonis.

Ad secundum nescio aliud, quàm numeros esse vitiatos, & pro *sexaginta* legendum *septuaginta*. Haud credo me loqui sine fundamento. Etenim non de solo hoc ipso, sed de cunctis septem hujus Synodi Canonibus dixit in sexta decima Actione Chalcedonensis Synodi Lucentius Esculanus Episcopus, ac Sancti Leonis Papæ Legatus, adversùm Episcopatus Constantinopolitani exaltatores: *In synodicis Canonibus non habentur, quæ dicunt ante octuaginta prope annos constituta fuisse.* Quem numerum etiam existimo vitiatum. Nam ab Eucherio & Evagrio, sub quibus nostra Constantinopolitana, usque ad Marcianum Augustum Consulem, sub quo facta Synodus Chalcedonensis, sunt præcisè anni septuaginta, qui verè dici nequeant ferè octuaginta.

Ad tertium responderi posset adductam Epigraphen non esse authenticam: Est enim illa ipsa, quam actis ad Principem relatis ab ipsa Synodo jam dixi appositam, & cui quis Episcopatus Constantinopolitani ac ipsius Nectarii palpo Græcus adjunxerit voces, *Sub Nectario Episcopo Constantinopolitano.* Fateor tamen & Nectarium præsedisse, nempe post Gregorii abdicationem spontaneam statim à sua inthronizatione: Nihilominus non sub ipso conditus est Canon, sed sub Gregorio, quem ejus vigore præsedisse jam item dixi. Verùm semper Græci, agentes de hac Synodo, maluerunt Nectarium, quàm Gregorium laudare, undè & ille, qui Synodi subscriptiones aut finxit aut variè vitiavit, Nectarium ut Præsidem, Gregorium adscribit ut Episcopum dumtaxat Nazianzenum; Et Meletium ut Episcopum Antiochenum, quo vivo constat non Nectarium, sed Gregorium fuisse Præsidem & Episcopum Constantinopolitanum.

Tertia quæstio est, an hujus Synodi Symbolum, sit per Sedem Apostolicam confirmatum? Pro parte negativa facit decretum Synodi Sardicensis, relatum à Sancto Athanasio in litteris synodalibus ad Ecclesiam Antiochenam, & sanciens nihil ulteriùs de fide scribi, cunctos deinceps esse contentos fide Nicæna, utpotè plenè integra, neque edendum aliud Symbolum, *ne illis, quibus libido est semper nova statuere, occasio suppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide definiant.* At verò hoc Symbolum Nicæno plura addidit, adeoque à Romana Ecclesia, Sardicensium Canonum tenacissima, non potest fuisse confirmatum.

Hinc adversùs ejus additamenta in Synodo Chalcedonensi clamarunt Episcopi Ægyptii: Act. 1. *Nemo suscipit adjectionem, nemo diminutionem: Quæ in Nicæa constituta sunt, teneant. Catholicus Imperator hoc jussit.* Et iterum: *Adjectionem nullus suscipit: Teneant, quæ Patrum sunt; teneant, quæ in Nicæa constituta sunt; teneant, quæ de Spiritu sancto sunt. Catholicus Imperator hoc jussit.* Ex solo, quomodo per Divales ad Synodum litteras Augustus Marcianus jusserat, Nicæno Symbolo volunt definiri de Eutychetis quæstionibus, nequaquam ex Constantinopolitano,

utpotè

utpotè quod addiderit, quòd Sardicense decretum spreverit, adeoque nullius sit auctoritatis. Hi ipsi Episcopi in litteris post Synodum Chalcedonensem exstantibus scribunt ad Leonem

Epist. 14. Augustum: *Suggerimus nos trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum, qui in Nicæna civitate collecti, & per sanctum Spiritum sunt locuti, Symbolum atque fidem tenere & custodire, & neque augmentum aliquod, nec imminutionem recipere. Ea namque, quæ à sancto Spiritu dicta atque conscripta sunt, fas non est aliquo modo retractari, nec augmentum aliquod, nec imminutionem eis inferre.* Et infrà: *Quia vestra Pietas imperavit, quemadmodum de Synodis sapiamus, nostram sententiam facimus manifestam, quoniam communicat Ecclesia Synodis in Epheso celebratis, Synodum verò centum quinquaginta nescimus.* Hi sunt Episcopi, de

F. 751. quibus in Florentinæ Synodi adversùs Marci Ephesii calumnias apologia scribit Josephus Episcopus Methonensis: *De Synodo centum quinquaginta Patrum Ægyptii quidam, ne si facta quidem fuerit, scire voluerunt.*

Addit idem Josephus Symboli additamentum, *Filioque*, factum post hanc Synodum à Damaso

F. 677. Pontifice, probatque historica auctoritate Georgii Aristini: Ergò præsens Symbolum à Damaso non confirmatum fuit, sed correctum.

Præterea liber Pontificalis ait de Hilaro Papa: *Confirmavit tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem.* Etiam ejus successor

Epist. 5. Simplicius in litteris ad Acacium Episcopum

Epist. 2. Constantinopolitanum, Felix tertius ad Zenonem Augustum, ac ejus secunda Synodus in litteris ad Bythiniæ & civitatis Constantinopolitanæ Clerum, prædicant solas, ut à Sede Romana probatas, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem.

L. 6. Epist. 31. Accedit Gregorius magnus in litteris ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Patriarcham Antiochenum: *Romana Ecclesia Canones illius Synodi non accipit, in hoc autem eandem Synodum accipit, quod est per eam contra Macedonium definitum: Reliquas verò hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat.* At verò ejus Synodi Symbolum non tantummodo contra Macedonium, sed & contra Apollinarium varia definit: Pro hac igitur parte acceptum tunc non fuit ab Ecclesia Romana.

Respondeo tamen ipsum totum fuisse à Damaso Pontifice & omni semper etiam latina Ec-

Act. 4. clesia approbatum. Etenim in Synodo Chalcedonensi Sedis Apostolicæ Legati tomum Sancti Leonis Papæ definivere orthodoxum, atque adversùm Eutychianistas ab omnibus recipiendum, quòd esset conformis Symbolo Nicæno & Constantinopolitano, nec non & litteris Sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi, factisque per ipsum decretis Ephesinis. Eamque definitionem plena Synodus confirmavit. Addit in fidei decreto, per Sanctum Leonem quoad omnia con-

Act. 5. firmato: *Inenarrabilem Patrum renovavimus fidem, Symbolum trecentorum decem & octo omnibus prædicantes. Et eos, qui hanc veluti tesseram pietatis acceperunt, ut proprios Patres etiam adscribimus, eos nimirum, qui postea in magna Constantinopoli congregati sunt centum & quinquaginta, & eandem fidem ipsi quoque confirmarunt.* Et infrà: *Decernimus servari & ea, quæ apud Constantinopolim à sanctissimis centum quinquaginta Patribus decreta sunt ad expellendas quidem hæreses, quæ eo tempore germinaverant, & ad confirmationem ejusdem catholicæ & Apostolicæ nostræ fidei.* Et Pergamius, Antiochiæ Episcopus ac Pisidiæ Metropolita, in litteris synodalibus ad Leonem Augustum, exstantibus post Synodum Chalcedonensem, laudat & profitetur, non tantummodo

Nicænos, sed & *Sanctissimos centum quinquaginta Patres, qui infirmitati languoris Macedonii, sancti Spiritus Divinitatem negantis, salutaris auxilii medicinam obtulerunt, apertè firmitatem rectæ fidei docentes, & Divinitatem unitatis inseparabiliter adorandam.* Voces, *Apertè docentes*, tangunt supra expositam dispensationem Sancti Basilii. Epist. 41.

Felix tertius in litteris ad Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum, & Zenonem Augustum, excogitatum à dicto Petro Trisagii additamentum damnat, quòd repugnet Synodis Nicænæ & Constantinopolitanæ: Nempe secundo Symboli Constantinopolitani articulo, uti scribit Antheon Episcopus Arsenoites. Gelasius Pontifex, in Romana Synodo authenticas Scripturas enumerans, post Canonicas adducit & Synodum hanc, tanquam Regulam Ecclesiæ Romanæ. Pœnitentiæ libellus, quem Græcis ex Acaciano schismate redituris præscripsit Hormisda Pontifex, inter cætera profitebatur quatuor Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, & Chalcedonensem, earumque acta, *de confirmatione fidei*. Easdem eodem modo in quinta Synodo per Romanam Ecclesiam probata professi sunt Episcopi omnes: *Suscipio sanctas quatuor Synodos, & quæ ab ipsis de una eademque fide definita sunt.* Justinianum Augustum, quòd quatuor prima Concilia, tanquam plenè quoad fidem authentica, jusserit sacris Ecclesiæ tabulis inseri, & ad sacrosancta nostra mysteria recitari, plurimùm laudavit Romana Ecclesia, assiduaque Sancti Gregorii magni vox est, *Quatuor prima Concilia veneramur, tanquam quatuor Dei Evangelia*: Eorum verò secundum est hocce nostrum. Eam non primus ipse protulit, sed à cunctis suis post Damasum antecessoribus accepit, confirmavit in Synodo Lateranensi Martinus primus, in sermone ad Principem acclamatorio sexta Synodus, ac semper Ecclesia universa. Nam & Romani Pontificis antiqua professio, ex Romanæ Ecclesiæ Diurno relata per Gratianum, spondet *octo generalia Concilia usque ad unum apicem immutilata servare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt & statuerunt, modis omnibus sequi & prædicare, quæque condemnaverunt, ore & corde condemnare.* Dist. 16. c. 8.

Ad primum pro adversa parte argumentum fateor à Synodo Sardicensi vetitum Nicæni Symboli additamentum, attamen non quodvis, sed quale continebant tabellæ per quosdam istic Episcopos propositæ, & à Synodo reprobatæ, de quibus, reprobatas tamen ignorans,

Hermias Zozomenus: *Ediderunt* Patres Sardi- L. 3. c. 11.
censes *aliam fidei formulam, pluribus quidem verbis scriptam, quàm quæ in Concilio Nicæno*

edita fuisset, sed tamen eandem complectentem sententiam, & verbis non multum ab illa discrepantem. Istæ, inquam, tabellæ erant non idem auctius, sed aliud prolixius ac penitus novum fidei Symbolum: Et hocce solum additamenti genus proscripsit Sardicensis Synodus, volens Nicæni Symboli voces, utpotè divinitùs inspiratas, esse sacrosanctas, à nulla Synodo quasi insufficientes deseri, atque Eusebianorum, nova quotidie Symbola abortientium, temeritatem nullo à nobis firmari exemplo. *Nicæna Synodus*, inquit in Heronis encomio Gregorius Nazianzenus, *certis finibus & verbis Divinitatis doctrinam circumscripsit*. Post plurimos humanæ diligentiæ labores apta tandem ad nodosissimos Arianæ perfidiæ & versutiæ dolos circumscribendos vocabula Synodo inspiravit Deus, ideoque jure merito ea à nemine deseri sanxit Synodus Sardicensis. At verò hæc nostra illis plenè retentis quædam dumtaxat nova infixit adversùm novos Macedonii & Apollinarii errores, quod omninò licuisse asseruit in Synodo Chalcedonensi Diogenes Episcopus Cyzicenus. Act. 1. Quod ipsum in supra adducto fidei decreto laudata Synodus confirmat. Novarum vocum adversùs novos errores additamenta primus interdixit Canon Ephesinus, uti in Florentina Synodo & Latini & Græci fuerunt ore uno professi.

Ad secundùm respondeo Episcopos illos & in Synodo Chalcedonensi clamantes, & post illam scribentes ad Leonem Augustum, fuisse nequissimos ac turbulentissimos Eutychianistas, quorum aut propriis calcibus, aut certè consiliis barbaricè periit Sanctus Flavianus Constantinopolitanus Episcopus, ac in ipso etiam gentilibus sacrosancto baptisterio Sanctus Proterius Alexandrinus, post mortem exustus in cineres, sparsusque in ventos. Profitentur enim sese communicare Synodis in Epheso factis: id est, non soli vero Ephesino Concilio, sed & Ephesino latrocinio, in quo laudatus Flavianus, novus Abel, Episcopus ab Episcopo, tanquam à fratre frater, fuit trucidatus. Adversùm illos in Synodo Chalcedonensi clamaverunt Orientales Episcopi orthodoxi: *Hæc Eutyches dixit*. Eutyches enim in sua Ephesino latrocinio exhibita fide solam Nicænam & Ephesinam Synodum professus fuerat, Constantinopolitana penitus omissa. Hinc in ipsum ad Synodum Chalcedonensem dixit supra laudatus Episcopus Act. 1. Cyzicenus: *Dolosè præposuit Synodum sanctorum Patrum, quæ in Nicæa facta est. Accepit namque additamenta à sanctis Patribus propter perversum intellectum Apollinarii, & Valentini, & Macedonii, & qui eis similes sunt. Et additum est in Symbolo sanctorum Patrum:* QUI DESCENDIT, ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE. *Hoc namque prætermisit Eutyches, sicut Apollinarista. Nam etiam Apollinaris suscipit sanctam Synodum, quæ in Nicæa facta est, secundùm propriam perversitatem intelligens*. Rectè ad Leonem Augustum in laudatis synodalibus litteris scribit Seleucus, Episcopus Amasenus & Metropolita Helenoponti: *Novimus, quia omnes hæretici sanctas Synodos, eorum malas sectas destruentes, accusant*. Epist. 53. Hac ergo de causa Eutychianistæ non solam Chalcedonensem, sed & hanc nostram Synodum semper fuerunt detestati, accusantes de additamento, proclamantesque ad solius Nicænæ Symbolum, quod solam præsertim Filii Divinitatem, non ejus incarnati Sacramentum certis finibus & verbis circumscripserat, adeoque istorum expositionibus dolosis faciliùs patebat. Hinc adversùm eos scribit ad Leonem Augustum Evoprius Cyzici Episcopus, ac Metropolita Hellesponti: *Dixerunt sanctam quidem Synodum in Nicæa factam se suscipere, & secundùm eorum expositionem credere; centum quinquaginta verò Reverendissimorum Episcoporum Concilium penitus ignorare. Undè hujusmodi sensus ostendit, quòd contrarii cultores sint sanctorum Episcoporum, qui in toto orbe consistunt. Nam si Concilium contra hæreses respuunt, quale est & sub Nectario sanctæ memoriæ in maxima civitate Regia ex diversis Provinciis congregatum, palam est, quoniam illas hæreses prohibere nolint, sed eas potiùs amplectantur, quas sanctissimi Patres hæc piè constituentes anathemati subdiderunt*. Epist. 47. Dici ergo possit de hoc nostro Symbolo, quod de Sancto Augustino Sanctus Hieronymus: *Catholici te conditorem antiquæ rursùm fidei venerantur, &, quod signum majoris gloriæ est, hæretici detestantur*. Epist. 25.

Ad tertium respondeo falli & Gregorium Aristinum & Josephum Methonensem. Ejusmodi correctionis nemo antiquus meminit. Pro ejus, inquam, additamenri antiquitate admodùm laboravit in Florentina Synodo D. Cardinalis Julianus, ejus tamen primam originem adscribere nescit, nisi Synodo septimæ, cujus protulit vetustissimum codicem habentem in Symbolo per ipsam probato: *Qui ex Patre Filioque procedit*. Etiam Francorum Episcopi, dum Caroli magni tempore vocem *Filioque* addidere, ignorarunt factum istud Damasi: Ignoravit & Ecclesia Romana. Ejus sanè Damaso nulla fuit necessitas, nulla occasio: Primus namque de Spiritus sancti ex Patre & Filio processione disputator & Erro fuit dudum posterior Nestorius, aut ejus fautor Theodoretus, ut in Florentina Synodo rectè dixit Andreas Sess. 7. Metropolita Rhodiorum. Errorem continent & hæc verba Methonensis: *Dogma hoc non est novum, cùm usque à secunda Synodo sit, & cantetur in Romana Ecclesia*. Quo enim istic tempore Symbolum Constantinopolitanum, & quidem sine additamento, cantari cœperit, dixi suprà in notis ad Symbolum Nicænum.

Ad quartum respondeo à libro Pontificali & adductis Romanis Pontificibus quidem non exprimi, attamen non prætermitti hanc nostram Synodum, utpotè intellectam sub Nicæna. Quis nesciat aliud esse Nicænum Symbolum, aliud Constantinopolitanum? Utrumque tamen pro eodem habet Ecclesia, & qui Constantinopolitanum ad mysteria utimus, uti nos dicimus Nicæno. Causam dat in Synodo Florentina Marcus Ephesius: *Statutum fuit ab* Ephesinæ Synodi *Patribus, nulli deinceps patere licentiam immutandi quovis modo Symbolum Nicænum, quod idem est dicere ac Constantinopolitanum: virtute enim continetur in illo, amboque pro uno sunt habita, ut postea planum fiet*. Nervosè ostendit

dit etiam à Synodo Chalcedonensi & omni Ecclesia utrumque Symbolum pro uno habitum, & Constantinopolitanum passim appellari Nicænum. Quæ ejus dicta Latini fuerunt libentissimè amplexi. Etiam Marcianus Augustus in Divalibus ad Synodum Chalcedonensem litteris per Nicænum intellexit Constantinopolitanum, atque hinc ab Eutychianistis Ægypti Episcopis arrepta occasio reclamandi ad solum Nicænum. Nec Ephesina, sed hæc ipsa nostra Constantinopolitana Synodus hoc locutionis genus induxit, de suo Symbolo dicens in primo Canone: *Non spernendam esse fidem Patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicæa convenerunt, sed manere eam ratam oportet*. Porrò ex cunctis hujus Synodi actis unicum Symbolum probavit Romana Ecclesia: Hinc ergò omnem Synodum sub Nicæna quandoque comprehendunt, & quasi pro eadem habent Pontifices Romani. Quòd ipsam tamen non plenè tacuerint, ostendi superiùs, de quo rursum infra.

A quinto argumento existimem quæri nodum in scirpo. Quòd namque Gregorio omne Symbolum nostrum fuerit authenticum, non est ambigendum. Loquitur ex Sancti Gelasii Prædecessoris sui Romana Synodo, quæ & ipsa affirmat damnatum solum Macedonium, videlicet ut reum principaliter à Synodo petitum. Eodem modo loquuntur alii plures, ipsaque sexta Synodus in sermone ad Principem adclamatorio: Nec ideo Apollinarium, aut adversùs illum factas Symboli additiones excludunt.

Quarta quæstio est, an hi Canones fuerint etiam per Romanam Ecclesiam comprobati? Pro parte adfirmativa facit Dionysius Exiguus, Græcus quidem homo, Romanus tamen Canonum collector, codici suo inserens totos quatuor priores: Haud dubiè inseruit solos à Romana, cujus panem edebat, Ecclesia admissos. Et Anastasius, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, in præfatione Synodi octavæ ad Adrianum secundum Pontificem scribit, quomodo in humano corpore sunt quinque sensus, ita in Ecclesia esse quinque Patriarchas, secundoque loco ponit Constantinopolitanum, utique vigore tertii nostri Canonis, quem novimus haberi ut maximè Romanis exosum. Quod ipsum ad octavam Synodum, & præsentes Apostolicos Legatos dixit non solummodo magnificentissimus Patricius Bahanes, sed & Metrophanes Smyrnensium Metropolita, Sedis Apostolicæ defensor insignis. Et Sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus semper istic habuit locum secundum. Quin immò in Chalcedonensi Synodo Orientalibus Episcopis, adversùs Dioscorum Patriarcham Alexandrinum ac ejus Ephesinum latrocinium clamantibus, *Flavianus* Constantinopolitanus Episcopus *in proprio loco quare non sedit, Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt?* respondit Paschasinus, Lilybetanus Episcopus, Act. 1. ac Sedis Apostolicæ Legatus: *Ecce nos, Deo volente, Dominum Anatolium*, Flaviani successorem, *primum habemus, hi quintum posuerunt beatum Flavianum*. Dioscorum ac ejus in latrocinio socios arguit de tertii nostri Canonis prævaricatione. Quin immò de eodem ad eandem Synodum dixit Eusebius, Dorylei in Phrygia Episcopus: *Hanc regulam sanctissimo Papæ Leoni in urbe Roma prælegi ego*, præsentibus *Clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit*. Et Chalcedonensium Canonum, quos uno dempto esse ab eodem Sancto Pontifice confirmatos adfirmat Facundus Hermianensis, primus est: *Regulas sanctorum Patrum, per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decernimus*. Confirmat codicem Ecclesiæ universæ, in quo sunt singuli nostri septem Canones Constantinopolitani. Quod ipsum repetit septima Synodus, cujus Canones probari à Romana Ecclesia, scribit ad Hugonem Ecclesiæ Lugdunensis Primatem Sanctus Ivo Episcopus Carnotensis. Et Justinianus Augustus, in novellis constitutionibus per Sedem Apostolicam approbatis, scribit: *Sanctarum quatuor Synodorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut Leges observamus*. Eis non Canonis tantùm, sed & legis tribuit vicem atque auctoritatem. Et superiùs laudata Romani Pontificis posessio non solùm octo generalium Synodorum fidem, sed & Canones, actaque omnia observare spondet: undè & suos illi Canones addidit Synodus Basileensis.

Act. 16. L.5. c.3.4 C. 1. Epist.68. Novel. 131. c.1.

Respondeo tamen Canones nostros à Damaso Pontifice, ejusque ad usque Innocentium tertium successoribus, nunquam fuisse probatos. Eos enim generaliter omnes Lucentius Esculanus Episcopus, ac Sedis Apostolicæ Legatus, in Synodo Chalcedonensi adversùm Episcopatus Constantinopolitani exaltatores dixit esse *Canones non conscriptos*. Et statim infra: *Trecentorum decem & octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantùm fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta prope annos constituta fuisse*. Pro *octoginta* jam supra dixi legendum *septuaginta*. Quid de eisdem, præsertim tertio, Sanctus Leo magnus censuerit, dixi aliquoties: Anatolium Constantinopolitanum Episcopum culpavit graviter, non dumtaxat quòd illum tertium resuscitare & ampliare, sed etiam quòd secundum in Synodo Chalcedonensi locum rapere præsumpsisset. Aliud esse dixit jura Sedium, aliud delicta Præsulum, adeoque ob Dioscori Alexandrini Patriarchæ in Synodo lapsum non fuisse Sancti Marci sedem humiliandam. Neque dubium, quin culparit & Paschasinum Legatum. Sanctum Eusebium Doryleensem, magni meriti Episcopum, quis ausit de mendacio habere suspectum? Omninò tamen certum est falli: Aut ipse Pontificem, aut ipsum Pontifex non plenè intellexit.

Act.16.

De eisdem universim Canonibus scribit ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Patriarcham Antiochenum Sanctus Gregorius magnus: *Canones Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit; in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat*. Quod ipsum de sexto speciatim Canone supra audivimus ex litteris Nicolai primi Pontificis ad Michaelem

L.6. Epist. 31.

chaelem Augustum. Græcis in Acaciano schismate fœtentibus, assidueque proclamantibus ad Canones, respondit Sanctus Pontifex Gelasius: *Viderint, si alios habent Canones, quibus suas ineptias exequantur. Cæterùm isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, Sedem Apostolicam ad judicium vocare non possunt.* Acacianorum ineptiæ erant Constantinopolitanum Episcopum, *qui per Canones nullum inter Sedes locum acceperat*, utpotè merus Paræcialis Episcopus in Provincia Europæ sub Metropolita Heracleensi, in secundum thronum sublimare, à Romani Episcopi judicio ad Synodum provocare, exufflare Sancti Petri monarchiam, & omnes Patriarchas invicem æquales facere: Adeoque ad illas exequendas conditi Canones erant partim Eusebianorum apud Philippopolim editi, partim hi Constantinopolitani. Strenuè idem Pontifex commendat, non solummodo Nicænos Canones, sed & Sardicenses. Adversùs tertium hunc nostrum sunt longè plurima Romanorum Pontificum testimonia, & vetusta & recentiora. Nam & à Bulgaris Nicolaus primus Pontifex, & à monachis Cassinensibus rogatus Patriarcharum ordinem Sanctus Petrus Damiani, secundum Ecclesiæ thronum dicunt Alexandrino per Canones adscriptum. Quocirca quòd in octava Synodo Sanctus Ignatius, in septima Tharasius, in sexta Georgius, in quinta Eutychius Constantinopolitanus locum secundum habuerit, factum est, uti in Breviario Nestorianæ & Eutychianæ hæreseos notat Liberatus Diaconus Carthaginensis, ex violenta voluntate Græcorum Imperatorum, & dispensatoria dissimulatione Legatorum Apostolicorum.

Epist. 4.

Aliter tandem in Synodo Lateranensi statuit Innocentius tertius: *Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat, servata cuilibet propria dignitate.* Hunc ordinem vocat antiqua privilegia: A quibusdam per Canones accepta, à quibusdam usurpata per rapinam. Quin immò, de Episcopi Faventini postulatione agens, scribit ad Ravennatis Ecclesiæ Archi-Episcopum: *Verùm postulationi hujusmodi videbatur Concilii Constantinopolitani capitulum obviare, in quo statutum est, ut quicumque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulteriùs ad Pontificatum resurgat. Undè contra dictum Concilium, cùm sit unum è quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia catholica veneratur, nullatenus videbatur postulatio admittenda.* Nequaquam istius Canones, sed solum fidei Symbolum, tanquam Dei Evangelium, & olim venerata est, & etiamnum hodie Ecclesia veneratur: Neque huic doctissimo Pontifici, ejusque generali Synodo placuit aliud. Placuit superiùs adducta Justiniani Augusti Novella, mandans Symbolum, tanquam Evangelium, Canones, tanquam leges, admitti, fierique authenticos, & à Romana Ecclesia confirmatos. Solus namque tertius repugnat sexto

C. 5.

Gregor. 9. l. 1. tit. 9. c. 11.

Nicæno, eumque præsertim aversata semper fuit Apostolica Sedes: Eo admisso, nulla ratio suasit alios sex refutari.

Porrò per dies istos Flandri nostri ceperant Constantinopolim, ejusque imperiali throno Comitem nostrum Balduinum imposuerant, & Cathedræ item Episcopali virum latinum. Eos, plusquam Saracenos, Græci aversabantur: Quare beneficiis illos placaturus Innocentius Pontifex Sedi Constantinopolitanæ dedit cuncta prætensa privilegia, quæ nulla via ab ejus usque huc Prædecessoribus potuerant extorqueri. Eadem, quòd ob Nicænorum canonum robur vacillare nollent, impetrarunt Græci ab Eugenio quarto & Florentina Synodo confirmari.

Adductus autem ille de clericis ad monastici status humilitatem descendentibus canon est quidem Concilii Constantinopolitani, nequaquam tamen hujus præsentis. Est Synodi habitæ per Legatos Joannis octavi Pontificis, in qua Photius reconciliatus Ecclesiæ illius thronum cœpit tanquam legitimus Episcopus sedere: Synodi miserabilis. Ita lapsus est Innocentii tertii Scriniarius. Ex quo tamen lapsu novimus, quid de nostris Canonibus Constantinopolitanis sentire tandem cœperit doctissimus ille Pontifex, Romana Sedes, & Ecclesia universa.

Plerisque in contrarium adductis argumentis est satisfactum. Canones Chalcedonenses à Sancto Leone Pontifice nunquam fuisse confirmatos, & istic decipi Facundum Hermianensem, infra ostendam. Eadem est ratio Canonum Synodi septimæ. Justinianum Augustum propriè notat adductus supra Liberatus Carthaginensis: *Licèt Sedes Apostolica nunc usque contradicat, quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.* C. 13. Ejus Novellæ constitutiones non laicum Imperatorem, sed supremum Ecclesiæ Episcopum sonant: Quasdam toleravit Romana Ecclesia, absit ut adprobarit. Alius erit hæc discutiendi locus. Quòd Romani Pontificis Professio solam octo Synodorum fidem, nequaquam Canones aut acta alia comprehenderit olim, est palam. Exstat apud bibliothecam vaticanam integra in laudato Romanæ Ecclesiæ Diurno. Idipsum adfirmat Synodus Constantiensis. Sess. 34. Basileensis nec audienda est, utpotè hoc inter Synodos, quod vespæ inter apes.

Quinta quæstio est, an saltem primus hujus Synodi Canon fuerit à Damaso Pontifice & Romana olim Ecclesia confirmatus? Etenim confirmatum videtur adserere supra laudatus Evoptius, Cyzicenus Episcopus Metropolitanus, in synodalibus litteris exstantibus post Synodum Chalcedonensem, ad Leonem Augustum scribens adversùm Eutychianistas hujus Synodi inimicos: *Prima regula est posita, quæ anathematizat apertis sermonibus hæreses universas.* Epist. 47. *Qui ergò hanc Synodum refutant ita sanctam & venerandam, quam præ omnibus quidem veritas confirmavit, deinde & tanto tempore robur accepit, certum est, quia non uno capitulo sustinent scandalum, sed in multis hæresibus languere noscuntur. Nam qui legem veritatis adjutricem refugiunt, aperti sunt veritatis ipsius inimici, quando hanc Synodum, quam se ignorare confingunt, & Proterius Deo amabilis tunc Alexandrinæ civitatis Episcopus, vir*

anima

anima venerandus, unà cum eis præsens & ipse firmavit.

Respondeo tamen neque hunc Canonem fuisse Evoptii tempore à Romana Ecclesia probatum. Etenim superiùs laudata ad Eulogium Alexandriæ & Anastasium Antiochiæ Patriarcham Epistola Sancti Gregorii, quæ Canones Constantinopolitanos à Romana Ecclesia admissos negat, disertè agit de hoc primo, damnante cum reliquis tum grassantibus Erronibus etiam Eudoxianos, quorum quis esset auctor Eudoxius, magnus ille Pontifex ignorabat. Canonibus suis aliquid de reis suis personis, de propriis ritibus ac moribus, aut ambitiosis cupiditatibus passim infarciebant Græci: Singula funditùs discutere nolens Romana Ecclesia gaudebat fidei quæstiones tractatas benè, earumque solam definitionem confirmabat, Canones & reliqua acta, quibus nullum vitium apertum, in ambiguo statu relinquens. A doloso Græcorum ingenio metuebat etiam secura: Et è difficultatibus, quæ nasci poterant & passim nascebantur, sibi exitum reservabat.

Quod ipsum in verbis adductis fatetur laudatus Evoptius. Ait hunc Canonem non à Romana Ecclesia, sed ab ipsa veritate & longi temporis lapsu confirmatum. Nempe à Præcessore suo Diogene didicerat motas inter Græcos Episcopos & Legatos Apostolicos in Synodo Chalcedonensi lites de tertio præsertim Canone Constantinopolitano, cujus causa Lucentius Esculanus Episcopus dixerat omnes & singulos istius Synodi Canones non haberi in Synodicis, & ut spurios à Romana Ecclesia refutari.

Addit Evoptius hanc nostram, utique quoad Canones, Synodum etiam à Sancto Proterio Alexandrino Episcopo, ipsisque turbulentis eam jam impugnatibus Episcopis fuisse firmatam. Nequaquam in Chalcedonensi Synodo fecit id Proterius: Namque non nisi post Synodum fuisse C. 14. electum & consecratum, palam in Breviario scribit Liberatus Carthaginensis. Eum itaque Marcianus Augustus ordinari non permisit, nisi priùs professum fidem & Canones non tantummodo Chalcedonensis Synodi, sed & nostræ Constantinopolitanæ. Procurarunt id Episcopi orthodoxi, qui Ægyptios in Chalcedonensi Synodo ad solum Nicænum Symbolum proclamantes habuerant meritò suspectos lepræ Eutychianæ: Ac præsertim Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, cui dictæ Synodi per Orientis Ecclesias executionem Sanctus Leo Pontifex datis Apostolicis vicibus delegarat. Procuravit id ille una serviens ambitui suo, cujus palmare fundamentum erit tertius Canon noster, ideoque non ad solius Constantinopolitani Symboli, in Chalcedonensis fidei decreto expressi, sed & ad omnium septem Canonum professionem Proterium adegit. Quoad hos enim, ac ex illis extractos, dicto ambitui famulantes, Canones Chalcedonenses, damnatus Dioscorus Alexandrinus Patriarcha auditus non fuerat: A successore ad Ecclesiæ suæ jura & Nicænos Canones reclamandum metuebat Anatolius, ideoque homo cautus hocce professionis reti Proterium intricavit.

Et hæc est intima radix, ex qua Hilarius Pontifex, quatuor Synodos confirmans, non expresserit Constantinopolitanam, comprehendens sub Nicæna: Quod ipsum successores Felicem tertium, ac Simplicium, licèt Eutychianis turbulentiis egregiè arietarentur, suisse secutos supra ostendi. Videntur adversùm turbines istos debuisse quàm maximè exprimere & palam prædicare: Ast tacere ex alia parte suasit comprimenda ambitio Sedis Constantinopolitanæ, cujus adulatores, uti ex Sancti Gelasii Opusc. 1. Pontificis contra ipsos apologia liquet, blaterabant eandem Synodum non posse à Romana Ecclesia probari partim, partim improbari. Erat bivium perplexum: Periculi ex utroque latere plenum, ab inimicis in invicem pugnantibus obsessum, ambobus claudendum. Constantinopolitani Canones, secundum excipe, cum Nicænis nihil affine habent, utrumque verò Symbolum est virtute unum: Hinc Constantinopolitanam Synodum sub Nicæna comprehendendo declararunt abundè laudati Romani Pontifices solum Symbolum, haud Canones à se probari.

Sexta quæstio est, an hujus Synodi de personis acta fuerint confirmata à Damaso Pontifice? Affirmare videtur Sanctus Ambrosius, in litteris ad Ecclesiam Vercellensem, dicens de se Neophyto in Episcopum promoto: *Ordinationem meam Occidentales Episcopi judicio, Orientales etiam exemplo probarunt.* Exemplo Epist. 25. Nectarii ex Neophyto Episcopi Constantinopolitani, quod erat nullius ponderis, adeoque Ambrosio indignum, si à Romana Ecclesia non fuerit comprobatum.

Respondeo tamen nec illa acta fuisse confirmata. Disertè id testatur Sanctus Gregorius magnus in supra laudatis litteris ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, & Anastasium Antiochenum. Quin immò Flaviani Antiocheni ordinationem, ut manifestam & Paulini & totius Occidentalis Ecclesiæ injuriam accerrimè insecuta est Romana Sedes. De Gregorio Nazianzeno, Nectario, Cyrillo Hierosolymitano acta in ambiguo suspensa præteriit, quomodo similia Synodi Chalcedonensis Sanctus Leo magnus, de quibus scribit ad Maximum Patriarcham Antiochenum: *Si quid sanè ab his fratri-* Epist. 62. *bus, quos ad sanctam Synodum vice mea misi,* c. 5. *præter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: Quia ad hoc tantùm ab Apostolica Sede sunt directi, ut excussis hæresibus, catholicæ essent fidei defensores. Quidquid enim præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est à Sanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis, constitutioneque discordat, Apostolicæ Sedis nunquam obtinebit consensum.* Confirmat solam fidem, editos Canones Nicænis adversos cassat, acta reliqua, quoniam sine suo mandato definita, licèt forsan confirmari posset, discutere non vult, suoque statui suspensa relinquit. Eodem modo hanc nostram Synodum Damasus Pontifex tractavit. Sanctus enim Gregorius Nazianzenus cum Sancto Basilio semper Meletio adversùs Paulinum Antiochenum adhæserat, ideoque ejus causam, præsertim

fertim non appellantis, noluit motu proprio facere suam. Sed neque Nectarii Episcopatum quisquam Romanus Pontifex legitur adprobasse. Neque id adfirmat Sanctus Ambrosius: Episcopatui suo adversùm detractores, apologorum more undequaque quærit patrocinium.

Septima quæstio est, an Synodi hujus fidem reverà Damasus Pontifex confirmarit, an autem sola veritas, lapsusque temporis, uti de primo Canone ad Leonem Augustum scripsit Evoptius Episcopus Cyzicenus? Respondeo ab ipso Damaso confirmatam. Etenim ad Michaelem Bulgariæ Principem scribit in libro de septem Synodis Photius Constantinopolitanus: *Quibus haud multò post & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque idem sentiens accessit*. Et auctor incognitus libelli synodici
C. 76. apud Christophorum Justellum: *Damasus sanctissimus collecta Romæ Synodo divinum decretum edidit, & ad eam, quæ Constantinopoli cogebatur, Synodum emisit*. Quòd ipsum dicunt antiqua ejusdem Pontificis vita publicata per Martium Milesium, & in sermone ad Principem acclamatorio Synodus sexta.

Octava quæstio est, an hæc Synodus sit generalis seu œcumenica, & in talem à Damaso Pontifice confirmata? Pro parte negativa facit auctoritas Sancti Gregorii magni, Cyriaco Episcopo Constantinopolitano, qui in Enthronistica suæ fidei professione anathematizarat etiam
L. 6. Epist. 4. Eudoxium, rescribentis: *Cùm recta à vobis fides veraciter & subtiliter sit prolata, inter eos, quos per sanctissimas generales Synodos damnandos esse censuistis, Eudoxium quemdam vos damnasse reperimus, cujus nomen in latina lingua, neque in Synodis, neque in libris beatæ memoriæ Episcoporum Epiphanii, Augustini, & Philastrii, quos contra hæreticos præcipuè disputasse novimus, positum reperimus. Quòd si quis eum veraciter de catholicis Patribus damnat, ejus procul dubio sententiam sequimur. Vos autem si in synodica vestra Epistola eos quoque nominatim damnare voluistis, qui extra sanctas Synodos per Patrum scripta damnantur, multos scriptis suis Fraternitas vestra minùs posuit; si autem eos, quos generales Synodi respuunt, hunc unum amplius*. At verò Eudoxius ille est Episcopus Constantinopolitanus damnatus à primo Canone hujus Synodi: Ergò illam Sanctus Gregorius nequaquam habuit pro generali.

Præterea generalis Synodus esse debet repræsentatio totius Christianitatis, adunata ex omnibus Ecclesiæ Patriarchis, Provinciis, Metropolitis, Episcopis: At verò hæc Synodus ex solis centum quinquaginta Orientalibus Episcopis convenit, idque citra jussum & præsidentiam Sedis Apostolicæ, sine qua veram non fieri Synodum, est supra ostensum. Etiam Timotheus Patriarcha Alexandrinus non nisi post conditum Symbolum & Canones advenit.

Ad quæstionem tamen respondeo affirmativè. Ita semper inconcusse tenuit omnis sub cœlo Ecclesia. Quòd ipsum Sanctus Gregorius senserit, & cur ita de Eudoxio loquatur, superiùs est declaratum abundè. Ex adducto nunc ejus loco magis liquet etiam primum hujus Synodi Canonem fuisse tunc à Romana Ecclesia non tantummodo non probatum, sed neque notum. Liquet & antiqua Enthronisticarum Patriarchalium litterarum forma: Non quosvis hæreticos, sed solos à generalibus Synodis damnatos debebant anathematizare.

Ad secundum respondet Hincmarus Remensium Metropolita in litteris contra Hincmarum Episcopum Laudunensem: *Cùm plura catholica habeantur Concilia, sex Synodi tantùm generales specialiter appellantur, quia pro generali ad omnes Christianos pertinente causa sunt convocatæ*. Et infrà eodem capite: *Universitas ab eo cognominatur, quòd uno multoties verso propagatur: Nam multitudo unitatum vertente in unum collecta, universitas efficitur. Sicut enim Ecclesia universitas est, quæ Græco eloquio catholica dicitur; ita nimirum omne, quidquid ab ejus unitate non discessit, catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel quælibet constitutio seu traditio talis esse debet, ut universali conveniat Ecclesiæ. Cùm ergò duarum aut trium Provinciarum Præsules in unum conveniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discrepat, catholicum est quod faciunt, & fortassè dici potest universale. Quoniam quamvis non sit ab universi orbis Præsulibus actum, tamen ab universorum fide & traditione non discrepat, quod crebrò factum in plerisque mundi partibus scimus. Si verò duarum aut trium Provinciarum Præsules in unum convenientes, nova quædam statuere cupientes, conventicula quædam faciunt, quæ non cum universi orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea ex quadam parte dissentiunt, non est catholicum quod faciunt, & ideo universale appellari non potest. Omne, quod Ecclesiasticum est, catholicum est; & omne, quod catholicum est, universale est. Claret hac de causa universales & generales Synodos nominari, cùm plures Episcopi, quàm in quibusdam præfatis Synodis fuerint congregati Apostolicæ Sedis jussione, & imperiali convocatione. Sicut Sardicensis Synodus, in qua ab Hesperiis partibus plusquam trecenti convenerunt Episcopi. Et in Africanis Synodis, cum legatis Apostolicæ Sedis celebratis, interdum ampliùs quàm ducenti fuerunt congregati Episcopi. Non tamen inter universalia Concilia computantur*. Epist. 33. c. 20.

Asserit Synodum non ab Episcoporum numero, sed à sola re definita dici generalem: Eam omnem & solam dici generalem, quæ, sive ex multis, sive ex paucis Episcoporum Provinciis adunata, rectè definit de dogmate, quod est causa generalissimè spectans ad omnes Christianos. At certum est hallucinari. Quintam enim Synodum, quæ de personis, non de fide definivit, nec ipse inficiatur esse generalem. Etiam octava definiit de solis personis. Quisquis Sardicensem negat œcumenicam, insolenter discordat ab perpetuo sensu Ecclesiæ latinæ. Quis ferat duarum aut trium Provinciarum Synodum dici generalem?

Dico igitur adesse oportere Sedem Apostolicam, omnes Ecclesiæ orthodoxos Patriarchas, Provincias, Metropolitas, Episcopos, attamen non per præsentiam corporalem: Satis est, ut adsint per legationem, aut litteris expres-

pressum consensum, seu prævium, seu subsecutum. Palladio enim, Ariano Episcopo, ad Synodum Aquilejensem nolenti loqui, quòd non adessent Episcopi Orientales, adeoque non esset *generale & plenum Concilium*, rectè respondit Sanctus Ambrosius: *Interim, quia superioribus temporibus Concilium sic factum est, ut Orientales in Orientis partibus constituti haberent Concilium, Occidentales in Occidente, nos in Occidentis partibus constituti convenimus ad Aquilejensem civitatem juxta Imperatorum præceptum. Denique etiam Præfectus Italiæ litteras dedit, ut si vellent Orientales convenire, in potestate id haberent. Sed quia sciverunt consuetudinem hujusmodi, ut in Oriente Orientalium Concilium esset, intra Occidentem Occidentalium, ideo putaverunt non esse veniendum*. Et Vigilio Romanorum Pontifici, quintam Synodum intrare nolenti ob Occidentalium Episcoporum paucitatem, responderunt Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, & Domninus Patriarcha Antiochenus: *Nos communicamus, & uniti sumus vobiscum, & non decet omnium nostrum conventum differri propter Occidentales Episcopos: Nec enim in quatuor sanctis Synodis multitudo Occidentalium Episcoporum inventa est unquam, sed duo vel tres Episcopi, & certi Clerici*. Soli fermè Sedis Apostolicæ Legati. Ante Nicænam Sylvester, ante Ephesinam Celestinus, ante Chalcedonensem Leo, ante sextam Agatho, ante septimam Adrianus primus, ante octavam Synodum Adrianus secundus Pontifex coegit omnem Occidentalem Ecclesiam, ejusque de mota quæstione fidem & sensum misit ad Orientales Episcopos synodaliter adunatos, atque ita ex horum corpore & istorum spiritu facta est una Synodus plenè generalis, plenus consensus in unam fidem. Porrò antiqua est juris Regula, *Ratihabitionem retrotrahi & mandato æquiparari*, scribitque ad Eustochium virginem Sanctus Hieronymus: *Orientis & Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam imperiales litteræ contraxerunt*. Ob hujus Synodi Canones & Flaviani Antiocheni promotionem offensus gravissimè, ac imperiali jussione fultus Damasus Pontifex utramque Ecclesiam evocavit Romam ad plenam Synodum, atque illic cassavit Canones, Flavianum non comparentem malè notavit, confirmavit verò Symbolum, atque ita fecit, quod supra à Photio audivimus; *Eadem confirmans atque idem sentiens accessit*. Ratum habuit Symbolum, atque ita hanc Synodum fecit esse verè generalem. Gelasius Pontifex factum dicit *Theodosio Augusto mediante*: Ejus namque studio convenerat Synodus, omnem Orientem purgarat, & quoad dogma pacificarat.

Collat. 1. — Epist. 27. c. 2. — Con. 1.

SANCTI CYRILLI

Patriarchæ Alexandrini adversùs Nestorianam hæresim CAPITULA, per Apostolicam Sedem & Ephesinam Synodum confirmata.

Nec non & adversa impia Capitula Nestorii Episcopi & Hæresiarchæ Constantinopolitani.

PRIMUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse, & ob id Sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundùm carnem) anathema sit.

PRIMUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potiùs nobiscum Deum, hoc est, inhabitasse eam quæ secundùm nos est, naturam, per id, quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potiùs ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit; ipsumque Dei verbum incarnem versum esse, quam accepit ad ostentationem Deitatis suæ, ut habitu inveniretur ut homo, anathema sit.

SCHOLION.

VOcem, *Deipara*, primùm à Valentino, deinde ab Apollinario Laodicensi spretam ac infamatam, abominatus est, ex alio tamen principio, etiam Nestorius Episcopus & Hæresiarcha Constantinopolitanus, fuitque illi seu errandi, seu erroris detegendi exordium, de quo Evagrius Scholasticus Epiphaniensis: *Anastasius*, Nestorii Presbyter, *in disputatione apud populum in Ecclesia Constantinopolitana palam ausus est dicere*: NEMO MARIAM DEIPARAM VOCET. NAM MARIA HOMO ERAT: ATQUI AB HOMINE DEUS NASCI NON POTEST. *Quæ verba cùm populus Christo consecratus graviter & acerbè ferret, & disputationem illam non sine causa haberet pro blasphemia, Nestorius, istius blasphemiæ auctor & dux, non solùm non prohibuit illum, neque rectam sanamque doctrinam tutatus est, verùm etiam ejus verba in primis roborare contendit, & in eisdem defendendis acriùs institit.* Etenim *Anastasii sententiam*, inquit Socrates, *confirmare studens, sæpissimè de eadem controversia in Ecclesia pro concione disseruit, de eadem pugnaciter quæstiones posuit, & vocem*, DEIPARA, *omninò rejecit*. Quin & Dorotheum, Marcianopolitanum Episcopum, secundæ Mæsiæ Metropolitam, induxit ad faciendum, quod queritur Sanctus Cyrillus, Alexandriæ Patriarcha, in litteris ad Celestinum Papam, ac in litteris ad Acacium Episcopum Berrhæensem, exstantibus in prima parte Synodi Ephesinæ: *Erat Episcopus quidam, Dorotheus nomine, Constantinopoli, eadem, quæ Nestorius, sapiens & sentiens, vir quæstus causa adulationi impensè deditus, linguaque ad temeritatem usque promptus. Hic, dum sacra peragerentur, Reverendissimo Nestorio in Cathedra Ecclesiæ Constantinopolitanæ sedente, surrexit, magnaque & elata voce inclamare ausus est*: SI QUIS MARIAM DEIPARAM DIXERIT, ANATHEMA SIT. Ita homo effrons totam Ecclesiam, omnesque ejus Patres, dicta voce semper usos, anathematizavit. Pergit Cyrillus de Nestorio: *Quamvis id ore suo facere noluerit, attamen sedens & audiens Dorotheum, ut hoc diceret, induxit, subornavitque, cui etiam confestim, ubi è cathedra descendisset, in Divinorum mysteriorum celebratione communicavit*. Porrò Dorotheum fuisse Ecclesiæ Marcianopolitanæ Episcopum, liquet ex Nestorii & asseclarum ejus Pseudo-synodali Relatione ad Theodosium Augustum, cui ipse ut talis subscribit.

L. 1. c. 2.

L. 7. c. 32.

Epist. 12. 14. 22.

An etiam Anastasium Presbyterum induxerit ac subornaverit Nestorius, non plenè constat. Adfirmare videtur laudatus Evagrius. Verùm Socrates vult dictam blasphemiæ vocem Anastasio quasi inconsiderato elapsam, ejusque tunc patrocinium susceptum à Nestorio, nolente eum, quem tanti faciebat, ut blasphemum coargui. Audi causam: *Anastasius Presbyter unà cum Nestorio Antiochia venerat, ejusque consuetudine semper usus fuerat, & in magno honore ab illo habitus, eique in rebus gerendis consiliarius.* Ad Episcopatum Constantinopolitanum ex Antiochena Ecclesia accitus Nestorius secum duxit futurum in gente aliena fidum Syncellum.

L. 7. c. 32.

Quidquid sit de primo auctore, Nestorium evasisse pertinacissimum blasphemiæ defensorem docuit eventus. Etenim de illo scribit Sanctus Cyrillus ad Joannem Patriarcham Antiochenum: *Ad Dominum meum Celestinum, piissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, missa Epistola adversùm eos, qui ab ipso dissentiunt, depromere non est veritus*: CITRA HORROREM SACRAM VIRGINEM DEI GENITRICEM APPELLANT. Vocem, *Deipara*, tanquam notham, irrationalem, temerariam, periculosam, blasphemam proscidit. Et de ejus quibusdam sectatoribus scribit idem Sanctus ad Clerum & populum Constantinopolitanum: *Deiparæ appellationem prorsùs negant, adduntque paratiores se esse, ut manus suas amputandas præbeant, quàm ut hujusmodi voci subscribant*. Etiam Leporius Presbyter, Nestorii in Gallia Præcursor Pelagianus, *dicere verebatur de Maria natum Deum*, uti ipse profitetur in libello suæ emendationis. Et Vitalis & Constantius, Episcopi Hispani, scribunt ad Capreolum Archi-Episcopum Carthaginensem: *Sunt hìc quidam, qui dicunt non debere dici Deum natum*, utique de Virgine Maria. Primus & palmaris fuit hic error omnium, quotquot Nestoriana scabie laborarunt. Quin immò quosdam suo tempore orthodoxos à laudata voce etiam abhorruisse scribit Facundus Episcopus Hermianensis. *Insinuandum*, inquit, *est, quòd hanc quoque confessionem, qua beatam Mariam verè & propriè dicimus matrem Dei, quidam etiam communicantes Ecclesiæ putant non debere suscipi, cùm Nestorium fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuisse damnari*.

L. 1. Ephesin. Conc. c. 21.

L. 1. contr. Nest. c. 1. L. 2. c. 1.

L. 3. Conc. Ephes. F. 481.

L. 1. c. 12.

L. 1. c. 4.

Primam istorum rationem adducit Anastasius Presbyter in litteris ejusdem Cyrilli ad Clerum Constantinopolitanum: *Quòd Nicæna Synodus vocis*, DEIPARA, *nullam unquam mentionem fecerit*. Eandem rationem in litteris ad Celestinum Pontificem urget ipse Nestorius, addens etiam in sacris litteris eam non contineri. Et apud Photium in Bibliotheca Sanctus Efremius, Patriarcha Antiochenus, à Sancto Leone Papa adfirmat inductam in Ecclesiam, priores Patres ipsa lucidè non fuisse usos.

L. 228.

Secundam rationem adducit Nestorius in libro per Sanctum Cyrillum recitato ac refutato, nec non ex illo ipse Cyrillus in libro Apologetico contra Orientales: *Si fide simplici* DEIPARAM *proferres, nulla esset apud me dictionis invidia, verbi sensum exquirentem. Sed quia video te prætextu erga beatam Mariam honoris, hæreticorum confirmare blasphemiam, ideo dictionis probationem cautè prænuntio, cùm periculum in ea dictione latens suspectum habeam*. Eam suspectam dicit de naturarum in Christo Domino confusione, per Arium, Eunomium, ac Apollinarium adserta: Qui idcirco *statuerunt* DEI GENITRICIS *appellationem invehere*. Arius enim, Eunomius, atque Apollinarius Christo Domino detraxere humanam animam, ejus vicem & functiones in ipsum Deum Verbum transcribentes, plenumque Christum ex carne & divinitate confusis & commixtis compingentes: Atque ita non solummodo Deum, sed & ipsam Deitatem dixere natam

L. 2. c. 1. C. 1.

natam ex Virgine, ejusque erroris dixit Nestorius vocem, *Deipara*, esse suspectam, ac proinde scandalosam, piarum aurium offensivam, ab omni ore christiano proscribendam. Eandem rationem strenuè urget in litteris ad Celestinum Papam, Ecclesiæ suæ Clericos accusans ejusdem blasphemi erroris. *Existimat necesse esse*, inquit Sanctus Cyrillus in libro apologetico contra Orientales, *ut ii, qui sacram Virginem Dei genitricem dicunt, fateri debeant carnis fuisse fructum nudam & seorsim positam Deitatis naturam, & subsistentiæ initium ex muliere habuisse Dei verbum*. Neque id in Nestorio mireris. Etenim & supra ex Facundo Hermianensi adducti orthodoxi eandem vocem aversabantur, quòd illam Eutychiano, adeoque Apollinaristico & Ariano, dogmati deputarent, suspicantes istius veneni aliquid sub ipsa occultari.

L. 1. Conc. Ephes. c. 16. 17.

Tertiam rationem, eamque palmarem, continent Nestorii verba recitata ab Evagrio Epiphaniensi: *Ego eum, qui spatiis menstruis, id est, bimestri ac trimestri, & ita deinceps adoleverit, Deum certè non appellavero*. Eadem ex ipso Nestorii ore se audisse testatus est in Ephesina Synodo Theodotus Episcopus Ancyranus. *Deum bimestrem aut trimestrem appellare nefas esse repetivit Nestorius. Atque hominem solùm esse ex ipso intelleximus, cùm paucis ante diebus in hac Ephesiorum civitate contra nos disceptaret, sed & alii præterea non pauci*. Qui omnes idipsum fuere attestati. Addit Relatio synodalis ad Clerum & populum Constantinopolitanum: *Graviores blasphemias adjecit, dicens nolle se bimestrem aut lacte nutritum adorare, neque eum, qui in Ægyptum fugit, Deum nominare*. Et hinc nos tanquam hominicolas, qui purum hominem pro Deo adoremus, infamat. Hominem illum in matris utero fuisse fatetur plenum Deo verbo, quomodo Joannes Baptista plenus Spiritu sancto, adeoque sacram Virginem non plùs fuisse matrem Dei, quàm Elisabeth fuerit mater Spiritus sancti: Ex illa dicit Deum *processisse atque emicuisse*, nequaquam ex ipsa natum. Quod principium etiam Leporio, aliisque in Gallia atque Hispania Pelagianis Nestorii præcursoribus fuit palmare.

L. 1. c. 2. — F. 351. — F. 359.

Et hinc oritur dubium, an Jesum Christum, idque à primo suæ conceptionis ex matre puncto, fuisse verè & propriè Deum, personamque Divinam, reverà Nestorius negarit? Etenim hæc de illo Socrates: *Ego, dum libros à Nestorio editos lego, hominem reperio imperitum, & doctrinæ penitus expertem: Et hoc ex animo dico: Meo equidem judicio neque Paulum Samosatenum, neque Photinum imitatur, neque denique Dominum hominem solum esse dicit, sed vocem dumtaxat*, DEIPARA, *tanquam larvam reformidat*. *Hocque illi præ insigni inscitia contigit*. Et ad Sanctum Cyrillum scribit Acacius Episcopus Berrhæensis Nestorium ac ejus asseclas passos quid ejusmodi, quale beato Paulino Antiocheno Episcopo contigit. *Hic enim, & si tres hypostases palam dicere recusaret, re tamen & virtute ab illorum sententia & fide, qui hoc profitebantur, non recedebat. Sectabatur autem piissimos Occidentis Episcopos, propterea quòd Romanæ linguæ angustia, sicuti græca phrasis, tres hypostases dicere commodè non ferat*.

L. 7. c. 32. — L. 1. Conc. Ephes. c. 23.

Et infrà: *Ajunt sermonem suum in sensu nihil continere, quod vel Apostolicæ doctrinæ adversetur, vel fidei à sanctis Patribus in Nicæa definitæ, & universæ Ecclesiæ traditæ repugnet*. Quare Cyrillum obtestatur, ut præsentem Ecclesiæ motum, utporè natum ex unico verbo per inconsideratione elapso, prudenter & suaviter componat, quomodo ex voce, *Hypostasis*, natum composuit Sanctus Athanasius. Et ipse Cyrillus obtestatur Nestorium, ut offenso & scandalizato populo det tandem unicam vocem, *Deipara*, atque ita illum placet. Et ipse mali auctor Anastasius Presbyter, pacem inire volens, protestatus est se idipsum, quod Cyrillus, sentire, differre quoad unicam & solam vocem. Et Celestinus Pontifex, dum revocando errori decem dies præfixit, Nestorium non pravæ mentis, sed solius deviæ locutionis arguit, voluitque non aliquod dogma, sed solam vocem prædicari. Quod mandatum exponens & adimpleri suadens Joannes Patriarcha Antiochenus scribit ad Nestorium: *Quis, quæso, reprehendat, si ea, quæ sentis, liberè exponas? Immò verò quis laudibus non efferat, si nomen, cujus sensum Pietas tua, ut cognovimus, possidet, propter publicam quietem, communemque orbis pacem aliquando amplecti in animum inducas?* Assiduè inclamat quoad solam vocem deviasse Nestorium, ejusque palinodiam non infamem, sed gloriosam fore suadet ex simili humilitate nupera Theodori Mopsuestiensis Episcopi, qui communis fuerat utriusque magister apud omnem Ecclesiam honoratus. Theodorus enim, uti scribit Leontius Monachus, Byzantinus, etiam vocem, *Deipara*, refutarat in concione, ideoque solemni palinodia offensum populum coactus est placare.

L. 1. c. 2. — C. 12. — C. 25. — L. 3. c. 11.

Respondeo nodum hunc solvi ab ipsa Synodo Ephesina in Relatione ad Theodosium Augustum missa per Palladium Magistrianum: *Sunt enim illi qui diversa à recta fide sentiunt, ad tegendam imposturam adeo callidi, ut quidam quoque sanctissimi Episcopi, occultato errore à Nestorio, decepti sint, eique sese adjunxerint, & actis illius subscripserint, qui tamen, postedquam dilucidè quid sentiret, essent percunctati, illumque suas blasphemias retegentem comperissent, ab eo desciverunt, ac sanctæ Synodo se adjunxerunt, patefactaque ejusdem blasphemia, condemnationis sententiam adversùs illum nobiscum tulerunt*. Quod ipsum testantur in libro ad Reginas Sanctus Cyrillus, Vincentius Lerinensis, & in Nestorianæ ac Eutychianæ hæreseos Breviario Liberatus Carthaginensis. Fingendi ansam præbuit Basilius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Archimandrita, Nestorio Christum Dominum non propriè, sed æquivocè dumtaxat Deum prædicanti resistens in faciem: *Hinc enim cœpit ille naturalem Dei Filium ex sancta Maria natum, dicere alium filium, ut postea patuit, animo occultans*. Legenda Basilii Epistola ad Theodosium Augustum. A vaferrimis Pelagianis, eorum præsertim Goliath Juliano Celanensi Episcopo, & errorem & omnem mentiendi artem edoctus erat Nestorius, adeoque & ita librare dolosissimas amphibologias, ut etiam ab hominibus oculatissimis existimatus sit sola lingua, non

F. 474. — C. 8. — C. 16. 17. — L. 1. c. 30.

mente lapsus. Quidam tempora distinguunt, creduntque primum ejus lapsum fuisse solius linguæ, at qui, dum turbatam Ecclesiam nec ab Apostolica Sede jussus per palinodiam componere pertinaciter spernit, transierit in mentem. Ita enim proficiunt vocum novitates, & pugnæ verborum.

Porrò Nestoriana adversùs vocem, *Deipara*, argumenta sunt nullius roboris. Ad primum respondet Sanctus Cyrillus in litteris ad Clericos L. 1. Ephesin. Conc. c. 12. Ecclesiæ Constantinopolitanæ, *Quamvis Nicæna Synodus voculæ hujus*, DEIPARA, *non meminerit, non ideo tamen officio rectè functa non fuit. Per id enim tempus nihil ejusmodi in controversiam adducebatur. Quare quæ tum ambigua non habebantur, ea in medium proferre nullum operæ pretium erat. Quamquam si sententiarum vim perpendere lubeat, sacram Virginem Deiparam esse nequaquam dissimulavit: Quandoquidem illum ipsum, qui ex Deo Patre natus est, incarnatum & hominem factum dicat*, utique ex Virgine Maria. L. 1. c. 26. C. 1. L. 1. Ephesin. Conc. c. 10. Latiùs id ostendit in litteris ad ipsum Nestorium, & in libro Apologetico contra Orientales. In litteris circularibus ait, quòd omnes Occidentis atque Orientis Episcopi, omnesque Synodo Nicæna etiam priores Ecclesiæ Patres dictam vocem profiteantur: Ac in laudato libro Apologetico nominatim adducit Sanctum Petrum Episcopum & Martyrem Alexandrinum. Ipsam Ephesinam Basilicam, in qua damnatus Nestorius, F. 838. fuisse dedicatam Mariæ Deiparæ scribit ad Clerum & populum Alexandrinum. Etenim, uti ad Clerum & populum Constantinopolitanum scribit, cum Joanne Apostolo, cui à filio moriente commendata, sacra Virgo habitarat Ephesi, ideoque adhuc viventi attributa haud dubiè est ab Ephesiis fidelibus vox illa. Clerus Constantinopolitanus, in libello adversùs Nestorium Episcopum suum contestatorio, addit eaL. 1. c. 13. dem usum etiam Sanctum Eustathium Antiochenum, eandemque semper Ecclesiam: Socrates etiam Eusebium Cæsaræensem, Sanctum AthaL. 7. c. 32. nasium, atque Origenem. Et quidem Sanctus Athanasius de Virgine Deipara edidit adversùm Apollinaristas, specialem tractatum. Laudatus Petrus Martyr ejus veritatem probat ex verbo Gabrielis Archangeli ad Sanctam Virginem: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Epist. 5. Quo testimonio etiam Hormisda Pontifex in litteris ad Anastasium Augustum, & in litteris ad illum ipse quoque Augustus, atque orthodoxi passim omnes utuntur. Rectè enim laudatus Petrus *Sanctum* istud dicit esse ipsum Deum ac Dominum verbum. Sanctus Efremius Patriarcha Antiochenus probat ex verbo Sanctæ Elisabeth: *Undè hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me.* Adeo non dicit Sanctum Leonem Pontificem esse vocis primum auctorem: fuisse dicit insignem illustratorem.

Ad secundum respondeo fœdè hallucinari Nestorium, dum vocem, *Deipara*, adserit ab Apollinario invectam. Jam enim supra adversùs illum ex litteris ad Cledonium Presbyterum audivimus anathema Sancti Gregorii Nazianzeni: *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est. Synusiastæ, sive Apollinaristæ*, L. 9. c. 5. inquit Facundus Hermianensis, *putarunt Christum unius essentiæ natum, nec ex utero Virginis habuisse carnem, sed potiùs in ejus utero Deum Verbum partem suæ substantiæ, id est, Deitatis, in carnem sibi vertisse, & in illa quidem, sed non ex illa incarnatum esse credentes, non solùm in Divinitate, verùm etiam in carne consubstantialem dicunt Patri: Contra Catholici quique Doctores asserunt, quòd Christus ex substantia Virginis sit natus.* Hinc ergò illi suis falsis nostrum verum miscentes, *doctrinamque veritatis infamantes jactavere; quòd Ecclesia sic doceret Christum natum ex Virgine, quasi etiam secundùm Deitatem ex illa sumpsisset exordium:* utique secundùm Deitatem versam in carnem. Quocirca Apollinaristæ vocem, *Deipara*, nequaquam induxere, nec Dei Verbi Divinitati ex Virgine initium adscripsere, sed de omnibus his accusavere catholicos: Atque ita non Cyrillus, sed ipse Nestorius, licèt ex fundamento adverso, illos æmulatur. Etiam Hypatius, Ephesiorum Archi-Episcopus, in collatione Constantinopolitana cum Severianis, admiratus est, quomodo Nestorii fautor Joannes Patriarcha Antiochenus, ejusque Synodus, Sanctum Cyrillum duas palam naturas prædicantem de Arii & Apollinarii lue infamarint. Eandem vocem neque in Eusebio Cæsaræensi, neque in ipso Ario unquam culpavit Ecclesia: Penitus aliæ fuerunt istorum lites. Aliud est natura, aliud persona Dei Verbi: huic, hypostaticæ unionis ergò, non illi & orthodoxi & Ariani semper adscripsere nativitatem ex Virgine. Porrò memorati à Facundo Hermianensi orthodoxi fuerunt monachi insomnes, perpetui Eutychianistarum hostes, & ab illis, quoniam dies mali erant, etiam secura quævis metuentes. Joannes secundus Pontifex dicit esse Nestorianos. Historia longa est. A voce interim, *Deipara*, non minùs Eutychianos prosterni, quàm Nestorianos, ideoque monachos vana timuisse, nervosè ostendit laudatus Facundus. Undè & ad preces Justiniani Augusti Joannes Pontifex sprevit eorum scrupulos, sanxitque vocem antiquissimam omninò retinendam.

Tertia ratio est propriissima, fœdissima, totius dogmatis Christiani eversiva lepra Nestorii, ob quam ab Ephesina Synodo ac omni Ecclesia damnatus est tanquam Paganus, Judæus, novus Cayphas, atque Porphyrius, aut Julianus. Neque enim Judæi Dominum Jesum Christum egere in crucem, nisi quòd homo cùm esset, faceret seipsum Deum. Ad ejusmodi illius voces, tanquam ad blasphemias, Cayphas laceravit vestem, Sanctum Stephanum lapidantes Judæi aures obturavere. Et ad Fotinum, Archi-Episcopum & Hæresiarcham Syrmiensem, adversùs Diodorum Tharsensem Metropolitam orthodoxum, scribit in litteris per Facundum Hermianensem relatis Julianus Augustus Apostata: L. 4. c. 2. *Tu quidem, ò Fotine, verisimilis videri, & proximus salvare, bene faciens nequaquam in utero inducere quem credidisti Deum; Diodorus autem, Nazaræi magus, ejus pigmentalibus manganes acuens irrationabilitatem, acutus apparuit sophista religionis agrestis.* Laudat Fotinum, quòd non recipiat Deum utero clausum: Hocce enim admirandum mysterium fuisse passim

sim irrisum à Paganis, scribit ad Sanctum Augustinum nobilis vir Volusianus, irrisionisque fundamenta Augustinus dissolvit. Isti ergò sunt Magistri, à quibus didicit Nestorius refutare etiam Deum bimestrem, & nostram simplicem fidem de blasphemia damnare. In Relatione ad Marcianum Augustum verè dicit Synodus Chalcedonensis, quòd diabolus illi *persuaserit Deo verbo nativitatem ex Virgine denegare velut in reverentiam & honorem nostri Salvatoris, & vocabulum* DEI GENITRICIS *ab ejus generatione subripere*. Quocirca præsens Sancti Cyrilli anathematismus est firmis anchoris innixus.

Genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundùm carnem. Qui Sancti Cyrilli adversùm Orientales & Theodoretum Cyri Episcopum libros Apologeticos è Græco transtulit, latinè reddidit hoc modo: *Genuit enim illa carnaliter incarnatum Dei Patris Verbum*. Eaque versio est omninò conformis textui Græco. Quem dicti Theodoretus atque Orientales sunt variè calumniati. *Ecquis*, inquiunt hi, *carnem factum Dei verbum carnaliter natum esse simul confitebitur? Nam si carnaliter genuit, jam non ut Virgo, & non ut Deum decet: Et sic ipsum etiam peccatum, & maledictum factum esse*, id est, originali reatui, qui ex carnali per virum & mulierem nativitate contrahitur, *suspicabitur*.

Alterum eorum argumentum est: *Si absque examine & judicio in has voces inciderimus, conversionem Verbi in carnem imaginabimur*. Quod ipsum placuit & Theodoreto. *Non enim*, inquit, *in carnem Deus Verbum conversus est, sed Dei forma adsumpsit formam servi*. Deum Verbum carnaliter ex Virgine nasci putant esse idem, quod ipsum gigni conversum in carnem, atque ita Cyrilli capitulum esse Apollinarii lepra aut veraciter infectum, aut sanè de illa suspectum, ac proinde scandalosum, piarum aurium offensivum, & Nestoriano anathemate dignum.

Delicata est hæc materia, habetque in ipsa locum admonitio Sancti Augustini in libro de gratia Christi: *Ista quæstio ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem adseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. Etiam ad Symmachum Pontificem scribunt Episcopi Orientales: *Veri, rectique dogmatis viam dubiam fecerunt nostra peccata, æstimantibus quibusdam non posse inter Nestorii & Eutychetis*, qui idem cum Apollinario sensit, *salutis viam mediam reperiri, sed quòd omninò necesse sit aut illius esse quemquam aut istius*. Post Epist. 9. Mutuis dudum calumniis invicem arietaverunt Orientales othodoxi, Nestorianam & Eutychianam luem ultrò citroque improperantes, quomodo olim Sancti Athanasii tempore Occidens ob vocem, *Hypostasis*, Orienti Arianismum, hic illi objectabat Sabellianismum. Et nostra ætas audit & gemit orthodoxos de Pelagianismo & Calvinismo invicem proscindentes. Eodem igitur modo Theodoretus, & alii Orientalis Diœceseos Episcopi Sanctum Cyrillum de Apollinario infamarunt. Rectè ad Symmachum Pontificem pergunt laudati Orientales: *Propter hoc festina post Deum nos adjuvare, & sicut inter Arii dividentis veram Deitatis naturam, & Sabellii confundentis personas, ostenderunt sanctissimi Patres viam mediam veritatis, sic & vos nunc illuminate nos spiritualis vestræ scientiæ lumine*. Mediam hanc inter Nestorium & Apollinarium viam Sanctus Cyrillus monstravit abundè: Et ad vitandam omnem amphibologiam latina Ecclesia hocce ejus capitulum ad sensum potiùs, quàm ad verbum transtulit, non, *Genuit carnaliter*, sed, *Genuit secundùm carnem*, id est, non ipsam Deitatem, sed carnem seu humanitatem Dei Verbi inhumanati, quæ quoniam illius hypostaticè propria est, genuisse rectè dicitur & ipsum incarnatum Verbum.

Quid autem significet vox, *Emmanuel*, exponit Sanctus Cyrillus in scholio de Verbi incarnatione: *Emmanuel nominatur Deus Verbum, quod Abrahæ semen apprehendit, interpretatur autem nobiscum Deus*. C. 2. Nobiscum non tantùm localiter, aut per sanctificationis gratiam, sed per hypostaticam unionem. Significat unam utriusque naturæ hypostasim, quomodo vocabulum, *Christus*,

---

SECUNDUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundùm hypostasim unitum, & unum tantùm unà cum sua carne esse Christum, eundem nimirum Deum simul & hominem, anathema sit.

SECUNDUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis in Verbi Dei conjunctione, quæ ad carnem facta est, de loco in locum mutationem divina sententia dixerit esse factam, ejusque divinæ naturæ carnem capacem dixerit, ac partialiter unitam carni; aut iterum in infinitum incircumscriptæ naturæ, cùm extenderent

derent carnem, accipiendum Deum, eundemque ipsum natura & Deum dicat & hominem; anathema sit.

SCHOLION.

SAnctus Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, florilegio collectaneorum, & ex ipso Josephus Methonensis Episcopus in Apologia Florentinæ Synodi adversùs Marcum Ephesiorum Primatem, hæc scribunt: *Ephesina Synodus definiit, quæ nulla prior definierat Synodus, Siquidem ipsius auctoritate recepta est vox illa*, HYPOSTATICA UNIO, *de qua Synodi anteriores nihil sanxerant*. Quomodo Nicæna adversùm Arii dolos vocem, *Consubstantiale*, ita Ephesina Synodus adversùm versutissimas Nestorii restrictiones & amphibologias induxit & in Regulam recepit vocem jam laudatam. F. 759.

Hinc adversùs illam declamat Theodoretus Nestorii Defensor: *Unum Christum confitemur, sanctis Apostolorum doctrinis credentes, eumdemque propter unionem & Deum & hominem nominamus*, SECUNDUM HYPOSTASIM *verò* UNIONEM *modis omnibus ignoramus, tanquam peregrinam & alienam à divinis Scripturis & Patribus, qui eas interpretati sunt*. Unum simpliciter Christum, & naturarum sine addito unionem huc usque prædicarat Ecclesia: Ad hanc phrasim proclamat Theodoretus, additamentum, *Secundùm Hypostasim*, volens esse vocum novitatem, ideoque non induci. Hinc pergit: *Si autem per* UNIONEM SECUNDUM HYPOSTASIM *hoc vult dicere Cyrillus, quòd temperamentum carnis & Divinitatis sit factum, contradicemus omni cum alacritate, & redarguemus blasphemiam. Necesse est enim ad temperamentum sequi confusionem. Superflua itaque* SECUNDUM SUBSISTENTIAM UNIO: *Sufficit autem dicere unionem, quæ & naturarum proprietates ostendit, & unum edocet adorare Christum.* Et in Synodo Chalcedonensi, dum Basilius Seleuciæ Episcopus ac Isaurorum Metropolita diceret de Christo Domino: *Unam naturam habet ex Patre ante sæcula, alteram ex matre secundùm carnem suscipiens, idem ipse uniit sibi* SECUNDUM SUBSISTENTIAM. Ad hæc, inquam, verba *unus quidam, nescio quis, projecit seipsum in medium, & dicere cœpit*: QUIA HÆC VOX ECCLESIAM CONTURBAVIT. Ad Ecclesiam turbandam movit Nestorianos. Act. 1.

Nestorii sensum & verba habemus apud Sanctum Cyrillum in litteris ad Successum Dio-Cæsaræensem in Isauria Episcopum: *Si Christus perfectus Deus, idem perfectus homo intelligitur, ubinam est perfectio, si hominis natura non subsistit? ubi etiam eadem nobiscum substantia, si ipsa jam non subsistit essentia, hoc est, natura nostra?* Naturam & hypostasim dicit non distingui, ideoque quomodo duas naturas, ita in Domino esse duas subsistentias, & sine hisce illas non esse perfectas & plenas, ac proinde hypostaticam seu subsistentialem unionem fieri non posse sine alterius saltem naturæ mutilatione, temperamento, confusione. Quod à gentilibus acceptum fundamentum etiam Paulo Samosateno, Sabellio, Forino, Apollinario, atque Eutychianistis fuit palmare, atque ita apud hosce quomodo est una in Christo persona, ita & una natura. Ex illo tandem nata est & impia insania Tritheitarum, blaterantium in divina Majestate non tantummodo tres personas, sed & tres naturas. Hinc item Nestoriani unam in Christo homine quandoque fassi personam, nunquam fateri voluerunt unam hypostasim seu subsistentiam: Quòd nempe vox, *Hypostasis*, non pateret dolo, cui vocem, *Persona*, patere scribit Facundus Hermianensis. *Unam dicere personam Nestorianorum nova subterfugia non excludit, qui convicti innumeris testimoniis Patrum, quòd Deus Verbum & adsumptus homo una persona sit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel existimant dictum, vel existimare se fingunt*. Non ex unica utriusque naturæ communi subsistentia, sed ex pari auctoritate, dignitate, honore unam dicunt esse personam, quomodo in rebus humanis sunt Pater & Filius, Episcopus & Vicarius, Rex & Legatus. Quomodo hic gerit Regiam, ita ab homine adsumpto dicunt geri Divinam personam. L. 3. c. 2. L. 1. c 3.

Meritò in libro ad Reginas scribit Sanctus Cyrillus nequaquam sufficere personarum copulam, voluntatum concordiam, dignitatis, honoris, nominis, auctoritatis æqualitatem, naturarum indivisionem, inhabitationem, accessum, appositionem, coagmentationem, connexionem, contiguationem, habitus participationem, aut aliam quamvis simplicem coitionem, ut verè sit unus Christus, sed omninò requiri *carnis & Verbi unionem hypostaticam*. Quod ipsum inculcat in litteris ad Nestorium, seipsum sedulò expurgans ab omni suspicione mutati Verbi in carnem, aut carnis in Verbum. Eundem arguit, quòd tot impertinentes unionum modos fingat, improbetque unicum verum, quo solo esse potest unus veraciter Christus. Ait se sentire cum Joanne Apostolo scribente: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Etenim voces, *Caro factum*, palam important unionem secundùm hypostasim; voces, *Et habitavit in nobis*, excludunt omnem conversionem. Eleganter Facundus Hermianensis: VERBUM CARO FACTUM EST, *Nestorianos expugnat; Eutychianos autem vel Apollinaritas, eorum progenitores*, ET HABITAVIT IN NOBIS. *Quia*, VERBUM CARO FACTUM EST, *unam significat esse personam*, HABITAVIT *autem* IN NOBIS, *duas mansisse naturas*: Quod ipsum in Relatione ad Marcianum Augustum tradit Synodus Chalcedonensis. Æquè eleganter scribit Sanctus Eulogius, Patriarcha Alexandrinus, in Bibliotheca Photii: *Sicut si quis unionem in Christo asserens non coaptet unioni* HYPOSTASIN, *suspectum verbum reddit; sic si quis duas naturas indivisas dixerit non adjungens hoc*, SECUNDUM HYPOSTASIN, *in eandem suspicionem incidit*. Proinde F. 198. L. 1. Conc. Ephes. c. 26. L. 1. Conc. Ephes. c. 8. c. 26. C. 2. L. 6. c. 4. L. 230.

laudata

laudata vox est istud ipsum Ephesinæ, quod Synodo Nicænæ vox; *Consubstantiale*: Per hanc adversùm Arianos sanctissimæ Trinitatis, per istam adversùs Nestorianos dolos & mentiendi artes assecurata & circumscripta est orthodoxa doctrina dominicæ Incarnationis. Quisquis eam refutat, licèt forsan rectum sentiat, reddit se de Nestorio suspectum. Theodoretum existimo rectum credidisse: At quòd vocem veræ fidei penitus necessariam, & ab Ephesina Synodo ac Romana Cathedra probatam, traducat tanquam peregrinam, suspectam de Apollinario, & scandalosam, referri debet in laudatæ Synodi deplorandum schisma, suoque loco elucidandum. Facit, quod de voce, *Consubstantiale*, post Nicænam fecere Eusebiani, & quod hodie post Tridentinam Synodum de voce, *Transubstantiatio*, faciunt Calvinistæ & Lutherani. Verùm in Synodo Chalcedonensi ad mentem ille rediit, nec solas dogmaticas Sancti Leonis Papæ ad Sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, & ad ipsam Synodum litteras, sed & laudatam vocem generosissimè tutatus est: Eandem ista ipsa Synodus, Synodus quinta, & Ecclesia tandem universa recepit tanquam veræ fidei regulam, & columnam gloriosam, in qua Nestoriana impietas inscripta triumphatur.

Supra tamen laudatum Sancti Eulogii Alexandrini, & Josephi Methonensis Verbum videtur intelligendum de sola Ecclesia Græca, non de Latina. Sanctus namque Augustinus, Synodo Ephesina prior, assiduè inculcat Dei & adsumpti hominis unionem admirabilem atque ineffabilem factam fuisse in persona ad personæ unitatem. Et antiquus Tertullianus in libro C. 27. adversùs Praxeam: *Videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum & hominem Jesum*. Elegantissimè ostendit personalem unionem sine quavis factam confusione naturarum. Eodem modo antiqui latinorum Patres passim loquuntur, adeoque verè Facundus Hermianensis scribit innumeris Patrum testimoniis convictos Nestorianos, quòd Deus & homo adsumptus fuit una persona. Porrò laudati Patres nunquam aut rarò utuntur voce, *Subsistentia*, sed passim voce, *Persona*; atque ita apud nos *unio in persona* est istud ipsum, quod Græcis *unio in hypostasi*: Qua voce ante Ephesinam Synodum illi non fuerunt usi. Eam è Sancti Celestini Papæ litteris in Græcam linguam transtulit Sanctus Cyrillus, omnisque Synodus adprobavit.

L.1. Ephesin. Conc. c.23. Rectè Acacius Berrhæensis Episcopus, in litteris ad Sanctum Cyrillum, arguit Nestorium, quòd altiora se quærens, arcanissima, altissimo simplicis fidei silentio honoranda, divinæ Incarnationis Mysteria cogere præsumpserit ad leges humanæ rationis. Hypostaticam enim divinæ & humanæ naturæ unionem dicit esse impossibilem, quòd hæc finita sit, illa infinita, ideoque uniri deberet partialiter, quod rei impartibili est impossibile. Deinde, quæ hypostaticè uniuntur, simul etiam loco moventur, adeoque ad naturæ humanæ motum moveri debuisset & divina: Aut certè humana ad instar divinæ debuisset esse ubique. Tertiò, hypostatica unio, quòd hypostasis & natura sint idem, est unio in unam naturam, adeoque palam error confundentis Appollinarii.

Nempe antiqua hæc sunt gentilium in fidem nostram nugamenta, ut liquet ex litteris Sancti Augustini, abundè ea refutantis, ad Dardanum & Volusianum. Epist. 57. Epist. 3. Sunt hodiernæ nugæ eorum Lutheranorum, quos passim dicimus Ubiquetarios. Nam & his placuit vetustas gentilium & Nestorianorum sordes, jam pridem in inferno sepultas, revocare in aerem Romanum. Eandem temeritatem in Elipando Archi-Episcopo Toletano graviter notat Synodus Francofordiensis. Rectè verò respondet Sanctus Cyrillus in libro Epist. 3. Præf. duodecim Capitulorum explanatorio: *Nestorius ad priscorum Pharisæorum exemplum adversùs Christum se erigit, proterveque vociferatur*: CUR TU, CUM HOMO SIS, FACIS TEIPSUM DEUM? In libro ad Theodosium Augustum dicit eum cum nocturno Nicodemo quærere: *Quomodo possunt hæc fieri?* Et addit: *Valeant de liria, facessant infirmæ ad persuadendum fabulæ, opiniones falsæ, phaleratarum vocularum imposturæ*: C. 23. *Nihil enim, quod detrimentum adferre possit, admittimus, etiamsi adversarii exercitatissimis accerrimisque quæstionibus nos pulsaverint. Est enim Divinum hoc nostrum Sacramentum non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in Spiritus ostensione positum*. Et omnes *argumentationes, quibus impii nostram simplicem fidem de via recta conantur avertere, si ratio refutare non posset, fides irridere deberet*. Aug. l. 12. de Civit. c. 17. Hypostaticæ tamen unionis possibilitatem eleganter elucidat Sanctus Augustinus in litteris ad nobilem virum Volusianum: *Sic quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus sit, ut una fieret persona Christi, cùm hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant de re, quæ quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis. Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit, ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit*. Epist. 3. Ait se loqui de mixtura confusionis experte, Deique Verbum principaliter unitum esse ad animam, ad corpus non nisi ex causa animæ; & pergit: *Duarum rerum incorporearum commixtio faciliùs credi debuit, quàm unius incorporeæ & alterius corporeæ: Ac per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio, quàm animæ & corporis. Sed hoc in nobis ipsis experimur, illud in Christo credere jubemur. Si autem utrumque nobis pariter inexpertum credendum præciperetur, quid horum citiùs crederemus?* Haud dubiè duorum incorporeorum unionem. Eodem argumento utitur in libris de civitate Dei. L. 10. c. 29. Et Sanctus Leo Pontifex in litteris ad Julianum Episcopum Coensem; Epist. 11.

TERTIUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque dumtaxat conjunctione easdem inter se nectit, quæ est secundùm dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem, & non ea potiùs, quæ est secundùm naturalem unionem, anathema sit.

TERTIUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis non secundùm conjunctionem unum dixerit Christum, qui est etiam Emmanuel secundùm naturam; ex utraque etiam substantia tam Dei Verbi, quàm etiam ab eo hominis suscepti in una filii connexione, quam etiam nunc inconfusè servamus, minimè confitetur; anathema sit.

SCHOLION.

L.7.c.32. DE Nestorio hæc Socrates: *Ignoravit quòd scriptum sit in vetustis exemplaribus Epistolæ catholicæ divi Joannis*: OMNIS SPIRITUS, QUI SOLVIT JESUM, EX DEO NON EST. *Quippe hanc sententiam omnes, qui Divinitatem ab humanitate Christi sejungere studebant, ex vetustis exemplaribus delere & tollere non dubitarunt. Quapropter veteres interpretes idem ipsum significarunt, quosdam videlicet esse, qui illam Epistolam depravassent, qui in Christo hominem à Deo separarent.* Asserit Nestorium, utpotè omnis Christianæ antiquitatis imperitum & contemptorem, fuisse usum depravatis exemplaribus, & hinc lapsum. Quidquid sit, Christum palam solvere seu duos palam Christos prædicare Nestorius non præsumpsit, timens fidelem Christi plebem, recitantem quotidie in Symbolo: *Credo in unum Jesum Christum*. Ejus unitatem plenis & ipse buccis ubique deprædicavit: verùm dolosè & mendaciter, vocem, *unitas*, tractans pessimè, quomodo ab ejus magistris Pelagianis novimus tractatam vocem, *gratia*. Formalia, quibus omnis vafrities deregitur, illius verba adducit Sanctus Cyrillus in apologia suorum capitulorum adversùs Synodum Orientalem: *Dic de eo, qui suscepit, quòd* C. 3. *sit Deus. Appone susceptum, quia servi formam: Adiice post hæc connexionis dignitatem, quia duorum auctoritas communis, quia duorum eadem dignitas. Naturis manentibus, fatere dignitatis unitatem.* Deum Verbum & adsumptum hominem palam dicit esse duos, duas hypostases seu personas, verùm unitas dignitatis & auctoritatis æqualitate, quomodo sunt Rex & ejus ad causarum & potestatis plenitudinem Legatus. Hæc est ab illo ad circumscribendam simplicem plebem tot mendaciis phalerata unitas, de qua rectè Sanctus Cyrillus in litteris ad ipsum Nestorium: *Deum & hominem non secamus, quasi di-* L.1.Conc. Ephes. c.26. *gnitatis tantùm & auctoritatis communicatione inter se consocientur: Hoc enim dicere nihil est aliud, quàm inanem vocum novitatem ineptè profundere.* Est duos statuere Christos, alterum Deum ex Patre, alterum hominem purum ex matre. *Non enim honoris, dignitatis, vel auctoritatis æqualitas naturas unit: Alioquin Petrus & Joannes, qui paris dignitatis exstiterunt, unus essent, non duo.* Hæc ergò blasphemia est omninò digna anathemate.

Nihilominus Nestorii fautores in hocce Cyrilli capitulo graviter persecuti sunt voces, *unio naturalis*. Orientalis Synodus ita impugnat: *Naturas confundit Cyrillus, naturalem Divinam unionem nominans. Et quis unquam admittet naturalem Divinam unitionem in Sacramento dispensationis? Si enim naturalis unitio, ubi gratia? ubi Divinum Sacramentum? Naturæ enim semel ab ordinante Deo ordinatæ necessariis consequentiis serviunt. Num iterum erit secundùm revolutionem & naturæ consequentiam dispensationis opus, juxta deliramenta, fabulosaque mille annorum infausti Apollinarii dogmata?* Assiduus eorum-scopus est Cyrillum reddere de Apollinario suspectum.

Aliam non nihil viam ingreditur Theodoretus Cyri Episcopus. *Vel ignorat fortè Cyrillus quæ dicit, vel si novit, blasphemat. Natura enim vis est necessariò compellens, & absque voluntate. Si igitur naturalis fuit Dei formæ & servi formæ unio, à necessitate quadam compulsus, & non misericordia usus Deus verbum formæ servi conjunctus est, & legislator omnium necessitatis leges sequi invenitur.*

Cavillationes hæ sunt, Episcopis & Patriarchalibus præsertim Synodis indignæ. Ad primam respondet Sanctus Cyrillus in Apologia adversùm Orientales: *Quòd si naturalem unionem dixerimus, veram intelligimus*: Ad excludendam *externam solùm connexionem, quasi in ordine dignitatis. Habet enim Scriptura divinitùs inspirata hunc morem hac dictione in hunc sensum uti. Scribit enim Divinus Paulus*: ERAMUS NATURA FILII IRÆ. *Ibi* NATURA *idem est, quod verè.* Naturalem unionem esse dicit nihil aliud, quàm veram dissimilium naturarum C. 3.

rum unionem in eadem hypostasi sine omni confusione.

Respondet & ad secundam in libro ad Evoptium Ptolomaidis Episcopum: *Anathematismus asserit verbum naturaliter, hoc est, non secundùm solam dignitatem, auctoritatem, eandem filiationis nominationem, vel aliam quamvis habitudinem, sed verè unitum sanctæ carni habenti rationalem animam, nullo modo dividendum esse, ne duos imaginemur filios, & impartibilem partiamur*. Unionem naturalem esse dicit sine confusione veram, ostenditque Theodoretum, Episcopum insigniter doctum, pueriliter, frigidè, indignè deviare. Quis enim ferat omne naturale esse coactum & violentum? *Etenim Deus est naturaliter Deus, sanctus, justus, bonus, vita, lux, sapientia, virtus: Neque tamen præter voluntatem & coactè*.

Quæstio gravis est, quomodo Sanctus Cyrillus dicat in Christo Domino unitas non solummodo naturas, sed & ipsas subsistentias. Quo loquendi modo utitur etiam in libro ad Evoptium Episcopum adversùs calumnias Theodoreti. *Quia ait* Theodoretus *à Dei forma adsumptam servi formam, doceat in medium procedens, si absque subsistentiis solæ & per se formæ convenerint inter se. Sed existimo, ipse se statim evertet. Non enim similitudines omninò non subsistentes & formæ convenerunt inter se per unionem dispensatoriam, sed rerum sive hypostaseon conventus factus est, ut humanationis ratio verè facta credatur*. Et in litteris ad Valerianum Episcopum Iconiensem,
L.3.c.40. exstantibus inter acta Synodi Ephesinæ: *Simulant Nestoriani unum Christum & Filium confiteri, unamque ipsius personam esse dicunt; sed rursus cùm in duas Hypostases distinguunt invicem distinctas atque diversas, mysterii doctrinam penitus pervertunt*. Eos istic continuò exagitat, non quòd duas in Domino hypostases dicerent, sed quòd duas divisas ac seorsim subsistentes. Ejusmodi plura illius loca, Christum Dominum è pluribus in unum concurrentibus ac inconfusis permanentibus subsistentiis componentia, adducit Facundus Hermianensis. Favere videtur San-
L.11. c.7. ctus Leo Pontifex in sermone de Epiphania:
Ser.3. c.2. *Magi adoraturi unum, tria se simul credidisse demonstrant: Auro honorantes personam Regiam, myrrha humanam, thure Divinam*.

At verò in aliis locis idem Sanctus Cyrillus dogma istud tanquam Nestorianum constantissimè damnat, adserens duarum naturarum in una hypostasi unionem esse fidem Apostolicam, ideoque omnem credentem aut dicentem duas hypostases esse ab illa penitus alienum. Et hinc
C. 3. adversùs illum scribit Synodus Orientalis: *Illum suorum verborum commonefacimus, ostendentes ipsum duas subsistentias dixisse: Quomodo igitur quasi oblitus suorum verborum ad unam hypostasin cogit, naturas confundens?* Et infra: *Ut ostenderemus eum dicere duas hypostases, ac sibi esse contrarium, apposuimus ea, quæ olim ab ipso dicta sunt*. Quam contradictionem exagitat etiam Theodoretus. Episcopi item Severiani in Collatione Constantinopolitana habita cum Catholicis sub Justiniano Augusto: *Cyrillus in Epistola duodecim Capitulorum duas subsistentias pro duabus naturis posuit*, adeoque erravit. Quin immò Cyrilli defensor atque Encomiastes Facundus Hermianensis post enumerata loca ejusmodi pergit: *Consideret Lector, quomodo asseratur, quòd in Christo naturis inconfusè manentibus subsistentiæ quoque permanserunt, quæ nunquam fuerunt: Quoniam semper ad Dei Verbi subsistentiam humanitas illa pertinuit, nunquamque sola velut in persona propria substitit adsumentis subsistentiam nacta, & in illam nascendo transiens, vel transeundo nascens, cui causa oriendi, totumque quod orta est, ipsa fuit adsumptio*. L.11.c.7.

Hinc omninò magna est quæstio, quomodo Cyrillus dicat non tantùm ambas naturas, sed & ambas earum subsistentias in Domino integras atque inconfusas permansisse. Etenim Quintianus, Asculanus in Apulia sub Felice tertio Pontifice Episcopus, inter alios anathematismos etiam hunc misit ad Petrum Cnapheum, Patriarcham Antiochenum: *Si quis dicit duas personas sive subsistentias, & non potiùs duas naturas in unam personam & unam subsistentiam concurrentes, damnetur*. Etenim *persona, qua persona est, non potest uniri personæ*, uti apud Photium in L. 228. Bibliotheca ostendit in litteris ad Domitianum Melitinæ Episcopum Sanctus Efremius Patriarcha Antiochenus.

Ad nodum hunc respondet idem Efremius in relata ibidem oratione de actis Synodicis Synclerici Tharsensis Episcopi, ostendens *beatum Cyrillum alicubi* NATURA *pro persona usum esse:* ubi nempe dicit Christum Dominum esse *unam naturam Dei Verbi incarnatam*. Quod L. 230. ipsum adseverat Sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus in relatis ibidem orationibus adversùm calumniatores Synodi Chalcedonensis. Addit Efremius etiam vice versa Athanasium, Basilium, ac Julium Pontificem quandoque voce, L. 229. *Hypostasis*, seu, *subsistentia*, uti pro voce, *Natura*, eodemque modo loqui in hoc anathematismo Sanctum Cyrillum, atque ita in ejus doctrina nullam esse contrarietatem. Quin immò Nicæna Synodus, dum Deum Filium definit esse, non ex aliena, sed ex Patris essentia seu subsistentia, videtur utramque vocem pro eodem accepisse, licèt aliud velit Sanctus Basilius in professione fidei præscripta Eustatio Sebastensium in Armenia Metropolitæ. Ipse Basilius in litteris Epist.78. ad fratrem suum Gregorium Nyssenum Episco- Epist.34. pum fatetur vocem, *Hypostasis*, non pro persona, sed pro essentia sumi ab Apostolo in Epistola ad Hebræos. Certè nostra vulgata versio idipsum censet, transferens: *Qui cùm sit figura*, id est, imago, non subsistentiæ, sed *substantiæ ejus*. Quidquid sit, Sanctus Athanasius variis in locis ita sumit. Scribit enim ad Julianum Augustum in litteris à laudato Efremio adductis: *Unam appellare decet, ac potiùs profiteri Verbi naturam ac hypostasin incarnatam*. In quinta oratione contra Arianos, ac in litteris ad Liberium Papam disertè ait Patris & Filii esse unam οὐσίαν, unam ὑπόστασιν. In litteris ad Episcopos Africanos: ὑπόστασιν οὐσίαν εἶναι. Et quod misera illa inter orthodoxas Ecclesias de voce, *Hypostasis*, contentio ortum duxerit ex eo, quod quidam οὐσίαν & ὑπόστασιν confunderent, quidam distinguerent, tradit idem ipse in litteris synodalibus ad Ecclesiam Antiochenam,

& Sanctus Basilius in laudatis litteris ad fratrem Gregorium Nyssenum. Et hinc in litteris ad Cledonium Presbyterum Sanctus Gregorius Nazianzenus ait se non curare de syllabis & vocibus, id est, de controversa tunc significatione vocis, *Hypostasis*: Ita illum in Florentina Synodo exponit doctissimus Bessarion, Metropolita Nicænus. Sess. 8. Et huc omninò respicit Anastasius Bibliothecarius in præfatione septimæ Synodi ad Joannem octavum Pontificem. *Sed & illud notandum, quoniam ubicumque in hujus Synodi textu* SUBSISTENTIAM *posui*, PERSONAM *intelligi volui. Quod enim Græcè* HYPOSTASIS *dicitur, hoc nonnulli personam, nonnulli verò subsistentiam interpretati sunt. Porrò* SUBSISTENTIAM *multi personam, multi verò substantiam etiam intellexerunt: At illos ego secutus, qui* SUBSISTENTIAM, *non substantiam, sed personam intelligi voluerunt (Magni quippè sunt) ubicumque Græcè in hoc codice* HYPOSTASIM *reperi, in* SUBSISTENTIAM *transtuli, hanc* PERSONAM, *sicut & alii quamplurimi, volens intelligi*. Sanctus itaque Cyrillus voce, *Hypostasis*, quandoque in hac, quandoque in ista significatione usus est; in hoc autem anathematismo omninò utitur pro substantia seu natura. Absit, ut in Christo Domino dicat duas, licèt quovis modo unitas, personas. Causam, ex qua ita locutus est, in laudata Collatione Constantinopolitana edicit Hypatius Orthodoxus Episcopus Ephesiorum: *Antiqui Patres, & maximè Romani, pro substantia & naturam & subsistentiam nominabant: undè sicut unam naturam, & unam substantiam, ita unam subsistentiam sanctæ Trinitatis esse dicebant. Orientales verò sancti Patres pro persona suscipiebant subsistentiam, & sicut tres personas, ita & tres subsistentias in sancta Trinitate dicebant*. Hoc in cardine hæsisse dicit litem superiùs memoratam, quam composuit Sanctus Athanasius. Sanctus ergò Cyrillus Romani Pontificis in causa Nestoriana Legatus & Vicarius Romano more locutus est, *& ideo in duodecim illis Capitulis pro duabus substantiis, vel naturis duas subsistentias posuit*. Ita & ista lite Paulinum Patriarcham Antiochenum, quòd à Romanis ordinatus esset & adversùm æmulos defenderetur, Romano more usitasse hanc ipsam vocem, *Hypostasis*, scribit in litteris in prima parte hujus Synodi exstantibus ad Sanctum Cyrillum Acacius Episcopus Berrheensis. C. 23. Addit Hypatius duodecim Cyrilli Capitula ob causam hanc à Synodo Chalcedonensi fuisse non quidem abjecta, neque tamen expressè approbata. *Synodus namque unam personam & unam subsistentiam* adversùs Nestorium dividentem *volebat definire; illa* autem Capitula *duarum subsistentiarum inferunt mentionem, propterea ea propriè nominare distulit, ut non inveniretur aut illis aut sibi esse contraria*. Nullam admittere voluit vel speciem contradictionis, ex qua subjacere posset hæreticorum calumniis. Et hinc illi latini codices qui non *subsistentiam*, sed *substantiam* vertunt in hoc anathematismo, sunt omninò meliores.

Porrò Sanctus Leo Pontifex vocem, *Persona*, istic etiam impropriè sumit: Absit, ut Christi Domini hypostasin dicat esse humanam. Accipit vocem pro vario ejusdem personæ statu & qualitate, quomodo etiam subindè à Sanctis Basilio & Gregorio Nazianzeno accipi, ostendit apud Photium laudatus Eulogius Alexandrinus. L. 230. Addit acceptionem postea evasisse scandalosam, suspectam, & offensivam, quòd Tritheitæ, L. 232. quos inter Stephanus Gobarus, illa abuterentur. Undè & nos hodie non ita loquimur.

QUARTUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis duabus personis vel hypostasibus eas voces attribuit, quæ in Evangelicis & Apostolicis Scripturis passim occurrunt; quæve à Sanctis de Christo, aut ab ipso quoque Christo de se ipso dictæ sunt; & alias quidem homini seorsum à Dei Verbo consecrato adscribit, alias verò, tanquam in divinam majestatem convenientes, soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accomodat; anathema sit.

QUARTUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis eas voces, quæ tam in Evangelicis, quàm in Epistolis Apostolicis de Christo, qui est ex utraque, scripta sunt, accipiat tanquam de una natura; ipsique Dei Verbo tentat passiones tribuere, tam secundùm carnem, quàm etiam Deitatem: anathema sit.

SCHO-

SCHOLION.

ADsumptas à Domino nostro Jesu Christo humanæ naturæ infirmitates, earumque significativas voces, à duobus invicem pugnantibus hostibus, Arianis & Nestorianis, in abusum & blasphemiam trahi rectè advertit in litteris ad Valerianum Iconiensem Episcopum Sanctus Cyrillus. Isti ex illis Dominum Christum consubstantiali Patris natura, hi spoliare conantur Divina persona. Ariani namque Deum Verbum libentissimè admittunt è Virgine natum, parvo lacte pastum, crucifixum, & mortuum, quò illum evincant in ipsa Divinitate à Patre diversum ac minorem; Nestoriani ea omnia ut blasphema ac Deo nimiùm indigna aversantur, quò obtineant Dei & hominis adsumpti non esse eandem personam.

L.3. Ephe fin. Conc. c.40.

Porrò Nestorii de communicandis utriusque in Christo Domino naturæ idiomatibus verba & sensum refert ipsa Synodus Ephesina: *Si totum novum Testamentum accuratè scrutatus fueris, nusquam in eo mortem Deo adscriptam comperies, sed vel Christo, aut Domino, aut Filio. Hæ autem voces*, CHRISTUS, DOMINUS, FILIUS, *cùm unigenito in Scripturis tribuuntur, naturarum duarum indices existunt, & aliquando quidem Divinitatem, nonnunquam humanitatem, interdum utramque simul exprimunt*. Divinæ Majestatis idiomata seu vocabula dicit esse duplicia: Alia creaturæ incommunicabilia, quale est vocabulum, *Deus*; alia communicabilia, qualia sunt, *Filius*, *Dominus*, *Christus*, aliaque id genus: Nam & Cyrus & Nabuchodonosor, Reges gentiles, Scriptura vocat Dei filios, & Christos. Hæc itaque ipsa vocabula utrique in Christo hypostasi dicit esse communia, atque ita de illis utriusque naturæ idiomata verè prædicari. Christum, Dominum, Dei filium dicimus natum ex Patre & natum ex matre, bimestrem & æternum, immortalem & mortuum: Et quidem eundem Filium, Dominum, Christum. Eundem, inquam, nomine, honore, dignitate, auctoritate, persona. At verò nomen, *Deus*, quòd Divinam naturam privativè importet, dumtaxat æquivocè dicit cadere in creaturam, etiam ipsum Christum hominem: Atque ita Deus dici nequit natus è Virgine, bimestris, mortuus, crucifixus. Etenim natura & hypostasis sunt idem, proindeque ista infirmitatis humanæ idiomata, quomodo non de Deitatis, ita neque de Divinæ hypostaseos propriè significativa voce possunt veraciter adfirmari.

L.2. f.364.

At longè aliter philosophatur Sanctus Cyrillus, omnisque cum illo Ephesina Synodus, cujus sensum post multis expositam duarum in Christo Domino naturarum unam personam eleganter tradit Sanctus Leo Pontifex in litteris dogmaticis, quibus instruxit & Sanctum Flavianum Constantinopolitanum Episcopum & Synodum Chalcedonensem: *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam & filius hominis legitur descendisse de cœlo, & filius Dei dicitur crucifixus & sepultus*. Homo impassibilis, æternus, immensus; Deus dicitur esse mortalis, tempore & loco circumscriptus; uti latè in Relatione ad Principem prosequitur laudata Synodus Chalcedonensis. Et in eadem post lectionem dictæ Epistolæ Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui non credit. Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt. Piè & verè Leo docuit. Cyrillus ita docuit. Cyrilli æterna memoria. Leo & Cyrillus similiter docuerunt. Anathema ei, qui non sic credit*. Quam doctrinam in centenis locis tradit & Sanctus Augustinus, & quotquot Ecclesiæ Patres dogma istud tractavere. Ut enim voces concretæ de se mutuò adfirmentur, identificari debent in significatis rectis, & formale significatum prædicati inexistere oportet significato recto subjecti: Hæc duo de sese mutuò adfirmari faciunt etiam voces disparatissimas ac repugnantes. Earum porrò significatum rectum est persona, eaque in Christo Domino est unica, atque ita utriusque, licèt diversissimæ naturæ quævis concreta idiomata legitimè & verè ultrò citròque prædicantur.

Epist. 10. c. 5.

Act. 1.

Dico, *Idiomata concreta*. Rectè enim Joannes Patriarcha Antiochenus, aliique Nestorianæ, non perfidiæ, sed personæ defensores Episcopi Orientales scribunt ad suos gregales de Acacio Episcopo seu Berrhæensi, seu Melitinensi: *Redarguimus & Acacium, qui in commentariis posuerat* PASSIBILEM ESSE DEITATEM. *Quod usque adeo gravatim tulit pius Rex Theodosius, ut excuteret pallium, & retrorsum cederet præ blasphemiæ magnitudine*. Etiam Sanctus Cyrillus in libris adversùs Nestorium admittere videtur hanc propositionem: *Divinitas est homo facta*. Et Sanctus Augustinus in libris de consensu Evangelistarum dicit *ipsam Dei sapientiam in homine adsumpto natam, mortuam, resurrexisse*. Et Sanctus Fulgentius ad hanc Ferrandi Carthaginensis Diaconi quæstionem, *Utrum sicut Dei Filius dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus, ita ejus Divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam, quamvis sive Deus, sive Divinitas nominetur, sola intelligitur caro mutabilis atque passibilis, secundùm quam Deus aut Divinitas potuit, quod in sua natura non potuit*, respondet affirmativè, suam adsertionem non tantùm Augustini & aliorum Patrum, sed & ipsius Apostoli varia auctoritate confirmans. Et quidem ejus tempore per omnem Orientem horrendissimè grassabantur ipsius in propria essentia Divinitatis crucifixores Eutychianistæ: Ne cum ipsis insanire viderentur orthodoxi, ejusmodi propositiones non omitti jussit, sed dumtaxat temperari adjuncta voce, *Secundùm carnem*. Quod ipsum apud Sanctum Augustinum tradit Auctor quæstionum de sancta Trinitate.

Concil. Ephes. F. 468.

L. 1. c. 3.

L. 1. c. 35.

Q. 2.

C. 2.

Verùm enim verò hetroclytæ sunt locutiones istæ, deviæ à veris Logicorum regulis, neque à nobis ullatenus usurpandæ. Rectissimum in illis sensum habuere laudati Patres: At nos in quotidiani sermonis usum vertere non possumus schemata & orationis figuras, quibus illi ex magistrali auctoritate & licentia fuere, & quidem parcissimè, usi. Eam fore ineptam insolentiam scribit ad Asellicum Episcopum Sanctus Augustinus. Discipulis, uti non expediunt, ita nec licent

Epist. 200.

licent phrases istæ. Ex unica jam adducta Acacii locutione Nestorii fautores adeo non solùm ipsum, sed & omnem illi communicantem Synodum Ephesinam reddidere suspectam de Apollinario ut pergant in adductis litteris ad suos gregales: *Scimus & totum Consistorium nos valdè habere acceptos, quòd pro pietate certemus. Et omnis populus Constantinopolitanus jugiter ad nos venit orans, ut strenuè pro fide certemus*. Agebant enim Errones isti Chalcedone, istic per Principem Theodosium quasi exilio circumscripti. F.486.

Meritò autem in Synodo Chalcedonensi clamatum est ab Episcopis, eam esse fidem Apostolorum & omnium semper orthodoxorum. Etenim antiquus Tertullianus scribit in libro de patientia: *Nasci se Deus in utero patitur matris, & exspectat, & natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est, & à servo suo tingitur, & tentatoris congressus solis verbis repellit*. Ita non adsumpti hominis, sed ipsius adsumentis Dei patientiam commendat. Ejusdem, quam gentium Doctor Apostolus vocat *Stulta Dei & stultitiam prædicationis*, humilitatem commendans, exponensque ejusdem Apostoli verbum, *Stulta mundi elegit Deus*, pergit in libro de carne Christi adversùs Marcionem: *Quænam hæc stulta sunt? Quære, Marcion, de quibus dixerit. Et si te præsumpseris invenisse, non erit tam stultum, quàm credere in Deum natum, & quidem ex Virgine, & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus sit. Dicat hæc aliquis stulta non esse: Et alia sint, quæ Deus elegerit in æmulationem sapientiæ sæcularis. Et tamen apud illam faciliùs creditur Jupiter taurus factus aut cycnus, quàm verè homo Christus*. Pergit in capite sequenti: *Sunt planè tam stulta, quæ pertinent ad contumelias & passiones Dei. Aut prudentiam dicant Deum crucifixum. Aufer hoc quoque, Marcion, immò hoc potiùs; quid enim indignius Deo? Quid magis erubescendum, nasci, an mori? carnem gestare, an crucem? circumcidi an suffigi? educari, an sepeliri? in præsepe deponi, an in monumento recondi? Sapientior eris; si nec ista credideris; sed non eris sapiens, nisi stultus in sæculo fueris, Dei stulta credendo*. Natum & mortuum Christianorum Deum, quomodo immortalem & apud illos sepultum Cretensium Jovem, derisere gentilium sapientes, ejusque causa non minùs istos, quàm hos, existimavere stultos, semperque mendaces. Eodem ex principio natum de muliere, infantem, bimestrem, crucifixum, mortuum, & per quævis infirmitatis nostræ solemnia volutatum Deum derisit, & exufflata carnis veritate phantasma induxit Marcion: Atque ita Nestorio fuit, licèt ex adverso fundamento, magister & Antesignanus erroris.

C. 5.

C. 4.

Pergit Tertullianus: *Utriusque substantiæ census hominem & Deum exhibuit: Hinc natum, indè non natum; hinc carnem, indè spiritalem; hinc infirmum, indè præfortem; hinc morientem, indè viventem. Quæ proprietas conditionis humanæ & Divinæ, æqua utique naturæ utriusque proprietate, dispuncta est eadem fide & spiritus & carnis. Virtutes Spiritum Dei, passiones carnem hominis probaverunt*. Egregiè consonat laudata dogmatica Epistola Sancti Leonis Papæ. *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium est: verbo operante, quod verbi est; & carne exequente, quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim, idemque est verè Dei Filius, & verè hominis filius*. Quocirca ad idiomatum communitatem non tantùm personæ unitas, sed & naturarum requiritur inconfusa ac integra diversitas; Illa enim disparata, immò & repugnantia, quomodo in eandem indivisam hypostasim, ita refundi debent in diversas unitas naturas. C. 4.

Attamen Joannes Patriarcha Antiochenus, ejusque Synodus, post initam cum Sancto Cyrillo Alexandrino ac ejus Synodo pacem damnavit Nestorii & impietatem & personam, Maximiani successoris ordinationem admisit, veram humanæ ac Divinæ naturæ in eadem hypostasi unionem professus est; verùm de idiomatum communione scripsit ad laudatum Cyrillum: *Evangelicas & Apostolicas de Domino voces scimus graves Theologos alias quidem communes facere, tanquam ad unam personam pertinentes, alias verò propter duarum naturarum diversitatem divisim nuncupare; & illas quidem, quæ Deo conveniunt, ad Christi Divinitatem, humiles verò ad ejusdem humanitatem referre solere*. Ejus mentem egregiè exponit, & à veneno Nestoriano discernit Hypatius Archi-Episcopus Ephesinus in collatione Constantinopolitana cum Severianis: *Nestorius duos dicit filios, & Dominos, & Christos; Orientales autem fratres nihil tale dixerunt, sed tantummodo voces dividunt. Dividunt autem secundùm hunc modum dicentes: Eò quòd quædam ex his Deo dignæ sunt, quædam verò homine; quædam autem communiter prolatæ sunt tanquam habentes tam dignationem Divinam, quàm humanitatem, sed tamen ab uno eodemque prolatas*. Christi Domini idiomata dicit esse duplicia, alia utrique naturæ communia, alia propria soli Divinæ aut humanæ: Priora & de voce *Deus*, & de voce, *Homo*, & de voce, *Christus*, utriusque naturæ significativa; posteriora soli humanæ infirmitati propria de sola voce, *Homo*, aut voce, *Christus*, vult posse prædicari. Eamque esse dicit gravium Doctorum Theologiam. L.3.Conc. Ephes. C.30.

Adducere poterat Tertullianum in libro adversùs Praxeam, Divinæ Trinitatis eversorem, & Dei Patris crucifixorem. *Obmutescat, obmutescat ista blasphemia. Sufficiat Christum Filium Dei mortuum dici: Et hoc, quia scriptum est. Nam & Apostolus non sine onere pronuncians Christum mortuum, adjecit*, SECUNDUM SCRIPTURAS, *ut duritiam pronuntiationis Scripturarum auctoritate molliret, & scandalum auditori everteret. Quamquam enim duæ substantiæ censeantur in Christo Jesu, Divina & humana, constet autem immortalem esse Divinam, sicut mortalem, quæ humana sit, apparet, quatenus eum mortuum dicat, id est, qua carnem, & hominem, & filium hominis, non qua Spiritum, & sermonem, & Dei Filium. Dicendo denique*, CHRISTUS MORTUUS EST, *id est*, UNCTUS, *id, quod unctum est, mortuum ostendit, id est, carnem*. Crucifixus & mortuus Christianorum Deus erat gentibus stultitia, ejusque Evangelium jam audivi- C. 29.

divimus ab ipso Apostolo vocari stultitiam prædicationis, & omni sapientia sapientius Dei stultum: Noluit nihilominus idem Apostolus gentium, quibus datus singulariter Doctor, aures offendere aut mentes scandalizare, ideoque duplicem moderationem adposuit verbo suo, dicens, non *Deum*, sed *Christum*, uti in libro contra sermonem Arianorum Sanctus Augustinus loquitur, *duplicis substantiæ gigantem*, mortuum, idque *secundùm Scripturas*, id est, juxta vetustissima vaticinia omnium Prophetarum. Noluit audire novorum dogmatum adnuntiator, nec videri cum Cretensibus semper mendacibus
L.3.Conc. Ephes. c.35. C. 37. Epist.2. insanire. Eodem igitur modo Joannes Antiochenus Episcopus, uti in litteris ad Acacium Meletinæ Episcopum, Eulogium suum Presbyterum ac in Regia urbe Apocrisarium, & ad Successum Episcopum Dio-Cæsaræa Sanctus Cyrillus scribit, ab omni Arianæ, Apollinaristicæ, ac Eunomianæ perfidiæ, Christi Domini naturas confundentis, ac ipsam Deitatem crucifigentis, suspicione, & quæ indè nasci poterat, piarum aurium offensione sese removere & tutari voluit, atque ita non Deum, sed Christum dicere natum, crucifixum, mortuum, sepultum. Aut forsan in omnia Cyrilli capitula & dogmata quasi victus descendere noluit, sed & vice versa ipsum cogere ad aliquid sui admittendum. Ut ut sit, Ecclesiæ dogma sartum tectum servabat, & de sola voce contendebat ista quæstio, ideoque dissimulavit & postulata Cyrillus admisit. Exinde tamen à variis contradictiones passus est, quasi qui pacis causa Ephesinam fidem & sua Capitula prævaricator proderet ac venderet, atque ita & pro se & pro Joanne compulsus fuit ad plures Episcopos scribere Apologias. Ejus item postea apologiam agere coactus est Hypatius Ephesinus. Et hinc tandem evanuit ista Theologia Joannis: Jam pridem omnis sub cœlo Ecclesia quasvis humanæ infirmitatis voces non tantùm de voce, *Christus*, sed & de voce, *Deus*, adfirmat, idque ex phrasi & lege Apostolorum, qui scandalum crucis, quomodo semper in corde & fronte, ita & in ore portari, ac non erubesci à veris Christianis docuerunt.

QUINTUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis dicere audet Christum non esse verum Deum, sed hominem tantùm deiferum; utpotè unum naturalemque filium, quatenus nimirum Verbum caro factum carni & sanguini perinde ac nos communicavit, anathema sit.

QUINTUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cùm sit Emmanuel, anathema sit.

SCHOLION.

L.1.Conc. Ephes.c.6. NEstorii sensum exponit Sanctus Cyrillus in litteris ad ipsum, agens de fidelibus ab illo seductis: *Eò malum hoc paulatim serpendo pervenit, ut Christum nonnulli Deum appellari ægrè patiantur, sed potiùs Divinitatis organum & instrumentum, hominemque Deiferum, & alia his ineptiora.* Et in alia ad eundem Epistola:
Cap.26. *Sed neque Dei Verbum in sacræ Virginis Filio veluti in communi quodam homine inhabitasse dicere fas est, ne hac ratione Christus Deifer homo intelligatur. Nam licèt Verbum in nobis habitarit, attamen non ita in illo habitavit, ut in Sanctis inhabitare dicitur.* Nestorius enim, ut idem Doctor scribit ad suos Monachos, Christum Dominum dixit,
Cap.19. non Deum verè incarnatum, sed hominem dumtaxat Deiferum, id est, organum & instrumentum, quale & Moyses fuit, ad patranda miracula à Deo adsumptum & usurpatum. Et in libris adversùs Nestorium: Subjicit *Nestorius*
L.1. c.3. *Christum non Deum verum, sed Deiferum potiùs hominem fuisse.* Hanc itaque blasphemiam anathemate damnat Cyrillus.

Damnat conformiter ad D. Augustinum, qui de voce, *Homo dominicus*, usitata à se in libris de sermone Domini in monte, scribit in libris Retractationum: *Non video, utrum rectè dicatur* HOMO DOMINICUS, *qui est mediator* L.1.c.19.
Dei & hominum homo Christus Jesus; cùm sit utique Dominus. DOMINICUS *enim* HOMO *quis in ejus familia non potest dici? Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi catholicos tractatores Divinorum Eloquiorum. Sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem.* Eodem modo *Homo Deifer*, quis in Dei familia dici non possit? Etenim Sanctum Ignatium Martyrem & Episcopum Antiochenum in octava Synodo *Deiferum* Act. 1.
vocant Thomas Tyriorum Metropolita, sedisque Antiochenæ Vicarius & Legatus, ac Elias F. 199.
Presbyter, Legatusque & Syncellus Theodosii Patriarchæ Hierosolymitani. Causam dat Anastasius Bibliothecarius in scholiis ad dictum Synodi locum; *Tradunt Græci, quod quem Dominus advocatum statuit in medio, dicens,* NISI CONVERSI FUERITIS, ET EFFICIAMINI SICUT HIC PARVULUS, *iste Ignatius fuit, & idcirco hunc* DEIFERUM *nuncupant. Undè*

nec Apostoli ausi fuerunt ei, cùm ad Ecclesiæ Præsulatum promoveretur, ampliùs manus imponere, nimirum quem ore Dei laudatum, & ipsius tactu sanctificatum cognoverunt. Quin quosvis Ecclesiæ Patres sexta Synodus passim vocat *Patres Deiferos*. Et ad omnes fideles Corinthios scribit Paulus Apostolus: *Glorificate & portate Deum in cordibus vestris*. Epist. 1. c. 6.

Dictam propositionem, *Christus est homo Dominicus*, ante Augustinum, ex alio adversùs Apollinarium principio, in prima ad Cledonium Epistola damnavit Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Ne imposturam faciant homines, vicissimque ipsi fallantur*, HOMINEM DOMINICUM, *ut ipsi loquuntur, vel potiùs Dominum nostrum & Deum mentis expertem esse asserentes*. Naturam nostram in Christo Domino mutilabat Apollinarius, dicens deesse animam aut mentem, ejusque vices & officia suppleri à verbo ipso, ideoque Mediatorem esse, non vulgarem hominem, sed Dominicum; utpotè qui non vulgari mente aut anima, sed ipsa Divina & Dominica essentia compleretur. Quam dolosam blasphemiam omni latebrarum asylo orbatam volens Gregorius dictas voces damnavit.

Adversùs hunc tamen Anathematismum acerrimè insurrexit Theodoretus. DEIFERUM HOMINEM, *sicut à multis sanctis Patribus dictus est, non devitamus: Quorum unus magnus ille Basilius in sermone de Spiritu sancto ad Amphilochium hoc usus est nomine, & in explanatione quinquagesimi noni Psalmi. Vocamus autem* DEIFERUM HOMINEM, *non quòd particularem quandam Divinam gratiam acceperit, sed quòd omnem habeat unitam Filii Deitatem*. Existimat Theodoretus sanctorum Patrum, quomodo sensum, ita & voces non posse ab ullo damnari, ideoque Cyrillum esse manifestum prævaricatorem. Eundem Anathematismum arguit Nestorius, quòd Deum & hominem asserat esse *unum naturaliter Filium*, id est, juxta Apollinarium, unius ex duabus confusæ naturæ.

Respondeo Nestorii calumniam esse crambem repetitam, refutari indignam. De Theodoreto & adductis ejus verbis scribit ad Eliam Aquilejensem Metropolitam ac ejus Synodum Pelagius secundus: *Quis hæc omni impietate plena non videat? A quibus tamen constat, quòd se postmodum Theodoretus correxit, qui in sancta Chalcedonensi Synodo Nestorium anathematizare consensit*. Voces, *Deus carnifer*, huc usque inauditas, aliasque id genus peregrinarum blasphemiarum novitates per omnem Ecclesiam sparserat Apollinarius, cui Sanctus Basilius voces, *Homo Deifer*, opposuit sensu sanissimo, quem absit ut anathemate percuserit Sanctus Cyrillus. Aliud sunt sanctorum Patrum sensa, aliud voces, recteque in catalogo virorum illustrium scribit Gennadius Presbyter Massiliensis: *Julius Romæ Episcopus scripsit de Incarnatione Christi Domini Epistolam unam, quæ isto quidem tempore utilis visa est adversùs eos, qui duas per Incarnationem in Christo asserebant personas, sicut & naturas; nunc autem perniciosa probatur: fomentum enim est Eutychianæ & Timotheanæ impietatis*. Quæ & qualis fuerit Julii Pontificis Epistola, & num de illa non hallucinetur Gennadius, est loci alterius quæstio: fateor litteras adversùs grassantem priori tempore errorem utiles, posse tempore posteriori fieri perniciosas, & grassanti tunc errori præbere fomenta. Hocce enim necdum nato, & ejus patronis pro ipso necdum litigantibus atque insidiantibus, securiùs loquebatur Ecclesia; usurpabatque voces rectas quidem, sed quibus postmodum illi, tanquam lupi ovinis lanis, abuti, suum sub illis virus abscondere, atque ita ex ipsis, tanquam ex securis latibulis, cœperunt simplicem orthodoxam plebem venari. Suspectæ, periculosæ, piarum aurium offensivæ, scandalosæ tunc fiunt ejusmodi voces, ideoque illas, salvo Patrum sensu, ab omni fideli lingua Ecclesia proscribit, ac omnis earum usurpator sese reddit de subintruso per dolosos Errones novo veneno suspectum, immò & præsumptivè convictum. Et ita laudatis Sancti Basilii vocibus factum est ex succedente perfidia Nestoriana. Longa est hæc de vocibus damnandis quæstio, suo loco elucidanda. Cap. 10.

SEXTUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis Dei Patris Verbum, Christi Deum vel Dominum esse dixerit, neque post Verbum secundùm Scripturas incarnatum, unum eundemque Deum simul & hominem esse confessus fuerit, anathema sit.

SEXTUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis post Incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Christum nominaverit, servi sanè formam initium non habere cum Deo Verbo, & increatam, ut ipse est, dicere tentaverit, & non magis ab ipso creatam confiteatur, quam natura Do-

Dominum, & Creatorem & Deum, quam & suscitare propria virtute promisit: *SOLVITE*, dicens, *TEMPLUM HOC, ET IN TRIDUO SUSCITABO ILLUD*, anathema sit.

SCHOLION.

CHristum Dominum non solummodo Dei Patris, sed & ipsius Dei Verbi servum appellavit Nestorius verbis relatis à Sancto Cyrillo in libro ad Evoptium Episcopum contra reprehensiones Theodoreti. *Atque adeo passus est Pontifex misericors, non vivificator, ejus, qui passus est, Deus*. Et in alio loco: *Erat autem & ipse infans & infantis dominus*. Et hunc ejus errorem, sermonesque non solummodo indecorè, sed & valdè impiè dictos directè impetit suo anathemate Cyrillus. Et adjecit causam: *Si Deus Christi est Verbum, quod ex Deo Patre est, duo erunt modis omnibus & indubitanter. Quomodo intelligatur idem infans & infantis Dominus? Num igitur dicetur & fuisse ipsius Deus ac Dominus Emmanuel, quandoquidem idem ipse simul est Deus & homo?* Eandem causam repetit in libro Capitulorum suorum explanatorio, & in libris adversùs Nestorium. *Ubi unquam dictum est, Deus Christi, horresco referens, ipsum Dei Patris Verbum? Unus est enim Dominus Jesus Christus*. Et in litteris ad eundem, exstantibus in Synodo Ephesina: *Neque ipsum Dei Patris Verbum Christi Deum aut Dominum nominamus, ne unum Christum, & Filium, & Dominum in duos apertè divellentes in blasphemiæ crimen, utpotè Deum ipsum sui dominum ipsius constituentes, incidamus. Verbum enim Dei, carni secundùm hypostasim unitum, & Deus est, & creaturarum omnium dominus, sui autem ipsius neque dominus neque servus*. Servus & Dominus debent hypostasi distingui: Quisquis Deum Verbum dicit Christi Dominum, & Christum illius servum, Jesum Christum palam solvit, dividitque in duas hypostases, & duos Christos.

C. 6.

L. 3. c. 2.

L. 1. c. 26.

Eandem veritatem ex Verbo Domini, *Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum*, egregiè adversùm Pelagianos Nestorii in Hispania præcursores confirmat in litteris ad Vitalem & Constantium, Hispanos Episcopos, Capreolus Archi-Episcopus Carthaginensis: *Eligat hæreticus, cujus vocem malit hanc esse: utraque parte acuto spiritali gladio ferietur. Si hominis vox est, ergò Filius Dei est homo ille:* AD PATREM MEUM *dicit* ADSCENDO. *Si Dei vox est, ergò homo est Deus ille:* AD DEUM MEUM *dicit* ADSCENDO. *Nec enim ait, Adscendo ad Patrem meum, & Deum hominis mei, aut, Adscendo ad Deum meum, aut Patrem Dei mei*. Quia nempe Deus Verbum & homo adsumptus sunt hypostasi unus & idem, ideoque nequit ille hujus esse Dominus aut Deus. Eadem de causa permixtè non dicit, *Adscendo ad Patrem nostrum ac Deum nostrum*. Quoniam *aliter illi Deus Pater est, aliter nobis*. Nobis per adoptionis gratiam; illi per communicatam naturalis filii personam.

Dices, Nestorium docuisse cum Sancto Gregorio Nysseno Episcopo, qui in libris adversùs Eunomium, à Sancto Hieronymo & Synodo Constantinopolitana probatis, scribit de utriusque in Christo naturæ idiomatibus: *Quoniam plagæ quidem servi sunt, in quo Dominus exiftit; honores autem Domini, circa quem servus agnoscitur*. Disertè dicit Deum Verbum fuisse adsumpti hominis Dominum, & hunc illius servum. Respondet Facundus Episcopus Hermianensis: *Nunquid Gregorium hæc secundùm errorem Nestorii dixisse talia credimus, quasi alterius subsistentiæ sit Dominus, qui exstabat in servo, & alterius servus, in quo exstabat: vel alterius personæ sit Dominus, cui adscribendus est honos, & alterius servus, qui circa Dominum agnoscitur, & cui plagæ sint deputandæ?* Nullo modo. Non dumtaxat contra Eunomium, sed & contra Apollinarium, utrumque Synusiasten & naturarum in Domino confusorem, depugnat Gregorius, adeoque rectum sentiens liberiùs subinde quasi divisor loquitur, quas locutiones, ubi Nestorius in suum virus detorquere & abuti cœpit, Ecclesia abolevit, circumscripsit, damnavit.

L. 3.

L. 4. c. 11.

Et hinc oritur alia quæstio, an Christus Dominus ac ipse Deus Verbum dici possit servus Dei Patris, à quo secundùm hypostasim distinguitur? Theodoretus in libro horum Capitulorum reprehensorio ad Joannem Patriarcham Antiochenum admittit quidem ita dictum à Prophetis ante factam Incarnationem, nequaquam verò post illam ab Apostolis aut Evangelistis: Licèt Esaias de Domino scribat, *Servus meus es tu Israel, & in te gloriabor:* ac rursum, *Formavit me ex utero servum sibi*; longè tamen aliter Paulus Apostolus: *Itaque jam non est servus, sed filius*. Et Dominus ad discipulos: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Longè ergò plus *ipse Dominus à cognominatione servi liberatus est, & facta unione ultra locum non habet servitutis nomen*. Agnoscit in Domino servi hominis formam sive naturam, at quæ ipsum ob divinam hypostasim non possit denominare servum.

Eadem adversùs Elipandum Toletanum ac Felicem Episcopum Urgelitanum fuit sententia Adriani primi Pontificis, in litteris ad Galliciæ & Hispaniarum Episcopos, lectis & probatis in in Synodo Francofordiensi. Fatetur Dominum à Prophetis dici servum, verùm tropicè & figuratè, quomodo dicitur vermis, leo, agnus, petra, lapis angularis, & addit: *Nullus unquam Evangelistarum, nemo Apostolorum servum eum commemorat, sed Dominum & Salvatorem*. Audi rationem: *Jam revelata & impleta erat omnis figuratæ locutionis obumbratio*, dixeratque in cruce Dominus, *Consummatum est*. Pergit Pontifex: *Paulus electionis vas dicit, ut omnis lingua eum Dominum confiteatur, & vestra lingua non confunditur servum eum latrare? Hæc stultiloqua lingua in frusta est præcidenda; & per mille partes minutiùs detruncanda*.

Ad quæstionem tamen respondeo affirmativè.

vè. Etenim adversùs Theodoretum scribit Sanctus Cyrillus: *Si quis dicat Dominum Jesum Christum appellatum esse servum per vocem Prophetarum, nullo modo offendi decet*. Et Sanctus Hieronymus, in commentariis super beati Pauli Apostoli Epistolam ad Titum, exponens vocem, *Servus*, dictam de Domino à Propheta Esaia: *Si moveat quempiam, Dominum Salvatorem, qui*
C. 1. *universitatis est conditor, servum Dei dici, non movebitur, si ipsum ad Apostolos audiat loquentem*: QUI VOLUERIT INTER VOS MAJOR ESSE, SIT OMNIUM SERVUS. *Et filius hominis non venit, ut ministraretur sibi, sed ut ministraret. Quod ne docere tantùm verbis videretur, monstravit exemplo. Assumpto quippe linteo accinxit se, & aqua pelvim replens discipulorum pedes lavit. Non est itaque impium credere eum, qui formam servi adsumpserat, hæc fecisse, quæ servi sunt, ut paternæ voluntati servisse dicatur, cùm servis suis ipse servierit*. Dominum Jesum Christum ostendit non tantùm à Prophetis, sed & ab Apostolis ac Evangelistis dictum Dei Patris servum: utique non timoris & peccati, sed libera servitute justitiæ & charitatis. Et Sanctus
L. 18. c. 34. Augustinus in libris de civitate Dei: *Propter formam servi etiam servus Dei dicitur Dei Filius*.
C. 3. Et Sanctus Fulgentius in libro contra objectiones Arianorum: *Ex ancilla natus est servus, qui ex Patre generatus est Dominus*. Et Sanctus Ambrosius in litteris ad Sabinum Episcopum Pla-
Epist. 8. centinum: *Unus pro omnibus servus factus est. Quid dicam, Servus factus est? Peccatum, opprobrium, maledictum factus est*. Multis non antiqui tantùm, sed & novi Testamenti testimoniis adsertionem hanc singuli adducti Patres confirmant. Nam Petrus Apostolus in Actis Dominum crucifixum vocat *Dei puerum*, id est, servum, & ipse Dominus in Evangelio dicit: *Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum; Deum, adeoque & Dominum meum, & Deum vestrum*. Et in alio loco Deum Patrem suum vocat *Dominum cœli & terræ*, id est, omnis creaturæ, qualis erat & ipse.

Dominum namque Jesum Christum, quomodo Deum ex Patre genitum, ita & creaturam à Deo factam appellavit semper omnis chorus sanctorum Patrum. Hæc propositio, *Deus est creatura*, quidquid dicant quidam Scholastici, nunquam propter Arianos ipsa abutentes tanquam suspecta aut offensiva fuit per Ecclesiam proscripta. Unicum adduco testem Sanctum Fulgentium in jam laudato libro, ubi adversùm Arianos constantissimè defendit Dominum, causa adsumptæ naturæ, esse omninò & creatum & creaturam. At hæc non tangunt errorem Nestorianum.

In supra laudatis ad Hispaniarum Episcopos litteris rectè dicit Adrianus primus Pontifex ita cum aliis Patribus locutum Sanctum Ambrosium *contra eos hæreticos, qui phantasticum aut etiam semiplenum Dominicum corpus sacrilego ore susurrabant*. Contra Apollinarium, cujus vocem fuisse de Domino, *Formam servi accepit, non servus lectus est*, testatur in adductis litteris Sanctus Ambrosius: *Apollinaris enim non potest audire, quòd Dominus noster Jesus Christus susceperit pro nobis servitutem in istius corporis susceptione, quia Verbum & carnem asserit unius esse substantiæ*. Asserit Dominum non dumtaxat secundùm Divinitatem, sed & secundùm carnem esse Deo Patri consubstantialem, aut certè ejus carnem non à creata anima aut mente, sed ab ipsa Divinitate fuisse vivificatam atque informatam, adeoque etiam ejus causa illum nec Dei Patris posse dici servum. Hanc ergò impietatem longissimè eliminatam volentes istorum temporum Patres Christum Dominum constanter dixere Dei Patris servum.

Duravit loquendi modus usque ad Synodum Francofordiensem. Tunc Elipandus Toletanus Archi-Episcopus & Felix Episcopus Urgelitanus voci, *Dei servus*, adoptionis & nescio cujus Domino indignæ & ab Ecclesia nunquam traditæ servitutis errorem subintrusere, atque ita vocem reddidere suspectam, periculosam, scandalosam, offensivam: Tanquam talem proscripsit & dicta Synodus, & Romana Ecclesia, rigidissimaque, suo loco elucidanda, proscriptio etiamnum hodie perseverat.

SEPTIMUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis Jesum Christum hominem, tantùm divini Verbi vi actum esse dixerit; aut illustrem illam unigeniti gloriam illi ipsi homini, veluti alteri cuipiam ab ipso Verbo, advenisse commentus fuerit; anathema sit.

SEPTIMUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis hominem, qui in Virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus est, & non

non magis propter unionem eum, qui est naturaliter unigenitus, Patris ingeniti appellatione confitetur participem factum; Jesum quoque alterum quempiam præter Emmanuelem dicit; anathema sit.

SCHOLION.

NEstorii errorem hoc anathematismo impetitum exponit Sanctus Leo Pontifex in litteris ad Clerum & populum Constantinopolitanum: *Nec dicimus, quòd beata Virgo hominem sine Deitate conceperit, qui creatus à Spiritu sancto, postea sit susceptus à Verbo, quod Nestorium prædicantem justè meritoque damnavimus.* Quod ipsum repetit in litteris ad Episcopos Gallicanos. Et Sanctus Cyrillus in libro ad Reginas: *Nestorii scopus est, persuadere eum, qui ex muliere natus est, hominem esse unum quempiam, qui ob suæ personæ cum Dei Verbo connexionem insigni prædestinatione electus sit, quique sensim & per incrementa, & tanquam per propriam, hoc est, humanam virtutem ad eam tandem dignitatem pervenerit, ut divinis honoribus potiretur.* Docuit, inquam, Nestorius Christum Dominum, è matre natum purum hominem, per humana pedetentim merita ad illustrem illam unigeniti gloriam & Divinam personam profecisse. Quod ipsum de illo Vincentius Lerinensis, ac de ejus in Ecclesia Occidentali præcursoribus testatur in libro de Prædestinatione Sanctorum, & libro de Dono perseverantiæ Sanctus Augustinus. Istorum unus fuit Leporius Presbyter Gallus, cujus jam conversi professio sic habet: *Nec quasi per gradus & tempora proficientem in Deum, alterius statūs ante resurrectionem eum fuisse credamus, sed ejusdem semper plenitudinis atque virtutis.*

Epist. 23. Epist. 52. C. 12. C. 15. C. 12.

Quocirca profectum hunc priùs fuisse in resurrectione factum existimavit Nestorius, dum omni obedientia perfunctum hominem Christum Deus exaltavit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et Deum vinciri, flagellari, crucifigi, mori, non minùs quàm infantem aut bimestrem esse, aut fugere ad Ægyptios, idem Erro est aversatus. Et hinc liquet, quo sensu quandoque dixerit: *Si simplici fide* DEIPARAM *proferres, nulla esset apud me dictionis invidia.* Exponit Vincentius Lerinensis: *Sancta Maria non est eo modo Theotocos, quo impia hæresis suspicatur, quæ adserit eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quæ eum scilicet, peperit hominem, qui postea factus est Deus: Sicut dicimus Presbyteri matrem, aut matrem Episcopi, non jam Presbyterum aut Episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea Presbyter aut Episcopus factus est.* Quod Facundus Hermianensis rectè dicit esse non verè & propriè, sed solummodo perfunctoriè & nuncupativè Dei Matrem.

Cap. 21. L. 1. c. 3.

Hausit errorem à suis in Ecclesia Latina præcursoribus Pelagianis, de quibus Joannes Cassianus in libris de Incarnatione ad Sanctum Leonem, Romanæ Ecclesiæ tunc Archi-Diaconum, postea Papam: *Addiderunt Dominum Salvatorem nostrum post Baptisma factum esse Christum, post resurrectionem Deum; Alterum designantes Unctionis mysterio, alterum merito passionis. Undè advertit novus jam non novæ hæreseos auctor,* utique Nestorius, *qui Dominum Salvatorem nostrum solitarium hominem esse contendit, idem omninò se dicere, quod Pelagianistæ ante dixerunt.*

L. 5. c. 3.

Et hinc oritur quæstio, an Nestorius Dominum à mortuis resuscitatum fassus sit esse verè Deum, veramque in illo unionem naturæ Divinæ & humanæ secundùm Hypostasim. Etenim huc usque dicta suadent partem affirmativam. Respondeo tamen negativè. Nestorii quippe de hac re sensum exponit Sanctus Cyrillus in litteris ad Acacium Berrhæensem Episcopum, exstantibus inter acta Synodi Ephesinæ: *Audio alios eò perfidiæ & inscitiæ prolapsos, ut Christum Deum esse disertè inficientur; alios verò Dei appellationem ita illi largiri, ut nihil tamen rectè de illo sentiant. Opinantur enim non natura, sed benigna Dei voluntate & gratia, perinde ac unum è nobis, ad id dignitatis evectum esse.* Utique per plenæ justificationis & glorificationis gratiam, quæ etiam nos faciet esse Deos, Filiosque excelsi omnes. Veram hypostaticam, etiam in Christi Domini resurrectione factam, unionem, quam de naturarum confusione odiosam facere tentans vocat passim Deificationem, adeo aversatus est Nestorius, ut de illa, tanquam de blasphemia, accuset suos Clericos apud Pontificem Celestinum: *Carnem conjunctam Deitati ad Deitatem transisse blasphemant in ipso Verbo Deificationis, quod nihil est aliud, quàm utrumque corrumpere.* Et in libro per Sanctum Cyrillum refutato: *Neque contingit, ut Deus Verbum sine humanitate faciat aliquid: Perductus est enim ad summam conjunctionem, non ad Deificationem, ut sapientes è recentioribus dogmatistis adserunt.* Et in hoc ipso anathematismo creati puri hominis factam postmodum adsumptionem, datamque illustrem gloriam dicit non esse aliud, quàm *participatam unigeniti appellationem*, qua non secundùm hypostasim, sed secundùm nomen dumtaxat, dignitatem, atque auctoritatem factus sit filius Dei. Veram in hypostasi unionem autumat sine naturarum confusione non posse fieri. Ideoque Pelagiani fuere illo longè meliores. Hi namque in Domini resurrectione factam veram unionem omninò admiserunt. Fuere tamen in alio etiam pejores: Christum enim Dominum, quem Nestorius in materno utero sanctificatum & Spiritu sancto unctum tradit, natum asserunt in natura pura; istisque donis donatum priùs in Baptismo, quomodo ajunt fieri & nobis.

L. 1. c. 22. L. 1. c. 16. L. 2. c. 8.

Et hinc dignoscitur radix erroris, de quo Sanctum Cyrillum consuluit, & quem suo commonitorio inseruit Successus Episcopus in Isauria Dio-Cæsaræensis: *Quòd post resurrectionem sanctum illud corpus nostri omnium Salvatoris Christi in Divinitatis naturam transierit, ut totum sit sola Divinitas.* Quidam existimant fuisse errorem Nestorii, qui cum stultis vitia vitans in contra-

Epist. 2.

ria cucurrerit, factus ipse Apollinarista, dicensque glorificatam Domini humanitatem in ipsam Divinitatem fuisse penitus conversam & adsumptam. Quòd enim hypostaticam adsumptionem sine tali absumptione crediderit non posse fieri, jam audivimus. Alii malunt errorem non fuisse ab ipso receptum, sed nobis objectum per calumniam. Et hoc est omninò verius. Est enim antiquus nescio cujus auctoris error, natus ex perperam accepto Apostoli verbo:
C. 17. *Jam non novimus Christum secundùm carnem.* Et ex verbo Domini apud Sanctum Joannem: *Pater, clarifica me apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret.* Adversùs illum declamat Sanctus Augustinus in tractatibus su-
Tract. 105. per Evangelium ejusdem Apostoli: *Hoc quidam sic intelligendum putarunt, tanquam natura humana, quæ suscepta est à Verbo, converteretur in Verbum, & homo mutaretur in Deum: Immò si diligentiùs, quod opinati sunt, cogitemus, homo periret in Deo.* Ex pravè intellecto verbo Sancti Pauli Apostoli, dicentis nos in vita futura *implendos in omnem Dei plenitudinem*, quidam ejusmodi conversionem etiam ad nos extenderunt, adversùm quos Augustinus scribit in litteris ad Paulinam: *Hanc plenitudinem Dei quidam sic intellexerunt, ut putarent nos hoc futuros omninò, quod Deus est.* Et in libro de natura & gratia: Epist. 112. c. 15. 23. C. 33.
Si aliqui putant tantum nostrum profectum futurum, ut in Dei substantiam convertamur, & hoc efficiamur prorsus, quod ille est, viderint, quemadmodum adstruant sententiam suam, mihi hoc fateor non esse persuasum. Qui loquendi modus innuit errorem tunc fuisse grassatum, & quidem non apud solos imperitos. Rectè tamen & Augustinus in dictis ad Paulinam, & in aliis ad Dardanum litteris, & in laudatis litteris ad Successum Cyrillus dicunt esse errorem detestandum. Undè & Gelasius Pontifex, in professione fidei missa ad Laurentium Lignidensem Episcopum, Epist. 2.
illum damnat & detestatur. Eumque Nestorius & Nestoriani nobis calumniosè objecerunt.

OCTAVUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis hominem, assumptum unà cum ipso Dei Verbo adorandum, unà cum ipso glorificandum, unà cum illo, tanquam alterum in altero existentem, Deum appellandum esse dicere ausus fuerit: (hunc enim intellectum particula, *cum*, adjecta perpetuò & necessariò afferre consuevit) & non unà potiùs adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus *VERBUM FACTUM EST CARO*, anathema sit.

OCTAVUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis servi formam pro seipso, hoc est, secundùm propriæ naturæ rationem colendam esse dixerit, & non omnium dominam; & non potiùs per societatem, qua beatæ & ex se naturaliter Domina unigeniti naturæ conjuncta est, veneratur, anathema sit.

SCHOLION.

F. 361. L. 1. c. 26. C. 3. HUnc Nestorii errorem & verba formalia referunt Synodus Ephesina, & Sanctus Cyrillus in litteris ad ipsum, in litteris ad Acacium Melitinæ Metropolitam, ac in libro adversùs calumnias Synodi Antiochenæ: *Propter induentem indutum veneror; propter latentem adoro apparentem. Inseparabilis à visibili Deus: Atque ideo ejus, qui non separatur, honorem non separo. Naturas separo, sed adorationem conjungo.* Et in libris adversùs Nestorium: *Non est per se*
L. 2. c. 12. 13. *Deus, quod est in utero formatum, formatum in spiritu, sepultum in monumento: Alioquin essemus hominicolæ & cadavericolæ prorsus. Naturarum itaque conjunctionem sine confusione servemus, confiteamur unum Deum, veneremur hominem, qui ex Divina conjunctione simul cum Deo omnipotente adoratur.* Virus, uti ad Eulogium suum Presbyterum ac in Regia urbe Apocrisarium scribit Sanctus Cyrillus, latet in vocibus, *Naturas separo.* Etenim naturas non tantummodo distinguunt, sed etiam dividunt, adeoque inducunt duos Christos, duos Dei Filios, duas personas. Neque refert, quòd eas Nestorius dicat inseparabiliter unitas, assidueque ebuccinet earum indivisam sine confusione unitionem. Intelligit enim unitionem, non secundùm hypostasim, sed secundùm eandem auctoritatem, dignitatem, nomen, honorem, L. 1. Conc. Ephes. c. 37.

norem, adorationem, qua Deus Verbum & homo adsumptus, non tanquam unus & idem, sed adorantur unus cum altero, & unus propter alterum, quomodo Legatus, aut regnum cum potestatis plenitudine gubernans Minister adoratur cum Rege & propter Regem.

Quocirca pessimè & calumniosissimè Nestorius ait adsumptam servi formam pro seipsa seu secundùm propriæ naturæ rationem à nobis adorari, ideoque nos esse hominicolas & cadavericolas. Antiquam gentilium calumniam, & suum ipse scelus in omnem Ecclesiam, cœlumque & terram traducere conatur. Ipse enim, uti in libro ad Reginas Sanctus Cyrillus testatur, C. 12. docet Dominum esse purum hominem, qui *divinis honoribus potiatur*. Eundem Leontius Monachus Constantinopolitanus accusat, quòd circa Domini humanitatem committat idololatriam, eamque sibi demutet in idolum. Etiam Nestorianos esse *hominem colentes* testantur, & tanquam tales anathematizant Ecclesia Antiochena & Hierosolymitana in litteris ad Justinum Post Epist. 74. Augustum, exstantibus inter Epistolas Pontificis Hormisdæ. Quisquis enim, uti ad orthodoxos Archimandritas scribit Sanctus Cyrillus, L. 3. Conc. Ephes. c. 37. Deum & adsumptum hominem in duas hypostases dividit, & tamen hunc latricè colit, honorem soli Deo debitum palam transcribit in hominem, colitque pro Deo creaturam. Et in litteris ad suos Monachos: *Tu igitur Emmanuelem ut verum Deum adora. Tunc gentium populus nullo jure Christianorum fidem subsannare poterit: Agnoscet enim nos non nudo alicui homini Divinum cultum deferre, sed illi, qui natura Deus est.* L. 1. c. 2.

Servi autem formam pro seipsa adeo non adoramus, ut ipsam dicamus esse nobiscum unam ex adorantibus. Ejus namque causa Dominus gloriæ erat pernoctans in oratione Dei, etiamnum in cœlis assiduè interpellat pro nobis, dixitque olim ad mulierem Samaritanam: *Vos adoratis quod nescitis, nos autem adoramus quod scimus*. Attamen nequaquam in adorantem & adoratum divisus est, recteque laudatus Cyrillus in libro ad Theodosium Augustum: *Qui cum muliere loquebatur, erat unus & solus Dominus Jesus Christus, ex humanitate adorante & adoranda Divinitate constitutus*. Undè nobiscum adorans humanitas à nobis etiam adoratur, non pro seipsa, sed tanquam adorati Dei Verbi indumentum, de quo Sanctus Augustinus in sermone de tempore: *Dico, planè dico, quia vestem intueor, & vestitum adoro. Caro illa illius vestimentum fuit*: Non quovis modo appositum, sed ejus Divinæ Hypostasi naturaliter unitum. Cap. 32. Ser. 115. c. 3.

NONUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis unum Dominum nostrum Jesum Christum à Spiritu sancto, tanquam virtute à se aliena, glorificatum dixerit, efficaciamque, qua contra immundos spiritus uteretur, & divina inter homines miracula operatur, ab ipso eodem accepisse prædicaverit, & non proprium, naturalemque illius esse Spiritum, per quem divina signa edidit, anathema sit.

NONUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis formam servi consubstantialem esse dixerit sancto, & non potiùs per illius mediationem, quæ est ad Deum Verbum, & ex ipsa conceptione habuisse dixerit conjunctionem, per quas communes nonnunquam in homines miranda curatione exercuit, & ex hoc curandorum spirituum eveniebat esse potestatem, anathema sit.

SCHOLION.

SPiritus sancti in adsumptum hominem dona mirè extollit Nestorius. Etenim homo ille de Spiritu sancto conceptus & natus est, in Spiritu sancto justificatus, in Spiritu sancto baptizavit, miracula fecit, dœmonibus fuit terribilis, illa in Spiritu sancto ejecit, super eum baptizatum Spiritus sanctus mansit, eum Spiritus unxit, pauperibus evangelizare misit, & tandem videntibus Apostolis adsumpsit in cœlum. Hinc de orthodoxis queritur Nestorius: *Hunc, qui tantam Christo largitus est gloriam, cum Arianis & Macedonianis Christi servum efficiunt*. Quin immò hocce ejus stultum capitulum etiam de Apollinario criminatur præsentem anathematismum. Apollinarius quip- L. 4. cont. Nestor. C. 2.

quippe, uti ad Epictetum Corinthiorum Episcopum scribit Sanctus Athanasius, Domini carnem, utpotè de converso in sese Deo Verbo factam, dixit esse Deo Patri, ac ejus Divinitati consubstantialem, adeoque & Spiritui sancto: At verò hypostaticam unionem sine simili naturarum confusione non posse fieri, ideoque eisdem absurdis esse obnoxiam, semper Nestorius habuit pro principio palmari.

L. 4. c. 3. Verùm enim verò & suam & illius sententiam exponit lucidè Cyrillus in libris contra ipsum: *Si ipsum ex Deo Patre Verbum unum est cum sua carne, quomodo Divinis viribus eum indigere putas, & terribilem dœmoniis à Spiritu sancto factum, ut qui à sua natura id non possit efficere: Ad hæc etiam hoc ipsum posse conterere sathanam, quasi ab alio datum, vixque dono acceptum. Si igitur non ignoras separare Spiritum à Divina ejus natura, turpissimum habendum esse crimen, & quidem jure, ipsius procul dubio Spiritus est, ut qui per ineffabilem ipsius naturam procedat, & ipsi sit consubstantialis, & ita minimè indigeat virtute ab eo data, tanquam externa & aliunde adscita, sed utetur potiùs tanquam proprio Spiritu, & per ipsum se terribilem dœmoniis ostendet.* Et in eodem capite: *Unitum carni illud ex Deo Patre Verbum velut unum aliquem è nostro numero, & vulgarem prorsus, auxilio Spiritus sancti indiguisse dicis, ut terribilis immundis spiritibus videretur.* Et Domini apud Joannem Evangelistam de Spiritu sancto Verbum, *De meo accipiet*, exponens pergit: *Ut procedit ex Patre Spiritus sanctus, cùm sit ipsius secundùm naturam, eodem quoque modo per ipsum Filium, cùm sit ejus naturaliter, ipsique consubstantialis. Ergò quamvis per Spiritum glorificetur Filius, ipse tamen seipsum tanquam per proprium Spiritum glorificare intelligitur, neque ea res extrinsecùs illi advenit, etiamsi factus homo nostri similis videatur.* Egregiè Cyrillus ostendit, quòd neque cum Apollinario adsumptæ naturæ veritatem evertat, neque cum Macedonio Spiritum sanctum in servitutem redigat; verùm quòd Nestorius Dominum Gloriæ in vulgarium hominum ordinem abjiciat, *qui quasi non habens suam, gloria à Spiritu data indiguerit; eum computet intra mensuras creaturæ, omnia extrinsecùs habentis atque donata*: faciatque unum ex illis, de quibus rogat Apostolus: *Quid habes, quod non accepisti?* Hocce ergò anathematismo damnatus Nestorii error est, quòd Christum Dominum faciat purum & communem hominem, qui gratuito & extrinseco moventis & inhabitantis Spiritus sancti adjutorio ad opera sua egeat, ac non sit verus in eadem Divina hypostasi Deus, qui cum Patre sit unum Spiritus sancti principium, adeoque & illum donet, mittat, & tanquam principio subauctorato ad quævis gloriæ opera utatur.

Etiam de vitiato sacro textu, quod est perpetuum ac solemne omnium hæreticorum privilegium, Nestorium culpat. *Ad hæc neque illud vacare culpa dixerim, quòd tanquam de communi, vulgarique homine, ait adsumptionem in cœlum ipsi fuisse dono datam à Spiritu. Nam elegit quidem discipulos per Spiritum sanctum, sed adsumptus est ut Deus, non quasi eam rem ab alio datam acceperit, sed ut ipse potiùs, velut primitias quasdam humanæ naturæ in incorruptionem renovatæ, seipsum ostenderet Deo & Patri.* In hoc Actuum Apostolorum loco, *Præcipiens Apostolis, quos elegit per Spiritum sanctum, adsumptus est*, Nestorius interpunctionem, atque ita omnem sensum alteravit, legitque: *Quos elegit, per Spiritum sanctum adsumptus est.*

Notanda sunt hæc Sancti Cyrilli verba: *Per ineffabilem ipsius naturam procedit.* Item hæc: *Eodem modo per ipsum Filium procedit*, utique Spiritus sanctus. Vanus enim & profanus Nestorius, ut Spiritum sanctum ab homine adsumpto remotiùs alienaret, etiam alienavit à Dei Verbo, primusque blaterare cœpit procedere à solo Patre. Blasphemiam lucidè edicit ejus defensor Theodoretus, vel ob illam solam de Deo & omni Ecclesia pessimè meritus, in libro horum capitulorum reprehensorio ad Joannem Patriarcham Antiochenum: *Proprium Spiritum Filii, si quidem ut ejusdem cum eo naturæ, & ex Patre procedentem dixit Cyrillus, simul confitebimur, & tanquam piam suscipiemus vocem;* Cap. 9. *Si verò tanquam ex Filio aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum & impium rejiciemus.* Eandem blasphemiam Nestorianum Charisii Symbolum profitebatur. Quare primos illius auctores fuisse Nestorium ac Theodoretum, rectè dixit in Florentina Synodo Andreas Sess. 7. Rhodiorum Metropolita, & Marcus Ephesius non fuit ausus diffiteri. Est una è capitalibus radicibus hodierni Photiani schismatis: Adeoque hanc extremam Ecclesiæ Orientalis in anima & corpore miseriam non solus plantavit Eusebius Nicomediensis Episcopus, aut conventiculum Philippopolitanum, sed etiam cum Nestorio Theodoretus. De quo plura suo loco.

DECIMUM S. CYRILLI CAPITULUM.

CHristum Jesum nostræ confessionis Pontificem & Apostolum exstitisse, eundemque semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo & Patri obtulisse, divina Scriptura commemorat. Si quis ergò dixerit Pontificem, & Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum, posteaquam caro & homo nobis similis factum est, sed hominem

nem

nem illum, qui ex muliere natus est, quasi alterum quempiam ab ipso diversum: Aut si quis Christum pro seipso quoque, & non potiùs pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmaverit, (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat) anathema sit.

DECIMUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis illum in principio Verbum, Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse, seque ipsum obtulisse pro nobis dicat, & non Emmanuelis esse Apostolum dixerit, oblationemque secundùm eandem rationem ei tribuat, qui univit, si quis unitus ad unam communitatem Filii, hoc est, Deo quæ Dei, & homini quæ sunt hominis deputans, anathema sit.

SCHOLION.

AUdi verba Nestorii recitata à Sancto Cyrillo in libris adversùs ipsum: *Hic ille fidelis Deo factus Pontifex: factus est enim, non ab æterno erat. Hic paulatim ad Pontificis dignitatem progressus est.* In Christo Domino non tantùm naturas distinguit, sed & hypostases dividit, ideoque solum purum hominem, non Deum Verbum blaterat peccatis nostris datum Pontificem ac Mediatorem. *Quòd si Sacerdos*, inquit, *est ipsa Divinitas, quisnam est, qui Sacerdotis obsequio colitur? Si Deus est qui offert, nemo est cui offeratur. Quid enim sit Divinitati dignum, ut illa tanquam inferior majori offerat?* Pontificatum ac Apostolatum Deo Verbo adscribere dicit esse insignem *contumeliam summæ illius dignitatis*. Est enim *adversùs Paulum Scripturas interpretari, impassibile Verbum terreno miscere corpori, & passibilem Pontificem facere*. Naturam & hypostasim quasi eadem confundit, ideoque à nobis, qui Deum Verbum dicimus factum, uti hominem, ita & Apostolum ac Pontificem, garrit illud idem dici de ipsa Divinitate.

Et purum hunc hominem non ex matre conceptum & natum Pontificem fatetur, sed per humana merita paulatim in dignitatem istam ait profecisse: *Jesus enim proficiebat ætate, sapientia & gratia*. Et Apostolus Paulus eum dicit à Deo glorificatum, ut Pontifex fieret, additque: *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech*. Ad quæ verba Nestorius: *Consummatur, quod paulatim proficit*.

L. 3. c. 6. Pergit: *Ipse nobis promissæ benedictionis ex semine Abraham est missus, tanquam pro seipso & genere suo corporis sui victimam simul afferens*. Adversùm quæ Sanctus Cyrillus: *Ergone ipse quoque Christus factus est sub peccato, per quem os ipsum peccati adversùm nos obstruitur?* Copiosè ostendit Christum Dominum fuisse Pontificem sanctum, innocentem ac impollutum, qui neutiquam pro se, sed pro solis peccatis nostris semetipsum obtulerit in sacrificium, adeoque Nestorium esse unum ex Pharisæis blasphemantibus, in quos dixit Dominus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quod paulatim evincendis carnalibus cupiditatibus etiam Dominum subjecerit, testatur Gregorius Cedrenus.

Addit Cyrillus adversùm alios Nestorii errores: *Quomodo igitur progressus est, ut temerè fabularis, ad Pontificis dignitatem, cùm Deus sit omnipotens, tuorum quoque verborum testimonio?* Cap. 4. Ostendit inter Domini naturas non solummodo ignobilem illam, ac à solo Nestorio excogitatam in æquali dignitate & nomine conjunctionem, sed & veram in hypostasi divina unionem intercessisse, adeoque non adsumptum hominem dumtaxat, sed & ipsum Deum Verbum fuisse nobis Pontificem. *Quia enim unigenitum illud Dei Verbum factum est homo, & Sacerdotii munus humanitatis mensuram haud dedecet: ut item, quòd missus seu Apostolus esse dicitur. Confusionem contempsit, ut beatus Paulus ait: Cùm his etiam viliora & indigniora propter nos pertulerit. Dedit enim dorsum in flagella, & faciem non avertit à confusione sputorum, & Judæorum contumelias patienter sustinuit. Sed refugis Sacerdotem dicere, ut qui sit Deus. Admitte dispensationis rationem, cogita exinanitionem, descensumque ad servi formam.* Cap. 3.

Quocirca ad hunc Pontificatum nequaquam provectus est, aut profecit per humana merita. *Est enim exinanitus, & seipsum humiliavit, ad minora se dejiciens. Quomodo igitur ad dignitatem progressus est factus Sacerdos? Non profecisse dicimus, & ad dignitatem pervenisse ipsum Dei Verbum, cùm Pontifex noster factus est, sed potiùs etiam ex hac parte ad exinanitionem descendisse.* Ne ipsa quidem humana Domini natura per humana merita profecit in istam dignitatem. Pelagiana sunt ista, abundè refutata per Sanctum Augustinum in locis supra memoratis librorum de Dono perseverantiæ & Prædestinatione Sanctorum. Pontificatum & Apostolatum hunc fateor dictæ naturæ fuisse dignitatem: verùm non per humana merita,

ta, sed gratis in ipso conceptionis primo puncto collatam unà cum omni alia intellectus, voluntatis, & cæterarum facultatum virtute & dignitate. Hæc enim cuncta sunt ipsa Divinæ unionis & unctionis gratia, qua Deum Deus unxit oleo lætitiæ & exultationis omnigenæ in supremum traducem, caput, & principium reformandæ humanæ creaturæ.

L.4.c.3. Solemni autem hæreticorum privilegio utitur rursùm Nestorius, dum Dominum Jesum dicit in Pontificem fuisse consummatum. Apostoli locum Sanctus Cyrillus exponit longè aliter, Nestorium arguens inscitiæ & doli, *Consummatus est quidem per passiones Dominus noster Jesus Christus: Iste verò*, Nestorius utique, *licèt modum, quo consummatus est, non ignoret, simpliciorum animos ad remotos quosdam cogitationum anfractus abducit, & profecisse dicit in Sacerdotem, & in hoc eum consummatum fuisse, quòd cùm factus est, dicitur exinanitus.*

Verè item Cyrillus arguit contradictionis Nestorium, utpotè qui omni dogmatis vento circumlatus modò hæc dicat, modò illa, & ædificata destruens constituat seipsum prævaricatorem. Deum namque Verbum nunc adfirmat, nunc negat Pontificem: Quia nempe hinc fidelem populum novis vocibus offendere timuit, istinc agnoscere detrectavit veram naturarum in divina hypostasi unionem, natamque indè communionem idiomatum.

UNDECIMUM S. CYRILLI CAPITULUM.

SI quis ipsam Domini carnem vivificam, ipsiusque Verbi, quod ex Patre est, propriam esse negaverit, sed alterius cujuspiam ipsi Verbo secundùm dignitatem tantùm conjuncti, aut Divinam tantùm inhabitationem sortiti, esse dixerit: neque verò potiùs vivificam confessus fuerit, ut modò meminimus, eò quòd Verbi, quod omnia vivificat, facta sit propria, anathema sit.

UNDECIMUM NESTORII CAPITULUM.

SI quis unitam carnem ex naturæ propriæ possibilitate vivificatricem esse dixerit, ipso Domino & Deo pronuntiante: *SPIRITUS EST QUI VIVIFICAT, CARO NIHIL PRODEST*; anathema sit. Spiritus est Deus, at non pronuntiatum est. Si quis ergò Deum Verbum carnaliter secundùm substantiam carnem factum esse dicat, hoc autem modo & specialiter custodit, & maximè in Domino Christo post resurrectionem suam discipulis suis dicente: *PALPATE ET VIDETE QUIA SPIRITUS OSSA ET CARNEM NON HABET, SICUT VIDETIS ME HABERE*; anathema sit.

SCHOLION.

HOc Capitulum respicit D. Cardinalis Stanislaus Hosius in doctissima confessione
Cap. 41. fidei Catholicæ: *Non desunt, qui in Ephesino Concilio fuisse scribunt decretum, ut sub specie panis tantùm à laicis Eucharistia sumeretur. Decretum autem illud fuisse creditur propter abolendam Nestorii hæresim, qui sub specie panis carnem sine sanguine, sub specie vini sanguinem absque carne contineri blasphemabat.* Quod ipsum repetit in
Fol. 105. dialogo de communione sub utraque specie, adferens ita sentire etiam quosdam Lutheranos, nominatim Urbanum Regium, addentem Ephesinum decretum abrogatum postea à Sanctis Leone & Gelasio Romanis Pontificibus, reductumque populum ad antiquum utriusque speciei usum, atque indè probantem sub una aut utraque specie Eucharistiam sumere esse adiaphorum, quod ex rationibus variis possit vario tempore Ecclesia variare. *Inter Ephesinum Concilium & Leonem Papam intercessisse dicebat* Urbanus Regius *annos propè triginta: totidem inter Leonem & Gelasium. Atque non solùm ad Leonis, verùm ad ipsa etiam usque Gelasii tempora sic increbuerat usus alterius tantùm speciei, ut ipsi quoque Sacerdotes sacris operantes à Calice abstinerent: Quamobrem & populum Sanctus Leo Pontifex, & Sacerdotes Gelasius admonere necesse habuit, ut ad Calicis usum redirent.*

A laico populo Eucharistiam sub una aut utraque

que specie sumi fateor esse adiaphorum, at in cunctis reliquis dico Urbanum penitus inurbane falli. Quid simile neque Nestorius docuit, neque Synodus Ephesina definivit, Sancti Leonis tempore ad unicam speciem non obstringebatur Romanus populus, Romani Sacerdotes sacrificantes à Calice non abstinebant: Cessent, cessent somnia ejusmodi de Ecclesia Romana. Istis diebus vel sub unico vel sub utroque elemento liberè ex arbitrio & antiquo more communicabat Romanus populus, confiteorque à Sancto Leone mutatum morem, adstrictumque populum ad speciem utramque. Pontifex caussam aperit in quarto sermone quadragesimali, dicens ad illum de repertis tum in urbe Manichæis: *Cùm ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutiùs lateant. Ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinant. Quod ideo vestram scire volumus sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi à Sanctorum societate, sacerdotali auctoritate pellantur.* Manichæi vinum esse errant natura malum, à malo principio conditum, fel principum tenebrarum, ideoque illo etiam in Christiano Mysterio abstinent, flagitiosissimam suam Eucharistiam conficientes in solo pane. Utuntur item famoso Priscillianistarum arcano: *Jura, perjura, secretum prodere noli.* Religionem suam occultant, negant, alienam simulant, aliena altaria accedunt: Romæ accedebant & nostra; verùm intra illam populi partem, quæ sub sola panis specie Eucharistiam sumebat. Hinc dolum & dolosos detecturus Pontifex omnem populum suum ad utramque coegit speciem, statuens præsumptionem juris & de jure, ut quicumque deinceps à calice abstinuisset, haberetur pro Manichæo convicto & confesso. Hæc est vera origo istius decreti, quod postmodum innovavit Gelasius Pontifex ob necdum exstinctos Manichæos. De quo latiùs, dum agemus adversùm Wickleffistas.

C. 5.

Nestorii igitur error fuit longè alius. Docuit in Eucharistia esse verum ac plenum Christum, at talem, qualem credebat natum è Virgine, crucifixum, mortuum, resuscitatum, & ad Patris dexteram exaltatum. Hominem purum & vulgarem, vulgaremque, & non vivificum ejus sanguinem & carnem. Error de Dominica incarnatione non potest se ad Eucharistiæ Sacramentum non extendere: Idem namque & unus est utrobique Christus. Et hinc Paulus Samosatenus, de priori errans cum Nestorio, erravit & de secundo, uti testatur Sanctus Dionysius Alexandrinus. Et Basilidem, qui in Deo Verbo incarnato non veritatem, sed solam carnis speciem finxit, eodem modo de Eucharistia blasphemasse, scribit ex Sancti Ignatii Martyris ad Smyrnenses Epistola Theodoretus. Hinc Sancto Cyrillo Nestorius improperat, quod Dominicam carnem ex propriæ naturæ possibilitate dicat vivificatricem, & Deum Verbum carnaliter versum in carnem, aut certè ipsam à nobis Divinitatem manducari.

L. 3. Dial.

Apud Cyrill. L. 4. c. 4. 5.

Ast aliam longè & suam & totius Ecclesiæ fidem exponit laudator Pater in litteris ad Nestorium: *Quin illud quoque non possum hoc loco non adjicere: Nempe dum unigeniti Filii Dei, hoc est, Jesu Christi mortem, & ex mortuis resurrectionem annuntiamus, ejusdemque in cœlum assumptionem confitemur, incruentum in Ecclesia Sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari, utpotè sacræ carnis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem accipimus: Absit hoc. Neque rursum tanquam viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis tantùm æqualitate Verbo consociati, aut Divinam inhabitationem sortiti, sed tanquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam. Nam cùm vita sit ut Deus secundùm naturam, simul atque unum quiddam cum ipsa sua carne effectum est, mox vivificandi virtutem illi contulit.* Eodem sensu Eucharistiam vocat vivificam Domini carnem Sanctus Dionysius Alexandrinus Episcopus in laudatis litteris adversùs Paulum Samosatensem. Et quidem has Sancti Cyrilli litteras Ephesina, quinta, & sexta Synodus, ac universa semper sub cœlo Ecclesia accepit in regulam: Quocirca videant Lutherani & Calvinistæ, quomodo à se teneri dicant fidem quatuor primarum Synodorum. Nestorius igitur, quomodo Dominum Jesum ac ejus compositam hypostasim, ita quoque hujus arcani *Mysterii virtutem dissolvit*, eumque errorem petit hic anathematismus.

L. 1. Conc. Ephes. c. 26.

Adsumptum, inquam, hominem, tam in Eucharistia, quam in Patris dextera constitutum, Nestorius Deum esse dixit per solam nobis communem gratiam Divinæ inhabitationis. Hæc est illa ignobilis & per ipsum solum excogitata, aut veriùs ex inferno, ubi cum Ebione & sequacibus ejus sepulta fœtebat, in orbem Romanum revocata unio, quam meritò damnavit Sanctus Cyrillus ex Joanne Apostolo, docente Deum Verbum non tantummodo habitasse in nobis, sed & carnem factum. Voces, *Habitavit in nobis*, naturarum veritatem ac plenam sine confusione & mutilatione integritatem contra Valentinum, Apollinarium & Eutychetem; voces, *Caro factum est*, contra Nestorium & ejus Symmystas important hypostaticam unionem, uti jam dixi aliquoties cum Synodi Chalcedonensis Relatione ad Principem. Hinc & Apostolus Deum Verbum non quovis modo habitasse dicit in homine adsumpto, sed corporaliter omnem Divinitatis plenitudinem: De quo videatur Sancti Augustini Epistola ad Dardanum.

Epist. 57. q. 2.

DUO-

Duodecimum S. Cyrilli Capitulum.

Si quis non confitetur Dei Verbum secundùm carnem passum, secundùm carnem crucifixum, mortemque secundùm carnem gustasse, & primogenitum tandem ex mortuis factum esse, quatenus videlicet vita est, & vivificum ut Deus, anathema sit.

Duodecimum Nestorii Capitulum.

Si quis confitens passiones carnis, eas quoque tanquam Verbo Dei tribuit, quas etiam carni, in qua factus est, adhibuerit, non discernens dignitatem naturarum; anathema sit.

SCHOLION.

Pro Nestorio facere videtur Tertullianus, in libro superiùs adducto contra Praxeam, dicens non Deum, sed Christum crucifixum & mortuum prædicari ab Apostolo, qui etiam istius locutionis duritiam atque offensionem mitigatam volens addiderit: *Secundùm Scripturas*.
C. 29. Et Quintianus Asculanus Episcopus Petro Cnapheo Patriarchæ Antiocheno mittit hunc anathematismum: *Si quis confundit duas Christi naturas, dicens Deum passum carne, & non Christum passum carne, secundùm Apostolum, anathema sit*. Et ad Liberium Pontificem Romanum scribit Sanctus Athanasius: Adsumpta caro *suspensa est in cruce, non ipse* Deus Verbum: *In illa omnes passiones ut homo sustinuit, non ipse. Ipse enim est Dei virtus*. Et Anastasio Augusto volenti recipi hanc propositionem, *unus è Trinitate est crucifixus*, validissimè restiterunt Anastasius secundus & Symmachus Romani Pontifices, imitati suos Antecessores Simplicium, Felicem tertium, ac Gelasium, eamque abjecere tanquam Eutychianam. Nec ad Justiniani Comitis aut Justini Augusti preces admittere voluit Hormisda Pontifex, secutus consilium suorum in Orientali Ecclesia Legatorum, judicantium esse vocum novitatem quatuor Synodis & omni usque huc Ecclesiæ ignotam, superfluam, dolosam, variè suspectam. At verò unus ille è Trinitate erat Deus Verbum. Quæ enim Divinitati repugnant, ne quidem per idiomatum communionem possunt de Deo prædicari. Et hinc apud Photium in Bibliotheca Stephanus Gobarus Ecclesiasticorum Problematum collector, ponit & hoc Problema: *Tempore passionis Deitas è corpore Christi discessit, & non discessit ab anima, nec à corpore*. (L. 232. C. 48.) Etenim & de Pelagianis Nestorii in Hispania præcursoribus, & de semetipsis ad Capreolum Primatem Carthaginensem scribunt Vitalis & Constantius, Episcopi Hispani orthodoxi, postulantes erudiri: *Hominem purum dicunt pependisse in cruce comprehensum. Ajunt: Deus recessit ab eo. Quibus Parvitas nostra sic dicit: Nunquam Deus recessit ab homine, nisi quando dixit de cruce*, DEUS, DEUS MEUS, QUARE ME DERELIQUISTI? Adeò tunc viri etiam catholici noluere Deum Verbum dici mortuum aut crucifixum. Accedit nostro tempore Melchior Canus, docens non quidem Divinam hypostasin, tamen gaudium beatificum, utpotè cum tantis cruciatibus incompatibilem, fuisse passionis tempore in homine adsumpto suspensum.

Respondeo Sancti Cyrilli anathematismum esse longè justissimum. Ejus justitiam exponit eleganter Tertullianus in libro de carne Christi adversùs Marcionem, adserentem in Domino fuisse solam carnis speciem, non veritatem: *Responde interfector veritatis: Nonnè verè crucifixus est Deus? Nonnè verè resuscitatus, ut verè crucifixus? Falsò ergò statuit inter nos scire Paulus tantùm Jesum crucifixum: falsò sepultum ingessit, falsò resuscitatum inculcavit. Falsa est igitur fides nostra, & phantasma est totum, quod speramus à Christo. Scelestissime hominum, qui excusas interfectores Dei. Nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil verè est passus. Parce unicæ spei totius orbis. Quid destruis necessarium dedecus fidei? Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo*: QUI MEI, *inquit*, CONFUSUS FUERIT, CONFUNDAR ET EGO EJUS. *Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent benè impudentem, & fœliciter stultum. Crucifixus est Dei filius: Non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei Filius: Prorsùs credibile, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit: Certum est, quia impossibile*. Etiam ipse Paulus Apostolus non solùm Christum aut adsumptum hominem, sed & Dominum gloriæ prædicat crucifixum. Et de illo moriente exclamavit Centurio: *Verè Filius Dei erat iste*. Et tam Nicæna, quàm Constantinopolitana fides profitetur ipsum Deum Verbum, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, Cap. 5.

pro

pro nobis descendisse de cœlis, incarnatum esse, passum, crucifixum, mortuum, sepultum. Eodem modo omnes & Græci & Latini Patres loquuntur. Hoc est enim scandalum crucis, stultitia nostræ prædicationis, & stultum Dei, in quæ olim fremuerunt gentes & populi insultaverunt: At inania meditati. Virtus enim Dei, omnesque thesauri sapientiæ & scientiæ ejus latent in scandalo & stultitia ista. Eademque jam pridem etiam in Regum frontibus splendent, tanquam unica gloria, & sapientia Christianorum. Pudeat Nestorium agere, licèt ex alio principio, discipulum Marcionis.

Quin excessit Marcionis scelus. Etenim non dumtaxat Deum crucifixum & mortuum, sed & Christum hominem negavit à semetipso de morte suscitatum: Suscitatum dixit, quomodo & adsumptum in cœlum, à Deo Patre, Spiritu sancto, ipsoque Deo Verbo, at secundùm hypostasim diviso. Hinc addit Cyrillus: *Primogenitum tandem ex mortuis factum, quatenus vita est, & vivificum ut Deus.* Loquitur cum ipso Domino: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Idem ille, qui Lazarum mortuum, seipsum suscitavit occisum: Hominem Deus, quia idem homo & Deus. Pulchrè Capreolus Episcopus Carthaginensis in litteris ad laudatos Vitalem & Constantium Episcopos Hispanos: *Cujus virtute & majestate antiqua Sanctorum corpora visa sunt resurrexisse, si Deus inferos minimè visitavit? Quis ille est, qui petras scindi, terram commoveri, solem obscurari, velum templi in duas dividi partes effecit? Nonnè homo tantùm? Nonnè etiam Deus?* Homo-Deus, qui sibi à seipso datam resurrectionis gratiam, tanquam fœcunda reparationis nostræ radix & tradux, mox in suos istos fratres propagavit. *Ergò ei nec in cruce, nec in morte, nec in sepulchro, nec in inferis defuit Deus. Alioquin non est Dominus gloriæ crucifixus.* Nec cùm dixit ad Patrem, *Quare me dereliquisti? Etenim hæc & talia veram hominis infirmitatem demonstrant, nec ideò præsentiam Divinæ Majestatis evacuant.* Ita Capreolus respondet & errori Pelagianorum Nestorio in Hispania præcurrentium, & ignorantiæ Vitalis & Constantii Episcoporum. Stephanus Gobarus, impurus Tritheita, indignus est, cui respondeatur. Etiam adducta Melchioris Cani opinio olet pessimè in omni Ecclesia, de qua suo loco.

Adductus adversùm nos Tertulliani locus jam supra est expositus. Et quis non laudet prudentiam Apostoli, qui omnibus, gentilibus præsertim, omnia factus, quandoque etiam suas de nostræ fidei arcanis voces ita temperavit, ut molliter ducenda ad fidei lumen cæca gentilitas suspicari desineret immortalem & mortuum Christianorum Deum esse novum quempiam Cretensium Jovem, aut nescio quod monstrum hetroclytum, quale suo tempore productum ab illis in scenam & ludibrium publicum scribit in libro Apologetico Tertullianus. Eandem prudentiam æmulatur Quintianus Episcopus: Scribit enim adversùm Synusiastas Eutychianos, Deum Verbum cum carne in unam naturam confundentes, immò in carnem versum delirantes, quod proinde, non minùs quàm anima nostra, in carne & à carne patiente pateretur. Eadem de causa adversùm eorum parentes & magistros Apollinaristas ita loquitur Sanctus Athanasius. Ejusmodi plures Patrum locutiones adducit & eleganter exponit Facundus Hermianensis. Ob easdem dolosissimas Eutychianorum technas dudum Romana Ecclesia aversata est laudatam propositionem, *Unus è Trinitate est crucifixus.* Tandem tamen ad Justiniani Augusti preces & propter Sancti Augustini auctoritatem admisit Joannes Papa secundus. Probavit & hanc, *Deus est mortuus*, idque ob auctoritatem præsentis Anathematismi. Ejus successor Agapetus, Hypatius Ephesinus Episcopus in collatione Constantinopolitana cum Severianis, & quinta generalis Synodus confirmarunt. Quæ omnia evertunt Nestorium; qui hanc propositionem, *Deus est mortuus*, credit verificari non posse sine Apollinarii errore seu confusione naturarum.

CANON

De non alterando Symbolo Nicæno.

HIs igitur perlectis, statuit sancta Synodus alteram fidem nemini licere aut conscribere, aut componere, præter definitam à sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu sancto congregati fuerunt. Qui verò ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre vel offerre converti volentibus in agnitionem veritatis, sive ex Gentilitate, sive ex Judaismo, sive ex qualicumque hæresi, hos quidem, si sunt Episcopi aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & Clericos à Clericatu decrevit: si verò laici fuerint, anathemati subjici.

Similiter etiam modo si qui inventi fuerint vel Episcopi vel Clerici vel laici, sive sentire, sive docere ea, quæ continentur in oblata expositione à Charisio Presbytero de unigeniti Filii Dei incarnatione, sive scelerata & perversa Nestorii dogmata, quæ & subnexa sunt, subjaceant sententiæ sanctæ hujus & universalis Synodi: ut videlicet Episcopus quidem removeatur ab episcopatu, & sit depositus; Clericus verò similiter excidat à clericatu: Si verò laicus quis sit, & ipse anathematizetur, sicut superiùs dictum est.

SCHOLION.

SEcundo Ecclesiæ loco, dato per tertium Canonem secundæ Synodi, Episcopi Constantinopolitani nequaquam fuere contenti: Animo namque ambitioso quid locus sine Synodo & Diœcesi? Patriarchalium Diœceseon invasio erat difficilis ex causa varia: Hinc in trium Autocephalorum Primatum, Thracici, Asiatici, & Pontici; vicinas & vastas Provincias oculos statim conjecit Nectarius Episcopus, atque hinc Socrates accepit occasionem errandi de secundo Canone Constantinopolitano: *Nectario ampla illa civitas Constantinopolis, & tota Thracia sorte obvenit.* Quod ab Episcopis Constantinopolitanis videbat per rapinam fieri, existimavit à Canone acceptum. Eadem de causa Gerontium, è criminoso suo Diacono Nicomediensem in Pontica Diœcesi Episcopum ac Bythyniæ Metropolitam, ordinatum ab Helladio Cæsaræensium in Cappadocia Episcopo & Ponticorum Primate, ejici ab eodem Nectario postulavit Sanctus Ambrosius: Quòd nempè Diœcesim illam videret ab illo potiùs, quàm ab Helladio administrari. Et quidem Ambrosio conatus est satisfacere Nectarius, verùm non potuit, quòd Helladius fines suos generosè tutaretur. Eodem jure à Marino Arianorum Constantinopoli Episcopo invasam Diœcesim Asiaticam, ac in ipsa Metropoli Epheso ordinatum Agapium, Socrates testatur.

L.5.c.8. Zozom. L.8. c.6. L.5. c. 22.

Nectario successit Sanctus Joannes Chrysostomus, quem in Synodo ad Quercum, relata à Photio in Bibliotheca, non sine fundamento accusavit Isaacius Monachus, *quòd aliorum invaderet Provincias, ordinaretque ibidem Episcopos.* Hermias Zozomenus ait etiam ab aliis accusatum, *quòd rerum novandarum primus auctor exstitisset in Ecclesiis, & ordinationum consuetudinem præter leges patrias invertisset.* Etenim Gerontium Nicomediensem, quem Nectarius non potuerat, ejecit ipse, ejusque in locum ordinavit Pansophium. Ea est causa, cur illum in exilium abeuntem per Cappadociam Helladius Primas non tanquam afflictum fratrem frater compatiens, sed palàm crudeliter tractarit; Tractavit ut violentum suæ Diœceseos & Primatialis potestatis invasorem. Etiam omnem Asiam visitavit Joannes, varios istic dejecit & ordinavit Episcopos: in ipsa Metropoli Ephesina dejecit Antoninum, imposuitque suis ordinatum manibus Heraclidem, suum Diaconum. Sedi Heracleensi, Thracum primatiali, ordinavit suum Archi-Diaconum Serapionem. Quin & Cucusi in Pontica Diœcesi exulem ordinasse plures Episcopos & Clericos, scribit in ejus vita apud Photium Georgius Patriarcha Alexandrinus. Omni Asiæ, Ponto, & Thraciæ dominatum Theodoretus.

Lib. 59. L. 8. c.6. Lib. 96. L 5.c.28.

Joanni post paucos Arsacii dies successit Atticus, de quo Socrates: *Mortuo Cyzicenorum Episcopo, Metropolita Hellesponti in Diœcesi Asiatica, Sisinnius post Atticum Constantinopolitanus Episcopus Proclum Cyzici Episcopum designat. Quem ad illam urbem profecturum antevertunt Cyziceni, Dalmatiumque Monachum Episcopum ordinant. Hoc ab illis factum est, neglecta illa lege, quæ jubet, ne quis Episcopus designetur absque sententia & auctoritate Episcopi Constantinopolitani. Legem autem propterea neglexerunt, quòd Attico soli, uti illi putabant, nominatim authoritatem illam concederet.* Atticus ergò trium Diœceseon primatialem Potestatem sedi suæ per Sanctum Joannem assertam lege imperiali sibi manuteneri impetravit, atque ita evasit contradictiones plurimas, è quibus Joanni natæ fuerant tot calamitates. Quòd eadem via omnem Illyricianam Diœcesim tentarit in se transcribere, dixi superiùs ad sextum decimum Canonem Sardicensem.

L.7.c.28.

Ei post optimum Sysinnium successit noster Nestorius, ex Ecclesia Antiochena vocatus, cujus minimus digitus erat grossior dorso cujuscunque sui Antecessoris. Etenim, ut Socrates scribit, statim se trium Diœceseon Patriarcham ostentans Macedonianos in Hellesponto, Novatianenses Quartodecimanos in Lydia, Caria, omnique Asia tractavit crudelissimè, imitari volens suum collegam & conclericum Antiochenum Sanctum Joannem Chrysostomum, à quo item dictarum Provinciarum Quartodecimanos fuisse de Basilicis ejectos testatur idem Scriptor. De Nestorii superbia & usurpata potestate scribit ad Sanctum Celestinum Pontificem Sanctus Cyrillus: *Fastu tumens, insidiisque ac sedis potentia fretus, effecturum se arbitratur, ut & nos ipsi & reliqui omnes suæ sententiæ subscribamus.* Et in litteris ad Clerum Constantinopolitanum: *Rerum nostrarum judicem fore se sperat.* A Romano Celestini Pontificis adversùs se ac errorem suum judicio appellarat, generalem Synodum à Theodosio Augusto impetrarat, atque ita Pontificis auctoritate suspensa sperarat tanquam secundus Ecclesiæ Episcopus & trium Diœceseon Patriarcha esse Synodi, non Præses, sed tyrannus, agere ex arbitrio in Cyrillum & ejus sibi adversantes collegas, atque ita omnem

L.7. c.31. 29. L.6.c.17. L.1.Conc. Ephes. c.14. Cap. 12.

omnem sub cœlo Ecclesiam seducere à Christo ad suum judaicum errorem. Ob Principem Nestorio faventem non fuit sine metu Cyrillus, ideoque sese quasi ad martyrium parabat.

Nestorius itaque in Episcopatus sui exordio mox in Diœcesin Asiaticam legavit Antonium & Jacobum Ecclesiæ suæ Presbyteros, omnem istic Quartodecimanum ad Ecclesiæ fidem & communionem coacturos. Dedit illis & fidei professionem exigendam à redeuntibus, nequaquam illam, quam Novatianensibus præscripsit Nicænus Canon, non item Nicænum aut Constantinopolitanum Symbolum, sed aliud novum, à suis Presbyteris Photio & Anastasio, totius hujus mali auctore, compositum, in quo omne suum virus expressit, unaque memoratam superiùs blasphemiam in Spiritum sanctum, quòd nempe non à Filio, aut per Filium procedat, sed à solo Patre. Ipsum non solis redeuntibus hæreticis atque schismaticis, sed & gentilibus ad fidem venientibus tradi jussit contra omnium sub cœlo Ecclesiarum morem & legem, quæ Catechumenis semper tradidere Apostolicum, Nicænum, aut Constantinopolitanum, atque ita & hos & illos fecit non veros Christianos, sed Semi-Judæos Nestorianos. Hæc Ephesinæ Synodo datis libellis questus est, & medelam expostulavit Gharisius, Ecclesiæ Philadelphiensis in Lydia Presbyter atque œconomus, obtinuitque Canonem præsentem.

Hic est ille famosissimus Canon, in quo Græci hodie schismatici causam suam principaliter fundant, & nequaquam sese, sed nos Latinos dicunt esse schismaticos, Canonum prævaricatores, anathematizatos, quorum communio contagiosa sit in omnem, qui sese ab ejusmodi hominibus, eorumque altaribus & Sacramentis non separat. Ajunt nos contra hujus Canonis præscriptum addidisse Nicæno Symbolo vocem, *Filioque*, ac proinde cum Romano nostro Papa & omnibus Episcopis esse ab eodem Canone damnatos. Hic quippe Canon ab illo Sardicensi, quem in synodalibus ad Ecclesiam Antiochenam litteris refert Sanctus Athanasius, differt longè plurimum: Ille novum dumtaxat condi Symbolum & deseri Nicænum, hic Nicæno quidquam addi aut demi vetat, etiam unicam solummodo vocem.

Ita illum intellexit Joannes Patriarcha Antiochenus in litteris synodalibus, per Paulum Episcopum Emisenum missis, quibus cum Sancto Cyrillo ac ejus Synodo inivit pacem. Plenam de Domini incarnatione fidem, ipsamque vocem, *Deipara*, profitetur, attamen *non additamenti loco, sed confirmationis specie*, fidei Nicænæ nihil adjiciens, quòd *illa ad omnem pietatis cognitionem, omnisque hæreticæ pravæ doctrinæ depulsionem abundè sat esse* sit ab hoc Canone declarata. Et Joanni per eundem Paulum respondet Sanctus Cyrillus: *Nullo modo patimur, ut ab aliquo fides illa, sive fidei Symbolum concutiatur, quod à sanctis quondam Patribus Nicænis editum est. Neque enim aut nobis, aut ulli omninò alteri vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam syllabam præterire permittimus*. Cyrillus Alexandrinus & Joannes

I-3.Conc. Ephesin. c.30.

Cap.34.

Patriarcha Antiochenus in Ephesina Synodo graviter dissenserant, & dudum hic illum de Apollinarii, ille hunc de Nestorii lepra diffamarat, tandemque à Theodosio Augusto jussi sunt in gratiam redire. Hinc alter alteri suam de Dominica incarnatione fidem largiùs exposuit, adversis erroribus abjuratis. Neque id erat contra Canonem præsentem, qui ipsi solùm Symbolo quid inseri aut detrahi vetat: Extra illud à suspectis catholicis, redeuntibus hæreticis, novis Episcopis, aliisque id genus, specialem fidei professionem & professionis præscriptam formulam exigere semper in Ecclesia licuit, semperque licebit, uti tradunt Sanctus Cyrillus in litteris ad Acacium Melitinæ Episcopum, perpetuaque Ecclesiæ praxis, & in Florentina Synodo & Græci & Latini sunt unanimiter professi. Nihilominus & in Cyrillum & in Joannem nata est æmulorum calumnia, quòd pacis fuco palmarem Ephesinum Canonem ipsi auctores non tantùm prævaricati essent, sed & exsufflassent. Hisce convitiatoribus ambo occurrunt, ostendentes à se neque conditum aut admissum novum Symbolum, neque veteri Nicæno insertum ullum additamentum; sed editam dumtaxat satisfactoriam atque expurgatoriam fidei professionem, qua toti mundo demonstrarent sese ab omni huc usque gravante suspicione immunes. Elegantissimè & largissimè id prosequitur Cyrillus in laudata & omninò videnda Epistola ad Acacium Militinensem. Cap. 35.

Hinc patet, quid sibi velit Archimandrita atque Heresiarcha Eutyches, Ephesino latrocinio querens de Sancto Flaviano Episcopo suo Constantinopolitano, ejusque Synodo, quæ ipsum de hæresi damnarat: *Et cùm jussus essem per meipsum confessionem fidei dicere, & dixissem sapere sicut trecenti decem & octo Patres, qui Nicæa sanxerunt, & quæ in Epheso sancta Synodus confirmavit, exigebat* Flavianus *me aliqua alia, præter quæ exposita sunt, in Nicæa & Epheso priùs, dicere: Ego verò timens prævaricari prolatam definitionem à sancta Synodo, quæ hic Dei voluntate priùs congregata est, & ea, quæ definita erant de fide à sanctis Patribus, qui in Nicæa convenerant, rogabam innotescere sancto vestro Concilio*. Eutycheti assiduè debuccinanti Nicænum Symbolum, & virus suum verbis ejus coaptanti, specialem professionis & abjurationis formulam præscripsit Flavianus, at versutus hæresiarcha provocavit ad hunc Canonem, sanctumque Flavianum accusat de ejus prævaricatione.

Concil. Chalced. Act. 1.

Hinc & Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, hæresiarchæ fautor, & latrocinii Præses, eundem Canonem innovavit, Eutychetem damnatum absolvit, Flavianum autem tanquam Canonis prævaricatorem damnavit. Innovando Canoni Thalassius Cæsaræensium in Cappadocia Primas ita est suffragatus: *Tenere omninò necessarium est sine aliquo additamento aut detrimento* Nicænam fidem, idque ob nostrum Canonem: *Quia hæc similiter nocere solent Regulæ pietatis*. Et Julianus Coensis Episcopus ac Sancti Leonis Papæ Vicarius: *Hæc tenet Apostolica Sedes*. At verò Sancti Flaviani damnationi Hilarus Romanæ Ecclesiæ Diaconus & Legatus con-

Concil. Chalced. Act. 1.

stantissimè contradixit. Et jure merito. Flavianus enim antiquum Ecclesiæ morem secutus fuerat, nequaquam Canonem nostrum prævaricatus.

Quantus fuerit ejusdem Canonis rigor, lucidè patet ex Synodo Chalcedonensi. Cùm enim post damnatos Dioscorum & Eutychetem, absolutum verò Sanctum Flavianum, Magnificentissimi ac Gloriosissimi judices, Nicænum & Constantinopolitanum Symbolum professi, urgerent Synodum ad tandem edendum læsæ fidei restauratorium decretum, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Expositionem alteram nemo facit; neque tentamus, neque audemus exponere. Sufficiunt quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere, quæ sunt exposita.* Utique hæc nostra Regula Ephesina. Putabant Episcopi à Gloriosissimis judicibus aliud Symbolum, aut Nicæni additamentum postulari. Hinc item de jam concepto fidei decreto clamantibus quibusdam Episcopis, *Sancta Maria Theotocos scribatur, in Symbolo sic addatur*, nequaquam acquievit Synodus: quin immò hunc nostrum Canonem in ipso fidei decreto rigidissimè innovavit. Act. 2.

Synodalis ad Marcianum Augustum Relatio meretur scribi aureis litteris. Fusè agit adversùm illos, qui Sancti Leonis Papæ dogmaticam Epistolam, nec non suum fidei decretum de nostri Canonis prævaricatione calumniabantur. Aliud esse dicit novum Symbolum conscribere, aut Nicæno aliquid addere, aliud Nicænam fidem contra novos insurgentium hæreticorum errores synodaliter aut papaliter extra Symbolun. exponere: Hoc semper fuisse ac fore licitum, & à se & Sancto Leone Papa factum, ideoque nullam esse vel speciem violati Canonis Ephesini. Legenda integra Relatio, verè dictata à Spiritu sancto.

Dicta Canonis mens liquidissimè patet ex Leonis Papæ tertii gestis & responsis ad Francos, contendentes de additamento vocis, *Filioque*. Græci olim sæpiùs à Romanæ Ecclesiæ communione sese segregarunt aut fuere segregati, ejus tamen ritus aut dogmata erroris infamare vix fuere ausi usque ad tempora Leonis Isauri, Imperatoris Iconoclastæ. Circa ejus tempora quispiam Joannes Monachus Hierosolymitanus resumpsit Nestorii ac Theodoreti errorem de Spiritu sancto, addens Latinos, qui à Patre & Filio procedere dicerent, esse hæreticos. Quòd Pippinus Francorum Rex, ejusque filius Carolus magnus istarum regionum orthodoxis sub jugo Saraceno gementibus per eleemosynas ac alia fraternæ charitatis subsidia communicarent, erroris fama contagiosa serpsit in Franciam, factasque illic varias tunc Synodos, in quibus de sacris imaginibus ac sancti Spiritus processione cum Græcis disputatum fuit, testantur Abbas Regino, Eginardus, Sigebertus Gemblacensis, aliique rerum Francicarum Scriptores.

Hinc ergò quidam Francorum Episcopi, plebem suam adversùs venenum munientes, cœperunt Symbolum Constantinopolitanum publicè in Ecclesiis ad Missarum solemnia cantare, & quidem cum additamento vocis, *Filioque*. Ritus novus, quòd fructum faceret, placuit & aliis Episcopis, ipsique Domino Regi, qui novitatem sua auctoritate inducere non ausi, impetravere licentiam à laudato Pontifice Leone, atque ita idem cantus sonare cœpit non tantùm in omni populari Ecclesia, sed & in Capella Palatina. Verùm cantandi dùmtaxat, non addendi licentiam dederat Pontifex, graviter doluit & questus est de excessu, dixitque Romæ ad Francorum Legatos, Jesse Ambianensem, Bernarium Episcopum Wormatiensem, & Adalardum Abbatem Corbejensem: *Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando aliquid addendi, minuendi, seu mutandi. Quod verò asseritis ideo vos ita cantare, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? Nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docemus, nec tamen legendo aut docendo addere quidpiam eidem Symbolo inserendo præsumimus. Quæ verò prædictis Symbolis fidei tantùm non congruentia deesse cognoscimus, non inserere præsumimus, sed locis temporibusque opportunis, quibus competit, ministrare curamus.* Assiduè inculcat Symbolo vel unam, licèt de medio ad salutem necessario & ab omnibus etiam plebeis credendo, vocem inserere esse præsumptionem illicitam, à Romanæ Ecclesiæ more & lege, nostra utique Ephesina, alienam: Ejusmodi puncta esse omninò tradenda populis, at extra Symbolum, quod à nemine tangi possit, tanquam sacrosanctum. Seriò Legatos hortatur ad attentati additamenti expunctionem, immò ad omissionem cantandi Symboli, si aliter illud expungi non possit.

At Franci non paruerunt. Quare indignatus Pontifex fecit, quod in ejus vita scribit Anastasius Bibliothecarius: *Pro amore & cautela orthodoxæ fidei fecit in Basilica Sancti Petri scuta argentea duo, scripta utraque Symbolo, unum quidem litteris Græcis, & aliud Latinis*, eaque posuit ad latera Sancti Petri, supremi Canonum custodis. Sanctus Petrus Damiani, & Petrus Lombardus falluntur posita fuisse ad altare Sancti Pauli. Photius Ecclesiæ Constantinopolitanæ pervasor, Georgius Corcyrensis, aliique Græci schismatici Francos vocant hæreticos, Leonemque Pontificem laudant quasi secum de Spiritus sancti processione sentientem. At imperitè aut malignè. Neque enim de dogmate, sed de solo ritu fuit quæstio inter Francos & Pontificem, nolentem suo tempore violari Ephesinum Canonem, hactenus religiosissimè à Romana & omni Latina Ecclesia custoditum. Argenteas illas tabulas esse voluit Romanæ innocentiæ testes, & Francicæ præsumptionis damnatrices. Dialogus Græci cum Latino de Azymis & processione Spiritus sancti addit de laudato Pontifice: *Per universas Ecclesias Romæ subjectas Græcè recitari & cum cantu sanctum Symbolum præcepit.* Auctoris incogniti de Latinorum à Græcis separatione tractatus jussum id dicit à Benedicto tertio, Leonis quarti successore, rursum à Francis hæreticis vexato. At Græculi suo more fingunt, & de suo loquuntur.

L. 3. Epist. 1.
L. 1. Dist. 11.

Canonis mentem lucidè item demonstrant nostrorum cum Græcis disputationes, factaque

tandem

tandem unio in Synodo Florentina. Disputatum fuit, non tantùm an Spiritus sanctus à Patre & Filio procederet, sed etiam an vox, *Filioque*, licèt sancta & vera, Symbolo citra nostri Canonis prævaricationem potuisset inseri. Marcus Ephesiorum Primas, hostis noster implacabilis, utramque quæstionem duxit æquè principalem: Ob errorem de priore hæreticos, ob temeritatem circa posteriorem adserens nos à præsente Canone damnatos.

Sess. 4. Canonem eleganter exponit Bessarion Archi-Episcopus Nicænus: *Eundem honorem sortitum est Symbolum, quem & divina Scriptura, Patribus ipsis ita censentibus*. Sacram Scripturam per tomos, epistolas, tractatus, professiones exponere licitum est cuivis Episcopo, at ejus corpori vel apicem unum aut jota inserere aut extrahere, gravius est peccato ariolandi. Eandem igitur reverentiam Nicæno Symbolo sancivit Ephesina Synodus, vocem, *Deipara*, adeo tunc necessariam stabiliens quidem in regulam, at Symbolo, quod poterat non minùs quàm Constantinopolitana, non inserens, ne ipsa suum Canonem prævaricari aut parvipendere videretur. Tantæ reverentiæ causam adducit idem Bessarion: *Sacrum Symbolum in Ecclesia obtinet locum principii*, proximi post Scripturam. Et in hoc tandem consensit utraque Ecclesia, latinaque ostendit vocem, *Filioque*, esse apud se legitima & causa & potestate additam, ideoque immunem à Marci Ephesii calumniis, de quibus omnibus plura suo loco. Sess. 8.

Dictis nostris quædam possunt opponi. Etenim Ruffinus Presbyter in Symboli expositione scribit ad Laurentium Episcopum, quòd omnes penè Orientales Ecclesiæ mutarint caput ipsius Apostolici Symboli, dicentes, non *Credo in Deum Patrem*, sed *Credo in unum Deum Patrem*. Item, *Et in unum Jesum Christum:* Originale namque Symbolum non habuit vocem, *unum*. Ad voces, *Deum Patrem omnipotentem*, quædam Ecclesiæ addiderunt voces, *Impassibilem ac invisibilem*, de quibus idem Ruffinus: *Sciendum, quòd duo isti sermones in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos, hæreseos causa, Sabellii illius profectò, quæ à nostris Patripassiana appellatur, id est, quæ & Patrem ipsum vel ex Virgine natum dicit & visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut ergò excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidisse Majores*. Et in libris invectivarum in Lib. 1. Sanctum Hieronymum scribit de Ecclesia Aquilejensi: *Cùm omnes Ecclesiæ ita Sacramentum Symboli tradant, ut postquam dixerint*, PECCATORUM REMISSIONEM, *addant*, CARNIS RESURRECTIONEM, *sancta Aquilejensis Ecclesia addit unius pronominis syllabam, & pro eo, quod cæteri dicunt*, CARNIS RESURRECTIONEM, *nos dicimus*, HUJUS CARNIS RESURRECTIONEM: *Quò scilicet frontem, ut mos est, in fine Symboli signaculo contingentes, & carnis hujus videlicet, quam contingimus, resurrectionem fatentes, omnem adversùm nos venenatæ linguæ calumniandi aditum præstruamus*. Ita ostendit Ecclesiam Aquilejensem, adeoque & se illius ex sancto fonte filium, esse remotissimos ab Origenis deliramentis de carnis resurrectione. Aperit & antiquum morem, morisque causam, ex qua olim fideles ad undecimum Apostolici Symboli articulum solebant crucis signaculo frontem insignire.

Clerus item Constantinopolitanus in libello contestatorio adversùs Nestorium Episcopum suum, exstante inter acta Synodi Ephesinæ, scribit de Ecclesia Antiochena: *Illa non alium & alium Filium agnoscit, semperque agnovit, sed unum eundemque. Nam inter cætera ita concionatur*: DEUM VERUM DE DEO VERO, CONSUBSTANTIALEM PATRI, PER QUEM SÆCULA CONSTITUTA, ET OMNIA FACTA SUNT. Nicæno igitur Symbolo addit voces, *Per quem sæcula constituta*. Omisit verò vocem, *De cœlis*, legitque simpliciter, *Descendit*. Plura ejusmodi additamenta adduxi supra ad Symbolum Constantinopolitanum. Et Eutychianis Ægyptiorum Episcopis, adversùm facta per Synodum Constantinopolitanam additamenta declamantibus, respondit in Synodo Chalcedonensi Diogenes orthodoxus Episcopus Cyzicenus, ea esse contra Macedonium atque Apollinarium facta, & omninò licuisse. Et adversùs ipsum Hæresiarcham Eutychem, qui in Ephesino latrocinio hunc nostrum Canonem Ephesinum urserat adversùs Sanctum Flavianum Episcopum suum Constantinopolitanum, respondit Eusebius Episcopus Doryleensis: *Mentitus est: Non est talis definitio, non est regula hoc præcipiens*. Hunc nostrum Canonem dicit esse suppositium & fictum. Quod Eusebii dictum in Florentina Synodo adduxit etiam D. Cardinalis Julianus. L. 1. c. 13. Act. 1.

Respondeo hæc omnia additamenta facta fuisse ante hunc nostrum Canonem, ideoque nobis non adversari. Noster namque Canon primus additamenta interdixit, tantamque sanxit reverentiam Symbolo Nicæno. Eusebio autem Doryleensi respondit in Synodo Chalcedonensi Dioscorus Patriarcha Alexandrinus: *Quatuor Codices sunt, qui eam definitionem continent. Quod definierunt Episcopi, non est definitio? Nunquid habet, quia regula est? Non est regula. Aliud est regula, aliud definitio. Accusa quinque Synodicos codices. Et ego habeo, & ille, & ille habent; proferant omnes codices*. Mutilum ergò codicem habuit Eusebius: Forsan ex causa tali, ex quali Canones Chalcedonenses fuisse Cappadocibus ignotos scribit ad Leonem Augustum in litteris post Synodum Chalcedonensem exstantibus Alypius Primas Cæsaræensis. Act. 1. Epist. 50.

EPHE-

EPHESINI CONCILII DECRETUM.

De Ecclesia Cypriorum.

SAncta Synodus dixit: Rem, hanc quæ præter Ecclesiasticas constitutiones & sanctorum Patrum Canones innovatur, & omnium libertatem attingit, annuntiavit piissimus Episcopus Rheginus, & qui cum eo piissimi Episcopi Provinciæ Cypri Zenon & Evagrius. Undè quoniam communes morbi majore egent remedio, eò quòd majus damnum adferant; si non est vetus mos, quòd Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut libellis & propriis vocibus docuerunt religiosissimi viri, qui ad sanctam Synodum accesserunt, habebunt jus suum intactum, & inviolatum, qui sanctis in Cypro Ecclesiis præsunt, secundùm Canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem, per seipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes. Istud autem etiam in aliis Diœcesibus, & in omnibus Provinciis servetur, ut nullus piissimorum Episcoporum aliam Provinciam occupet, quæ antea & ab initio sub sua, vel antecessorum suorum potestate non fuerit: sed & si quis occupaverit, vel per vim sibi subegerit, ipsam restituat, ne Patrum Canones prætereantur, neve sub Sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastus irrepat, ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus noster Jesus Christus, omnium hominum liberator. Placuit igitur sanctæ & œcumenicæ Synodo, ut unicuique Provinciæ pura & inviolata, quæ jam indè ab initio habuit, sua jura serventur, juxta veterem consuetudinem; & liberum sit cuique Metropolitano actorum exempla ad suam securitatem excipere. Si quis autem veterem typum contempserit, pœnam non effugiet: & si quis his, quæ nunc decreta sunt, pugnantes litteras attulerit, irritas esse decrevit sancta & universalis Synodus.

SCHOLION.

PAtriarchæ Antiocheno Sanctus Petrus Apostolus quoad judicia & ordinationes subjecit quindecim Orientalis Diœceseos Provincias, quarum una fuit omninò Cyprus. Ita fuisse usque ad Synodum Nicænam, docet Canon sextus. Apostolicum Patriarchæ jus concutere ex schismatis Eustathiani occasione cœpit Ariana rabies, Divini atque humani ordinis perturbatrix, exstinctoque schismate scribit ad Alexandrum Patriarcham Innocentius primus Pontifex: *Cyprios asseris olim Arianæ impietatis potentia fatigatos non retulisse*, spernentes *Nicænos Canones in ordinandis sibi Episcopis, & usque adhuc habere præsumptum, ut suo arbitratu ordinent neminem consulentes. Quocirca persuademus eis, ut curent, juxta Canonum fidem, fidem catholicam sapere, atque unum cum cæteris sentire Provinciis, ut appareat sancti Spiritus gratia ipsos quoque, ut omnes Ecclesias, gubernari*. (Epist. 18. c. 2.) Patriarchalis quoad subditorum Episcoporum consecrationem potestas consistit præsertim in duobus: ut Metropolitas evocet ad suas manus, ordinetque propriis manibus, Provinciales autem Episcopos permittat ordinari à Metropolitis; verùm ad suam præviam licentiam, examen, & confirmationem. Primum sub dicto schismate manserat Ecclesiæ Antiochenæ ferè inconcussum, secundum violatum erat à cunctis penè Metropolitis, arbitratu suo suffraganeos ordinantibus: Soli Cyprii utrumque excusserunt, transfusa in Metropolitam suum plena libertate & autocephalia. Eam hisce litteris exsufflat Pontifex, illosque cogit ad plenam ex more antiquo subjectionem.

At illi non obediverunt, nec item juri suo defuit Ecclesia Antiochena. Antiquæ libertatis possessionem firmare conati sunt violenter, at

at pacificam non potuerunt facere. Etenim in ordinatione Sabini, & Troili, qui in Metropolim Constantiensem seu Salaminensem successerunt Sancto Epiphanio, popularis seditio ad manus & effusum sanguinem devenit, quòd Ecclesiæ Antiochenæ Emissarii semper adessent, suscitarentque ejusmodi tragædias. Ephesina interim indicitur Synodus, moriturque Troilus Metropolita. Hinc ad alia consilia se vertit Joannes Patriarcha Antiochenus. Conciliat sibi magnificentissimum Comitem Dionysium, Ducem Diœceseos Orientalis, persuasum omnes istic Provincias subjici Patriarchæ in sacris, quomodo subjiciuntur Duci aut Prætorii Præfecto in rebus humanis. Pro jure suo appellat ad Synodum, ad ejus usque judicium mandans hærere suspensa omnia: laudatus item Dux laicam brachii sui opem adjunxit, Clero Constantiensi novi Metropolitæ electionem & consecrationem rigidissimè interdixit, illustrissimo viro Theodoro Provinciæ Præsidi interdicti observantiam delegans, cui accessit & Ecclesiæ Antiochenæ Diaconus cunctis agendis sedulò invigilaturus. Verùm nec hanc omnem paraturam Cyprii curaverunt: Elegerunt & consecrarunt Rheginum Metropolitam, miseruntque ad Synodum unà cum Zenone Curiensi & Evagrio Solensi Episcopo, Ecclesiæ suæ dignitati constanter adfuturum.

Rheginus itaque Metropolita constanter adfuit Synodo, adduxit Canones Apostolicos, antiqua Ecclesiæ suæ privilegia, sextumque Canonem Nicænum, *Suis privilegia serventur Ecclesiis*. Utique illa, de quibus ejusdem Canonis exordium: *Servetur antiqua consuetudo*. Ecclesiarum quippe privilegia passim aliud non sunt, quàm vetustæ consuetudines, ab Apostolis præsertim plantatæ atque inductæ. Hinc addidit Zenon Episcopus Curiensis: *A Sa Apostolis nunquam possunt ostendere, quòd aa rit Antiochenus, & ordinaverit, vel communi verit unquam insulæ ordinationis gratiam, nequ alius quisquam*. Et infrà: *Nunquam vel adfuit, vel ordinavit, neque in Metropoli, neque in alia civitate, sed Synodus nostræ Provinciæ congregata constituebat Metropolitam:* Qui constituendi seu Metropolitæ promovendi modus est proprius character Autocephaliæ. Etiam Sanctum Epiphanium asseruit ita ordinatum. Esse dicit perpetuam & Apostolicam Insulæ consuetudinem, instat stabiliri ex sexto Nicæno Canone, *Nullamque in insula fieri novitatem*. Eodem modo Africanis Episcopis, ad quintum & sextum Nicænos Canones provocantibus, dixit in sexta Carthaginensi Synodo Faustinus, Episcopus Potentinus ac Sedis Apostolicæ Legatus, *aliud esse dictorum Canonum constitutionem, aliud consuetudinem, quia aliqua ordine & Canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt*, ideoque *de his primitùs tractandum*. Qui, inquam, Ecclesiæ suæ privilegia seu consuetudines firmari postulat, opus est, ut eas primitùs ostendat. Synodo nostræ ostenderunt, aut potiùs ostendere visi sunt Rheginus Metropolita ac ejus laudati suffraganei, atque ita hocce decretum impetravere.

Dico, *Ostendere visi sunt*. Eos enim Synodo obrepsisse ostendunt supra laudatum Innocentii primi decretum, subsecuta oppositio Ecclesiæ Antiochenæ, ac inter ipsam & Cyprios tandem initum & in Canonibus Arabicis expressum concordatum, cui suus erit dicendi locus. Quòd Joannes Patriarcha Antiochenus Nestorio faveret, turbisque impleret omnia, Synodus in ejus Ecclesiam fuit iniquior.

CANONES

CONCILII EPHESINI.

PROOEMIUM.

CUm essemus Ephesi secundùm pias Imperatorum litteras congregati, defecerunt quidam à nobis numero paulò plùs triginta, defectionis suæ antesignanum Joannem Antiochenum Episcopum habentes. Horum nomina hæc sunt. Primus ipse Joannes Antiochiæ Syriæ Episcopus, Joannes Damasci Episcopus, Alexander Apameæ, Alexander Hierapolis, Himerius Nicomediæ, Fritilas Heracleæ, Helladius Tarsi, Maximus Anazarbi, Dorotheus Marcianopolis, Petrus Trajanopolis, Paulus Emisæ, Poly-

chronius

chronius Heracleopolis, Eutherius Tyanensium, Meletius Neocæsariensis, Theodoretus Cyri, Apringius Chalcidis, Macarius Laodiceæ magnæ, Zosys Esbuntis, Sallustius Coryci Ciliciæ, Hesychius Castabalæ Ciliciæ, Valentinus Mutloblacæ, Eustachius Parnassi, Philippus Theodosiopolis, Daniel, & Dexianus, & Julianus, & Cyrillus, & Olympius, & Diogenes, & Palladius, Theophanes Philadelphiæ, Tarianus Augustæ, Aurelius Irenopolitanus, Musæus Aradi, Helladius Ptolemaidis. Hi nullam omninò Ecclesiasticæ communionis facultatem habentes, ut ex auctoritate sacerdotali cuiquam nocere, vel prodesse possint, propterea quod etiam quidam ex ipsis sunt depositi, cum primis Nestorii, & Celestii sequi sententias manifestè ex eo sunt deprehensi, quòd Nestorium nobiscum condemnare noluerunt: quos sancta Synodus communi decreto ab omni Ecclesiastica communione alienos esse statuit, & omnem sacerdotii efficaciam illis ademit, per quam aliquibus vel nocere, vel prodesse poterant.

SCHOLION.

Joannes Patriarcha Antiochenus, non causæ, sed personæ Nestorianæ fautor, seriùs venit ad Synodum, comitatus non tantùm suæ Diœceseos Episcopis, sed & quibusdam latinis Pelagianis, per Celestinum Pontificem è sede sua & toto Occidente ejectis, & ab his seductus egit varia tanto Episcopo indigna. Nestorianæ causæ & personæ damnatione canonicè à Synodo factam sprevit, Sancti Cyrilli capitula de Apollinarii hæresi damnavit, confirmari permisit errorem Pelagianum, Sanctum Cyrillum & Memnonem Ephesiorum Episcopum abjecit ad laicos, jussitque carcerari à Joanne Sacrarum largitionum Comite, novis Celestini Pontificis ad hæc dissidia componenda Legatis noluit parere, sed nemine salutato ad propria rediit cum suis Episcopis, facturus pejora per omnem suum Patriarchatum. Quæ prævidens, & hosce jam non Episcopos, sed in ferocissimam rabiem actos orthodoxi gregis lupos exarmare & dentibus truncare volens sancta Synodus, christiana communione privavit, addiditque Canones sequentes. Ad hoc Prooemium alludunt Monachi Orientales in libellis suis exhibitis Agapeto Papæ & Justiniano Principi, lectisque in Synodo Constantinopolitana sub Menna Patriarcha, quibus Anthymum, Severum, Petrum, Zoaram, Acephalorum Principes, & orthodoxorum crudeles persecutores, rogant nudari dignitate & efficacia Episcopali.

CANON PRIMUS.

Quoniam autem oportebat & absentes à sancta Synodo, morantesque in urbibus & provinciis ob aliquod impedimentum, sive ecclesiasticum sive corporeum, non ignorare quæ de ipsis sunt constituta; significamus Sanctitati vestræ ac Dilectioni, ut si quispiam Metropolita Provinciæ, derelicta sancta & œcumenica Synodo, aut accessit ad illorum defectionis consessum, aut accedet in posterum, sive cum Celestio sensit aut sentiet, ipse nihil ampliùs poterit agere adversùs Provinciæ Episcopos, ut qui jam indè à Synodo totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus & prorsus inutilis, sed & ipsis Episcopis illius Provinciæ, circumque vicinis Metropolitis recta sentientibus, subjacebit, ut omninò dejectus sit à sede Episcopatus.

CANON

CANON II.

SI qui autem Provinciales Episcopi à sancta Synodo absfuerunt, & deficientibus adhæserunt, aut adhærere tentaverint, vel etiam postquam subscripserunt Nestorii depositioni, rursùs ad defectionis consensum recurrerunt: Istos placuit sanctæ Synodo penitus alienos esse à sacerdotio, & à gradu cecidisse.

SCHOLION.

GEneralis Synodus solet esse unanime judicium omnium trium Patriarcharum: At verò in hac Synodo Joannes Antiochenus schisma fecit jam dictum, eratque domum redux Episcopos suos, qui non adfuerant, omnemque Synodi auctoritatem omni conatu & arte circumscripturus. Huic malo Canon iste uterque occurrit. Et jure merito. Rectè enim in octava Synodo dixit Basilius Augustus, ex unius Patriarchæ iniquitate aut lapsu non vitiari Synodum, dummodò firmus stet, qui labi non potest, omnium caput & lumen, Romanus.

Metropolitam, nullumque generaliter superiorem posse judicari à subditis, statuit sextus Canon Nicænus: vetat & quævis judicia peregrina. Hic Canon exceptionem facit aut ostendit, dum est causa criminalis de læsa fide; Tunc enim Metropolita à subditis Episcopis, & vicinis Metropolitis orthodoxis potest omninò judicari & damnari. Ita in quinta sua Synodo dixit Symmachus Pontifex esse antiquum Romanæ Ecclesiæ Canonem, ut Episcopus à subdito non possit criminaliter accusari: *Nisi tamen à recta fide exorbitaverit*.

CANON III.

SI qui verò Clerici in singulis urbibus aut regionibus à Nestorio, & cum eo conspirantibus, sacerdotio prohibiti sunt, quòd rectè sentirent; justum putavimus hos quoque proprium gradum recipere. In summa autem Clericos orthodoxæ & œcumenicæ Synodo consentientes jubemus eis, qui defecerunt aut defecturi sunt, Episcopis nullo pacto aut ratione subjectos esse debere.

CANON IV.

SI qui autem Clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim vel publicè, quæ sunt Nestorii aut Celestii, sapere, sancitum est à sancta Synodo, istos quoque depositos esse.

SCHOLION.

COnstantinopolitanæ Ecclesiæ Clericos, novis Nestorii Episcopi sui prædicationibus resistentes, fuisse ab illo excommunicatos, degradatos, pessimè tractatos, ostendit eorum libellus contestatorius, per quem toti mundo ostendunt illum delirare antiquas & damnatas nugas Pauli Samosatensis. Fuisse etiam civitate ejectos testatur Sanctus Celestinus Pontifex in litteris ad Nestorium, & addit: *Lætamur eos præmium confessionis acquirere, sed dolemus quòd Episcopo persequente*. Undè illos ab omni ejusmodi, non sententia aut vinculo, sed contumelia & convicio liberat, accipitque in suam com- L. 1. Conc. Ephes. c. 18.

C. 19. communionem & protectionem. Ejusmodi excommunicationes esse quandam Martyrii speciem adserit, & Sancti Athanasii exemplo confirmat in litteris ad Clericos illam patientes. Quæ omnia stabilit & præsens Canon. Hæreticorum Episcoporum præsumptiones ejusmodi in orthodoxos subditos laudati superiùs Monachi Orientales, in libellis Justiniano Augusto datis adversùs Anthymum Trapezuntis Episcopum, eleganter vocant anathematizationes audientium aures & aerem inquinantes. Et Sanctus Augustinus scribit in libris de Baptismo adversùm Donatistas de quavis excommunicatione injusta: *Spiritales, sive ad hoc ipsum pio studio proficientes, non eunt foras. Quia & cùm aliqua vel perversitate vel necessitate hominum videntur, expelli, ibi magis probantur, quàm si intus permaneant, cùm adversùs Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida unitatis Petra fortissimo charitatis robore radicantur.* L. 1. c. 17.

CANON V.

Quicumque autem ob turpia gesta sunt à sancta Synodo condemnati, vel à propriis eorum Episcopis, quibus præter Canones Nestorius, qui nullum rerum discrimen habebat, & qui cum illo eadem sentiunt, restituere conati sunt gradum vel communionem, aut conabuntur, istos censuimus nihil profecisse, & manere, & esse nihilominus depositos.

CANON VI.

Similiter autem & si qui velint ea, quæ de singulis per sanctam Synodum Ephesinam gesta sunt, quocumque modo movere; sancta Synodus ipsa decrevit, si quidem Episcopi aut Clerici fuerint, eos omninò à proprio cadere gradu; si verò laici, excommunicatos esse.

EPHESINI CONCILII DECRETUM

De Eustathio, Pergensi Episcopo, Pamphyliæ Metropolita.

Cum divinitùs inspirata Scriptura dicat, *SINE CONSILIO NIHIL FACIAS*, eos in primis, qui sacro aliquo in munere versari volunt, magna diligentia, omnique studio in id incumbere oportet, ut in omnibus rebus administrandis, agendisque summa adhibeatur consideratio. Nam iis, qui sic vivere volunt, in optima spe res eorum sitas esse, & veluti secundo cursu, quæ optant, succedere contingit. Et sanè hæc non parùm rationi consentanea est oratio. Verùm interim solet incidere aliquando asper, ac intolerandus dolor, qui mentem humanam tanquam subito

aliquo fulminis percellat impetu, itaque eam perturbatam, perversamque reddat, ut & ab utilium, honestorumque indagatione abducatur, & ad ea, quæ natura ad lædendum sunt comparata, specie bonitatis persequenda impellatur. Tale quiddam sanctissimo illi religiosissimoque viro Eustathio contigisse cognovimus. Ritè enim ac secundùm Canones, ut omnium testimonio probatur, electus est. Postea verò cùm in tumultum à nonnullis, ut dicit, pertractus esset, subitisque ac inspiratis undique malis circumseptus (cùm usum in rebus gerendis admodum exiguum haberet,) sustinere tam multas, tamque graves, quæ ei incumbebant, curas non vellet, nec refutare eorum, qui ipsum adorirentur, maledicta, cùm posset; recusationis & abdicationis obtulit nescio quo pacto libellum: quum contrà oportebat eam, quam semel fidei suæ sacerdotalem curam commissam habuerat, fortitudine spiritali tenere, labores subire, ac animo volenti sudorem, cui merces proposita est, sustinere. Quæ diligentia quoniam in hoc apertè desiderata fuit (id tamen ex exiguo rerum usu potiùs, quàm ex ignaviæ, desidiæque vitio) non levi equidem causa, quæ vestra pietas est, memoratum Dei amantissimum fratrem nostrum, ac in Episcopali dignitate collegam, Theodorum eligere compulsi estis, qui curam Ecclesiæ subiturus sit. Indignum quippe fuisset, viduam manere Ecclesiam, indignum Pastore carere Salvatoris nostri ovilia. Quoniam ergò flens rogatum venit Eustathius, cum sanctissimo Theodoro Episcopo non de civitate recipienda, non de Ecclesia decertans, sed solùm Episcopalis nominis honorem ac vocationem expetens: hominis nos senectus sanè commovit universos; nec ut privatas ejus lacrymas, sed tanquam communes reputantes, inquirere studuimus, legitimamne passus esset memoratus vir depositionem, an de absurdis factis dictisve convictus esset, obtrectantibus nonnullis adversùs ipsius existimationem: Statimque reperimus hominem nihil hujusmodi perpetrasse, sed potiùs illi pro crimine recusationem officii vitio datam fuisse. Undè neque pio vestro studio succensuimus, quo in illius locum convenienter prædictus reverendus Episcopus Theodorus suffectus est: sed quia adversùs ejus animum à negotiis gerendis remotum non admodum decertare oportuit, sed miserari potiùs senem, qui procul ab urbe, in qua natus fuerat, & à patriis ædibus tamdiu absfuisset, justum, rectumque esse definimus, ut absque omni contradictione & nomen retineat Episcopi & honorem, & communionem: ea tamen lege, ut neque ordinandi ipse auctoritatem habeat, neque ubi in illam Ecclesiam venerit, ex propria sacrificet auctoritate, nisi id sibi vel adjuvandi causa, vel concessionis ratione, affectu, amoreque Christiano à fratre & Coepiscopo, si ita contigerit, liberaliter deferatur. Quòd si vos de eo melius consilium aut nunc explicare potestis, aut in posterum explicare studebitis, gratum id etiam, acceptumque sanctæ Synodo futurum est.

SCHOLION.

Aliud est Episcopatum electione delatum retusare, aliud jam admissum & manus impositione firmatum deponere. Primum, licèt non semper admiserit, semper tamen laudavit Ecclesia, dum præsertim nimia contumacia non accessit. Laudamus non solummodo Sanctos Cyprianum, Athanasium, Ambrosium, Gregorium magnum, & id genus plurimos, qui electi sese occultaverunt, sed & Ammonium Monachum, qui se irregularem facturus, aure truncavit, minatus truncare & lingua. Nilamnon Monachus, qui pro evadendo L.8. c.19.

do Episcopatu mortem postulavit atque obtinuit, insigniter laudatur ab Hermia Zozomeno, testante defunctum etiam coruscasse miraculis. Scio ejusmodi recusatores fuisse quandoque violenter coactos. Etenim Valens Augustus Moysen Monachum, à Saracenis postulatum Episcopum, fugientem jussit per milites comprehendi, & ordinandum deduci ad Patriarcham Alexandrinum. Et de Africanatum Ecclesiarum Electis ad Donatum Presbyterum Donatistam scribit Augustinus: *Multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur multa quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni*. Antequam eis Electionis decretum insinuaretur, apprehensi tradebantur custodiæ, quasi in vinculis deducendi ad manus Primatis consecraturi. Hinc primus Fussalensis Ecclesiæ Electus in ipso consecrationis puncto malè custoditus aufugit, Sanctusque Augustinus fuit coactus ei supponere infœlicem illum Antonium. Et Bassianus primò Evazorum, deinde Ephesiorum Episcopus ad Synodum Chalcedonensem dicit de Memnone Ephesiorum Episcopo, suo consecratore: *Memnon immisit manus suas, ut me ordinaret Episcopum Evazorum, & hoc fecit. Ego autem non acquiescebam, sed ab hora tertia usque ad sextam coram altari me plagis afflixit, & sanctum Evangelium & altare sanguine est impletum*. At ejusmodi violentias, quòd spirituale matrimonium nequeat nisi à volentibus iniri, in litteris ad Joannem Ravennæ Archi-Episcopum damnat, ac deinceps fieri vetat Simplicius Pontifex, exstatque in Codice Theodosiano Novella Valentiniani tertii Augusti, latum quempiam circa id tempus à Romana Ecclesia Canonem confirmans, de non ordinandis invitis.

Zozom. L. 6. c. 38. — Epist. 204. — Epist. 261. — Act. 11. — Epist. 2. — Novel. 12.

At verò legitimè semel admissi Episcopatus deponendi ratio est longè alia. Nonnulli, quos in litteris ad Nicolaum secundum Pontificem refutat Sanctus Petrus Damiani, dixere ex nulla causa posse deponi, ejusque vinculum esse jure Divino indissolubile, ducto argumento à matrimonio carnali ad spirituale. Fatetur laudatus Petrus deponi non posse, nisi ex causa admodum momentosa. Ad Rusticum Archi-Episcopum Narbonensem scribit Sanctus Leo magnus Pontifex: *Miror Dilectionem tuam in tantùm scandalorum quacumque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab Episcopatus laboribus optare te dicas, & malle in silentio atque otio vitam degere, quàm in his, quæ tibi commissa sunt, permanere*. Ei in faciem refricat verbum Apostoli, dictum specialiter Episcopis: *Omnes, qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Non tantùm à gentilibus per ignem, ferrum, aut quævis supplicia, sed etiam à falsis fratribus per *dissimilitudines morum, contumacias inobedientium, & malignarum tela linguarum*. Et hinc Sanctus Thomas Cantuariensis nulla prece aut suasu induci potuit, ut Episcopatum deponeret ad placandum Regem Ecclesiasticæ libertati adversum, dandamque pacem toti Ecclesiæ Anglicanæ. Deponere erat paratissimus, nam & non ita pridem ex alia causa deposuerat resignato annulo in manus Alexandri tertii Pontificis: Erat, inquam, & modò paratus, at post Ecclesiæ dignitatem à Regis manu & animo vindicatam. Rectè enim apud Sanctum Prosperum in libris de vita contemplativa dicit Julianus Episcopus fluctuantis pelagi formidinem excutiendam ab Episcopis, & spe perveniendi concepta, creditam Ecclesiæ navem usque ad portum sine ulla mercium jactura perducendam. Imitatus est Thomas Sanctum Cyprianum, qui Episcopatum, adversa penitus mente susceptum, generosissimè postmodum contra quinque Ecclesiæ suæ Presbyteros, ejus acerrimos impugnatores, etiam in Romano judicio defendit, tenuitque usque ad mortem. Quin immo Sanctum Petrum Damiani, quòd etiam post compositas Romanæ Ecclesiæ afflictiones Episcopatum Ostiensem & Cardinalatum deposuisset, graviter culpavit Cardinalis Hildebrandus, postmodum Papa Gregorius septimus, nullasque admisit apologias. Et hoc etiam fuit delictum Eustathii Metropolitæ Pergiensis, quem meritò Synodus noluit reponere in sedem & potestatem.

L. 1. Epist. 4. — Epist. 92. — L. 1. c. 16.

Rectè tamen illi, pusillum animum, senium, & varias afflictiones miserata, reliquit aut potiùs reddidit Episcopale nomen, dignitatem, communionem. Quòd namque solius sedis, retenta dignitate, renunciatio ex tunc in Ecclesiarum usu fuerit, docet nos in Theodori Lectoris Collectaneis Martyrius Patriarcha Antiochenus, renuncians in hæc verba: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio, servata mihi interim Sacerdotii dignitate*. De cujus renunciationis effectu apud Gregorium nonum videatur Rescriptum Innocentii tertii Pontificis ad Episcopum Faventinum. Ex hoc nostro item decreto Lateranensis sub laudato Pontifice Synodus videtur desumpsisse Canonem, quo Episcopus cedendi licentiam postulans & obtinens resilire non sinitur, sed cogitur ad cedendum.

L. 1. — L. 1. Tit. 9. C. 10.

DECRETUM

De Messalianis.

VEnientes ad nos pientissimi & religiosissimi Episcopi Valerianus, & Amphilochius, proposuerunt in communi considerandum de Messalianitis, hoc est, Euchetis vel Enthusiastis, qui in Pamphylia versantur, vel quocumque nomine contaminatissima hæresis vocatur.

tur. At nobis considerantibus attulit pientissimus & religiosissimus Episcopus Valerianus schedulam Synodicam de illis compositam in magna Constantinopoli sub beatæ memoriæ Sisinnio: quæ ubi lecta, ab omnibus probata est, quòd benè sit condita, recteque habeat. Et placuit nobis omnibus & pientissimis Episcopis Valeriano & Amphilochio, & omnibus Pamphyliæ & Lycaoniæ Provinciarum pientissimis Episcopis, ut omnia, quæ in synodica charta contenta, robur habeant, & nullo modo prætereunda; ut solida sint & ea, quæ in Alexandria acta sunt; ita ut omnes, qui per universam Provinciam hæretici Messaliani vel Enthusiastæ sunt, vel de ejus hæreseos morbo suspecti, sive Clerici, sive Laici sint, conveniantur: & si quidem anathematizaverint juxta ea, quæ in prædicta Synodo scripto pronuntiata sunt, in scriptis, si Clerici fuerint, maneant Clerici; si Laici, ad communionem admittantur. Quòd si renuerint anathematizare; si Presbyteri vel Diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu Ecclesiæ, excidant & à clero & à gradu & à communione: Laici verò anathematizentur. Convicti quoque non permittantur habere monasteria, ut ne zizania diffundantur & crescant. Hæc ut sic agantur, omnes vires intendant pientissimi Episcopi Valerianus & Amphilochius, cæterique reverendissimi totius Provinciæ Episcopi. Undè ad hæc placuit, librum pollutum illius hæreseos, qui dicitur Asceticon, anathematizari, quem attulerat religiosissimus & pientissimus Valerianus, utpotè ab hæreticis compositum. Similiter si quid illorum impietatem sapiens apud plerosque inveniatur, etiam hoc anathema sit. Præterea dum conveniunt, quæ utilia & necessaria ad concordiam & communionem & dispensationem, manifestè scriptis commendentur. Si autem quæstio oborta de his, quæ in hoc negotio sunt, & si quid difficile & ambiguum fuerit, quod pientissimis Episcopis Valeriano & Amphilochio, cæterisque per totam Provinciam Episcopis, non probatur, admotis scriptis omnia excutere debent. Et si relicti fuerint pientissimi Episcopi vel Lyciorum, vel Lycaoniorum; non relinquatur tamen Metropolitanus, Provinciæ cujuscumque fuerit. In commentarios hæc referenda, ut si qui opus habent iis, inveniant, quò etiam aliis ea diligentiùs exponant.

SCHOLION.

MEssaliani Syriacè, Latinè Precatores, Græcè Euchetæ, Psalliani, Adelphiani, Enthusiastæ sunt ejusdem erroris pessimi diversa nomina. Cur Euchetæ seu Precatores dicantur, causam dat Sanctus Augustinus in libro de hæresibus: *Tantùm orant, ut eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur.* Ad litteram implere volunt Domini Verbum: *Oportet semper orare, & non deficere.* Cur dicantur Enthusiastæ seu Spiritu adflati, edisserit Theodoretus: *Vim dæmonis cujusdam in animos suos admittunt, eamque Spiritus sancti præsentiam arbitrantur*: Quomodo hodie nostri Anabaptistæ, ac Svencfeldiani, qui sese dicunt cœlestes Prophetas. Addit in quarto libro hæreticarum fabularum: *Alia multa faciunt, quæ phrenesim arguunt. Nam & repentè saltant, & super dæmones se saltasse jactant, & digitis sagittantium speciem præferunt, in dæmones se jaculari affirmantes. Et alia pleraque agunt simili furore plena.* Deinde *à dæmone, qui eos agitat, decepti revelationes se vidisse perhibent, & futura prædicere conantur; rebus autem ipsis mentiri convincuntur.* Eos idem Doctor sub Valentiniano & Valente Augustis, Epiphanius sub Constantio dicit ortos, suo autem tempore sparsos per regiones varias sine principio, fine, capite, radice; & addit: *Simul permixtim viri cum mulieribus, & mulieres cum viris in eodem loco dormiunt, in vicis & plateis æstatis tempore, eò quòd non habent possessionem, ut inquiunt, in terra. Cæterùm de turpitudine aut libidine non valdè possum scire: verumtamen neque ab hac absunt, præsertim cùm simul in communi dormiant viri ac mulieres.* Fuisse longè fœdissimos, apud Photium in Bibliotheca scribit Gerontius Presbyter

C. 57.

L. 4. c. 10.

byter & Archimandrita ad Alypium Archi-Episcopum in Cappadocia Cæsaræensem. Erat Monachorum genus, de Manichæi Persæ prava radice ortum in Mesopotamia, ex malè intellecto Evangelico consilio de renunciandis terrenis possessionibus: Hoc namque consilium est prima Monachorum origo, quos ideo antiquitas passim appellavit *Renunciantes*.

L. 5 r.

Primus itaque Messalianorum error docet abdicanda bona temporalia, vivendumque de mendicato. Hinc habuere infames illas & sacrilegas mendicandi, seu veriùs simplices & divites mulieres spoliandi artes, quas in litteris ad Ecdiciam refert & damnat Sanctus Augustinus. Est error Eustathii Metropolitæ in Armenia Sebastensis, damnatus à Synodo Gangrensi, resuscitatusque à Pelagianis, quibus sub sanctitatis fuco fuisse easdem corradendi & captivandarum mulierum artes, quis ignorat? Neque ideo cum Joanne Wicleffo aut Martino Luthero damnamus saccos Monachorum mendicantium. Absit. Rectè enim adversùs Marcum Ephesiorum Metropolitam in Florentinæ Synodi Apologia dicit Gregorius Protosyncellus: *Utinam nobis tot essent Concionatores in Ecclesia diebus festis & dominicis populum docentes, quot summa fœlicitate visuntur in Ecclesia Latina, quotque Monachi extremam amplexi paupertatem.*

Epist. 199.

Errorem secundum refert Sanctus Augustinus in libris Retractationum: *Cùm apud Carthaginem Monasteria esse cœpissent, alii se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo; alii verò ita ex religiosorum oblationibus vivere volebant, ut nihil operantes, undè necessaria vel haberent vel supplerent, se potiùs implere præceptum Evangelicum existimarent atque jactarent, uti Dominus ait:* RESPICITE VOLATILIA CŒLI ET LILIA AGRI. Monachismum à Sancto Augustino recens in Africa plantatum, egregieque fructificantem, novis hisce quæstionibus conatus est diabolus fœdare per immissos ex Oriente Errones, quos fuisse Messalianos liquet ex toto libro de opere Monachorum. Non quòd non operarentur, sed quòd operari Monachum dicerent improbitatem Evangelio adversam, hæretici fuere. *Sic decepti*, inquit in quarto libro hæreticarum fabularum Theodoretus, *homines miserrimi nullum opus aggrediuntur, spiritales enim seipsos vocant, sed ubi orationi vacarint, diei maximam partem dormiunt.*

L. 1. c. 11.

Nicephor. L. 11. c. 14.

Tertius error à Theodoreto refertur in eodem libro: *Baptisma*, etiam Eucharistiam, *dicunt suscipientibus nihil prodesse. Novaculæ namque instar præcedentia peccata aufert, peccatorum verò radices stirpitus non exscindit.* Exscindi ajunt sola oratione. Errorem hunc Sancto Augustino, restantem post baptisma concupiscentiam esse peccati cadaver & radicem asserenti, calumniosè imposuit Julianus Pelagianista, nostro autem infœlici tempore in dogma resumunt Lutherus & Calvinus. Addit in libro de hæresibus Sanctus Augustinus: *Nonnulli eos dicunt de purgatione animarum nescio quam phantasticam & ridiculam fabulam narrare: Porcam scilicet cum porcellis suis videri exire de ore hominis, quando purgatur, & cum visibili similiter specie ignem, qui non comburat intrare.* Aliter Theodoretus: *Egredi inhabitantem dæmonem dicunt per mucum & sputi excrementa.*

S. 1.

Alios errores, quos sectæ dux Adelphius Flaviano Patriarchæ Antiocheno confessus est, refert laudatus Theodoretus: *Adelphius dixit Divini Baptismatis lavacrum nihil omninò prodesse, sed solas preces ardentes dæmonem in animis habitantem expellere. Nam singulos ex primo parente, ut naturam, ita dæmonum servitutem traxisse: Quibus oratione expulsis ex animo, Spiritum sanctum accedere, suamque præsentiam tum sensibus tum visui ostendere, & non corpus solùm perturbationum motibus liberare, verùm etiam animum inclinatione ad deteriora penitus eripere, adeo ut de cætero neque jejunio opus sit ad corpus coercendum, neque doctrina ad refrænandam ejus libidinem, & ad danda præcepta, quibus rectâ vivendi via incedere discat. Et qui sit hujus rei compos factus, non modò à lascivis corporis concitationibus liberum fore, sed etiam prævidere futura, & sanctam Trinitatem oculis cernere.* Quos errores ab aliquot sæculis resumpsere Begghardi & Begghinæ, rursumque damnarunt Clemens quintus Pontifex & Synodus Viennensis.

Alium errorem adducit in Bibliotheca Photius ex supra laudatis litteris Gerontii Archimandritæ ad Alypium Primatem Cæsaræensem: *Eos, qui statis horis psallunt, fœdè irrident Messaliani, & convitiis insectantur, tanquam legi adhuc servientes.* Erroris causam aperit Sanctus Augustinus in libro de hæresibus, Apostoli verbum, *Sine intermissione orate*, dicens *sic sanissimè accipi, ut nullo die intermittantur certa orandi tempora.* Hoc illi dixerunt non sufficere, ideoque orthodoxos criminati sunt tanquam adhuc jacentes sub imperfecto legis, cujus vocem esse existimabant, *Septies in die laudem dixi tibi:* Septies dumtaxat orantium justitiam necdum abundare supra justitiam Scribarum & Pharisæorum.

Alium denuo errorem refert idem Photius dicens de Synodo Antiochena sub Flaviano Patriarcha: *Noluit hæc Synodus Adelphium pœnitentiam profitentem, hæresimque abjurantem admittere, quòd neque ea hæreseos abjuratio, neque pœnitentia vera atque ex animo facta probaretur.* Et infra: *Condemnatus Adelphius, ejusque sectatores: Neque pœnitentiæ locum, quamvis quæsierint, propterea repererunt, quòd, quos anathemate tanquam Messalianos condemnarant, cum his veluti consortibus, scripto communicare deprehensi sunt.* Exponit Theodoretus: *Parati sunt ad negandum errores suos, & si urgeantur, protinus anathematizant eos, qui horum aliquid dicunt*, à Valentino antiquo Hæresiarcha docti abominandas ejusmodi imposturas. Hinc in Synodo Constantinopolitana sub Sisinnio Episcopo *Neon Episcopus exclamavit, ut si quis post anathematismum ullo tempore deprehensus fuerit re aut verbo in suspicionem malæ hujus sectæ incidisse, nunquam postea locum teneat, ne si millies quidem pœnitentibus constitutas pœnas luiturum se polliceatur.*

Pergit Photius: *Hæresis hujus auctores fuere Adelphius*, homo Edessenus, *neque Monachorum neque Sacerdotum in ordinem lectus, sed plebejus ac privatus, & Sabbas monasticum habitum præse-*

præferens, *quem ex rei eventu Resectum nominant: Alter item Sabbas*, *& Eustatius venerandus*, *& Dadoes*, *& Semesones*, *dæmonis zizania*. Reverà *dæmonis zizania*: Eos enim abominatus est etiam Severus, Patriarchatus Antiocheni invasor, omnium hæreseon sectator & amicus, ob facinora & flagitia passim dictus *Organum diaboli*. Adelphium tempore Flaviani Patriarchæ Antiocheni, à secunda Synodo in Episcopatu confirmati, Theodoretus ait fuisse plenè senem, adeoque potest ille sub Constantio Augusto incepisse suos errores. Edidit de illis librum Adsceticon, quem nostra Synodus pollutum vocat & anathematizat. Ab hoc Adelphio dicti sunt Adelphiani.

Eos ex Armenia Latojus Melitinensis, ex Lycaonia Amphilochius Metropolita Iconiensis, ex Orientis Diœcesi Flavianus, Theodotus, & Joannes Patriarchæ Antiocheni, ex Thracia Atticus & Sisinnius Episcopi Constantinopolitani, ex Ponto synodaliter proscripserunt Archelaus Primas Cæsaræensis & Heraclidas Episcopus Nyssenus. Attamen nec per tantam auctoritatem ac diligentiam potuerunt exstingui. Quare Synodo nostræ generali denuo detulerunt Valerianus Iconiensis & Amphilochius Sidensis in Pamphylia Episcopus, & hocce decretum impetrarunt. Ex summa gratia Synodus infectos hac lepra Episcopos & Clericos recepit in suo gradu. Hæc verba, *Convicti non permittantur habere Monasteria*, *ne zizania diffundantur & crescant*, exponit Nicephorus Calixtus, laudans Latojum Melitinæ Episcopum, quòd eorum Monasteria, tanquam *latronum speluncas*, exusserit, & vindice flamma eliminarit. L.11.c.14. Ita in quarta Actione Synodi Constantinopolitanæ ad Mennam Patriarcham clamaverunt orthodoxi Episcopi & Monachi adversùs Petrum Apameensem Episcopum Eutychianistam: *Petrus quare habet Monasteria? Speluncæ hæreticorum modò ardeant*, *Monasteria Petri everte*.

DECRETUM

De Ecclesia Europæ, quæ est Thracicæ Diœceseos sexta Provincia.

Vetus mos viget in Provinciis Europæ, quòd singuli Episcopi duos vel tres sub se habeant Episcopatus; undè Heracleæ Episcopus sub se habet Heracleam & Panion: Episcopus autem Byzes sub se Byzen, & Arcadiopolim; Cœlensis verò similiter habet Cœlan, & Callipolim: Porrò Episcopus Sabsadiæ, sub se habet Sabsadiam, & Aphrodisiadem. Itaque olim & ab initio Ecclesias illas duo Europæ Episcopi administrabant, & nunquam prædictæ civitates proprios acceperunt Episcopos; sed aliæ quidem sub Heraclea fuerunt ab initio; Arcadiopolis autem fuit Episcopi Byzensis; Callipolis similiter sub Episcopo Cœlensi. Verùm quoniam nunc Fhriuclas Heracleæ Episcopus, à sancta Synodo apostata factus, Nestorio & cum illo sentientibus se addixit (suspicamur autem, quòd nunquam vel ipse ulciscens tanquam hostes, vel qui cum ipso Heracleæ Episcopatum administrant, veniant ad ordinandum Episcopos juxta veterem & roboratam consuetudinem in memoratis civitatibus, quæ nunquam proprios Episcopos receperunt) itaque priscos mores & consuetudinem, quæ olim & ab initio viguit, commoveri propter novitates cogitantes, oramus vestram Pietatem definitionem pronuntiari de ea re à vestra sancta magnaque Synodo, proprioque signaculo eam roborari, ita ut neque nos Ecclesiis nostris privemur, in quibus plurimùm laboravimus, neque mos jam longo tempore confirmatus à quopiam præmemoratorum commoveatur, fiantque bella, & inordinationes, maximè inter Episcopos Europæ. Cujus rei si compotes facti fuerimus, gratiam habituri

sumus

sumus omnium Deo, qui sic vestram Sanctitatem congregavit ad corrigendas Ecclesias orbis.

Sancta & universalis Synodus dixit: Honesta petitio est pientissimorum Episcoporum Euprepii & Cyrilli, quam ostendunt oblati libelli. Undè & sanctis Canonibus, et externis legibus, quæ veterem consuetudinem, nunc vim legis habent, nihil innovandum in Europæ civitatibus, sed juxta veterem consuetudinem gubernentur ab Episcopis, à quibus et olim; cùm nullus etiamnum Metropolitanus, qui alioqui sustulisset potestatem, neque postea futuris temporibus poterit aliquid à veteri consuetudine innovare.

Locus mendosus.

SCHOLION.

ANtiquæ, dummodo probabilis, consuetudinis summa semper apud Ecclesias fuit reverentia. Ob varias variarum gentium sub una fide consuetudines Ecclesiam esse quasi Reginam circumamictam varietatibus, ideoque illarum nullam esse temerariæ cavillationis dente rodendam, scribit Sanctus Fulbertus Episcopus Carnotensis, Non facilè mutandas, ad Januarium Sanctus Augustinus: *Quoniam mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*. Et Synodi Nicænæ frequens vox est: *Servetur antiqua consuetudo*. Africanarum Provinciarum sine sede Metropolitana Primates erant omninò contra generales Ecclesiæ Canones, mutareque voluit Pelagius secundus Pontifex; at Sanctus Gregorius magnus *immotam permanere concessit consuetudinem*, *quòd contra fidem catholicam nihil usurparet*. Eodem modo duas Ecclesias uni Episcopo esse cathedrales, seu duas cathredrales Ecclesias uniri in unum Episcopatum, & ab uno Episcopo teneri in titulum, dissonat à Canonibus, vestiri tamen potest rationibus, ob quas sit consuetudo probabilis, per ipsos Canones rata ac firma. Etenim huic nostræ Synodo subscribunt *Athanasius Episcopus Dueltanus & Zosopolitanus*, ac *Timotheus Episcopus civitatis Termesi & Eudociadis*. Et in ipsa Italia Sanctus Gregorius magnus varias univit Ecclesias, ac in utraque esse jussit eundem & unum Episcopum Cardinalem. Etiamnum hodie Portuensis & Veliternensis, Recanatensis item & Lauretana sunt unitæ. Etiam in Germania Bremensis & Hamburgensis Metropolitanæ: Et in Anglia quidam Episcopi habent tres civitates & Ecclesias cathedrales.

Epist. 2. Epist. 118. L. 1. Epist. 75 F. 372.

Idem ergò mos viguit in Europæ Provincia, forsan à tempore Apostolorum. Nam & de Scythia, Provincia ejusdem Diœceseos, scribit Hermias Zozomenus: *Per Scythiam cùm sint civitates multæ, unum dumtaxat omnes hæ Episcopum habent*. Fritilas ergò seu Friulcas Heracleæ Metropolitanus Episcopus, Joanni Patriarchæ Antiocheno adversùs Synodum adhærens, quò Nestorianam factionem firmiorem faceret, vetustam Provinciæ suæ consuetudinem mutare, & singulis civitatibus dare voluit ejusdem secum pravitatis Episcopos: At apud Synodum intercessere ejus suffraganei, & hocce decretum impetravere, veterem consuetudinem non dumtaxat probans, sed & adversùs omnem futuram impugnationem stabiliens.

L. 7. c. 19.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM.

Primus numerus paginam, alter columnam designat.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

X

Z

FINIS.

Hi ſunt Typographorum errores, *D. Hieronymus*: quorum tamen plerique ex corruptiſſimo Proœmialis diſſertationis copiali Manuſcripto irrepſerunt.

In Vita

P. 3. L.21. noviſſimus *corrige* nnvimus. ib. l. 31. ornatiſſimus ornatiſſimum. ib.l. 35. religionis Religioſis. ib.l. 37. quod jam obſoleverat quod jam penè obſoleverat. p.4.l.21. Facultem Facultatem. p.5.l.15. illum non retinere illum retinere. ib.l.4.à fine inſignora inſigniora. p.6. l.16. imprimis in primis. ib. l.8. à fine creberis crebris. ib.l.9. à fine pergi peragi. ib.l.2. à fine operaratur operaretur. p.8.l.15. Horenteeche Orenbeeche.

In Diſſertatione Proœmiali

Pag.5.col.2.lin.52. dicimus diſcimus. p.7.c.2.l.10. à fine. adultrinum ad ultimum. p.9.c.2.l.27. Barbariæ Barbarie. p.24.c.1. l.3. & ut. ib.c.2.l.26 Sotarem Soterem. ib. c.2. l.28. Highinum Higinum. p.25.c.1. l. 14. à fine. Dionyſius Dionyſium—9. p.27.c.1.l.13. à fine. conguas congruas. ib. c.2.l.18. Marci Pallium, errat Marci Pallium, ignoro. Errat. p.31. c.2. l.8. à fine. generatione generationi. p.32. c.1. l.19. à fine. fine ſive. p.34.c.1.l.2. Mariotici Mareotici. ib. c.1.l.4. ab ad. ib. c.2. l.6. à fine. Sententia Sententiam. p.36. c.1. l.26. Zelo. Allegata Zelo, Allegata. p.37.c.1.l.23. ſunt omnino ſunt, omnino. ib. c. 2. l. 4. à fine. peccat peccati. p. 42. c. 1. l. 4. à fine. Idolatiam Idolatriam. p. 47. c. 1. l. 18. Hinc videm videmus. p.51.c.1. l.18. à fine. ſublimitatem ſubtilitatem. p.66. c.2. l.41. ſuo patello ſuæ patellæ. p.68. c.1.l.41. duxit duxi- p.179. c.2.l.22. Pleta Plena. p.180.c.1.l.14. hæc ex electione lectione. ib.c.2.l.11. Feuzardentius Fevardentius. ib. c.1.l.43. Zoſomenſis Zozomenus. p.181. c.1. l.33. in lento in ſexto. p.184. c.2.l.17. Patrum Petrum. p.187. c.1. l.14. à fine. nobiles ſtabiles. p.190.c.1. in margine. lib. 123. lib.1. 2. 3. p.196. c.2. l.7. dico duo. p.197. c.1. l.15. à fine. in fine in fide. ib. c.1. l.11. à fine. nota notas. p.198.c.1.l.24. à fine. Eligendi Elipandi. p.199. c.2. l.15. à fine. Eotheſim Exheſim. p. 206. c. 2. l.19. à fine. juſtifica te juſtifico te. p.207. c.2.l.5. quod dijuncti quod ei juncti. p.211. c. 2. l.35. intendi iſtiuſmodi vocabuli utendi iſtiuſmodi vocabulo. p.225. c.1.l.5. in cruce in carne. p.227.c.2.l.10. à fine. Uſitan Uſian. p. 228. c. 1.l. 25. E infra Et infra. p.229. c.2.l.24. de eo Deo. p.232.c.1.l.16. à fine. anathemati Gaudi anathematizandi. p.233. c.2.l.8. Heclancuſis Eclanenſis. p.241.c.2.l.7. à fine. Patrorum Paſtorum. p.252. c.2.l.21. Cirrhenſem Cirtenſem. p.253. c.2. l.16. totius pœnitentia totius vitæ pœnitentia. p.271. c.2.l.3. à fine. obtinentiam obnitentiam. p.408. c.2.l.3. in Sch. Tarmeſi Tarmeſis.

BINDING SECT. FEB 21 1969

BX 890 L86 1724 t.1

Lupus, Christianus
Opera Omnia

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY